2.a.6
6-

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Número 58
Tabla
Número 38

2 400 50
MADE IN SPAIN



R-6327

De el Col. de la Comp.ª de Jhs de Granada. S. B.ª

MICHAELIS DE Palacio Granatensis præfatio in duodecim Prophetas minores ad Lectorem.

SANCTORVM Prophetarum Diuus Petrus in catholica sua epistola declarans autoritatem, mirabili est vsus encomio dicens, Habetis certiorem propheticum sermonem cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco. Tria nos docens in Prophetis esse obseruanda, & quod certissima habent vaticinia, & quod lucent, & quod denique hanc lucem habent reconditam in loco caliginoso. Sanè lucent, siquidem sua luce totam Ecclesiam Dei quotidie illuminant. Enimuero Christi vniuersa mysteria sacri præsenserunt vates, longe antequam illa in seculo extarent. Incarnationem enim Domini, natiuitatem, mortem, resurrectionem, in cælos ascensionem, ipsi præuidentes memoriæ prodiderunt. Id quod quia præsentire nequibant nisi spiritu Dei docente infallibiles credimus fuisse eorum præsensiones. ¶ Et quidem canente Regio vate, omne verbum Dei lux est, lucerna inquit pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis: quocirca cum Sanctorum verba Prophetarum, sint Dei verba, esse ipsos lucernam diuinam nostrorum operum, & cogitatuum, & verborum, nemo sani capitis inficiabitur. ¶ Porro, lucernam hanc lucere in caliginoso loco, non erit difficile creditu, obseruantibus propheticas lectiones. Enimuero, abundant metaphoris, parabolis, tropis, & Hebraismis nostro Latino sermoni, & item Græco idiomati inconsuetis, imo valde peregrinis. ¶ Rursus abundant nominibus ciuitatum, fluuiorum, montium, agrorum nobis ignotorum, quippe quæ procul valde distant à nostra habitatione. ¶ Ad hæc Prophetæ vt etiam Euangelistæ, suos sermones magna premunt breuitate: id quod lectori offundit non modicam ad intelligentiam difficultatem, vt dixit ille: breuis dum esse laboro obscurus fio. Ex quibus causis, & ex multis alijs, quæ prudens pertranseo Prophetæ redduntur obscuri legentibus, & ideo multa indagine, multoq́ sudore, sunt perscrutandi, maximè, quod idiomate Hebræo sunt conscripti, quod Latinus sermo, imo Græcus, ad exactum sæpè exprimere nequit. Vnde ni fallor exploratum tibi erit, cur dixerit Petrus Prophetas lucere in caliginoso loco. Missum facio quod lucent in hoc seculo, quod est opertum multa caligine, videmus enim nunc per speculum in ænigmate. Mihi igitur, obscuritatem eorum libranti, & vtilitatem item expendenti ex lectione & intelligentia horum vatum Theologis, cum scholasticis, tum diuini verbi declamatoribus maximam prouenturam libuit eos pro concessa nobis à Christo virium portione, disserere si fortassis, ex nostro labore, & opera illis enucleandis impensa, nõnihil lucis eisdem possem afferre, quod si non attulerim in magnis voluisse satis est. Est autem à me

in primis ſudatum, in enodando literali ſenſu, qui eſt vertex & cardo omnium aliorum ſenſuum. Verum, quia literalis ſenſus valde delectat ſi aliis ornetur ſenſibus, ideo & alios omnes non piguit pro opportunitate ſacrorum locorum, immiſcere. Et multa ex diſputationibus ſcholaſticis, & philoſophicis, à me olim diſerta immiſcui, vt literalis ſenſus difficultas, ex admixtis iſtiuſmodi mulceretur, & exornaretur. Eſt enim literalis ſenſus, tanquam panis intellectualis vnde veſcitur maximè mens, vt corpus noſtrum ex materiali pane: cæterum, vt panis ſuauior fit ex addito obſonio, ita & literalis ſenſus, ex mixtura aliorum ſenſuum admodum dulceſcit. ¶Boni conſules bone lector ſudores noſtros in exponendis iſtis duodecim Prophetis, ſi profeceris ex noſtro labore, gloriam exhibebis Chriſto Domino, qui cum ſapientia, & fons ſapientiæ, & ſapientum emendator ſit, ipſi grates ſunt perſoluendæ, quia illuminauit lucernam meam, vt poſſet te illuminare, ſi vero deſpexeris, non grauabor, quæras tibi meliora. Et equidem, ſi ſuccenſueris meo ingenio, quod rude ſit, certè meæ diligentiæ ſuccenſere nequibis, quod iners fuerit. Præſtiti enim omnem quam potui operam, in conferendis Hebræis & Græcis originalibus, & latinis tranſlationibus, vt legitimum quo adliceret eruerem literalem ſenſum, & myſticos item, non diſſonantes, ſed admodum literalibus cohærentes. Ideoq; non paſsim hos profero, ſed quando ex literali opportuna ſe pandit occaſio.

MAGISTRI MICHAELIS de Palatio Granatenſis, in duodecim Prophetas minores communis Prologus.

LIBER hic, quem Chriſto auſpice exponendum ſuſcepimus, titulum habet duodecim Prophetarum. Quem Hebræi ſuo idiomate Tereaſer appellitant, ideſt duodecim. Quos duodecim Prophetas Eccleſiaſti. liber. cap. 49. pro eorum dignitate commendans, ait, duodecim Prophetarum, oſſa pullulant, de loco ſuo: nã corroborauerunt Iacob, & redemerunt ſe in fide virtutis. ¶Sanè oſſa ipſorum quotidie pullulant in eccleſia Dei Catholica, quotidie enim in mentibus fidelium germinant, fidem, & amorem Dei, & ad ſancta ſtudia nos prouocant. Et olim eundẽ fructum referebãt, apud ſuos. Hoc enim eſt corroborare Iacob. Ideſt populum illum Iſraelitarũ confirmare, in fide, & charitate Dei, & proximi, & denique ſe redemerunt, & aſſeruerunt ab impijs hominibus, quorum multam ſuſtinuerunt vexationem. Verum per fidem ſuam, & virtutem conſtantiæ in Dei amore, ab omnibus illis ſe redemerunt. ¶Et aptiſsimè numerus duodenarius hos ſacros numerat vates. Si nanque ſacras conſulimus litteras numerus hic ſacer eſt; quippequi ſacra numerat. ¶Etenim ſi rẽ hanc altius repetere libet, inuenies, duodecim fuiſſe Patriarchas, vnde duodecim Iſraeliticæ tribus fuerunt progenitæ. Et duodecim portas templum Dei vidiſſe ex ſacra viſione Ezechielem legimus, trinæ, & trinæ diſtributę, ad quatuor cæli puncta, ſcilicet Oriẽtis, occidentis, meridiei, & ſeptentrionis id quod eccleſiam Catholicam adumbrabat, quæ diffuſa eſt in orbem terrarum, & nullum cuiuſcunque nationis, ſexus, ſtatus excludentem à ſuo gremio. ¶Duodecim item Apoſtolos Chriſtum elegiſſe, nemini fidelium ignotum eſt; quibus Dominus ait, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael. Per duodecim tribus vniuerſitatem fidelium, ſubnotans. Matth. 19. ¶Adhæc legimus Exod. 15. ab Iſraelitis, vaſtam eremum luſtrãtibus repertos fuiſſe duodecim fontes, in Elim. Qui duodecim Chriſti Apoſtolos dubio procul præſignabant. Ab Apoſtolis ceu à fontibus diuinis, euangelicam doctrinã

Numerũ duodenarium ſacrum eſſe ex multis oſtẽditur.

Exec. 48.
Apoc. 21.

esse à toto orbe hauriendam, vt etiam signabantur per duodecim illos æneos boues, qui mare illud fusile, in Salomonico templo fulciebant, vnde hostiæ Deo offerendæ lauabantur. ¶ Siquidem sancti Apostoli, vt boues sunt potentissimi, qui sustinent sua spirituali fortitudine baptismi doctrinam, qui est ianua omnium aliorum sacramentorum. Vnde & arcam testamenti ipsi tulerunt humeris suis, quia in omnem terram exiuit sonus eorum. Isti sunt boues illi, quos scriptura commemorat dicens Eliseum in duodecim iugis boum arasse. 3. Reg. 19. Siquidē verus Eliseus Christus per duodecim Apostolos vniuersum arauit aratro euangelicæ doctrinæ proscindens duritiem humanæ mentis, & prosciſſam, & mollefactam, iam suo cælesti seminauit verbo, vt proferret vitæ æternæ fructus. ¶ Duodecim quoque legimus summum veteris legis Pontificem, in rationali, lapillos gestasse, vt memoria recoleret se oratu rum pro duodecim tribubus Israel, quando sancta sanctorum, erat ingressurus. Et rursus duodecim lapides, ad flumen Iordanis Iosue constituere iussit Israelitis vt diuisionis Iordanis aquarum, perpetua memoria in posteritate perseueraret. Sunt & alia pleraque quę hunc numerum mysticum esse demonstrant, quæ valere iubeo: quia satis esse puto huic instituto, quæ hactenus denarrauimus.

2. Paral. 4.

Exod. 28. Iosue. 4.

At vero, quod magis ad rem hāc attinet est perscrutari, cur isti duodecim, dicantur, vetustissima cognominatione, minores Prophetæ. Enim vero ignari continuo arbitrabuntur, hos minoris esse fidei, quam quatuor maiores scilicet Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. At vero absit à te tam impia hæc cogitatio. Siquidem omnes sancti Prophetæ eadem autoritate fulgent. Nanque testante Petro, non voluntate humana, est allata prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Quod si subit alia cogitatio forsan eos dici minores, quia posterius sua ediderunt vaticinia quam maiores vt Iacobus appellatur minor, quia fuit vocatus à Christo, posterius, quam alter Iacobus, qui eò maior dicitur, quia priore fuit donatus vocatione: vtique etiam hæc depellenda est opinio. ¶ Siquidem maiores Prophetas, vt Isaiam Prophetasse legimus, eo tempore, quo & minores, vt Oseas & Amos, id quod singulorum lectio te apertius docebit. Accedit eodem Ieremias qui in catalogo maiorum recensetur, qui Prophetauit, multo æuo posteriori quam Oseas, & Amos, & Michęas. Quandoquidem Ieremias Prophetauit sub Iosia rege Iuda, Ioacim, & Ioachim, & Sedechia: at vero Oseas & Amos, Prophetias suas euulgarunt sub Ozia Ioathan, Achaz, &c. qui vixerunt multo ante Iosiam, & Ioacim,

Ioacim & Ioachim, & Sedechiam, vt patet ex annalibus sacris. 4. Regum. idem colligere licet. Et ex Matth. cap. 1. De Ezechiele & Daniele qui sunt recensiti inter maiores Dei vates, qui tamen prophetarunt sub captiuitate Babylonica, vnde fuerunt posteriores, quam Oseas & Amos & Ioel, & Michæas, qui iampridem præcesserant ipsam Babylonicam captiuitatem. ¶ Similiter si quispiam opinetur, maiores prophetas dictos, quia clariora habent vaticinia: minores vero quia obscuriora. Siquidem Isaias, tam clarè pronuntiat Christi & ecclesiæ mysteria, vt Euangelista censeatur ab interpretibus. Et Ieremias, adeo claram habeat Prophetam, vt Hieronymo, & Theodoreto visum fuerit non egere dilucidatione: quia potius videtur historicus quam Propheta. ¶ Porrò autem, neque hæc probanda venit sententia, siquidem omnibus Dei prophetis est familiaris sermonis obscuritas. Vnde Eunuchus ille Isaiam legens Philippo dixit. Quomodo possum intelligere, si nō aliquis ostenderit mihi, Actor. 8. Et visiones Ezechielis, & priores, & posteriores, quis queat explicare? Nam Hieronym. priores denarrans inquit, sibi licere potius de illis suspicari, quam eas denarrare. Et vltimam visionem expositurus, sibi licere magis sterę, quam eam enodare, testatur. ¶ Et rursus visiones Danielis ilę de quatuor alatis animalibus, quadrifidis vultibus distinctis, quatuorque rotis sibi connexis, quis poterit dignè explicare? Et equidem varietas interpretationum satis est nobis argumento prophe ticos libros, esse obscuritate refertos. Siquidem aliter eos elucidant Hebræi Rabini, aliter catholici doctores: & sæpè inter hos non est conuentio. ¶ Abundant nanque omnes Prophetæ, metaphoris nobis non consuetis diuersis parabolis, varijs figuris, & tropis loquendi, & visionibus obscurissimis. Vnde Dominus Ezechiel. cap. 17. ait, Fili hominis propone ænigma, narra parabolam Israel. Et cap. 20. Iudæi concaptiui eidem dicunt in parabolis loquitur iste.

Prophetæ sunt obscuri in multis.

Diuinæ scripturæ sunt obscuræ.

¶ Quibus adde quod egregius psaltes, cecinit in Dei persona, aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Et Dominus, Lucæ vigesimoquarto. referans Mosem, & Psalmos, & Prophetas discipulis quibusdam, lucidè monstrauit diuinas scripturas obscuras esse & egere Spiritus sancti magisterio, ex quo conditæ sunt. Nam sicut nemo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in homine est, ita nemo nouit, quæ spiritus Dei sunt, nisi ipse Spiritus sanctus aut cui ipse voluerit

luerit reuelare. ¶Vnde Dominus aiebat discipulis suis, vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem omnia in parabolis fiunt, &c. vt iam scitè dixeris prophetales libros esse puteum profundum, ex quo nemini licebit salubrem exhaurire aquam, nisi diuino potiatur hauritorio: vt iam cesset disipare Lutherus asserens literas diuinas esse clarissimas fidelibus, quanuis infidelibus sint difficiles intellectu. Nam ad hanc rationem pessimè Petri sermonem, loquentem de Pauli epistolis. Et nescio qua ratione ipse ductus, quave insipientia obductus diuinas literas, arbitratur esse clarissimas fidelibus: quandoquidem summa ingenia, in ipsis detrita vix eas consequi possunt sanè mysteria fidei, necessaria ad salutem, omnia perspicuè iam proponuntur ab ecclesia fidelibus discēda, sed quid adhuc plæraque alia mysteria latent in diuinis scripturis, in visionibus scilicet Propheticis, & parabolis eorundem. Et in visionibus Apocalypsis adhuc multa sunt recondita sacramenta, quæ nos latent. ¶Cur autem Deus voluit obscuritate hac obduci sacras Scripturas, nos exposuimus in prologo ad Isaiam. Nec me latet non omnes Prophetas sacrosve libros hac obduci difficultate. Enimuero Isaias, & Ieremias lucidiores sunt reliquis Prophetis: quippe non tot proponunt propheticas visiones. Propheticæ nanque visiones sæpè sunt adeò profundi sensus, vt vel ipsis Prophetis, quo ad omnia non pateant, nisi cælitus Deo reuelante per angelicum mysterium de eisdem instruantur, vt est videre in visione Danielis cap. 7. Danielem enim ignorantem visionis intelligentiam Gabriel angelus eum docuit. Et capite. 8. inquit, Ego faciebam opera Regis, & stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur. Et hoc adiecit postquam angelo doctore, assecutus fuerat visionem. ¶Porrò quia angelus solum instruxerat generaliter de visione, at non particulatim, id quod Daniel, discere cupiebat, ideo dixit, & non erat qui interpretaretur. Et capite duodecimo, audiuit Angelum loquentem mysteria in posterum à Deo celebranda, & subdit ipse, & ego audiui, & non intellexi.

Lutherus refellitur.

Isaias & Ieremias sunt clariores cæteris Prophetis.

Prophetæ nō semper assequuntur suas visiones quo ad omnia, sed solum quo ad necessaria & loco & tempore.

¶Obseruas ne quanta sint obscuritate obducta Prophetarum spectra, quæ neque ipsis Prophetis semper sunt exactè intellecta? Quanuis quia in visione opus est intelligentia, aliàs, non esset Propheta, qui illa potiretur, si eam nullatenus intelligeret, ideo semper Prophetæ saltem assequuntur suas visiones, pro congruentia loci, & temporis & personarum, in quas prophetica

phetica dirigitur visio. ¶Obseruandum est autē prophetas clarius agere, quando doctrinaliter procedunt, docendo plebem de agendis, atq; vitandis. Vnde reijciendū est delirium insanorū quorundā hominum, qui aduertentes propheticā obscuritatem, dixerunt eos esse arreptitios & lymphaticos, & ideo illa effutiebāt, quæ ignorabāt. Qui fuit error Mōtani, & Priscillæ. Quos deijcit Petri sermo 2. Pet. 1. Nō enim volūtate humana allata est prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Id quod ipsi non obscurè insinuant, dum sua exordiuntur vaticinia, à verbo Dei illis facto; vnde aiunt verbum Domini quod factum est, &c. aut visio, &c. Aut hæc dicit Dominus, aut Dominus locutus est.

Quapropter vanā, crede & hæreticā quorūdam philosophiam credentiū prophetiā posse cōtingere, ex natiuo humanæ cōplexionis temperamento, cooperāte cælesti astrorū aspectu. In quā hæresim lapsus est Rabi Moses Ægyptius, quæ Auicēnæ autoritate etiā fouetur credentis prophetiam ex naturæ viribus quibusdam obuenire. ¶Et quidam autor scilicet Benedictus Montanus, eundē errorem tribuit Arist. lib. de diuina- *Comm. ad Amos.*
tio. per somnum indicat quosdam diuinare futura, apud Boristhenem & apud Herculeas columnas; at vero, istud vt quorundam commune placitum refert. Et fatetur se huius rei causam nescire: quia humanum testatur superare. ¶Rursus ait, diuinare futura aliquando homines degeneres, & melancholicos: quia eorum animus varijs imaginationibus, & phantasmatibus agitatur. Atqui ex multis phantasmatibus, quibus agitantur, contingit incidere in vnum phantasma rei venturæ, vnde illud pronuntiantes videntur nosse futura. Sicut prouerbio fertur, si sæpe iacias aliud alias ieceris. ¶Adhæc inquit diuinare quosdam extaticos. Et qui animo linquuntur, & extra se rapiuntur. Quia isti non occupantur proprijs motibus, sed extraneis de rebus videlicet quæ procul sunt. ¶Porro par. 30. proble. proble. 1. docet Melancholicos quosdam ex exundanti melancholia effici amentes, & inde diuinantes euadere, & Pythonicos, qui instinctu lymphatico feruescunt: ex quo spiritu feruebant Sybillæ, & Bachides. Et omnes qui diuino spiritu instigari creduntur, cum id non morbo, sed ex naturali distemperamento accidat: in cuius rei testimonium profert Syracusanum quendam poetam nomine Marcum, qui tum demum insignis poeta erat, quando mente alienatus erat, vbi cernere clare poteris Aristotelem diuinationem non tribuisse tempe

Aristotel. sententia de diuinatione.

tissimos facit, de rebus venturis, aut præteritis, aut præsentibus, de quibus illustrantur. Quod si obieceris Ionam nõ fuisse factum certiorem, de subuersione Niniue, siquidem nõ fuit subuersa. Neque Isaiam de morte Ezechiæ, quam prædixit: siquidem non fuit subsecuta. Respondetur Ionam intellexisse, Niniuẽ non esse subuertendam, si resipiscerent Niniuitæ: ideoque detrectabat illõse committere, vt liquet ex eius vaticinio, quod iuuante Domino exponemus. Isaias item, hoc idem intelligebat: at vera prædicebat, siquidem secundum naturalem Ezechiæ periodum erat moriturus crastino die à vaticinio Isaiæ. Hanc autem supernam illustrationem, qua illustrantur Prophetæ, illa verba Isa. 50. docent, Mane ait, erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Et quanuis prophetæ falsi item proclamabant se à Deo doceri, vt Ezech. 14. traditur; at vero ipsos fuisse fallaces, & non à Deo edoctos, ipsa rerum experientia, & euentus prædictorum, contra suas prædictiones declarauit. ¶Non solũ autem prophetia est de rebus supernaturalibus, qualis erat prophetia de Dei verbo incarnando, aut de virgineo partu, sed etiam est de naturalibus, aut de futuris contingentibus. Nanque mors Ezechiæ, quam prædixit Isaias naturalis erat, vt subuersio Niniue cõtingens & pleraque alia innumera, cæterum tum ad prophetiam pertinent, quando ex superna illustratione cognoscuntur. Quia tum sunt *infallibilis* veritatis, quanuis sint in seipsis incerta vt sunt futura contingentia.

Prophetia omnia cõplectitur & naturalia & supernaturalia.

Ex istis arbitror, deliriũ Rabini Moysi Ægyptij patere, & quidem, quando alia defuissent, ad illud refutandum argumenta, satesset quod prophetia non semper adest prophetis: siquidem Elisæum latuit causa mæroris Sunamitidis illius: vnde apte traditur non esse habitum, à Theologis, at vero si ex temperamento procederet illuminatio prophetica, cum temperamentũ sit semper præsens, semper item adesset prophetica illuminatio. Iam vero vt oratio eò redeat, vnde digressa est, videlicet non esse cognominatos, maiores prophetas, quia clariores, vt neq; minores quia obscuriores, cũ omnibus sit germana obscuritas, ad exercitiũ doctorũ fideliũ. ¶Sunt sanè Moses, & Dauid Prophetarũ eximij clariores cæteris omnibus, quia sine ænigmatibus sua prodiderũt vaticinia, vt de Mose traditur Num. 20. Et de Dauide. 2. Reg. 23. verumtamen isti, non recensentur in numero quatuor maiorum prophetarum, vel minorũ duodecim: non quia non fuerunt excellẽtissimi prophetæ sed quia non sunt missi ad prophetãdum, sed Mosem misit Deus, vt legis

4. Reg. 4. Prophetia non est habitus sed illuminatio quædã transiens.

Moses & Dauid eximij prophetarum.

vt legis mandata populo Hebræo ferret, & vt eriperet nationem suam à seruitute Ægyptiaca, Dauid autem de post fætantes greges assumptus est à Deo, vt pasceret duodecim tribus Israel. Indagandum igitur etiam num restat, cur minores alij, alij maiores cognominentur.

Quam quæstionẽ si libet enodatius edisserere, paulo altius quæstio hæc est mihi repetenda: non tamen sine multo fructu lectoris. Physici autem tradunt. 3. Physi. esse causas quatuor cunctorum effectuum, quos natura parit efficientem, finalem, formalem, & materialem: totidem autem esse in prophetijs, inuestigare non erit inutile. Atqui promptum est Spiritum sanctum esse causam efficientem diuinæ prophetiæ: vt ex ante habitis lucidum est. Finalis autem causa prophetiæ, gemina est, vltima, & non vltima. Est sane vltima Christus. In quem omnes prophetæ spectabant. Siquidem ora omnium prophetarum, ad Christum patebant, Christo enim omnes prophetæ testimonium perhibent, vt ex lectione eorum obseruanti patebit. Est autem finalis altera causa non vltima, videlicet, Hebræos ducere vel reducere ad cultum Dei viui; hic finis est omnium prophetarum. ¶Est autem forma, stylus propheticus, & modus prophetãdi, quem ipsi in suis obseruant prophetijs. Atqui modus hic, est per visiones, per metaphoras varias, variasque parabolas, & ænigmata suas edere prophetias id quod est cõmune omnibus vatibus. ¶Denique materia prophetarum, est scelera suæ gẽtis carpere, & sæpe aliarum nationum & finitimarum pandere crimina & supplicia & remotarum. Vt Idumæorum, Moabitarum, Palæstinorum, Ægyptiorum, Amonitarum, Assyriorum, & Chaldæorum. Vnde Abdias in Idumæos solum, & Ionas in Assyrios solum inuehitur, Isaias in Idumæos & Moabitas, Amos in omnes prædictos, Michæas promiscuè iam in duas tribus, iam in duodecim incãdescit, Ioel in decem tribus. ¶Rursus omnibus prophetis est materia vna & comminationes in impios feruenter proponere, & consolationes in pœnitentes polliceri. Ideoque Isaias qui captiuitatem Ierosolymitarum prædicit à Nabuchodonosore faciendam, is ipse consolatur prædicendo captiuitatis liberationẽ per Cyrum & Ieremias captiuitatem annuntians eandem, consolatur promissa libertate. ¶Alijque duo Daniel & Ezechiel, eandem consolationem versant pollicita per eos templi, & nationis restauratione. ¶Alij rursus minores prophetæ, in eodem cardine versantur decem tribubus prædicentes captiuitatem Assyriacam, & libertatem spiritualem per Christum proclamantes.

Quatuor causæ in prophetijs.

Causa efficiens prophetiam.

Finis prophetiæ. *Forma prophetiæ.*

Actor. 3. & 10.

Materia prophetiæ.

¶Zacha-

¶Zacharias autem, & Malachias restaurationi templi ex suis prophetijs inuigilant. Est igitur generaliter loquendo ferè eadem causa materialis in omnibus prophetijs. Etsi particulatim, diuersitatis sit nonnihil.

Iam vero si eadem est finalis causa, eadem efficiens, eadem formalis eademque materialis ita in maioribus, vt in minoribus prophetis, vnde obsecro quidam maiores, alij minores erunt cognominandi, si neque ex his capitibus, neque ex alijs indicatis, clarescit vnde cognominationis liqueat ista diuersitas? ¶Ad vnam igitur solam hæc quæstio reducenda solutionis causam, quæ tradita est ab Isidoro. 6. libro Etymologiarum & à Theodoreto in præfatione ad Oseam, quosdam cognominari minores, vt sunt duodecim prophetæ quia sua vaticinia breui succingunt sermone. Quare omnes duodecim paruo coarctantur volumine. At vero maiores latius se fuderũt & pluribus chartis sua vaticinia commendarunt. ¶Porro autem, etiam num insultabit quispiam obijciens, si ratio hæc constat, æquo iure vocabis Marcum & Ioannem Euangelistas minores, quippe paucioribus & breuioribus coangustantur sermonibus: breuiora enim scripserunt euangelia. Dixerim autem, ne te moretur forsan hæc dubitatio, quæ prætextu suo vrgere videtur: aliud esse breuitatem prophetiæ, aliud veritatem, aliudque breuitatem euangelij, aliud veritatem. ¶Secundum igitur veritatem, nullus maior altero, nullus prophetarum minor altero. Omnes etenim, eodem spiritu fuerunt imbuti sancto, omnes infallibiles viderunt prophetias omnes sunt organa spiritus, omnes sunt ecclesiæ Catholicæ fundamenta. ¶At vero si breuitatem spectes, qui ampliore codice fruuntur maiores appellitantur, qui minori, minores, vt etiam dicuntur priores, qui primo ordine sunt collocati, & posteriores qui postremo loco sunt repositi, vt sunt duodecim prophetæ. Itidéque de euãgelistis dici potuisset Marcũ & Ioannem esse minores, si intelligamus codicis breuitate, non veritatis autoritate. Etsi vsus loquendi non admittit hanc differentiam in euangelistis, quam admisit in prophetis. Et demum vt sermo iste sit tibi planissimus, scito esse figuratũ, ex figura loquendi metonymia, quæ vsurpat causam pro effectu. Vnde ex hac figurata locutione Propheta vocatur, liber Prophetia, vel ipsa prophetia. Patet autẽ minores esse prophetias duodecim, quã quatuor Prophetarũ. Idco claret qua ratione cognominati sunt minores. Euãgelistarũ autẽ nullus tã exiguo concluditur volumine, quanto Prophetarum minorum quilibet, ideo rectè non est introductus sermo, vocandi euangelistas maiores aut minores. De ordine demum horum prophetarum Hierony. annotat hunc esse ordinem apud septuaginta, videlicet Oseas, Amos, Michæas, Ioel, Abdias, Ionas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias, qui tamen non seruatur ab Hebræis, nam istis est ordo qui in nostris biblijs. Cæterum Theodoretus Græcus autor Septuagintatranslationem exposuit, & eundem ordinem sequitur quem Hebræi, & Latini post eos sequuntur.

Cur prophetarum alij maiores, alij minores euangelistarũ autem non item.

†

MAGISTRI MICHAELIS DE PALATIO, PROLOGVS SPECIALIS IN HOSEAM.

PRAECEDENTI prologo, multa generali sermone commeminimus de prophetis. Et quanuis institutũ erat de minoribus differere, verumtamen ad maiores etiam nostrum protulimus sermonẽ, siquidem cum habeant omnes eundẽ autorẽ Spiritum sanctũ, eandem materiã, eandẽ formam, eundemq; scopũ, vel finẽ, disserendo de minoribus; ipsa disputationis consequentia, nos detulit ad maiores. ¶Et ex industria generalẽ rationẽ prophetis præmisimus, quia generalis ratio adornat viã menti humanę, ad facilius capienda particularia, vnde Peripatetica methodus est discendi, & docendi, ab vniuersalibus ad particularia progredi. Confusa nanq; generaliũ notio, admodũ instruit discentis mentẽ, vt de particularibus distinctã assequatur disciplinã. Quẽadmodum enim pictores, primo cõfuse adumbrant imagines, dein vero, easdẽ proprijs coloribus distingunt, ita & præceptores doctrinarum, primitus generalia in arte, debent præmittere, & tandẽ ad specialia discipuli animũ deducere. Nos quoq; eãdem obseruantes methodũ vniuersalia quædã prophetis minoribus addiscẽdis præmisimus, nũc ipsa eadem methodus exigit, vt ad particulares prophetas, nos deducamus. Primus igitur, qui se offert differendus est Hoseas Dei mirificus vates. Huius autẽ patriã, & genus suppresserunt diuina eloquia, id q̃ de alijs quibusdã clarè expresserunt. Ieremiã enim Anatothitẽ, Amos Tecuitẽ, Micheã Morastithẽ esse eloquũtur; vt etiã quorũdã familias nõ siluerunt vt suis proprijs tradetur locis. Quanuis autẽ Hoseas testetur se esse filiũ Beeri, familiã autẽ suã seu tribũ non expresit. Cũ alioqui Ieremias tribũ suã clarè docuerit, asserens se esse ex genere sacerdotali, q̃ esse leuiticũ patet. Quapropter Epiphanius Cyprius Episcopus tribũ huius vatis esse ex Isachar, patriã vero esse Belemot lib. de vitis prophetarũ ostendit. Insigniq; addit quoddã miraculo aduentũ dñi in orbẽ demõstrasse. Videlicet quercu quadam verbo prophetæ imperãtis in duodecim partes dissecta, dixit astãtibus, si istę duodecim sectiones, pullulẽt in duodecim alias quercus, indubitatus est dñi aduẽtus, & continuo pullularũt. ¶Verũ quantæ sit hoc miraculũ fidei me latet, etũ lego illud apud quosdã autores, D. quoq; Isidorus lib. de patribus veteris testamenti suffragatur Eppiphanio. Hier. autẽ, vt in gl. ordi. indicatur, patriã vatis docet esse Bethmeã, quæ videtur diuersa à patria prędicta: at in tribu vatis sibi cõueniũt. Porrò autẽ istis doctoribus, recẽtiores expositores sunt aduersarij credẽtes patriam Hosee esse Ierosolymã. Cõducunt se in hãc sentẽtiã, quia proferũt ex Hebręa traditione regulã quandã videlicet; si vnquã vatis alicuius patria in diuinis nõ referatur, eloquijs Ierosolymita esse credatur. Et Hebræi, in fauorẽ suæ regulæ inducunt illud Isai. c. 2. de Siõ exibit lex & verbũ dñi de Ierusalẽ. Igitur cũ prophetę fuerint p quos verbũ dñi fuit euulgatũ, videtur eos fuisse patria Ierosolymitas, si patria nõ exprimat. At vero, si illud non habet fulcrũ opinio ista, istud infirmũ est. Enim vero locus iste Isaiæ, quẽ postmodũ, retulit Mich. c. 4. de euãgelico verbo, legeq; Christiana, nõ de Mosayca intelligendus est, siquidẽ Dñs Iesus, Euangeliũ suũ euulgauit Ierosolymis. Erat enim quotidie in tẽplo docẽs. ¶Et apostoli plenitudinẽ spiritus acceperunt in cænaculo, q̃ erat in mõte Siõ, & inde descẽdẽtes in Ierosolymã prædicauerũt euãgeliũ Iesu Christi. Sanè lex Mosayca nõ data est in Sion, sed in mõte Sinai. Et Isaias, nõ dixit exiuit, sed exibit, nõ ergo loquebatur de lege lata per Mosem, sed de ferẽda p Christũ, & apostolos suos, itẽ pphetæ nõ prædicauerũt euãgeliũ Christi, sed prędixerũt prædicãdũ Ierosolymis. Et prædictio est q̃ Isaias & Mich. tra-

Vatablus. *Benedict.* *Montanus.*

Lucæ. 19.

diderunt. ¶Accedit eodem, quod poſtquam diſſectum eſt Dauidicum Regnũ, in Regnum Samariæ, & Ieroſolymitanũ ſub Ieroboam filio Nabath, & ſub Roboam Dauidis nepote, in Samariam & in aliam terram regni decem tribuum Dei vates prædicauerunt legem Moſi, vt exprobrarent decem tribubus inſolens, & atrociſsimum facinus, quod fecerunt commutantes gloriã Dei in ſimilitudinẽ vituli comedentis fœnum. Nam duos vitulos aureos conſtituit ſceleſtiſsimus Ieroboã filius Nabat, quos adorandos ſuis ſubditis decem tribubus expoſuit. Fuit autem Elias propheta, & alij multi prophetæ, qui huic prædicationi ſedulo incubuerunt, vt Eliſeus, Micheas non ille Moraſtithes qui vnus eſt ex duodecim vatibus ſed alter, qui floruit ſub Ioſaphat Rege Iuda. 3. reg. 22. at Moraſtithes floruit ſub Ezechia qui fuit longo æuo poſt Ioſaphat Matth. 1. & 3. reg. 15. Eliſei igitur patria non exprimitur, neq; Micheæ prædicti, etſi Eliæ exprimatur, fuit enim Thesbites, vt Ahias propheta fuit Silonites, at nihilominus ego non cẽſeo cõmemoratos duos fuiſſe Ieroſolymitas, ſed natos in regione decem tribuũ contra quas prophetarunt. ¶Enim vero legimus Eliam qui fuit Dei propheta in terra decem tribuum, fuiſſe non Ieroſolymitam, ſed Thesbitem, quid igitur vetabit Eliſeum famulum ſuum, item non fuiſſe Ieroſolymitam? Quod ſi obieceris ſcripturam docere repertum Eliſeũ, ab Elia in Abelmeula, reſpondebo obiectioni tuę ſcripturam ſolũ indicaſſe locũ vbi fuit repertus, non tamen ſubinde ſequitur illum locũ fuiſſe natalem. Quid enim obſtat, aliubi repertum, & aliubi natum Eliſeũ? Et eodẽ accedat, cũ pleriq; prophetarũ, duxerint originẽ ex alijs familijs, quam ex tribu Iuda, conſentaneũ eſt, eos itẽ natos extra terram Iuda, etſi ſcriptura taceat ipſorum natalia loca. Benẽ video, quod hęc diſputatio vẽtilatur coniecturis: at vero, quãdo nihil nos premit vt eamus in ſententiam præfatã Hebræorũ, & ipſorũ ratiunculæ non colligunt, probabiliorem duco diuerſam ſententiã videlicet, natalẽ vatis locũ etiam ſi ſcriptura taceat, non ſubinde eſſe conſectariũ eſſe Ieroſolymis natum.

Libr. 5. de vitis ſanctorum.

Patria vero Hoſee, quã indicant prę-

ti autores, quibus Petrus à natalibus ſuffragatur, itẽ reuocari poteſt in dubiũ, quã doquidẽ nullã indicant hiſtoriã autẽticã vnde valeat eorũ aſſertio firmari: vt neq; ex diuinis eloquijs, idẽ promptum erit. *Cap. 7.* ¶Quãuis enim legamus in lib. iudicum Belma, at Belma, nõ eſt Belemot, vt neq; certa & indubitata fidẽ cõſtat Iachar eſſe, vnde Hoſeas originẽ duxerit; etſi probabile videtur, quia præfatis autoribus viſum fuit. ¶At vero nõ eſt cur in re hac vexentur interpretes; nã quando ſcriptura illud ſubſilentio prætermiſit, & autentica hiſtoria, non protulit, cur obſecro noſ ſollicitabit? Quemadmodũ enim etiã euangelica narratio, quorundã apoſtolorũ, expreſsit, & patriã, & patrẽ vt Petri, & Andreæ, vocat enim Petrum filiũ Ioannis, qui fuit etiã Andreæ pater, germani enim erant fratres. Et Bethſaidam patriã eorũ itẽ cõmemoret Ioã. 1. At vero neq; Matthæi, neq; Thomæ, neq; Bartholomæi, &c. vel patriã, vel patrẽ expreſsit. Id quod fortaſsis eò factũ, quo Apoſtoli cõmemorati, ab alijs eiuſdẽ nominis diſtinguerentur: ideo enim ſæpe patria, & nomen perſonę alicuius exponũtur, vt ſint diſcerniculũ, ab alijs, qui eodẽ nomine gaudẽt: id q; item potuit accidere in prophetis. ¶Quare, & quorũdã genus, nomẽ patria, p̃ditur, aliorũ ſubticetur; quia forte alioqui valde noti erant: verũ vt aiebã dudũ, quale quale hoc fuerit, nõ eſt cur nos torqueat. ¶Poſtremo de nomine vatis ſupereſt, nõnihil attingere. Nomẽ igitur Hoſeas interpretatur ſaluator, vel ſalus, quæ ſane nominis interpretatio cũ Hoſee vaticinio nõ videtur conuenire, ſiquidẽ, huius vatis præcipuũ inſtitutũ eſt, exitiũ & ruinã perpetuã decẽ tribuũ prædicere; id quod nõ eſt ſalutis, ſed exterminij vaticiniũ, vnde forſan quiſpiã occinet vati, dicẽs nõ ſaluatorẽ, ſed euerſorẽ eſſe appellãdũ. ¶Porrò aũt propheticũ eſſe morẽ, terrẽdo, demulcere, & cõtriſtando cõſolari & in propheta hoc videmus, & in cæteris ſimiliter prophetis, lectio eorũ demonſtrabit. Vnde, quia tãdẽ vates hic conſolatur Iſraelitas, ex Chriſti quẽ prædicit aduẽtu, & à maiori captiuitate, quã ſit Aſſyriaca eſſe eruendos pronũtiat, nẽpe à diabolica captiuitate, ideo aptiſsima eſt Hoſee nominis, prędicta interpretatio legimus autem Nume. 13. Ioſue

De nomine Hoſeæ.

Ioſue ducem illum celeberrimum Hebraicæ nationis, hoc nomine fuiſſe inſignitũ. Appellatur enim Hoſee, filius Nũ: at vero ſacer Moſes, vertit nomen eius in Ioſue. Hoc autem nomen ſeptuaginta interpretes ſine ſpiritu, & ſine duplicatione. ſſ. ¶Scripſerunt Hoſee, vt etiam Naũ ſine ſpiritu tranſtulerunt, quod alioqui Hebræi ſpiritu efferunt, itidemq; ſcribũt Hoſſeam cum ſpiritu יהושע.

Stylus Hoſee.

Stylus autem quem obſeruat ſcribendo, eſt per breues orationis inciſiones: vario enim, & conciſo ſermone vtitur. Quare Hiero. in prologo, tradit eſſe Hoſeam comaticũ, vt eſt videre ſtatim in ipſo vaticinij ſui capitulo. 1. *Dixit* inquit *Dominus ad Hoſeã, vade ſume tibi vxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationũ, quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Vbi vides ſermonem propheticũ breuibus cõplecti inciſionibus, & per comata quædã orationẽ vatis eſſe contextã. ¶Inſuper au-

Hoſee phraſis.

tẽ eſt obſeruanda Hoſee phraſis, quę in cæteris itẽ obſeruatur vatibus. Sępe nãq; inculcãt has voces Ephraim, Iſrael Samaria, & interdũ Iacob, Bethanẽ, id eſt, domus idoli, vel vanitatis. Per quas voces decẽ tribus intellectas volũt in quas quidem ſpectat Hoſee prophetia. Quanuis enim duodecim tribus appellitatæ ſunt Iacob, vel Iſrael ex nomine patriarchæ, vnde genus duxerũt & nomen, at vero poſtquã Regnũ Dauidicũ fuit diſſectũ, & maior pars eius trãſlata fuit in ditionẽ Ieroboã filij Nabat, tũc decẽ tribus, quæ illi ſeruiebant, appellationẽ antiquã retinuerũt, & dictę ſunt Iſrael, & aliquãdo Iacob; ſiquidẽ erant maxima pars filiorũ Iſrael. ¶Rurſus, quia Ieroboã prænominatus erat Ephraimita, ideo ex nomine Regis cui ſeruiebãt cognominatæ ſunt illæ decẽ tribus Ephraim. ¶Itẽq; per Samariã quia Samaria erat caput illius regni diuiſi à Roboam nepote Dauidis. ¶Adhuc etiã per Bethelitẽ ſub audiũtur: nanq; in Bethel, & Dan, duos Ieroboã cõſtituit adorandos vitulos, at qui erat in Bethel, erat maiori illis venerationi; quia Bethel, propter patriarchã, qui ibi viderat dñm erat ſummæ religionis locus. ¶Sub vocibus autẽ iſtis Iuda, Ieruſalẽ, domus Dauid, vel Iacob, duæ aliæ tribus ſubaudiũtur, ſiquidem tribus Beniamitica, cõprehenditur ſub tribu Iuda. Enim vero, tribus Iuda erat illuſtriſsima tribus, quia dignitate regia præpollebat cæteris: tribus autẽ Beniamin erat minus illuſtris, & erat minima tribuũ; ideo ſub Iuda cõprehenditur. Vnde q̃ legitur. 4. reg. 17. q̃ abactis à Salmanaſſare Aſſyrio rege decẽ tribubus in Aſſyriã remanſit tribus Iuda tantũmodo, non ideo dicitur, quia ſola illa tribus fuit ſuperſtes, ſed quia ſub Iuda cõprehẽditur Beniamitica tribus propter cauſam dudũ expoſitã. ¶Cæterũ poſtquã Iudæi regreſsi ſunt ex Babylonica captiuitate, & remearunt ad proprios reuiſendos lares, omnes dicti ſunt Iſrael, nomine priſtino reſtaurato, vt eſt videre apud Malachiã, & alijs ſacris vatibus ſub quibus iugũ Babylonicæ captiuitatis fuit ſolutũ. Et in Euangelio, & Paulo Apoſtolo ſub appellatione Iſrael omnis Hebræorũ natio etiã notatur. Vnde illud, nõ inueni tãtã fidẽ in Iſrael vbi Ieroſolymitas, & cæteros ſucceſſores Iudæorũ reuerſorũ ex captiuitate Babylonica Iſrael appellãtur, à Dño. Quin etiã ſub appellatione Iacob nõnunquã etiã duodecim tribus ſubaudiũtur, vt patebit ex ipſorũ prophetarũ lectione, vnde illũ Luc. 2. & regnabit in domo Iacob ad oẽs duodecim familias extẽditur, ſub quibus vniuerſus ſubauditur orbis. ¶Iã vero, vt proprius agatur ad vatẽ, Hoſeas præuidit & Iudæorũ in Babylonẽ captiuitatẽ, & Iſraelitarũ in Medos & Aſſyrios. Et vtriſq; mala hæc cõminatur niſi veteris vitæ erratis depoſitis, melius iã ſapiãt, id quod omniũ prophetarũ eſt inſtitutũ, cõminari ventura mala, niſi ſubeat pœnitentia bona, vnde. 4. reg. 17. ſic habetur. Et teſtificatus eſt dñs, in Iſrael, & in Iuda per manus omniũ prophetarum, & videntiũ, dicens: reuertimini à vijs veſtris peſsimis, & cuſtodite præcepta mea, iuxta omnẽ legẽ quã præcepi patribus veſtris, & ſicut miſi ad vos in manu ſeruorũ meorũ prophetarũ. Qui non audierũt, ſed indurauerũt ceruicẽ ſuam, iuxta ceruicẽ patrũ ſuorũ qui noluerunt obedire dño Deo ſuo. At vero quia Iudęi & Iſraelitę, aure ſurda pertrãſierũt, pphẽticas admonitiones, ideo Hoſeas certiſsimas illis prædicit eſſe vẽturas extremas miſerias. Hinc obiter admonendus eſt lector de inſania Lutheri inficiantis liberũ arbitriũ. Etenim, dominus ab æterno optimè nouerat obſtinationẽ Hebrææ na-

tionis,& quod non erant moremgesturi sanctis vatibus, nihilominus illis corrigē dis destinauit vates suos, quos alioqui sciebat non esse corrigendos. Cur ergo, sic instituit Deus, cum sciebat incassum laboraturos suos vates, & perdituros, & prouerbio fertur oleum & operam? sanè, quia poterant corrigi ex libertate arbitrij. Nam si corrigi nequiuissent non corriperentur, vbi enim necessaria est obstinatio vana est correptio. Si ergo illi obstinati essent necessario, temere corriperentur à prophetis, tot & tantis correptionibus,& comminationibus, imo & blandi tijs & consolationibus propositis, si ad meliorem vitę frugē se volēt transferre.

Lutherus refellitur.

Libertas arbitrij asseritur.

¶Vnde. 2. Para. 30. pulchrè dixit Rex Ezechias per suos cursores, Israelitis, qui nondum cum duabus tribubus cum dimidia, translati fuerāt in Assyriam, si vos ad reuersi fueritis ad dominū fratres vestri & filij habebunt misericordiam, coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos; & reuertentur in terram hanc: Pius enim & clemens est dominus Deus vester: & non auertet faciem suam à vobis, si reuersi fueritis ad eum. At paucis interiectis, traditur, quod Israelitæ irridebant huiusmodi Ezechiæ verba. Quē morem irridendi hauserunt Pharisæi ab istis suis maioribus, nam refert Lucas illos irrisisse domini sermonem, vt hæreticus Lutherus cum suis complicibus irrideat catholicorum doctrinam.

Lucæ. 16.

rum gestarū claresçat. ¶Enim vero, quādo referuntur citra hanc temporū notationē, confícta putarentur, & orbata veritate censerentur; vel saltem in dubiū vocarentur. ¶Hunc igitur morē plerumq; sequūtur Dei prophetæ, etsi à multis traharur in dubiū, an tępora regū, quæ hīc conscribuntur, sint adiecta vati, an à vate conscripta. Verum refert nihil, hoc vel altero modo, ea accipere, modo credamus ea esse certissima à quocunq; fuerint adiecta. Nāq; si Esdras ea adiecit eadem veritatis autoritate fulget, qua & cæteri prophetæ cui quoque tribuitur ab Hebræis psalmus primus, qui est tanquā exordiū, ad omnes psalmos, captans beneuolentiā lectorū, ad psalmodiā legendā. Plerique quoq; psalmorū tituli, ab Esdra fuisse prę notatos confessum est Theologis. ¶At verò prompta est obiectio, diceret enim quispiā chronographis opus facto est, huiusmodi prænotare tempora, nam ex spiritu humano historias cuderunt: ideo, vt conciliarent fidē scriptis suis, fuit eis necessum huiusmodi notationis diligentia vti. At vero sanctis vatibus sufficit ad credendū, quod spiritū Dei afflati sua vaticinia scripserūt, vnde videtur nō fuisse eis necessariā hāc temporū cōscriptionē: ¶Respondetur propheticos libros bifariā expendi posse, aut secundū se ipsos, aut secundū relationē, ad humana ingenia. Sanè si eos ad priorē rationē libraueris, egent nihil, ad suam infallibilitatem commendandam prænotationibus temporū, regū sub quibus ab ipsis cōscripta acciderunt. Quoniā diuina autoritas, ex qua scripserunt tanta est quanta superat omnē humanā & angelicā veritate, at vero si posteriorē spectaueris rationē, egent libri prophetici, istis humanis adminiculis, vt ab hominibus, certi esse credantur. ¶Vt Christus & apostoli prædicantes Euangeliū, multis vsi sunt miraculis vt hac ratione, humani ingenij infirmitatē, ad fidē amplectendam traherent. Enim vero, quia Christus apostoli, & prophetæ hominibus loquebantur, ideo illis vsi sunt, quibus facilius homines ducerētur, ad concipiendā fidē suorum verborum Ad eandē quoq; rationem, & sancti Dei Euangelistæ suis Euāgelijs tępora huiusmodi prænotarunt, vt in Matthæo liquide videtur. Cū natus inquit esset Iesus in die-

Prophetici libri fuerunt considerandi.

Explanatio in Capit. I. Hosee.

Fuit Hoseas anno ante Christum 821. anno mūdi. 3514.

Verbum Domini quod factum est ad Hosee filium Beeri, in diebus Oziæ Ioatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda: & in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Israel. Chronographorum, familiaris est consuetudo, tempora eorum, qui summa rerum administratione potiebantur notare, quādo ipsi res sua ætate gestas scriptis mandabāt, siquidem huiusmodi notare tempora, & historię multam lucem conciliat; & eiusdem veritatem magis cōmendat. Turis enim consultis prouerbio fertur: distingue tēpora, & concordabis iura. Quocirca solerter huiusmodi regū & principū notantur tępora sub quibus res quæ narrantur gestę acciderunt, vt euidentius veritas re-

in diebus Herodis Regis. Itemq; Lucas cap. 1. In diebus Herodis Regis sacerdos quidā Zacharias de vice Abia. Porrò Marcus & Ioānes tempora hæc suppresserūt, ille quidem, quia cōpilator erat Matthęi, ideo sat illi visum fuit Matthæū prænotasse: hic vero, quia postremus omnium scripsit suum Euāgeliū, ideo missa fecit, quę in alijs Euangelistis aduertebat scripta. Lucas autē sedulus fuit in re hac: nā c. 3. itē ait, anno quinto decimo imperij Tyberij Cæsaris. Et cap. 2. Exijt edictū à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. ¶Quanuis Euangelistæ, & Prophetæ in hac re differunt, siquidē Euangelistæ tempora signant, non quibus ipsi Euangelia sua mandarūt scriptis; sed solū quando acciderūt, quę ab ipsis gesta narrantur. ¶Prophetæ autē notant tempora sub quibus ipsi suas prophetias scribebāt, aut sub quibus ipsi dono prophetiæ floruerunt, vt est videre modo in Hosea, signāte tēpora quibus fuit imbutus diuino spiritu ad prophetādū. ¶Est autē differentiæ huius nō obscura causa: siquidē prophetæ proclamabāt futura ex diuina reuelatione accepta, ideo opus facto erat posteris declarare, huius reuelationis tępora; vnde fierēt certi de illa. ¶Cæterū Euāgelistę denarrāt gesta prēterita domini apud mortales agentis; quare non egebāt exponere tempus sub quo ipsi scribebant Euangelia; sed suffecit illis notare tēpora, quādo illa quæ ipsi referebant acciderunt. Scribebant enim nō tanquā Dei prophetæ sed tanquā Christi Chronistę. ¶Quanquam autem Euangelistæ nō ex primant, se ex dictāte Spiritu sancto, scripsisse sua Euāgelia, vt prophetæ indicāt: at certa fide tenēdum est eos ex dictamine diuini spiritus illa scripsisse. Siquidē si necessaria fuit Spiritus sancti illustratio vatibus sacris, vt certo prædicerent mala impijs, & bona vēturā pijs, & vt prædicerent Messiæ aduentum in orbem, vtiq; æqua erat ne dicā quod maior erat necessitas, vt sancti Euāgelistę replerentur Spiritu sancto, ad referēda saluatoris Christi gesta, & doctrinas, vnde pēdebat salus totius orbis. Porrò autem prædictis obstare videtur Ioelem, Abdiā, Ionam, Naum, & alios quosdam vates non notasse suorū tempora vaticiniorum. Verūtamen hoc obstaculum amouetur, ex regula quadā Hebraica docente, tempora quæ tacētur ab vno vate, esse illa eadem quæ alter proxime præcedēs expressit, vt tempora sui vaticinij, quæ silet Ioel, sunt quæ expressit Hoseas. Quāuis hæc regula nō ab omnibus probatur; vt inexplanatione ad Nahū disponente domino aperietur.

Differētiæ inter Euangelistas & prophetas.

Quare credendum est Euangelistas plenos spiritu scripta esse sua Euangelia.

Verbum Domini quod factum est. Nō omnes sacri vates eodem exordio in suis seruant vaticinijs. Alij enim à verbo domini sibi facto, vt modo Hoseas, alij à visione, vt Isaias. Visio ait Isaię filij Amos, alij ab onere vt in Nahum, Onus Niniue, & demum varia habent initia prophetiæ, vt & Euāgelia. Tametsi omnia initia, etsi videantur diuersa, idem sapiunt, videlicet prophetiam quam ipsi dictant à Deo esse acceptam, & non ex humana voluntate introductam. ¶Est autē sensus istorum verborum, id est, dominus locutus est Hosee. Porrò autem hæc locutio, erat interna reuelatio, seu manifestatio diuinorum secretorum facta Hosee. ¶Vnde cessat illa argutula obiectio, si verbū domini factum est, igitur verbum diuinum factum est, si factum est, non ergo verbū Dei factor, sed factura est, id quod blasphemus iebat Arius. ¶Hanc captionem sophisticam, S. Remigius comm. ad Hoseam, induxit soluendam: At re vera est ridenda cauillatiuncula. Etenim hīc non agitur de verbo supersubstantiali patri coæuo, quod in tempore fuit caro factū; id quod non est factum, sed factor vniuersorum. Nisi velis etiam argutari est caro factum, igitur est factum. Est enim fallacia à dicto secūdum quid ad dictū simpliciter, vt neque è diuerso si colligas, verbum Dei non est factum, igitur non est caro factū, vt neq; collectio valet, Deus factus est mihi in salutē, igitur est factus. Christus factus est nobis sapientia, sanctificatio & redemptio, igitur est factus, vt neq; hæc Æthiops non est albus, igitur non est albus secundum dentes. Non igitur sermo est de verbo illo æterno, sed de verbo mentali: quod erat reuelatio quædam facta Hosee & hæc reuelatio erat facta. Quinimo etsi de verbo æterno intelligas, vt Hiero. Beda, Remigius intellexerūt, propheticus sermo collectio esset inualida, quia factum esse verbū ad Hoscā erat esse reuelatum Hosee. *Filium Beeri.* Tradunt Hebræi si propheta patrem suū

Prophetæ non eodem modo suæ exordiuntur vaticinia.

Quod est verbum factum prophetis.

Fallacia à dicto secundū quid ad dictum simpliciter nō valet affirmando & negando cōtra non valet.

exprimat in prophetia, ipsum quoque patrem prophetico claruisse lumine. Imo si aui, proaui, attaui exprimantur credunt etiam prophetico functos fuisse munere. ¶Quorum placito Hiero. hæret indicante glossa ord. At vero Paulus Burgen. in additionibus ad Nicolaum, refragatur huic placito. Etenim asseuerat istud placitum non fuisse omnium Hebræorum, sed quorúdam Talmudicorum. Et rursus, quia nulla scripturę autoritate fundatur. ¶Et quidem mihi nó est admodum cófessa hæc Hebraica regula. Enim vero, etsi Hiero. videatur loco indicato illi annuisse cæterum in prologo ad Sophoniã, de illa hæsitat. Ait enim si vera tradunt Hebræi Sophonias habuit patrẽ prophetam scilicet Chusi, & auum itidem prophetam, scilicet Godoliam: & proauum prophetam Amariam, & attauum item prophetam Ezechiam. ¶Eodem accedat, quod Abraham legimus fuisse prophetã. Propheta ait, est, & orabit pro te. Et Dauid fuisse prophetam dominus testatur Matth. 22. Quomodo Dauid dixit in spiritu. Dixit dominus domino meo, item Moses fuit propheta, Testante scriptura, prophetam suscitabit dominus de gente tua, ipsum sicut me audietis. At vero ilsorum patres fuerunt Tare, Abrahæ, Iesse Dauidis, Amram, Mosis, Exo. 2. Cósecta rium igitur erit, hos quoque fuisse prophetas quod nullus Hebręorum concesserit. ¶Forsan eludes argumentum dicens, Hebraicam regulam, esse veram de parentibus qui sunt inscripti in ipsis libris propheticis, quando scilicet propheta denarrat stipitem suam. At obsecro, quanti hoc refert quod propheta eos denarret, si scriptura sacra, aliâs supradictos etiam denarrat, & Moses suum expresit etiam patrẽ, vt indicauimus. ¶Forsan adhuc contendes euadere argumentum, dicẽs, Mosem & Dauidem, non recenseri in numero prophetarum, vel maiorum, vel minorũ, sed quid si non recẽsentur inter istos, est quia superant istos. Sunt enim clarissimi omnium prophetarum. Quod vero non recenseantur, in albo decem & sex prophetarum, eo est, quia non sunt à Deo missi ad munus propheticum exercẽdũ, sed ad alia munera obeũda, vt iam prædictum est. ¶Per hæc autem, neque probatam, neque improbatam velim Hebræã

Regula Hebræ. differitur.

Genes. 20.

Exod. 18. Deut. 37.

regulam; sed hoc vnum dixerim, qua facilitate asseritur, eadem inficiari posse tantisperdum solidioribus non fulcitur fundamentis. ¶Cur autem si quæras, quidã sacri vates nomina parentum suorũ suis interserant vaticinijs, alij vero sileant, eadem quæstio est, illi, qua quæri potest cur apostolorũ quorundam diuinæ musę exprimunt parentes, & aliorum supprimunt, de qua re in prologo nonnihil meminimus. *Factum est verbum Domini.* Magna sanè, & quæ dignis verbis promi non potest, est Dei erga homines miseratio, quod eos in tantũ honoris gradũ prouehat, quãtus est, quod eos suo spiritu diuino imbuat, & diuini sui eloquij faciat cósortes. ¶Vt videmus sanctis prophetis accidisse. De quibus apostolus ad Hebræos scribens cap. 1. ait: multifariam multisq; modis olim Deus locutus est patribus nostris in prophetis: nouissimè locutus est nobis in filio. ¶Primo igitur locutus est hominibus per prophetas, at hæc locutio multifariã illis accidit; etenim per sacras eas quæ diuersissimas visiones, per inuolutas satis metaphoras variasque parabolas, item multifariam, quia iam comminando, iam consolando, item multifariam, quia iam per quietẽ loquebatur, iá vero per vigiliam, item multifariam, quia iam aperto sermone, apertaq; prophetia, vt Dauidi, & Mosi: iam vero per obscura spectra, & parabolas non apertas, vt cæteris prophetis Dauidi enim & Mosi, palam locutus est Deus, sine vllo velamine sacrorum ænigmatum, aut spectrorum, aut parabolarum, vt habetur. 2. Regul. 23. & Hie. 12. Cæteris vero obscurior fuit locutio, qua loquebatur Deus per illos populo suo. Nã prophetis nota erãt quæ Deus illis loquebatur, vt in prologo communi cómemoraui. ¶Porrò aũt vt cunq; Deus hominibus, est insignis amicitiæ diuinæ, erga homines symbolũ. Quid quod ipse prophetæ plerumq; suã ex ænigmate obscuritatẽ exponũt, vt est videre maxime in Isaia. Adde quod & huiusmodi obscuritas cedit in profectũ nostrũ, vt scilicet operã nostrã illi declarandæ Deo adiuuãte impendamus; id quod doctorũ merita multũ auget. Adhæc quę valde patẽt, vilescunt, quæ obstrusiorem habent sensum pluris fiunt; quippe quæ solis sapientibus sunt manifesta. ¶Et sicut natura the-

2. Reg. 23. Num. 12.

Obscuritas scripturæ proficua est.

sauros suos in visceribus terræ itaq; condit, vt pluris eos faciant repertores, ita Deus thesaurum suæ sapientiæ occultauit in diuinis litteris, vt laborantibus pateat, & desidibus abscondatur.

Prophetia est diuinæ amicitiæ erga homines Symbolum.

¶Quod verò amicitię diuinę suæ Symbolum locutio huiusmodi locus Euangelicus nos docet Ioã. 15. vos amici mei estis, quia omnia quę audiui à patre meo nota feci vobis. Et rectè, pandere enim quę alta mente sunt reposita, non vulgaris est amicitiæ: si quidem solum charissimis illa panduntur. Quam obrem, cùm Deus suis vatibus, quę sibi soli notarant, manifestauerit ampliſsimo honore eos donauit.

¶Forsan mihi obijcies verbum Domini Matth. 7. respondẽtis in die iudicij finalis, quibusdam dicentibus, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes fecimus multas, quibus occinet dicens, Amẽ dico vobis nescio vos, non ergo insignis amicitiæ Symbolum est prophetica functio. ¶Porrò ne credas propheticum munus continuo facere hominem Dei amicum: neque verba mea hoc docent. Quia solũ dixi esse Symbolũ magnæ amicitię. Hæc autem duo valde distant esse amicũ, aut habere Symbolum amicitiæ. Sunt enim quędam quæ suapte natura sunt amicitiæ Symbola quiando proferuntur in alios: at contingit nostro vicio fraudari amicitia. Nonne si Deus quemquam prosequatur multis beneficijs, demonstrat erga eum amicitiam, atsepè contingit, quod affectus tantis beneficijs, non sit Dei amicus, vt Iudas non erat sed inimicus, qui ex Apostolatu gerebat in se amicitię signũ. Ita dicito de prophetico munere quod quãuis inter gratias gratis datas connumeretur, est nihilominus diuinæ amicitiæ signum. ¶*Factum est verbum.* Tantæ maiestatis est verbum Domini, vt omnis creatura illi subdita sit. Quoniam verbo Domini cœli firmati sunt, & tantæ veracitatis & fidelitatis est, quod priùs cœli soluentur, & terra liquescet, & machina mundi peribit vniuersa, quam verbum Dei deficiat testante ipso verbo Dei, cœlum & terra trãsibunt, verba autem mea non prętęribunt. Cui concinit egregius psaltes dicens, fidelis Dominus in omnibus verbis suis & sanctus in omnibus operibus suis. Quia igitur verba Domini fidelissima sunt, quia est Deus verax, omnis autem homo mendax, ideo cóstituit Prophetas quibus fiũt, fidelissimos.

Prophetis non est gratia gratũ faciẽs, sed gratis data.

Psalm. 32.

Dei verbũ summæ est maiestatis.

Matth. 24.

¶Porrò aũt hęc diabolica sagacitas, hinc causa est, hominibus imponere. Nam pseudouates, sibi quoque profitentur Deum esse locutum, 3. reg. 22. Ier. 28. & 27. Sedecias enim, & Ananias, dicebant, Hęc dicit Dominus, cum Dominus illis nihil dixisset. ¶Verum ipsarum experientia docuit illos esse mendaces vates: si quidem contrarium euenit sermoni quem Prophetabant. Tales item sunt hæretici, qui profitentur se nihil aliud docere quam verbũ Dei, cum contra sit, non enim verbũ Dei verum, sed suum verbum falsum docent, vnde sunt falsis vatibus, & falsis Apostolis isti hæretici similes. ¶Ea enim est diuini verbi irrefragabilis autoritas, vt ad eam cõfugiant catholici Doctores, vt ex ea ministrent ouibus Christi salubre pubulum, itemque ad eam cõfugiant pseudouates, & pseudoapostoli, & pseudochristiani, quales sunt hæretici, ad confuendas suas hæreses, coram insipientibus, vt eos mactent, & perdant. ¶Quare dixit Princeps Apostolorum hæreticos deprauare diuinas scripturas ad suam perditionem. Vt ille Licurgus Rex Lacedæmoniorum in oraculum se excepit Apollinis, vt Lacedæmonijs imponeret, docens legem: quam illis ferebat oraculo Apollineo esse probatam. Et pseudouates Mahometus, finxit legem quam suis Arabibus dedit, à Deo se recepisse; vt Arabes, illam vt diuinam colerent. ¶At vero veri Prophetæ indiculum est, quod vera & Deo consentanea docet, falsi vero nota est, quod inania, & si sibi sunt lucro, & auditoribus voluptati docet. Indeque verus vates, non ex corde suo promit vaticinia, sed ex afflatu Dei: falsus veroconficta ex suo cerebro, diabolicaque illis afflata spiramine promunt, vnde Dominus Ezechię. 13. fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ Prophetant ex corde suo. Et ibidem auaritiam falsorum vatum subnotans inquit, violabunt me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis significans hoc sermone, quod falsi vates violant leges Dei propter commoda temporalia. Id quod extendere poteris ad iniquos iudices, qui subornati muneribus leges sanctas & iustas corrumpunt. Itęque iniqui aduocati, qui causas iniustas

Hæretici sũt successores pseudoprophetarũ & pseudoapostolorum.

2. Pe. 3.

defendunt, multis exquisitis cauillis. Tales sunt ij etiam qui ad facinora mercede conducuntur, vt olim ille Balaam, conductus est, vt malediceret populo Dei.

Hæretici ex lucro vel ex honoris ambitione introducũt sectas.

¶Eodẽque morbo laborant hæretici, qui ex cupiditate lucri, aut ex ambitione honoris, sectas prauas introducunt quas summo conatu defẽdũt, vt apud suos plurimũ fiãt. Oĩa igitur tẽporalia bona, quia modica sunt relata ad æterna, ideo cõferũtur pugillo hordei, & fragmento panis (*Factum est verbum Domini*). Hoc igitur verbum Domini veridicos constituit Prophetas, hoc verbum sanctos creauit Apostolos, nã que à Christo vocati sunt ad Apostolatũ. Hoc verbũ viuificat mortalũ mẽtes, & ab omni lãbe mũdat, vnde ait Ioã. 13. Iã vos mũdi estis ꝓpter sermonẽ meũ. Et in Psal. 8. lex Dñi immaculata, cõuertens animas: quippe lex Dei verbũ Dei est. ¶Hoc verbũ inflammat humanas mẽtes, vtque que durissima subeant propter amorem Iesu Christi, vnde in Psal. 118. ignitum eloquium tuum, & seruus tuus dilexit illud. Et Luc. 24. nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via & aperiret nobis scripturas. Et Ioan. 6. Petrus ardens ex flãmigero Dei verbo, aiebat; quo ibimus Domine, quoniam verba vitæ habes. Neq; solum spiritualia opera Deus suo verbo operatur, quinimo, & vniuersa corporalia. Quoniam omnia portat verbo virtutis suæ nam verbo Dei cœli firmati sunt. Et vniuersa miracula Christus suo verbo effecit. Vnde Lazaro Ioã. 11. dixit, Lazare veni foras. Et Matth. 9. puellæ verbo suscitatur à morte. Et Luc. 7. adolescenti ait, tibi dico, surge. Verbo denique Dei mundus hic formatus est, & verbo item Dei est reformatus. Quamobrem summam poscit Propheta attentionem, ad ea quæ est denarraturus, si quidem ex verbo Dei non ex suo loquetur, *Filium Beeri*. Neque vacat. à mysterio nominis huius interpretatio, etenim interpretatur puteus meus vt insinuetur Prophetas esse filios putei, nempe illius abyssalis diuineq; sapiẽtiæ, quæ eos instruit de arcanis diuinisq; mysterijs.

Prophetæ filij putei diuini.

¶De qua illud verum dixerim puteus altus est, & quo haurias aquam non habes Ioan. 4. si quidem tanta est altitudo huius putei, vt nulla creatura possit illam comprehendere: sed ipsa sapientia Dei seipsam comprehendit. *In diebus Oziæ*. Id est sub tẽporibus. Vsurpat diẽ pro tẽpore, vt Lucę 13. Sicut in diebus Noe factum est, ita erit in diebus filij hominis. Et est phrasis etiam vulgata, in diebus meis hoc vel illud gestum est. Et vsurpatur pars pro toto, vel species pro genere. ¶Ozias fuit rex Iuda, qui & Azarias hic, vsurpauit suo malo sacerdotale officiũ; quia percussus est ex Dei miraculo lepra. Et fuit à Templo à Sacerdotibus expulsus. 2. Para. 26. huius filius fuit Ioathã, & huius filius Achaz, & huius filius Ezechias reges duarum Tribuum. ¶Ieroboam verò nõ fuit ille filius Nabat, sed filius Ioas Rex Israel, id est, decem tribuum. Quamuis sub isto Ieroboã, iam solũ erant septem tribus cum dimidia, cæteris iam translatis in regionem Medorum & Assyriorum per Teglath Phalàsar, septẽ autem & dimidia restantes, sub Ezechia à Salmanasar ductæ sunt captiuæ in Assyriam vt supra dictum est. Quod si scisciteris, & quid actum est de Leuitica tribu? Respõ. quod. 2. Para. capi. 11. traditur schismaticum, & apostatam illum Ieroboam filium Nabat, expulisse à se Sacerdotes, & leuitas Domini; vt sibi nouos conderet Sacerdotes, pecunia sibi oblata, & leuitarum possessiones sparsas per terram decem Tribuum, sibi vendicaret, ideo leuitica Tribus hęsit alijs duabus sub Dauidis Regno. Hoc idem accidit principibus Germanis, reiecerunt à se catholicos Sacerdotes, vt eligerent hæreticos, & possessionibus Ecclesiasticis potirentur. *Principium loquendi Dominum Hoseæ*. Singulare ex ordium, & alijs vatibus nõ cõmune, vnde quidam arbitrantur fuisse Hoseã inter sex decim Prophetas. Quoniam ait, ideſt cui Prophetarum primò locutus est Dominus. Refragantur alij, nam Abdias est in hoc prędicto Prophetarum numero, & tamen videtur antiquior quam Hoseas. Etenim Abdias floruit sub Achab Rege Israel, qui excedit tempora regum hîc nominatorum, sub quibus floruit Hoseas: in hanc sententiam it Nicolaus. ¶Porrò quidquid sit de antiquitate Prophetarum istorum, textus non conuincit quod hæc opinio prętendit. Nam primus sensus est, *Principium*, loquendi Dominum per Hoseam, ideſt, quod primò dixit Hosee inter alia, est quod sequitur *vade*. Aut secundus sensus erit, quando primò locutus est Dominus ad Hoseam, dixit, vade. Et alterutrum horum sensuum eligas, non sequitur Hoseam fuisse primum cui locutus sit Dominus ex Prophetis. ¶ Et fortasis Hebręi moti ex hoc loco, collocarunt Hoseam in principio duodecim Prophetarum; quia ait, *Principium erit*, alijs autem alia placet ratio, primum ex eo obtinuisse locum, in hoc numero, quia valde inuehitur contra idololatriam, duarum, & decẽ Tribuũ. Est enim idololatria gratuisimum omniũ crimen, verum hęc ratio colligit nihil, si quidem alijs vatibus hęc inuectiua, est etiam communis.

Principes Germani sunt similes Ieroboam schismatico.

¶*Vade sume tibi vxorem fornicationum*, vel vt clarius habet alia translatio, *vade duc vxorẽ fornicariam*. Hoc est, duc in vxorem meretricem. Meretrix enim est mulier fornicationum, quippe fornicationibus incũbit. Sunt qui volunt Dei præceptum esse Hosee à Domino, vt duceret in vxorem mulierem adulteram: verum Textus non cogit, vt ita credamus: nam satis est illi si Hoseas duceret in vxorem meretricem, & nõ est necesse quod duceret vxorem alias adulteram, ideſt, quæ viro suo aliquando copulata, fidem thori violabat. ¶Vnde Theologi scholastici tradunt, Deum dispensasse cum Hosea in præcepto illo de non fornicãdo, vt dispensauit, cum Abraham in præcepto homicidij; & cum Hebręis egredientibus de Ægypto in præcepto de non furando. Ego autem non video, huius dispensationis necessitatem. Nam & si in prætextu videbatur inhonestum vxorem Dei vxorem ducere meretricem, at verò nusquam fuit prohibitum. Imo & si ex altera parte fædabat matrimonium, vxoris turpitudo, ex altera commẽdabat vatis bonitas, volentis ex matrimonio, abstrahere vxorem ab scortatione solita. ¶Sanè si iuberet vati vt accederet vates ad non suam: necessaria erat dispensatio, vt inculpatus esset accessus. At verò iubet Deus vt accedat ad suã vxorẽ, quî igitur necessaria erat dispensatio? ¶Sunt porrò qui existimant mulierẽ hanc non fuisse fornicariam carnaliter, sed spiritualiter, id est, fuisse idololatrã, idololatria enim ex cõsuetudine scripturæ appellatur fornicatio. Ex aptissima sanè translatione: etenim, vt eaquæ fornicatur adheret alieno, & non suo viro, ita & idololatræ adherent Deo non suo sed alieno, qui nomine tenus cognominatur Deus. ¶Huic autem placito Hieron. in Prologo ad Hoseam hæret. Ait enim itaque cùm inquit, accipe tibi vxorem fornicariam, seu fornicationum, non elocati corporis meretricem: sed gentilem Deum ignorantem appellat. Quæ Dei creatoris sui amore contempto, simu lacrorum se subiecit desiderijs. Hiero. suffragatur glossa Moralis dicens, quod Hoseas Propheta demandato Domini, accepit vxorem gentilem, & eius filios adoptauit. ¶At verò idem Hiero. in glossa ordinaria indicatus aliter rem hãc disseruit, tradens quod iussus fuit vates à Deo accipere meretricem. Ait enim, Mirum videtur secũdum superficiem historiæ cur vel Dominus iusserit, vel cur Propheta iussus accipere fornicariam paruerit. Sed neque Dominus rem turpem præcepit: neque Propheta obediendo peccauit, sed potius fornicariam ad pudicitiam reuocauit: & manens in bonitate sua de mala fecit bonam. ¶Sunt autem qui velint Hieron. conciliare, asserendo mulierem hãc vtroque modo fuisse fornicariam, & carnali & spirituali fornicatione. Quibus Hiero. ipse repugnat. Etenim ait in Prologo hanc mulierem non fuisse meretricẽ elocati corporis, cuius *contrarium* post modum docere videtur ex loco iam indicato. ¶Et *quidẽ si* vxor hęc Gentilis fuit, vt *eam* duceret Propheta, egebat diuina dispensatione. Prohibitum nãque erat Hebræis Gentiles ducere vxores vt Deu. 7. & Exod. 23. cõnubialia fœdera, cùm idololatris inire maximè prohibetur Hebræis. Quare qui ad hanc rationem contenderit intelligendum Prophetã, oportet vt afferat locũ, vnde intelligamus cum vate fuisse à Deo dispensatum; quę in diuinis oraculis non extat, quantum memoria suppetit. Imo huiusmodi matrimonia erant nulla: & ea dissoluit Esdras in reditu à Babylone. Et quidem offendiculum maximũ offerret Hoseas suę nationi, si duceret in vxorem idolis addictã fœminam. Multoque grauius erat huiusmodi vxorem accipere, quam præstitutã meretricem & venalem. Hic enim periclitabatur honestas, illic verò religio.

Dispensatio in præcepto

Qualis fuit vxor accepta ab Hosea.

¶Porrò autem, vt rem istam præsius edisseramus, hoc primò admonere velim, verba prophetæ commemorata, esse difficilia, vt puto intellectu; quocirca de intelligen

4. Reg. 15.

tia illorum variant placita. Quidam enim vt Chaldæus paraphrastes, seu interpres verba hęc parabolica esse prodidit, itaque sub hac parabola vxoris fornicariæ voluit Deus Hebręis indicare Synagogam Deo fuisse ingratissimam. Si quidem cum Deus Israeliticam plebem in deserto post exitũ illum celebrem ab Ægypto, mundauit ab idololatria, & eximijs decorauit muneribus eamque sibi in mysticã copulauit vxorem, nihilominus Dei singularia illi plebi collata beneficia posthabuit, & Deum virum suum contemplit; & induxit Deos alienos adorandos, vt decem Tribus adorauerũt vitulos sub Ieroboam filio Nabat: & duæ aliæ Tribus, sub Achaz, & Manasse Regibus Iuda. Ideo vates indicit captiuitatẽ, & horrẽda supplicia Hebręis comminatur. ¶Fauet huic opinioni, quia vt diximus in Prologo, familiare est sanctis scripturis vti parabolis. Et non solum veteribus sed nouis. Vobis Lucę. 8. ait Dominus, datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem omnia in parabolis fiunt; vt videntes non videant, & audientes non intelligant. ¶Ad quam rationem Chaldæus interpres arbitratur vniuersa hęc vatis verba, de marito cum vxore fornicaria esse vsurpanda. ¶Parabolarum autem hęc obseruanda Methodus, videlicet non insensu quem faciunt eas intelligere sed in sensu quo fiunt; vt est videre in parabola illa de semine, & in parabola de vinea. Quas non est necesse accipere secundum sensum quẽ prętexunt, videlicet, quod exierit aliquis summo manè ad seminandum, vel ad conducendos operarios, id quod proprietas significationis vocum significat, verum altior est parabolarum harum sensus; videlicet Deum ab exordio mundi seminasse verbum suum in humanis cordibus, ceu in agro quodam. Etenim ab initio sęculorum Deus vocauit homines ad cultum & amicitiam suam habendam. ¶Huic tamen Chaldæo placito, obstat admodum parabolarum ritus, ex quo non nominantur personę in parabola, idest personarum nomina non explicantur. Hoc enim nomine ab historia differt parabola. Historia enim vniuersa explicat, tempus, personam, locum, ad commendationem historicæ veritatis. Quando quidem parabola non instituitur, ad referendum res gestas, & ideo præteritorum refricare memoriam non intendit. ¶Accidit enim parabolæ, quod res quam commemorat, fuerit aliquando vel non fuerit; vt in parabola illa ouis raptę à pauperculo per potentiam diuitis, quam induxit Nathan, coram Dauide, accidit parabolæ, si fuit aliquando gestum illud; quia solum intentio parabolę erat, Dauidem admonere de facinore ab ipso perpetrato. Historiæ vero est essentiale res gestas fuisse, quas denarrat gestas, si modo veritate potiatur, alias non erit historia sed fabula. Quamuis autem non sit necessaria parabolis veritas eorũ, quæ narrat secundum propriam vocum significationem, est tamen necessaria possibilitas vnde trahatur similitudo ad id significandum, quod ex parabolis intenditur significari, vnde differt à fabulis, & apologis Æsopi, & aliorum, multa impossibilia, subtili arte excogitantium, ad mores humanos cõponendos. ¶Vt quod coruus arbori insidens, vescebatur frustulo casei, at vulpes infra subsidens, cœpit cõmendare coruũ, de vocis melodia, & obsecrare vt caneret; ille flexus suasionibus vulpis canere cœpit & interim excussit frustulum casei, quod mandebat, quo arrepto à vulpe, cœpit corui vocem irridere. ¶Hic apologus non est historia, neq; parabola quia rẽ impossibilẽ narrat, sine mendacio tamen hęc confinguntur, quia non intenditur verè gestum narrare aliquod, sed ex conficto gesto, adulationis vitium fugiendum esse docere. ¶Contingit autem historiam etiam narrare aliqua, quæ ad similitudinem aliorũ vt in parabola trahi possunt, vt est illa historia Lazari mendici, & diuitis epulonis Lucę. 16. quam sanctus Greg. in homilia, ad populum Gentilem, & Iudaicum retulit. Imo hoc est commune historijs sacris, q̃ ad allegorias, & tropologias sępe referuntur, cæterum hoc accidit historię. Etsi sacræ tantum hæ prę eminent dote, quia per spiritum Dei sunt conscriptę.

¶Porrò in confirmatione dictorum, scito Theologos, non ex alio traduntˢ non esse parabolam narrationem Euangelicam de Lazaro, & epulone diuite, nisi quia exprimitur Lazari nomen, & Abrahæ, id quod esse necessarium historęi, paulò ante meminimus. ¶Iam verò vt ad rem intentã regrediamur, cum in Prophetia, exprimatur, nomen vxoris Prophetæ, Gomeri filia que tradatur esse, Debelaim, nomenque filiorum

Methodus ad intelligẽdas parabolas sacras.

Historiæ parabola, Fabulæ in quo differunt.

Historiæ sacræ solæ dant multis sensibus.

filiorum, itemque nomen prophetæ, videtur nihil habere, consortij cum parabolæ ratione, imo prorsus differre, hæc narratio, à parabola. ¶Alij ergo interpretes, aliter rem istam expositerunt. Videlicet, huiusmodi narrationem non re ipsa contigisse, sed solum in visione imaginaria. ¶Sunt enim frequentissimæ visiones huiusmodi, in sacris oraculis veteribus: neque ab eis abhorrent, oracula noua. ¶Siquidem Stephanus vidit in visione imaginaria, cælos apertos act. 7. & Petrus Lintheum quatuor initijs submitti vidit de cælo, vbi omne genus animalium continebatur. ¶Tale putant esse isti interpretes, quod modo vates denarrat. Quale itẽ fuit visio illa Ezechielis, quatuor animalium, & visiones Danielis decem, & visio Ieremiæ, videntis ab aquilone, succęsam ollam; & alia hoc genus innumera, quibus scatent, diuinæ literæ. ¶Hoc placitum Vatablus tribuit, Ionathæ, Paraphrasti, Chaldæo, perituissimo Hebræo, aitque doctissimos Hebræorum, hoc placitum amare. ¶In eandem quoq; sententiã vocatur Rabbi Ionathas, Paraphrastes prædictus à Paulo Burgensi, in additionibus ad Nicolaum. ¶Obluctatur huic placito Benedictus Montanus, hanc inducens rationem. Quippe istud matrimonium, iussit Deus vati, vt ex illo, carperet, Iudaicam ingratitudinem erga Dei beneficia, quæ erant incomparabilis beneuolentiæ. Ideo iussit, vt mulierem turpem vates acciperet, vt significaret Iudæis, eos turpes & fædissimos fuisse, ex idololatria, aliisq; sceleribus, nihilominus, dilectos fuisse à Deo, velut vir diligit vxorem, verum si istud tantum accideret, in visione imaginaria, nihil ex huiusmodi visione, poterant commoueri Israelitæ, & Iudæi, quia visio illa soli prophetæ erat nota. Ideo erat necesse vt re ipsa publicè in cõspectu eorum accideret. Quia visa, magis mouent, quam audita, vt cecinit ille.

Alia sentẽtia de eo. dubio.

Hora de arte. po.

Segnius irritant animos demissa per aurẽ.
Quã quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Cum ergo hoc matrimonium fuerit iussum à Deo vt ex ipso viso exprobraret Israelitarum, & Iudæorum ingratitudinẽ, & fædissimam petulantiam, oportebat, vt esset reale matrimonium ab omnibus visibile, & non imaginarium. At vero, ratio hæc non est peremptoria, siquidem si huiusmodi matrimonium, iussum est vati, ob causam prædictam, oportebat vt celebraretur non in visione prophetica, sed coram omnibus Israelitis, quod infra differetur. Huic autem sententiæ Hiero. obstat comm. ad Ezechie. capit. 4. Declarãs verba vatis, ha, ha, ha, Domine Deus. Ecce anima mea non est polluta. Vnde ait, Non domini contradicit imperio, sed causas reddit. Imo deprecatur, cur hoc facere non possit: & impetrat quod petit, & sententiæ asperitas temperatur. Et iã subdit ad nostrum propositum. ¶Quæritur cur Ezechiel minora renuat, & Hosee, statim se scorto copulat: nec castum corpus se habere dicit, aut non debere se meretricis commixtione maculare, cum teste apostolo vnum corpus efficiatur, qui adhæret meretrici. ¶Vnde ostenditur, non secundum literam, ita fuisse iure: sed figuram fuisse synagogæ & ecclesiæ. Et ubi Hiero. expresse dixisse, nõ esse sumendam copulam vatis cum meretrice, secundum literam, & realiter sed solũ in Typo synagogæ & ecclesiæ. Quod si obiceris, Hieronymo, Hiero. in commẽto ad Hoseam, vt supra indicauimus, tradentem, secundum historiam rẽ hanc accidisse, obijciam tibi hunc locum quẽ indicat Glossa ordi. ad Ezechielẽ vbi dudum. ¶Vnde videtur, vel quod Hiero. rẽ istam dubiam traxit. aut quod vtrumque visum sibi esset probabile, vel quod in visione imaginaria accidit, copulatio vatis cum meretrice, vt apud Ezechielem commemorat, aut quod secundum literam, sit accipiendum: vt super Hoseam meminit. ¶Et re vera, adhuc mirabitur aliquis de quæstione mota à Hieronymo, quomodo scilicet vates, adhæsit scorto, cum Paulus dicat, qui adhæret meretrici vnũ corpus sit cum ea. Quippe quod Paulus ait, est habendum, de coitu fornicario, verum coitus vatis erat coniugalis, non cum aliena, sed cum sua; Ait enim Dei præceptum, duc in vxorem meretricem vxorantem, iam non est meretrix, etsi antequam duceretur esset meretrix. ¶Adhæc, Hoseas iuxta placitum Benedicti Montani, fuit Hierosolymitanus, duxit igitur vxorem in terra Iuda, aut Beniamin, & nõ in terra decẽ tribuũ. Iam ergo eius matrimonium cum meretrice, non poterat conspectum esse ab Israelitis, in quorum

2. Reg. 12.

Psal. 48. & Psal. 77.

quorum gratiam, præcipuè fuit celebratum. Dicebamus enim, quod vates hic præcipuè agit contra decem tribus, quos vocat scriptura Israelitas, post diuisionē, vt prædiximus.

¶ Quod si dixeris, forte esse celebratū in terra decem tribuum, vtique cum mulieres Israelitæ erant idololatræ, duxit ergo vxorem idololatram, id quod fuisset fauere idololatris Israelitis, si vidisset, vatem ducere idololatram fœminam. Et demum, vt supra aiebamus ad huiusmodi matrimonia, cum idololatris, quæ valde
Deut. 7. erant prohibita Iudæis, Exo. 23. necessaria erat dispensatio expressa, quæ tamen nō cōstat. ¶ Rursus, nō satis probat hoc placitum, quod huiusmodi connubium publicè celebrandum erat, vt palam fieret Israelitis, & Iudæis suæ ingratitudinis peruicacia, vt inde concludatur, realiter celebratum esse.

¶ Quippe, omnes visiones propheticæ, illò tendunt, vel vt exprobrent Hebræis sua in Deum scelera, aut, vt pœnitentes aberratis consolentur ex veniæ donandæ à Deo spe. Quia quanuis visiones illæ, non paterēt oculis Hebræorum, suffi ciebat, quod patuerint vati, vt illas de in
Iere. 1. proponēs populo, admoneret eos, de malè factis. ¶ Vtique quando Ieremias vidit ollam succensam ab aquilone, visio illa soli vati innotuit, vt inde admoneret Iudeos, proximam esse captiuitatem eis inferendam à Chaldæis, & ita de reliquis.

Isai. 7. ¶ Et quod ait, quod signū debet patere sensui, nonne in Isaia legimus, Propterea dabit vobis dominus signum, Ecce virgo cōcipiet? &c. id quod D. Matth. de Deipara Maria exposuit. Sed num Virginitas Beatæ Mariæ, fuit patens oculis Hebræorum? non arbitror, soli virgini patuit, & fidelibus per fidē patet, at Iudæis, non patuit ad sensum. Et tamen scriptura hanc virginitatem in concipiendo, & pariendo, signum dandum à Deo esse tra
Signū sensibile & intellectuale dit. Non ergo, omnino certum est, quod omne signum, cuius meminit scriptura esset signum sensibile. Sufficit; quod aliquod erit signum intellectuale. ¶ Sensibile sanè signum, hoc sibi vendicat, quod præter speciem quam sensibus ingerit, aliud subindicat. ¶ At vero sunt signa intellectualia, quæ sunt signa fidelium, & hęc non subeunt legem priorū. Fidelibus igitur Beatæ Mariæ intemerata virginitas & ante partum, & post partum, signum est admonens, Christum Dominum, nō ex semine virili concepto, sed ex Spiritu sancto operante, editum fuisse. ¶ Hæc sanè nō eò dicta velim, quò quis putet me credere, non realiter accidisse connubiū commemoratum, vt crediderim enim istud placitum, quod est vulgatius, & apud scholasticos Theologos, & apud interpretes bibliorum sacrorum esse longe probabilius, quam quod in visione acciderit vati. ¶ Tametsi non reputo improbabile, quod in visione prophetica acciderit, vt satis ex dictis colligere promptum est. Neque argumenta Benedicti, quæ contrarium moliuntur, sunt efficacia, vt ostendimus. Verumtamen priorē sententiam, quæ docet parabolam esse huiusmodi vatis connubium, non esse mihi probabilem decerno, propter à me rationem commemoratam. ¶ Verum quod acciderit in visione prophetica, nō mihi est improbabile, vt supra aiebam.

¶ Porrò mihi est lōge probabilius, quod re ipsa acciderit. Et inducor in hanc sententiam, quia nihil nos cogit, quominus istud credamus. Namque si quicquam nos cogeret, maximè argumentum illud quod inhonestum videbatur vatē Dei accedere ad scortum. ¶ Porrò, nihil honestius, quam obedire Deo. Vtique etiam crudele videbatur, & parricidale, quod Abraham, tolleret filium suum primogenitum, vt illum occideret, verum nulla est crudelitas, vbi adest Dei iussio. ¶ Et
Genes. 22. item iniustum videbatur, spoliare Ægyptios, vt Hebræi iā iam exituri, ab Ægyp-
Exod. 3. to, fecerunt. At vero obtemperare Deo, summa est iustitia. Indecens quoq; videbatur, quod Isaias nudum, & discalciatū, se obtulerit visendum suis cōtribulibus, cap. 20. at nulla indecentia, Deo iubenti obedire, vt neque indecorum fuit, Ieremiam publicè procedere, loris, & ligaminibus vel catenis implicatum, siquidem
Ca. 27. domini cogebat ad hoc præceptum.

¶ Ad eandem rationem, Hosee, nihil contra honestate admisit ducere in vxorem scortum. Neque istud gloriam & honorem, prophetici muneris obscurauit, imo maxime honestauit. Quippe ex Dei mandato istud fecit. ¶ Quandoquidem ergo, nihil est quod nos cogat, vt à sensu literali

literali diuertamus sermonē congruū est vt sensum literalē retineamus. Quanquā non possum eorū ducere partes, quibus cordi est hāc fœminam, fuisse gētilē, idolorum cultui deditam, propter rationem commemoratam. ¶ Sicut neq; arridet Nicolai, & aliorum sententia, quæ censet, filios vatis, quos hīc refert scriptura esse fornicationum, fuisse adoptiuos, & non carnales, itaq; vxor hęc prius habuit filios ex fornicatione & hos adoptauit vates reclamante scriptura, quæ ait, quod mulier ex vate concepit filium, &c. Adoptiui autem adoptantur, & non concipiuntur. ¶ Dicere autē quod isti filij vatis erant legitimi, & alij filij vxoris ante matrimonium cū vate fuissent ex fornicatione, & eos adoptasse vatem, sine fundamento stabili traditur.

Lege' auto. com. ad Isa. 8. ¶ Similiter duco censendum, de accessu Isaiæ ad prophetissam, cap. 8. Quanuis enim Nicolaus contendat in alium sensum, textum illum referre, at vero violētus satis est eius sensus, & spirat magis allegoriam, quam historiam. Quocirca per prophetissam, vxorem Isaię oportet intelligere; quæ ea ratione appellatur prophetissa, qua olim vxor sacerdotis, sacerdotissa, & vxor diaconi diaconica, &c. Verè igitur carnaliter se commiscuit, *Sume tibi vxorem fornicationum.* Siue legas fornicationum, siue fornicationis, idem sensus est. Vxor nanq; fornicationis, ea ex phrasi Hebraica appellatur, quæ se addixit multis fornicationibus, vt vile prostibulum. Vnde Antichristus à Paulo. 2. Thes. 2. appellatur homo peccati, quia plenus erit peccatis. *Sume tibi.* Obseruandum in diuinis vatibus, multifariam edidisse eos prophetias, non solum, quia varijs spectris, & tropis, & schematibus, nō ex me-
Prophetia ex verbo & ex facto. dia plebe (quod aiunt, petitis, imo singularibus, & nobis insolitis,) sed etiam, quia non solum verbis prophetarunt, sed & factis. ¶ Agebant enim cum Iudaica plebe ad malum valde prona, & impersualibili, vnde obhoc ab scriptura, Deut. 31. & Isa. 48. vocatur populus duræ cervicis, & plebs. cui cor erat lapideum Ezech. 21.

¶ Cum enim facta, magis admoneant, quam verba, sexto nanq; Ethico. facta, fidem conciliāt verbis. Vnde & Rhetores in exemplis themati accommodatis summam persuadendi vim constituunt, præsertim si exempla recentia, & non ex nimia antiquitate inconsueta sint hac ratione iubetur propheta, ducere vxorem, fornicariam, seu mererricem; quæ generet filios fornicationum, vt ex hoc facto ob oculos Hebræorum exponat, ingrati tudinem synagogæ, quæ diuinis, & non vulgaribus affecta dotibus, spreuit Deū creatorem suum, & filios genuit, idolatras spernentes Deum, vt ipsa spreuerat.

Prophetiæ quędā ex facto. ¶ Itidem iussus est Isaias, captiuitatem, ex facto prędicere Babylonicam, nudus, & discalciatus ingrediēs. Vt tales Iudæos futuros, quando ducerentur captiui in Babylonem ostenderet. ¶ Item Ieremias collo suo, catenas ex Dei mandato impo suit, tales ostendes Iudæos futuros, quā-
do catenis ligati, & compedibus, constricti erant trahēdi in Babylonem, captiui. ¶ Et Ierem. 13. iubetur item, vt tollat lūbare, quo præcinctus erat & abiret in Euphratem, inibiq; absconderet illud transactisq; diebus, multis iubetur, iterum petere Euphratem, vt referret lumbare, & inuenit illud putridum, vt ex hoc exemplo demonstraret Deus quod superbia Iudæorum, erat putredini dandā. ¶ Et Ierem. 19. itidem iubetur propheta, vt tollat lagunculam figulinam à senioribus populi, & deferat eam, ad portam quæ dicitur figuli, & in conspectu Ierosolymitarum, eam contereret. ¶ Vt euidens faceret, Iudæos esse confringendos, à Nabuchodonosore, vt vas testaceum, quod semel confractum reparari nequit. Item Ezechieli mandat Deus, cap. 4. vt in ster
Ioakim. Ioacim. Ezechias ex 4. reg. c. vltimis. core humano decoquat panes ab eo comedendos, & quod bibat aquam, in mensura, itidemq; panem, vt ex hac re significaret captiuitatis miseriam Iudæis inferēdam, qui in Iudæa remanserant cum sedechia. Nam obsesis sępe est necesse, ne fame pereant & siti deficiant, non comedere, & bibere ad satietatem, ne si sic vescantur & bibāt, commeatus deficiat. Itē que ex penuria lignorum, quia obsesio obstat, ne possint extra mœnia egredi, collectū ea, coguntur aliquando obsesi stercora humana, in alimentum ignis petere, decoquendis cibarijs. ¶ Vnde Eze-
Ioakim. chiel, qui transmigrauerat, in Babylonē, sub Ioakin, prædictis factis, demonstrabat Iudæis, qui erant ducti captiui sub Ioacim, filio prioris quæ ventura erant mala

mala, alijs Iudæis, remanẽtibus in Iudæa cum Sedechia rege, patruo Ioachim: & qua ratione erant arctandi, ab obsidione Babylonica. ¶Et vniuersa hæc Deus instituebat, fieri per suos prophetas, vt si verbis cor eorum lapideum, non mollescebat saltem, exemplis liquesceret, & ad pœnitentiam sese conuocaret vt à Deo comminatã iram per exempla, seu paradigmata ex opere à se auerterent. Ideoq; quædã noua, & admiranda opera iniungebat suis vatibus facienda coram populo, vt ipsa nouitas attraheret, inspectores multos. Vt solent omnia noua, & admiranda, multos habere inspectores: ex quibus fama diffunderetur in alios nõ inspectores. ¶Deus enim cum sit infinitæ bonitatis, atq; sapientiæ, omnibus prouidet, vt illis maximè congruit. Quia ergo homines sumus animalia rationalia sensu prædita, ideo per sensibiles res, nos curat manuducere, ad inuisibilia cognoscẽda. Vnde Dominus noster Iesus Christus, per parabolas rerum sensibiliũ, grandia, mysteria nos docet. Et per sacramenta sensibilia nos ex morte, trahit ad vitã. ¶Itidemq; sacri vates, per parabolas, ex sensibilibus acceptas, reprehensiones, & cõsolationes suis texebant. At vero, quia agebant, cum populo, durissimæ conditionis, ideo Deo mandante facta ostendebant, quædam noua prædicentia, mala, vel bona, vt ex illis visis promptius corrigerentur. ¶In quem quoq; modum, & quidam nostri concionatores, secum deferunt in pulpitum, caluariam, & Domini crucem, quæ demonstrant concioni, vt refricent ex visa caluaria, & cruce mortis memoriam, vt inde facilius pœnitentiam suadeant. ¶Est enim visus præstantissimus omnium sensuum, & ideo est efficax valde eius operatio, ad suadendum, vel dissuandẽdum. *Fac tibi filios fornicationum.* Continuo se insinuat, dubitatio, si meretrix supradicta, erat iam non meretrix, sed vxor honestata ex coniugio prophetæ, qua ratione scriptura ait fac tibi filios fornicationum. Non enim erant filij ex fornicatione, qui erant ex legitimo accepto matrimonio, quod Deus ipse celebrari iusserat; id quod non minimæ, sed maximè erat prærogatiuæ.

Cur prophetæ, & Dñs postea frequẽtissimum habẽt vsum parabolarum.

Cur visa magis irritant, quam audita.

¶Respondetur quod per filios fornicationum, intelligẽdi sunt filij fornicariæ. Enim vero, etiam si post quam vxor erat vatis, id non erat fornicaria, sed casta coniux. Verum, quia fuerat prius fornicaria, ideo habuit scriptura rationem ad præteritum, & non ad præsens. Quid quod, quanuis isti vatis filij erant legitimi, & ex fornicatione, cæterum erant signum, & symbolum Iudæorum, & Israelitarũ, qui fuerũt fornicarij, id est idololatræ. ¶Quã obrem meritò obseruata ratione symboli rectè appellantur filij fornicationum. Namq; in hoc vatis connubio vates, gerit personam Dei, sicut mulier synagogã designat, & filij huius filios synagogæ, id est Iudæos, & Israelitas. ¶Plurimum igitur honestauit prõpheta, meretricem, eam ducens in vxorem: at longe amplius honestauit synagogam Deus, cã sibi copulans in populum, sibi peculiarẽ, Deut. 7. eam præferendo cunctis nationibus, & innumerabilibus eam prosequens beneficijs. Educens eam de Ægypti ergastulo traducens eam, per mare rubrum, quod Iudæi sicco calcarunt vestigio, at Ægyptij in eodem submersi sunt, Exo. 15. tanquam plumbũ descendẽtes, in profundum maris rubri, Exo. 14. dein in deserto eos pascens pane cæli, vt cecinit vates egregius, Panem de cœlo dedit eis, ciboria militis in abundantia, & expandit nubem in protectionem eorum, & ignẽ vt luceret eis per noctem. Subiugarunt item ex Dei munere, non in arcu, & gladio suo nationes fortissimas, Psal. 43. & introducti sunt in terrã fluentem lac, & mel. & demum diuina scriptura latissimè prosequitur admiranda, quæ Deus gessit opera in gratiam Iudaicæ plebis quæ referuntur Deut. 32. ¶Cum tamen, non esset sanctior populus neq; iustior, cæteris nationibus. Imo peior, siquidem accepta Dei fide, & religione, vera fornicata est cum amatoribus multis Iere. 3. & impudẽtissimæ, ibidem meretrici conseritur à vate, frons mulieris meretricis ait, tibi facta est. ¶Et quæsiuit idola gentium, & illa coluit, & Deum qui se gesserat, vt amãtissimum virum, synagogæ, spreuit, vt patebit latius ex lectione huius, & aliorum sacrorum vatum. ¶At forsan non ineptè, quæret aliquis, cur ergo populũ adeo rebellem, & contumacem, elegit Deus, quo nullus alius durior excogitari potest. Dixerim, Deum cuncta gerere ex

Nullamatio tantis beneficijs est affecta vt Iudaica.

ex summa sapientia, ex qua quoque populũ quem ab æterno videret futurũ, durissimum, elegit. Quippe, vt permisit duritiem Pharaonis Regis Ægypti, vt quanto ipse fuisset durior tanto Deus clariorem faceret suam potentiam supra totam quam condiderat naturam, vt Paulus meminit, ad Roma. 9. In hoc ait, vt dicit, scriptura, excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: & annuntietur nomen meum in vniuersa terra: & locus scripturæ est Exod. 9. sic in præsentiarum dominus elegit populum durissimum, vt contra duritiẽ illius ipse pugnans mirabilia suæ potentiæ ostenderet. Et Christianus populus illi succedens, exploratã satis haberet potentiam, esse supra omnẽ naturam, & dulcedinem quoq; suę bonitatis patefecit, toti orbi, quandoquidem inimicos suos, multis deliniebat blanditijs, multaque charitate, prosequebatur. ¶Tu interim aduertere, per synagogam nos intelligere congregationẽ Iudæorum, & Israelitarum, per filios vero, synagogæ particulares huius congregationis personas, vt etiam per ecclesiam, congregationem fidelium subauditam volumus, quam vocamus matrem ecclesiam; per filios vero particulares fideles. *Quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Exhibet causam Deus, cur iusserit vati scortũ ducere, subdit causam. *Quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Casta erat iam cõiux Hosee. At vero, non propter castitatem præsentem, sed propter salacitatem præteritam typum gerebat, synagogæ. Cuius salacitas quæ hîc notatur, erat spiritualis, videlicet idololatria. ¶Siquidem vt mulieri, quæ virum habet, si torũ maculauerit viri, infidelis & turpis est; maximè vero turpis, si relicto viro potenti, sapiente, & elegante, & denique optimo infirmum ignarum, & fædum, & demum pessimum suscipiat. Ad eundem sanè modũ, synagoga infidelissima fuit Deo, nam Deo omnipotente sapientissimo, & longe pulcherrimo, atque optimo abiecto, introduxit diabolum quem coleret infirmum, & fædissimum, & pessimum; imo (quod maxime horrendum est,) quod & Dei hostem. Id quod maximè potest prouocare virum aduersum coniugem, quod sibi præferat, scilicet non solum alterum virum, sed suum hostem, vt synagoga fecit colens diabolum. ¶Itaque Deus reputatur in scriptura, tanquam vir legitimus synagogæ, vn de Ierem. 3. vir vester ego sum, vt enim se ibidem, vocat patrem, & ducem virginitatis synagogæ. Exhibuit enim se Iudæis vt patrem eorum, cõferens illis, prę clara munera, & vt sponsum, seu ducem virginitatis, idest synceræ in Deum religionis, quã docuit eos per Mosem, suũ famulum, ita se vocat virum; quia vt vir zelat vxoris castitatem, sic Deus zelotes dicitur, quia summa cura zelabat fidei synceritatem, & religionis diuinæ puritatem. Quocirca vt salax, & impudica mulier relicto viro suo, alium inducit incõtemptũ sui viri, sic synagoga suo viro spirituali Deo spreto, idola coluit, in quibus diabolus colebatur. ¶At vero non inepta est quæstio, quid est quod ait, fornicans, fornicabitur terra. Siquidem iam fornicata fuerat, tempore huius vatis? Nã hic vixit sub Achaz Rege Iuda, & hic fuit pessimus idolorum cultor. Et decẽ tribus, iam olim idola coluerant, scilicet vitulos sub Ieroboam filio Nabath, qui regnauit tempore Roboam filij Salomonis. Longe ante tempora Hosee, cur igitur traditur futurum, quod fuit multo ante præteritum?

2. Par. 28. 3. Reg. 16. 2. Para. 11. 2. Reg. 12.

¶Respondetur, quod ita est decem tribus adulteras fuisse longo æuo antequam Hoseas vaticinaretur. Duas autem tribus, tum maximè contaminauerunt se idololatriæ turpitudine, quando Manasses, obtinuit earundem principatum. Namque hic fuit, idolis quam deditissimus, etsi demum translatus in Babylonẽ resipuit ab immanissimis sceleribus suis. Vnde quod dominus ait, fornicans fornicabitur terra, si ad duas tribus referas, ita est quod post tẽpora Hosee, sub Manasse, qui fuit post Hoseam adulterium istud spirituale, quod est idolorũ cultus admisit, in terra Iuda. ¶Vsurpaturautẽ modo cõtinens, scilicet terra, pro cõtento in ea, qui sunt scilicet habitatores eius. ¶Creuit enim valde abominatio idololatriæ in Iudæa, sub Manasse principatu, multo vehementius, quam sub Achaz. ¶Verumtamen, si referas ad decem tribus, vsurpatur ex phrasi Hebraica futurum pro præterito. Fornicabitur, pro fornicata est. ¶Et obserua, phrasim esse itẽ frequen-

2. Par. 33. 4. Reg. 21.

Hebræise est familiare vtitẽpore vno protẽpore alio

frequentẽ ſcripturę, iungere participium cum verbo vnde deriuatur, & tunc emphaſis quędam ſubiudicatur, vt Exod. 3, viſitans viſitabit vos dominus, id eſt celeriter vos viſitabit, & ſtudioſi vos conſolabitur, & in propoſito, etiam fornicąs fornicabitur terra, ideſt valde fornicabitur, & ſummo ſtudio idola colet, aut coluit à Domino, id eſt per hanc fornicationem, recedet longiſsimè à domino viro ſuo. ¶Porrò hæſitabit fortè aliquis, cur idololatria, fornicatio appellatur in ſcriptura diuina, & alia peccata, non item. Quandoquidẽ omnia crimina, nos auertunt à Deo, & conuertunt ad creaturas.

Cur ſolum modo peccatum idolatriæ in ſcriptura vocatur fornicatio.

Peccatum, enim eſt auerſio ab incommutabili bono & conuerſio ad commutabile bonum, quod eſt creatum bonum. ¶Reſpondetur quod hærere creaturæ, bifariam cõtingere poteſt, aut ſic hærere quod illam conſtituamus in Deum, aut ſic hærere, quod eam amemus, contra præceptum creatoris, at non faciendo eã nobis creatorẽ. Idololatrę igitur, ſic amãt creaturam, vt illam venerentur tanquam Deum, vnde eidem impendunt honores diuinos: id quod eſt ſummi ſceleris. At vero alij criminoſi, creaturam non colũt vt Deum, at amant illam contra Deum. ¶Quod ſi obiceris Paulum tradentem ad Epheſ. auaritiam eſſe idolorum ſeruitutem. Reſpondetur, noluiſſe dicere Paulum, auaros eſſe propriè idololatras; ſed ſimilitudinem referre idololatrarum. Nã vt iſti colũt Deos argenteos, & aureos, & cupreos, & ita aliarì propter aurum, & argentum diuinum numen offendunt.

Fornicabitur à Domino. Interlinealis, exponit, recedens, vt clauſula ſit integra hæc fornicabitur, à Domino recedens. At vero Hebraicè legimus fornicabitur poſt dominum; ideſt, ſcortabitur deſtituens ſequi & colere Deum, colẽdo Deos alienos. *Et abijt, & accepit Gomer filiam Debelaim.* Qui contendunt, in viſione prophetica hæc accidiſſe, exponunt *Abijt*, ideſt, viſus eſt ſibi vates, abire, & ducere vxorẽ Gomer, &c. ¶At vero, quia nos nõ ſequimur hoc placitum, imo credimus verè ita accidiſſe, aliter exponimus videlicet, quod propheta morem gerens Deo, abijt & duxit vxorem. *Gomer.* Conſequẽter ad ſuum placitum, qui tradũt hoc accidiſſe in prophetica viſione, dicunt hoc nomen eſſe fictum, & itẽ Debelaim, itaq; hæc nomina nõ eſſe nomina vel alicuius mulieris, neque Debelaim, nomen viri, ſed ſolum eſſe ad myſterium denotandum ficta, ſine mendacio tamen. Quia fictio, fit aliquando citra mendacium, vt Dominus Lucæ. 24. fingit ſe longius ire. Id quod finxit, non vt deciperet, imo vt inſinuaret, longe ſe abeſſe à fide diſcipulorum, quippe erroneam habebant fidẽ, Chriſtum non ſurrexiſſe, à mortuis. Ad eandem rationem, volens hoc placitum defendere, dicet hæc nomina eſſe ficta, ad myſterium innuendum, videlicet, quod decem tribus, & duæ tribus, erãt conſumendæ propter idololatriam. Nã Gomer interpretatur conſumptio. Et Debelaim, ſignificat palatas duas, ſiue maſſas caricarum, vt declarat gloſſa, quæ quia dulces ſunt & ſuaues palato, voluptates ſenſuales denotant, quas ſequentes Iudæi & Iſraelitæ, conſumpti ſunt & perierunt. ¶Namque Iſraelitæ ſub Hoſee Rege Iſrael penitus ſunt abacti, & traducti in Aſſyriorum ditionem, & miſerrimam captiuitatem. Itemq; & duæ tribus, cum leuitica, in Babylonem poſtmodum ſub Sedechia, ſunt tracti. ¶Propter voluptates igitur ſenſuales, quas habuerunt in ſuis cõmittẽdis ſceleribus, tandẽ fuerunt conſumpti, & eliminati. At vero iuxta Hebræorum præfatam conſiderationem, ratio à nobis facta aduerſus eoſdem dicentes, hoc geſtum quod hîc narratur fuiſſe parabolicum. Videlicet, quia traduntur nomina vxoris, & patris vxoris, &c. Id quod hiſtoricum eſt, & nõ parabolicum, ſoluetur abiſtis Hebræis aſſeuerantibus, nomina hæc eſſe ficta.

Hebræorũ ſententia.

¶Porrò autem, quia vt commemorabã, nihil nos cogit, vt vel parabolicam eſſe narrationem prophetæ, putemus, aut illã viſioni propheticæ demus, aptius dicitur hæc hiſtorica, & non ficta fuiſſe. ¶Quid quod re exactius expenſa, nomina ſupra dicta non fuerunt ficta, ſed vera ſunt nomina enim vero Gomer verum eſt nomen ſignificans filium Iaphet Gene. 10. Vnde Gomeritæ, qui ſunt Galatæ, & Dibelaim vel Debelaim, ſignificat palatas, aut palathas vt alij ſcribunt. ¶Palatæ autem, ſignificant, maſſas ficorum aridarũ, ſiue caricas aridas, vnde nõ ſunt ficta nomina, quæ pro re aliqua ſupponunt; vt ex iſtis

ex iſtis patet. ¶Quocirca iſti falſa docẽt, dicẽtes ficta eſſe nomina, quę alioqui ſunt vera nomina. ¶Hæc aũt nomina, quis nõ fuerint impoſita à Deo, ſed ab hoĩnib⁹, nihilominus ſatis cõſentiũt cũ re quã Deꝰ ex hoc matrimonio Oſeæ, portẽdere intẽdebat. Etenim uero gomer, interpretat cõſumẽs vel deficiẽs, & deblain, caricas vel ſic⁹ duas aridas, id ꝙ germanè cõgruit, cũ calamitate, quã portẽdit matrimoniũ hoc vẽtura Iudæis, & Iſraelitis. Nãq; facile portẽditur ex nomine vxoris, defectũ, & cõſũptionẽ decẽ tribuũ & itẽ defectũ duarũ. ¶Itẽ, ex nomine ſoceri vatis ſignificat, eaſdẽ trib⁹ ob idololatriã exaruiſſe & à ſuo honore & ſtatu deijciẽdas, & à gẽtibus cõculcãdas. Aut parabolicẽ, denotatur ex ficub⁹ (quippe ꝙ ſunt ſuaues guſtui) voluptatẽ, & delicias, quas ſecuti fuerũt ſine freno Iudæi, & Iſraelitæ cauſam fuiſſe, ſuæ miſeriæ, & acerbæ calamitatis, vt paulò ante dicebamus.

Fac tibi filios fornicationũ. Dicebã ſupra Nicolao placuiſſe vxorẽ iſtã vatis, antequã vati cõnubio iũgeretur, alios ex meretricio cõcubitu, habuiſſe filios, & de iſtis intellectũ voluit locũ hũc. *Fac filios fornicationũ.* Qui, quia adoptati fuerũt à vate, ideo dicitur fac tibi filios fornicationũ ſed equidẽ iſtud nõ videtur certo fundamẽto fulciri, ſiquidẽ ſi propheta habuit legitimos filios ex vxore, quorſum adoptabat alios filios ex meretricio natos ex eadẽ vxore, ꝙ erãt priuigni eius. ¶Alijs itẽ placet, huiuſmodi vxorẽ ex meretricio cõcubitu ante quã iũgeretur vati, habuiſſe filios, in ſignũ manifeſtũ fũæ ſalacitatis, ſiquidẽ qñ ples adeſt mulieri, nõ cõiugatæ, manifeſta eſt eius fornicatio. Vnde dñs talẽ præcepit vati habere vxorẽ, quæ citra cõtrũerſiã manifeſtã haberet ſuã ſalacitatẽ, & vt hoc ſub notaret Deus, dixit, *Accipe fornicariã, &c.*

Benedictus Montanus

Et hæc ſententia nihil meminit, dẽ adoptione horũ filiorũ. Porrò me latet, quã nã ratione ipſe exponet locũ hunc. *Fac tibi filios fornicationũ*, ſi erãt alieni filij, quomodo facti ſunt à vate; ſiqdẽ adoptionis nulla eſt ratio? Dicit aũt autor huiꝰ ſententiæ, ꝙ neq; in exẽplaribus Hebraicis, neq; Græcis, neq; in emẽdationibus, Latinis, inuenit. *Filios fornicationũ*, ſed *Generãtẽ habẽtur*, partus fornicationis, ꝙ ad matrẽ magis ſpectat, quã ad patrẽ. At verò quũ cõgruat hæc locutio fac tibi partus fornicationis, id ꝙ ad patrẽ, refert, at vero pater nõ parit, ſed generat filios. Et quidẽ nõ me fugit, quę habetur in gloſ. ordi. lect. 75, interpretũ. *Tolle tibi vxorẽ fornicationis, & filios fornicationis.* Et in exẽplaribꝰ quibuſdã Latinis, hęc clauſula, (fac tibi) duabus iſtis virgulis intercipit, itẽ in tranſlatione Vatabli, vt denotetur nõ eſſe in Hebræo, vnde cõſona eſt lectio ſeptuaginta interpretũ in hac parte Hebraicæ literæ. Quæ lectio videtur ſuffragari Nicolao dicẽti, Oſeã adoptaſſe filios ſcorti, quos ſub ſcortatione genuerat, vt ſit ſenſus. Tolle tibi filios fornicationũ. i. adopta tibi illos. Etſi litera clarè, hãc adoptionẽ nõ doceat. At obſcurior eſt litera interpretũ cõmemorata, ꝙ noſtra. Tametſi ex illa apertius videtur, ꝙ iſti relati autores cõtẽdunt meretricẽ prędictã, ante cõiugiũ cũ vate filios ex ſcortatione habuiſſe, qa ait, Tolle tibi vxorẽ fornicationis, & filios fornicationũ. Neq; tñ ſatis aſſequor, q̃d velit glo. exponẽs. 70. interpretes ad hũc modũ. Iubetur ſumere fornicariã, & filios eius, vt quos illa de fornicatione genuerat, iſte de meretrice generet liberos. ¶Cæterũ Hier. legit, ꝙ vulgata editio habet, fac tibi filios fornicationũ. Et in prologo idẽ ceſſet dictu ſume tibi vxorẽ fornicariã, vel vxorẽ fornicationis, & hãc lectionẽ Eccleſia recipit. Quãobrẽ, oportebit dicere, ꝙ primo tradebam⁹, dictos filios fornicationũ. i. fornicariæ, nõ equidẽ habita rõe, ad ſtatũ, quẽ habebat Gomer ſub Oſeę cõiugio ſed habita rõe ad ſcortationẽ ante cõiugiũ, vnde ceſſat argumẽtũ illud, ſi erãt ex legitimo matrimonio nati, quomodo dicũ fornicationũ filij, vt in Gen. legim⁹. c. 7. Deuorauit virga Aarõ, virgas eorũ. Draco igit vocat virga qa fuerat virga. Ita quoq; dicũtur filij fornicariæ, vel fornicationũ, qa erãt filij eius, quę dudũ fuerat fornicaria. At ſciſcitaberis forſan, cur ergo Deꝰ magis nominat filios a matre, meretrice, q̃ à patre facto, ꝓpheta? cũ reuera, pater ſi Ariſt. credim⁹, plus influat in generatione, q̃ mater. A patre eñ aſſequitur, ples, ꝙ formalius eſt, & à matre ꝙ eſt materialius. ¶Reſpõdeo, nõ vacare, quãtũ arbitror, iſthęc cognominatio à myſterio, vt quãadmodũ meretrix mater, præſignat ſynagogã idololatrã, & impudentẽ qualis eſt meretrix proſtituta, ita quoq; filij, etſi boni, & legitimi ſm cõiugij legẽ, attñ ſignificationis rõem adũbrates Iudeos, & Iſraelitas ſynagogę filios, impudentiſſimos & in dies exaſperates dñm Deũ. Vnde ſæpe vocãtur à ꝓphetis, dom⁹ exaſperãs. Et pegregiũ pſalt̃, canit quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemꝑ hi errãt corde. At vero, qa vt prædicebam⁹ ꝓpheta gerit nũc perſonã Dei ideo nõ ex patre nominantur, ſed ex matre. Et etiam ſm literæ cõtextũ, filij iſti, qui dicuntur fornicationum fuerũt filij vatis. Enim vero, poſtquã Dominus iuſſit vati vade, ſume tibi vxorem, & fac tibi filios fornica-

Dubitatio non contẽnenda.

Ierem. 5. Ezech. 2. Pſalm. 94.

tionũ. Subditur cõtinuo prõpta obediẽtia vatis, & abijt, & accepit Gomer filiã Debelaim, & cõcepit, & peperit ei filiũ, &c. Isti igitur filij sunt ij quos Deꝰ vati præceperat faciẽdos. Adde istis, ꝙ quia ecclesiã catholica, vt dudũ cõmemorabã, vulgatã hãc lectionẽ, ꝓbatã habuit, in Cõci. tri. sess. 1. omnino ita videtur exponẽdus ꝓpheta, vt dudũ exponebã. Et interpres legens, in Hebræo, Sume tibi vxorẽ fornicariã, & filios fornicationũ, intellexit ex cõsequentibus verbis, hos filios fecisse vates ex dñi iussis ideo interpretatus, & fac tibi filios fornicationũ. *Et dixit Dñs ad eũ, voca nomẽ eius Iezrael.* Neq; vates, neq; socer, neq; vxor sortiuntur nomina à Deo, etsi nomina eorũ, satis cõgruãt rei intẽtæ à Deo, vt paulò ante dicebamꝰ. At vero filio primogenito, imponit nomẽ à Deo Iezrael. Incuiꝰ rei gratiã obserua primũ ꝙ istud est antiquũ, in scriptura nomẽ Iosuæ. 15. & Iudi. 6. Hic enim habetur, ꝙ Madianitæ & Oriẽtales, castrametati sunt in valle Iezrael trãs Iordanẽ, illic vero refert inter ciuitates tribꝰ Iudę. Et. 3. reg. 18. Ascẽdit Achab, & abijt in Iezrael. Et. 4. reg. 23. traditur, ꝙ Iezabel, fuit exesa, à canibus in cãpo Iezrael. ¶Erat aũt Iezrael *insignis in terra* decẽ tribuũ ciuitas, latissimis ornata cãpis: qui oẽs dicebantur cãpi, Iezrael, vt Hier. docet in glo. imo glossa eã ait fuisse Metropolim *in terra Israel*: etsi Samaria erat caput, regni Israelitarũ. ¶Vnde videtur, ꝙ sit alia Iezrael in sorte tribus Iuda, quã liber Iosuę indicat. c. 15. In cãpo autẽ Iezraelis, interfectus est Nabot, ꝙa ius vineę suę nõ cessit regi Achab. Nãq; vinea ista Nabot, erat prope domũ regis Achab regi Israel. Vnde videtur, ꝙ cũ Nabot fuisset Iezraelita. 3. Reg. 21. & 2. Reg. 21. in Iezraele ciuitate Israel insigni moraret, Achab, ibidẽ quoq; habuisse domũ regiã, vbi ipse recrearetur. Vt solẽt reges huiusmodi regias domos hãbere, vbi ad tẽpus delicijãtur: quę vocatur domꝰ voluptatis. 2. Reg. 22. ¶Etsi aliã domũ eburneã habebat in capite regni, quæ erat Samaria. Vnde ad augendã domus istius voluptatẽ, cõcupiuit vineã, suę domui ꝓximã, quã quia negauit illi Nabot, ideo interfectus est in cãpo Iezrael. Verũ, vt obiter hoc disseramus, quia forsan te morabitur, collisio quædã apparens, in libris regũ. Aliter nãq; ab Elia videtur vaticinatũ, aliter vero, impletum. Elias enim prædixit, ꝙ in Iezrael, canes crãt lincturi sanguinẽ Achab, at vero postmodũ traditur ꝙ canes linxerũt sanguinẽ eius in Samaria. ¶Cũ igitur fuerit Achab à rege interfectus Syriæ in Ramoth Galaad, vt habetur. 3. Reg. 22. vt ascendat ait, & cadat in Ramoth Galaad, & corpus eius sit delatũ in Samariã, & lauerũt currũ eius in piscina Samariæ, & ibi linxerũt canes sanguinẽ eius: nõ videtur, quomodo fuerit impletũ vaticiniũ Eliæ, ꝙ in Iezrael erãt canes lincturi sanguinẽ Achab. Nisi dicamus, ꝙ & ti currus Achab sanguinẽ defluẽs, & ibi à canibus linctus fuerit perlatus in Samariã. Fieri etiã poterat, ꝙ arma eius sanguinẽ fluẽtia ex fluxu sanguinis ex cadauere Achab fuerint delata in Iezraelẽ, vbi canes etiã lingerẽt sanguinẽ. Nam ibi erat etiam domus delicioſa eiusdẽ Achab nõ lõge distans à Samaria. ¶Nã dicere, ꝙ in Iorã fuit cõpletũ vaticiniũ nõ videt admodũ cõsentaneũ cũ litera. 3. Reg. 20. vt mox diceret. ¶Tradit aũt, ꝙ Achab duos filios habuit, Ochoziã, & Iorã fratrẽ eius. 4. Reg. 1. & 2. & Ochozia defuncto sine liberis, successit in regiũ soliũ Iorã frater eius, hũc aũt occidit Iehu, & iussit interfectũ corpus proijci in agro Iezrael, vbi fuerat occisus Nabot. Vnde, quia patris est aliquid filius, ideo lingẽtes sanguinem filij, in agro Iezraelitico, quadãtenus rõe, linxerũt sanguinẽ patris, vt isti autumãt. Et videt suffragari huic placito, ꝙa Iehu rex Israel, citãs vaticiniũ Eliæ tãquã implẽdũ per ipsum, iubẽs proijci cadauer Iorã filij Achab in agro Iezrael, ad hunc modũ citat. Dñs hoc onus leuauerit sup eũ dicẽs, si nõ ꝓ sanguine Nabot, & ꝓ sanguine filiorũ eius, quẽ vidi heri, ait dñs reddã tibi. At vero Eliæ vaticiniũ, aliter habet, quã Iehu retulerit. Sic enim habet. In loco hoc, in quo linxerũt canes sanguinẽ Nabot, lãbet quoq; sanguinẽ tuũ. ¶Dicebã aũt, nõ cõsentire admodũ huiusmodi expositionẽ, cũ textu prænotato. Quia pœna filiorũ Achab, per se exprimitur. 3. reg. 20. post cõminatã enim pœnã, Achab subditur. Hæc dicit dñs, Ecce ego demerã posteriora tua, & interficiã de Achab mingẽtẽ ad parietẽ. At de his hactenus. ¶Secũdo obseruemus oportet, vt perspicacior euadat sensus vatis, ꝙ Iehu cuiꝰ hoc loco mẽtio à vate fit, fuit rex Israel, vnctus à discipulo quodã Eliseĩ in regẽ Israel, hicq; deleuit totã posteritatẽ Achab. Vnde fundẽs oleũ sup caput eius discipulus prædictus ait, Hæc dicit dñs, &c. vnxi te regẽ sup populũ dñi Israel, & percuties Achab domũ dñi tui, & vlciscar sanguinem, &c. cõcessit aũt deꝰ huic Iehu, regni Israelitici soliũ in quartã vsq; generationẽ, vnde durauit eiꝰ principatus, 102. paulò amplius annos. Nã ipse regnauit annis duodetriginta. 4. reg. 10. Ioachaz filius eius, annis. 17. 4. Reg. 13. Ioas

3 Reg. 22.

4. Reg. 9.

Iehu retulit vaticiniũ Eliæ ad suũ propositũ applicando non secundum verba Eliæ. De re hac lege paulò inferius.

4. Reg. 9.

Iezrael alitera in sorte Iudæ, alia in sorte 10. tribuũ.

Ioas huius filius, annis. 16. ibidẽ Ieroboã huius filius, annis. 41. 4. Reg. 14. Zacharias huius filius sex mẽsibus. 4. Reg. 15. & in hoc Zacharia extincta est regia successio Iehu. Nã posthũc Zachariã prouectꝰ est in regiã sedẽ Israelitarũ Sellũ, qui erat ex alia stirpe, & nõ ducebat ex Iehu genꝰ. ¶Fuit aũt regia dignitas huic cõcessa à Deo, quia deleuit totã familiã Achab. Nã nõ solũ occidit Iorã filiũ Achab, sed etiã vxorẽ eius Iezabel: & oẽs filios eiusdẽ, qui erãt septuaginta in Samaria, & sacerdotes oẽs Baal, & idolũ Baal, & cultores eius deleuit. 4. Reg. 10. Ceterũ hic Iehu, etsi fuerat hostis Baal & Baalitarũ, nõ ex animo Deũ verũ colẽdi vt oportebat, sed ex alia causa infectus est, cultores Baal cũ suo Deo, sicẽdẽ si verꝰ Dei cultor esset, nõ adorasset vitulos Ieroboã, filij Nabat: quos tũ coluit, & adorauit ingratissimus sane Deo, qui eũ ꝓuexerat, in regiã sedẽ Israelitarũ. Quocirca, cũ ipse sectatus fuerit, vitulos, quos rex erat Ieroboã, & non recesserit, à peccatis eius, ideo dñs extinxit successionẽ regiã, quæ ex ipso erat. ¶Iehu enim, veritus ne si vitulos nõ coleret aureos, sedverũ Deũ in tẽplo Ierosolymitano coleret, populus sibi subditus ab ipso desciscceret, & in ditionẽ regis Iuda trãsiret, malẽs gloriã hoſum, q̃ Dei, instituit, colẽdos vitulos aureos, quos coluerat Ieroboã filius Nabat. ¶At vero postquã extincta fuit huius Iehu regia successio cæpit regnũ Israelitarũ labefactari. Nã id tẽporis reges Assyrij, duxerũt in captiuitatẽ Rubenitas & Gaditas, & dimidiã tribũ Manasse, qui colebãt regionẽ trãs Iordanẽ, & postmodũ Nepthalim, & tandẽ sub Osee postremo rege Israel reliquæ omnes tribus fuerũt abductæ in captiuitatẽ. Nã post Sellũ, regnauit in Israele Manahẽ, & 4. Reg. 15. hũc Manahẽ, subiecit Phul rex Assyrius. Manahẽ vero mortuus, regnauit Phaceya filius eius ꝓ eo. Hũc percussit, in Samaria Phaceya filius Romeliæ dux eius, quo interfecto, regnauit pro eo. Hocq; regnante, ascẽdit Theglath-phasar, & cæpit quasdã ciuitates regni Israelitici, cũ omni terra Nepthalim, & trãstulit eos in Assyrios. Huic deinquit succesit Osee in regno quẽ tũ Salmanasar, tributariũ Assyrijs fecit, & tandẽ nono regni Osee deletũ est Israeliticũ regnũ. Itaq; à Zacharia abnepote Iehu, vsque ad totalẽ deletionẽ regni Israelitici, pauci fluxerũt anni, nã ex glossa fluxerunt anni. 49. etsi videtur pauciores subducta ratione. Nã Zacharias mẽsibꝰ sex regnauit Sellũ mẽsi vno. Manahẽ decẽ annis, Phaceya primus annis duobus, Phacee alter. 20. annis. Oseæ. 9. annis sub quo deletũ est regnũ Israelis. 4. Reg. 15. & 17. quorũ summa est. 41. anni cũ. 7. mẽsibus, vnde nõ inepte dictũ est, ꝙ à Zacharia isto, cœpit labi regnũ Israelis ad nonũ vero Oseę, prorsus fuit extinctũ. ¶Hinc nisi fallor, intelligẽtia textus pãdetur, *Voca, ait, Deus vti voca nomẽ eius Iezrael.* Id est voca nomẽ eius brachiũ Dei, vt quidã interpretatur. Brachiũ autẽ, Dei virtute, metaphoricõs significat, vt Deus subnotet, ꝙ puer ille vatis ex nomine, præsignabat calamitatẽ venturã regno Israelis, quã Deus sua potestate erat facturus. ¶Aut secũdo, *Voca nomẽ eius Iezrael*, vt subindicet, Deus ex re significata ꝓ nomẽ, miseriã vẽturã Iudæis, & Israelitis. Nãq; vt in Iezrael, accidit miserãda mors Nabot, & filiorũ eiꝰ, & dignissima interfectio Iorã, itẽq; Iezabelis, rursusq;, & ibidẽ, duo acerbi capitũ filiorũ Achab fuerũt congregati. Et itẽ iuxta vaticiniũ Eliæ, inibi Achab fundẽdus sanguis, erat lingẽdus à canibꝰ, vt supra admonebamus, itaq; rex vnus, & regina vna, & filij. 70. regij; & ibidẽ sunt interfecti, aut cadauera capitũ, ostesa, & sanguis Iorã, & Iezabel, & Achab, erat à canibus lingendus, in valle. s. Iezrael, quæ erat latissima, & vastissima, decẽ millibus passuũ patẽs, vt Hier. est autor, ideo vallis illa erat calamitosa, vbi tot calamitosa acciderant, præter mortẽ Nabot, & filiorũ eius, & forte inibi Achab fuderat sanguinẽ sanctorũ ꝓphetarũ. Quãdoquidẽ discipulus Eliæi, vngendo Iehu in regẽ, Dei autoritate, hoc illi iniũgit muneris, vt vlciscatur sanguinẽ seruorũ Dei, quẽ Achab effuderat. Quocirca, *Voca nomẽ eius Iezrael*, nõ dixit Deus ꝓpter nominis interpretationẽ prædictã, sed vt ex re significata ꝓ nomẽ calamitatẽ, & deuastationẽ Israelitarũq; pessundationẽ, denotaret. ¶Quãuis alij Hebræi, Iezraelẽ, interpretẽtur semẽ Dei, at hæc interpretatio, qui cõgruet, cũ re quæ portẽdebat. Aptior videtur alia interpretatio eiusdẽ nominis. s. distillãs cõtritionẽ. Ex quo significabatur, ꝙ Deus, extinctionẽ, & cõquassationẽ illius regni minabatur. *Quoniã adhuc modicũ, & visitabo sanguinẽ Iezrael super domum Iehu.* Demonstrat rationẽ, cur vocandum præceperit, pueri nomen Iezrael, & ratio patet ex dictis, videlicet, quia Deus erat visitaturus sanguinem Iezrael, super domum Iehu, idest sicut vindictam acceperat, de impijs scilicet, Iorã, &

Quid sibi velit vocabulũ Iezrael.

Iezabel, &c. In agro Iezrael, ita quoq; debebat accipere vindicta de familia Iehu, eã extinguẽdo, & in extincta legim' sub Zacharia, vt dudũ tradebam'. ¶Obserua, q̃ in sanctis scripturis, visitare, ambiguam habet significationẽ, iã enim significat pœnas sumere de malefactoribus, vt Isai. 26. visitasti & cõtriuisti eos, & sæpe alias. Verũ in bonũ vsurpatur aliquando, vt denotet consolationẽ, vt hymnus Zachari, docet,

Lucæ. 1. Benedictus dñs Deus Israel, quia visitauit & fecit redẽptionẽ plebis suæ. ¶Hoc autẽ loco in malũ vsurpatur, idest vlciscar, & sumã pœnas, vt sensus hic sit, videbo, & cõsiderabo, vt meo iussu sanguis impiorũ est olim fusus in Iezrael, vt sumerem ego pœnas cõmeritas de impijs, vt similiter faciã, de familia impij Iehu, qui vt secutus est, impietatẽ eorũ, qui in Iezrael, sunt puniti, ita sequatur eorũ supplicia. ¶Aduerte autẽ, q̃ nisi cõsideratẽ, textũ expẽdens facile decipieris. Nãq; in prætextu videt̃ innuere, Iehu domus, id est familia, erat puniẽda à Deo, ꝓpter sanguinẽ quẽ ipse fudit, in Iezrael. ¶Porrò hic sensus aduersatur diuinis literis, quæ Iehu probãt gesta

4. Reg. 10. in occidẽdo Achab, & Iorã, &c. Vnde dñs cõmẽdãs, hoc opus, ait: Quia studioſè egisti, q̃ rectũ erat, & placebat in oculis meis, & oĩa quæ erãt in corde meo feciſti cõtra domũ Achab, filij tui vsq; ad quartã generationẽ sedebũt super thronũ Israel. ¶Est igitur sensus, legitim', quẽ paulò ante exponebamus. At forsan hæsitat quispiã, q̃d ergo studioſe egit Iehu, cũ esset idololatra? quomodo cõmẽdatur à Deo opus infi-

Infideles possunt habere bona opera & error est istud inficiari. deliũ. Nã etsi deuastauerit Baal, at vero vitulos detinuit aureos, vt supra aiebã. At ne te præmat dubitatio illhęc, scito, q̃ infideles, possunt exercere opera moraliter bona, quæ Deo placẽt, nõ vt meritoria vitæ æternæ, sed vt bona moraliter. Et loc' hic rẽ istã aliquãdo cõtrouersã satis absoluit, vnde nõ pollicetur Deus Iehu ęternũ bonũ, sed temporalẽ Israelitici regni vsq; in quartã generationẽ, celsitudinẽ. ¶Infideles igitur, quidquid agũt ex infidelitate, crimẽ est, at vero sub infidelitate, agere bona moraliter nemo vetat; imo textus præinductus de hæresi dãnat, vt videtur inficiatẽ. ¶Sũt autẽ hæc duo diuersa, agere ex

Aliud est agere ex infidelitate, aliud sub infidelitate infidelitate, aut sub infidelitate. Primus sermo significat opus factũ in fauorẽ infidelitatis, aut ex dictamine infidelitatis, vt cõcedere Iudæũ in synagogã, vt audiat legẽ Mosaicã, aut Sarracenũ, in suũ muschetũ, vt discat Alcoranũ. ¶Operari vero sub infidelitate, est infidelem nulla ratione habita, ad suã perfidiã, sed ex dictamine rationis naturalis, aliquid operari, & istud põt rectè fieri, vt fecit Iehu. ¶Quamuis Iehu, ex iussu Dei videtur fecisse, vnde fortasis causabitur, quispiã, nõ esse trahẽdũ in cõsequẽtiã, quo probetur infideles sub infidelitate posse benè agere moraliter. ¶At vero, quia q̃ fit ex dictamine rationis naturalis rectæ, itidẽ iussu Dei fit, quippè dictamẽ huiusmodi, ius est diuinũ; ideo quod Iehu, rẽ gesserit iussu Dei, nõ infirmat ꝓpositũ. Et *quieſcere faciã regnũ domus Iſrael.* Idest, adhuc modicũ (vt dixerat dudum,) & quiescere faciã regnũ domus Israel. Et cõtinuo, se offert dubitatio, qua nã ratione ait, adhuc modicũ. Siquidẽ, vates hic sub Ieroboã, vt supra diximus, prophetauit, à Ieroboã vero filio Ioas, vsq; ad regẽ Oseæ, sub cuius regni anno nono finẽ accepit, seu quieuit regnũ Israel, trãsierũt, reges Israelis septẽ. s. Ieroboã, Zacharias, Sellũ, Monahẽ, Phaceya, filius huius, & Phaceya filius Romeliæ, & demũ Oseæ. ¶Vn 4. Reg. 15. de nõ videtur modicũ hoc tẽpus. Respõdetur, q̃ si fiat sermo de cõsummata extinctione regni Israelitarũ, à Zacharia, vsq; ad Oseæ, vt prædiximus secundũ ordin. glo. fluxerũt anni. 49. verũ si sit sermo, quãdo cępit imminui, regnũ huiusmodi, fuit sub Zacharia, sub quo regia Iehu successio omnino quieuit & trãslata est in aliud genus, scilicet in Sellũ, & hic modicũ regnauit. Ad Manahẽ, redact' est in tributariũ regis Phul Assyrij, & inde, sensim fuit labefacta tũ regnũ Israelis, donec penitus extingueretur, si ergo vates intelligatur de extinctionẽ regiæ posteritatis Iehu, vt quidam intellectũ volũt; vatẽ hũc hoc in loco, nã modicũ fuit temporis, à Ieroboã, sub quo prophetauit Oseas vsq; ad Zachariã filiũ eius, sub quo extincta fuit Iehu regia posteritas. Meminit autẽ Ieroboã, & nõ Zachariæ Oseas, quia Zacharias, breui fuit sublatus, quia solũ sex mẽsib' regnauit. ¶Ceterum ego nõ video cur locus hic, de ista successione, sit subaudiẽdus, siquidẽ, *quieſcere*, ait, *faciã regnũ* domus Israel. Verũ etsi posteritas Iehu, fuit orbata regia celsitudine, nõ tñ ob id quieuit seu finitũ est cõtinuo regnũ Israel. Etsi vt dicebam' fuerit iã inde diminutũ, & ruinã sui insinuans. Adhęc Oseas, attigit tẽpora Oseę vltimi regis Israel, etenim, Oseæ hic cæpit regnare anno. 12. Achaz, regis Iuda, 4. Reg. 17. Qui regnauit sedecim annis, ibidem. c. 16. cum autem Oseas excesserit tẽpora Achaz, quia etiam vixit sub Ezechia filio Achaz, cõsectariũ est, etiã vixisse tẽpore Oseæ regis Israel, qui duodecimo anno Achaz regis Iuda regni Iudaici moderabatur habenas. Quo fit, vt Oseæ, vel attigerit tẽpora, cõsũmatæ extinctionis regni Israelitici q̃ accidit anno. 9. Oseæ regi Israel, aut si nõ est cõsecutus illa tẽpora, palulũ defuit, vt cõsequeretur. Et ideo aperta est intelligẽtia

Oziæ. 52. Ioathã. 16. Achaz. 16. Ezechiæ. 29. loci quẽ versam'. *Adhuc modicũ, & quieſcere faciam regnũ domus Iſrael.* ¶Porrò obijcies Oseæ Dei vates, fuit sub Oziã rege Iuda, qui imperij Iudaici, tenuit moderamen, 52. annis. 4. Reg. 15. & Ioatham filius eius regnauit. 16. annis, & hũ' filius Achaz, itẽ 16. 4. reg. 15. & 16. Et Ezech. filius huius regnauit annis. 29. 4. reg. 18. Qui oẽs cõstituũt sumã annorũ. 113. Igitur si Oseæ cæpit prophetare, sub Oziã nõ erat modicũ, tẽpus, ab Ozia, vsq; ad Ezechiam, sub quo traditur Oseæ prophetasse. Respõdetur, q̃ scriptura, nõ cõmemorat si statim ab exordio regni Ozię regis Iuda cępit prophetare Oseas imo fortasse enim in fine dominationis eius cæpit, ꝓphetare. ¶Aut dicito, phrasim esse sacrã, tẽporales mores, modicas vocare, quæ reuera modicæ sunt, etiã lõgissimæ, si eas referas ad ęternitatẽ. ¶Adhuc subdubitabis, quomodo intelligẽdũ, veniat factũ esse verbũ Dñi ad Oseã, in diebus tot regũ, siquidem propheticus liber Oseæ exiguus est, & nõ exiguum poscebat tẽpus, vt scriptis mãdaretur. Quocirca videtur Oseã in tẽporibus cõmemoratorũ regum verba prophetasse, & prædixisse mala Hebræis ventura, itẽ qui de alijs dicto vatibus, qui sub tẽporibus regũ traduntur ꝓphetasse. Nõ enim istud referas oportet ad scripturã vaticinij, sed potius ad vocalẽ prophetiam. Et quia Oseas cõtra decẽ tribus instituit præcipuè vaticiniũ, credibile est, ipsum quoq; iuisse ad terrã, possessam, à decẽ tribubus, & ibi prophetasse. ¶Ex his omnibus, perspicuũ est, ob eãdẽ causam, sumpsisse Deum cõmeritas de tribus personis pœnas. s. de Achab, de Iehu, de Israelitis. Omnes nãq; isti funditus sunt deleti, & eorũ regia potestas cõquassata, & extincta in se vel in prole. Quia regẽ regũ, à quo est omnis regnãdi in terra potestas, cõtẽpserũt, & vana idola coluerũt. ¶Quos quia duæ tribus. s. Iuda, & Bẽiamin, in seelere idololatrãdi, sunt secutæ, simili quoq; supplicio sunt affectæ. Quia quãuis propitius egit Deus, cũ tribu Iuda, quã cũ decẽ tribubus cõmemoratis. Nãq; ex tribu Iuda disposuerat, verbũ suũ carnẽ sumere, ideo tribus hæc cũ sibi cõiuncta Bẽiamitica tribu, post septuaginta captiuitatis Babylonicæ annos, inuenit corã Deo misericordiã, cæterũ, ad regni celsitudinem, quã olim resplenduerat, nõ sunt restituta. Vnde patet q̃ sequitur. *In illa die, cõterã, arcũ Iſrael, in valle Iezrael.* Locus tamẽ hic variã sortitur expositionẽ. Quidã intelligũt, de Iehu, qui fuit punitus in nepotibus, siquidẽ successio regia descendẽs ab illo defecit in Zacharia, siquidẽ Iehu, nõ æquo animo rẽ à deo sibi iniũctã de perdẽdo Achab cũ sua familia, peregit, sed animo dominãdi, & nõ animo parẽdi Deo. Et hæc expositio habet occasionẽ, ex textu priori visitabo sanguinẽ Iezrael super domũ Iehu. *In illa die, id eſt tẽpore illo, cõterã arcũ, id eſt robur belli,* & vires militum, in valle Iezrael. Quippe, milites vtẽtes arcu, si arcũ fregerint hostes, imbelles remanẽt, & sine viribus. *Regni Iſrael,* idest regis Iehu, qui in vltimo nepote fuit ex autorat' regno. In valle Iezrael, idẽ est quẽadmodũ atauus eius fecit in Iezrael deuastãdo Achab, & omnẽ sobolẽ eius regiã. ¶At vero hęc expositio, nõ germana est textui. Siquidẽ, vt supra vidim', Iehu nõ peccauit, deuastãdo Achab. A Dño enim cõmendatur, & ait, quia studioſe egisti, q̃ rectũ erat, & placebat in oculis meis, &c. Vt supra indicabam ex. 4. lib. reg. 10. ¶Ex quibus verbis nõ solũ, patet, Iehu, desolando familiã Achab fecisse, q̃ erat rectũ interimẽdo, virũ pessimũ, & prolẽ pessimã, ex Dei mãdato, sed etiã, q̃ non animo elationis, aut ex libidine dominãdi, sed animo parendi Deo, feciſſet. Quia ait, studioſe egisti: nõ solũ ergo rectũ fecit, sed rectè. ¶Si vero nõ fuit protelata eius regia successio nisi ad quartã vsq; generationẽ, fuit sanè, quia Iehu fuit Deo ingratus, nã nõ retulit gratiã Deo de munere regni sibi collato, sed in peccatis Ieroboã vitã duxit, & absoluit. ¶Alia est eiusdem loci declaratio referẽs locũ hũc ad tribũ Iuda cũ sibi cõiũcta Bẽiamitica. Nã, putat huius declarationis autor, hoc loco per Israelẽ, subaudiendã esse tribũ Iuda. Vt in Psalmo, qui regis Israel, intende. Vnde adiecit autor hic, quod cũ hoc nomen Israel, absolutè in scriptura profertur, duodecim tribus denotat. Cæterum cũ ei opponitur Iuda, aut dicitur regnum Israel, aut domus Israel, ex adiectis subaudiuntur decem tri-

bus, vt opponũtur duabus, scilicet Iuda & Beniamin. ¶Secũdò aduertit per Israel arcũ, in hoc loco esse intelligendas duas tribus, scilicet Iuda, & Beniamin. Nam istæ erãt fortissimę tribus & decus & robur Israeliticæ gẽtis. Vnde tribus Iuda arcu vtebatur strenuè in bellis. 2. Reg. 1. & præcepit vt docerẽt filios Iuda, arcũ. Et de posteritate Beniamin traditur. 1. Para. 12. fortissimos esse pugnatores tẽdẽtes arcũ. ¶Tertiò adnotat, post cladẽ decẽ tribuũ timendã fuisse cladẽ duarũ, quia eodẽ crimine, oẽs sunt innodatę. Vnde Dei vates præuidẽdo vnã, præuiderat alterã. Quod ergo ait, propheta, Deũ dixisse, *in illa die conterã arcũ Israel, in valle Iezrael*? Hoc sibi vult in tẽpore illo, qñ cõmeritas pœnas sum sumpturus de duabus tribubus Iuda, & Beniamin, quæ sunt robur & caput totius Israelis, cõterã arcũ. i. oĩe robur bellicũ harũ tribuũ, scutifeci olim, in Iezrael qñ cõtriuiues Achab, &c. ¶Porrò aũt & si verũ sit, q̃ per Israelẽ in diuinis literis, tota posteritas, frequẽter Iacob, significet, at verò auctore Hiero. in prolog. sup Oseũ, in duodecim prophetas, Israel, significat decẽ tribus vt Ephraim, & Ioseph, &c. vt supra in prę fatione nostra etiã est annotatũ, & prõptũ est videre, in decursu horũ prophetarum. Adhæc ratio meo iudicio est admodũ debilis, qua hic autor nititur, q̃ tribus Beniamin & Iuda, sint intelligẽdæ per arcũ Israelis, quẽ Dominus per suũ vatẽ frangendũ prædicit. ¶Enimuero, nõ solũ tribus Iuda & Bẽiamin vtebantur arcubus, sed etiã, & alię tribus, vnde de Iehu dicitur, q̃ tetendit arcum manu sua. 4. Reg. 9. & ibidẽ. 13. Eliseus ait Regi Israel affer arcũ, & sagittas. Et arcus arma sunt familiaria, nationibus, maximè Arabibus. Quibus vsque modo, belligerãtes vtũtur. ¶Et demũ lectio vulgata. 3. Reg. 1. non habet, præcepit, vt doceret arcũ, sed planctũ. ¶Adhæc etsi ante diuisionẽ decẽ tribuũ, à duabus Iuda tribus erat caput, & decor totius Israelitici nationis, quia tribus Iuda, erat regia tribus, quę moderabatur res aliarũ tribuum, & tribus Bẽiamin erat fortissima, cęterũ, facto schismate, tribus Iuda, desiuit esse caput Israelis, & tribus Bẽiamin debilior erat quã decẽ tribus. ¶Quo circa, aptior mihi videtur alia expositio, videlicet, q̃ hîc sit repetitio, eius q̃ dixerat paulò ante Vates. Dixerat nãq; Quiescere faciã regnũ Israel: nũc idẽ repetit, sub alia verborũ forma videlicet. *Cõfringã, vel conterã arcũ Israel, in valle Iezrael*, significat aũt vtroq; sermone, Deũ per vatẽ Oseã, esse deuastandũ, & delendũ regnũ Israelitarũ, & q̃ arma esset deposiurũ. Id q̃ adiecit, ad insinuãdũ, ignobilitatẽ qua erãt afficiẽdi Israelitę. Quia imbelles erãt futuri, & nõ habẽtes, quib⁹ sese ab hostibus suis asseruẽt. Enimuero qui vincũtur ab hostibus si adhuc armis pollẽt, & præsidijs denuo possunt insultare victoribus, si fortè acceptã, retaliare possunt iniuriã. verũ qui inermes relinquũtur, extremã miseriã, si ab hostibus patiãtur, nõ habent, vnde restaurentur. Quod vero ait, in valle Iezrael, expositũ est supra. ciuitas nãq; Iezrael, autore Hiero. in glos. vasta potiebatur valle, quæ à ciuitate Iezrael, appellabat valis Iezrael. Et in lib. Iosuæ huius vallis fit mẽtio, quia illustris erat, vt scribit. Sũt aũt Hebręi q̃ putãt, Iezraelẽ esse Samariã, quæ erat caput regni Israelitici. Quod si verum est, nulla difficultas, in explicãdo vaticinio Eliæ, de Achab, cuius sanguinẽ lãbẽdũ canibus prædixit, in Iezrael, cũ tñ. 3. lib. reg. tradat, canes sanguinẽ eius linxisse in piscina Samarię. Et nõ esset necesse diuinare, q̃ forte arma eius & aliquæ vestes, sanguinẽ Achab defluẽtes, allatæ sunt in Iezraelẽ, vbi erat etiam regia, sed deliciarũ domus ipsius Achab. ¶Aut tãdẽ oportebit dicere, q̃ in vaticinio Elię. 3. Reg. 21. in loco isto, fũdetur sanguis tuus, &c. nõ demõstratur, p pronomẽ, locus signatus Iezrael, sed regio ipsa. At vero Samaria, & Iezrael, eiusdẽ regionis erãt. *In valle Iezrael*. id est, vt sumpsi pœnas de Achab, per regẽ Syriæ qui eũ lethali percussit vulnere, & de Iorã, quẽ Iehu occidit in valle Iezrael, & de Iezabele, ibidẽ distracta à canibus; & exesa, & de Achab posteritate, quã Iehu deleuit, ita sumã de vobis Israelitis. Itaq; nõ est sensus q̃ decẽ trib⁹ in valle illa erãt deuastãdæ, sed q̃ suppliciũ sumẽdũ, vel inferendũ à Deo Israelitis, erat futurũ simile, supplicio illato, cõmemoratis, in Iezraele. ¶*Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei, voca nomẽ eius, Absq; misericordia*. Post cõceptũ, & genitũ à vatis vxore filiũ, cui nomẽ fuit impositũ Iezrael. Filiæ partũ describit propheta: quã sibi peperit Gomer prędicta vatis vxor, & nomẽ iubet Deus illi imponẽdũ, Absq; misericordia, Hæbraicè Ieruhana. Et causam nominis explicat de⁹ p. pphetã, *in hęc verba. Quia nõ addã vltra misereri domui Israel*. Et quidẽ res hæc dignissima est quæ perpẽdatur, q̃nã potest esse tã atrox delictũ, q̃ Dei irã, adeò irritet, cõtra hominẽ,

3. eiusdẽ loci expositio.

Vallis Iezrael.

Iezraelitæ quod Samaritæ.

2. Reg. 22.

vt Deus, nolit misereri; imò decernat ei negare misericordiam? Quãdoquidem cũ diuina natura, quia optima est, imò bonitatis infinitæ, indeq; propẽsissima sit ad miserandum, Quia miserationes eius super omnia opera eius. Stupenda sanè res est, quod eò calamitatis possit homo deuenire, quo Deus ei deroget suam misericordiam. An non sumimè stupendũ, quod possit in eam prauitatẽ mentis peruenire, homo quæ obstruet fontem inexustũ diuinæ misericordię? Hæc igitur res indaginẽ poscit, & non mediocrẽ perscrutationem. ¶Fuerunt enim Nouatiani, qui non sunt veriti, lapsis post regenerationẽ ex baptismate, Dei misericordiam negare. Quia summi sceleris esserebantur baptismalem, excludere gratiã. Quia legerãt apud Paulum, impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiã donũ cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti gustauerũt nihilominus bonũ Dei verbũ, virtutẽs quę sęculi vẽturi, rursus per pœnitentiã renouari. Fuerũt & alij, quibus libuit, alia via Dei misericordiã detrahere. Isti enim mẽsurã Dei misericordię nõ sunt veriti pręscribere. Aiũt enim certũ numerũ in peccatis, quæ ab hominibus patrãtur, intra quẽ, patet locus diuinę misericordię, ei vltra quẽ nõ paret vt verbi gratia, si cẽtũ peccata, est numerus à Deo definit⁹, q̃ peccauerat cẽtũ & adiecerit vnũ peccatũ, nõ cõpos nõ erit diuinæ misericordiæ, neq; illi dimittet peccatũ. Hũc aũt numerũ humana opinio scire nequit, quippe qui soli Deo cognitus, qui solus definiuit æterno, vltra tantũ numerũ, dimittere peccata, & excedẽtia illum numerũ nõ dimittere. ¶Hoc amauit placitũ Armacanus, in lib. de quæstionibus Armenorũ. Et vltra stipulatur locus pręsens. *Vocã nomẽ eius Absque misericordia*. Qui locus, nõ de filia nata vati est subaudiẽdus, videlicet, quod de illa dictũ putemus esse futurã Absq; misericordia: sed quia hæc puella erat symbolũ Israelitarũ, in illa, Israelitas sub intelligere oportet. De quibus sermo diuinus hoc profert oraculũ, esse absq; misericordia. Et quidẽ, vt tertius liber regũ, & quartus perspicuè ostẽdũt erga Israelitas, etiã nũ idololatras, Deus beniguissimè se gessit, eos namq; multis est prosecutus beneficijs, donans eis victorias, aduersus Assyrios reges cũ quibus erat illis perpetua concertatio. Donãs item eis, prophetas, Eliam, Eliseum Abdiam, Micheam, &c. qui admonerẽt de fua idololatria fugienda. At vero postquam annorum ducentorum supra. 20. curriculo, ipsi non sunt emolliti, vt viã veritatis, quam neglexerunt, reciperẽt, sed obstinato animo permanserunt, in peccatis Ieroboã filij Nabat, tęduit Deũ vt ait scriptura, 4. Reg. 10. super Israelitas & subtraxit ab eis radios suæ munificẽtissimę misericordię, & tradidit eos in dispersionẽ, & captiuitatẽ sempiternã, quã vsq; modo patiuntur. Et vt hoc insinuaret illis Deus, vocat, puellã sine misericordia. Igitur, idem videtur particularibus personis, agi à Deo, quod posteaquã sæpius, eis condonauit delicta, si reuertantur ad vomitum, quod erũt sine spe misericordiæ. Secũdũ Argu. q̃ videtur suffragari eidẽ placito, est, quia frequẽs est sermo hic in scripturis, Deũ non esse miserturũ peccatoribus quibusdã Iere. 13. Non miserebor, vt non dispergã. &. Ezech. 5. Ego quoq; cõfringã, & nõ miserebor. Et. 8. Non parcet oculus meus, neq; miserebor. Itẽ Iere. 12. Clamabunt ad me, & non exaudiã eos. Item q; Ezech. 8. Cũ clamauerint voce magna, non exaudiã. Et sæpe aliãs in diuinis literis, repetitur Deum non exauditurum orationes nostras propter peccata nostra, quod idem est, atq; non misereri.

¶Porrò aũt, huiusmodi opinio lõge abest à fidei veritate, & est prope hæreticã fallitatẽ. Enimuero, Iere. oraculo edocemur, quod verã hominis pœnitentiã, nũ quã respuit Deus, quãuis multa, & acerbissima cõminat⁹ fuerit mala. Ait, enim c. 18. Si pœnitẽtiã egerit gẽs illa, à malo, q̃ locutus sum aduersus eã, agã & ego pœnitẽtiã, super malo, quod cogitaui vt facerẽ ei. Et subito loquar degẽte, & de regno, vt ædificẽ & plãtẽ illud, si fecerit malũ in oculis meis, & non audiat vocẽ meã, pœnitẽtiã agã super bono, q̃ locutus sum, vt faceré ei. Ex quibus verbis, in duob⁹ nos instruit, vates Dei Ierem. Quorũ primũ est, q̃ in cõminationib⁹ diuinis, quas ipse cõtra peccatores vibrabat, seu fulminabat p suos vates, semper sub intelligẽda cõditio, nisi pœnitentia

Error Novatianorũ

Ad Heb. 6.

Armacani placitum.

Duo notãda ex Ieremia.

vera diuinæ cõminationi obsistat, vt patet exemplo illius comminationis, quã S. Ionas fulminauit contra Niniuitas: Quadraginta dies adhuc, & Niniue subuertetur; Quæ non est deducta in suum quem præsignabat effectum. Quia Niniuitæ magnam pœnitentiam de suis peccatis egerunt. Et item in illa comminatione Esaiæ, ad Ezechiam, Dispone domui tuæ quia cras morieris. Quã audita rex pius fleuit ad parietem cõuersus, & comminatio, non est sortita quem prætendebat effectum. Et sunt pleraq; alia huius rei paradigmata sparsa in diuinis oraculis. ¶ Secundum est, quod idem cẽsendum est, in promissionibus diuinis, quæ etsi absolutæ efferantur, tacitã semper includunt conditionem, nisi peccatũ obstiterit, quo minus promissio executioni mandetur. Iuxta illud: Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea quę docebo eos, & filij eorum, in seculum seculi sedebunt super sedem tuam Psalm. 131. Conditio enim, quæ exprimitur in hac magnificẽtissima Dei promissione, subintelligenda est in cæteris Dei promissionibus. Obserua interim, in Deo non esse pœnitentiam propriè, testante Deo per Malachiam, ego Deus & non mutor, pœnitẽtiã autem tribuit scriptura Deo, vt & cæteros affectus, scilicet irasci, misereri, &c. Sicut enim quia Deus nõ mutatur, ideo pœnitere nequit, siquidem omnis pœnitentia, est animi mutatio, ita quoque & alij affectus humani à Deo procul sunt, propter eandem causam: quia Deus nõ mutatur. Ira enim etiam est quædã mutatio animi ad vindictam illatæ iniurię, vt & misericordia est animi mutatio, ad subueniendum misero ex animi cõpassione ad eum. ¶ Verum, quia ad homines est sermo Dei, sibi appropriat Deus, & quasi induit affectus humanos, vt hac ratione nos trahat ad se, indeq; intelligamus diuina per nostra, quæ sibi tribuit humana. ¶ Quocirca pœnitere Deũ, est mala quæ comminatus fuerat non inferre, aut bona quæ pollicitus fuerat, non implere. Et istud est mutare creaturam, non Dei consilium. Ab æterno enim disposuit, sic mutare in melius comminationem, aut in peius promissionem. Immoto igitur creatoris consilio, fit mutatio in creatura. Vnde. 1. Regum. 15. Vtrumque nos docet diuinus sermo; & quod Deus sibi tribuit nostros affectus, vt diuina, per nostra vtcumque pateſcãt, & quod omnino expers est nostrarum affectionum. Vnde primo ait, Pœnitet me, quod constituerim Saul Regẽ, en vt sibi tribuit pœnitendi affectum. Dein ibidem ait, Triumphator Israel, non parcet, neque pœnitudine flectetur: neque enim homo est, vt agat pœnitentiam. Itemque irasci diuinum, est pœnas sumere de peccatis nostris. Namque iratis, hoc est, natiuum vlcisci iniuriam sibi ipsis illatam vt misereri diuinum, est miserias nostras depellere: & ita de reliquis affectibus si iuuat theologizabis. ¶ Quocirca, vt ad Hoseam regrediatur sermo, Cũ ait: *Voca nomen eius absq; misericordia*, subaudire oportebit, nisi pœnitudine Israelitæ ducti, melius sapiant. Et veterem vitam, in nouam permutẽt meliorẽ. Vnde, argumentum solues, dudum tactũ. Israelitis enim Deus pepercisset, si pœnitẽtiam egissent. Et hoc studuit impẽdio Deus, per suos vates, ad resipiscentiam trahere eos: quod si resipuissent, nõ subderentur alienigenis nationibus captiui. Vidẽs autem Deus ab æterno impenitẽs cor eorum secũdum quod thesaurizabant sibi Dei maximã scelerũ suorum vindictam, promisit per Vatem, eorum durissimi supplicium cordis vocãs puellam *absq; misericordia*. Hincque scriptura dixit, Cepit tedere Deum de Israelitis. Siquidem indies, labebãtur ad peiora & gutta cadens in lapidem, sępe cadendo excauat eum, at illi stillicidia diuinæ benignitatis sæpe excipiendo, non fuerunt emolliti, sed in obstinatione sua perstiterunt: ideo puellæ nomen inditũ est, absque misericordia. ¶ Idemque dicendum est de exauditione diuina. Nõ enim exaudiet Deus, si pœnitentia non frangit duritiem cordis nostri, quod est culpatum coram Deo. Exaudiet autem si melius sapiamus, & ad meliorem vitæ frugem reuocemur. ¶ Porrò autem, sinit nos Deus aliquando sub pœnis torqueri, etiam postquam pœnitentiã gessimus: quia pœnę tẽporales, quibus Deus nos torquet, sunt ad medicamentum & antidotum spiritus nostri: vt Paulus inquit, Tradidi eum Satanæ, vt spiritus eius saluus fiat: sola vexatio namq; dat intellectum. Quamobrem, contritis, & absolutis à criminibus sacerdoti confessis iniungitur satisfactio, id est imponitur, vel ieiunij, vel orationis, vel aliarum carnis macerationum pœna, vt ex pœnę tormento, culpæ commissæ discant granitatem, pœnitentes. Quam vana autem sit hæc opinio, secundo loco citata, vel hinc etiam dices, siquidem omnis viator eatenus est viator, quatenus, & potest pœnitere, de culpis suis, & potest non pœnitere, & potest grãtiam Dei sibi conciliare, & eã à se abigere, igitur nullus est præfigendus in remissione peccatorum terminus? Nam si, verbigratia, centenarius numerus est terminus, si qui habet, iam centum, admisit alia tria, vel quatuor, vel alia peccata, quotquot voluerit fingere, num hic poterit pœnitere an non? Si poterit pœnitere, & verè pœnitere, igitur poterit condemnationem obtinere suorum peccatorum, si nõ potuerit, igitur non est viator.

1. Cor. 5.
Esai. 28.

Ad hæc, Quid est quod Dominus,
Matth. 18. Matth. 18. ait, Petro sciscitanti, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, nunquid septies? Cui Dñs, Non dico tibi septies, sed septuagies septies. Et numerum finitum posuit pro infinito, seu indeterminato. Præterea,
Matth. 16. Dominus dicens Apostolis suis: Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt: nunquid limitauit numerum peccatorum? non sanè, sed sine limite, dat potestatem remittendorum, aut retinendorum peccatorum. Verum de opinione vel potius errore isto, hactenus. Primam autem sententiam non est cur immoremur conuellere, quia damnata est tanquam hæresis ab Ecclesia. Locus autem Pauli, nihil eam iuuat. Nam locus ille, vel intelligendus de renouatione ex baptismo. Quia semel proluti ex aqua, & Spiritu sancto non possunt prolui amplius. Aut dicere oportet, locum intelligendum de illis viris, qui ad summam vitæ perfectionem, cum essent prouecti, lapsi tamen sunt. Istos igitur, quam difficillimum est rursus regredi ad eandem vitæ sublimitatẽ. Et hanc summam difficultatem more philosophorum, & item vulgarium vocat Paulus impossibile. Aristo. enim de narrans, quot modis dicatur impossibile, quod est summę difficultatis, esse modum quendam impossibilis, docet: ¶ His duabus explosis opinionibus, vt erroneis, aliam non piget etiam referre. Eorum scilicet qui dilatant Dei misericordiam, ipsa renuente nihilominus, tãtam dilatationẽ. ¶ Et isti oppositi sunt prioribus, relatis. Illi enim coarctabant Dei misericordiam, & errabant deficiendo. Isti vero, eam ampliãt plusquam debuissent, & idcirco peccant excidendo. ¶ Dicunt igitur Saraceni, neminem dãnari, sed vnũquẽq; si studiose obseruet suam, quam sui maiores acceperunt legem; hoc sibi sat esse, vt salutem æternã assequantur. ¶ Et quidam Eremicola, hanc hæresim credebat (etsi ipse fidem Christi profitebatur) quia legebat in Paulo, Deus vult omnes saluos fieri. Cum ergo vt ille aiebat, Deus sit infinitæ misericordiæ, qua ratione credi poterat, quòd tot millia hominum, qui fidem Christi non colũt, damnari permittat? Ideo erat illi cõfessum, quod Saracenus, & Iudęus suam obseruantes sectam, vitam æternã consequebantur, vt Christianus. ¶ Porrò ista hæresis non solum est hæresis, sed maximum deliriũ. Ideò sufficiat Christum dixisse, Qui non crediderit damnabitur. Et quidem frustra Christus esset mortuus, si qui Christi non sunt membra per fidem, & charitatem salutis æternæ possent esse compotes. Vtique scimus Deum esse infinitæ misericordiæ, sed etiam scimus esse infinitæ iustitiæ, at Dei iustitia hoc iubet, vt qui non subdunt colla sua Christo, neq; illi incorporantur per sacramentalem vnionẽ, quod illi orbẽtur gratia parta per Christi mortem. ¶ Et Paulus docet, quod sicut in
1. Cor. 15. Adã omnes moriũtur, subaudi, per peccatum, ita in Christo, id est per fidem, & amorem Christi, omnes viuificabũtur, id est, consequentur vitam gratiæ nunc, & postmodum vitam æternam. Quocirca omnes infideles mortui sunt, & in peccatis suis moriuntur. Vult sane Deus omnes homines saluos fieri, quia Deus non est acceptator personarum, testante Petro, vnde Dominus ait, Euntes in vniMatt. vlt. uersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ, Id est, hominibus Et Marc. vltim. omnibus, quia in omnem terram, exiuit Psalm. 81.

1. de cælo tex. cõ. 14.

Genuensis Eremico = la credebat opinionem Saraceno = rũ esse ve = ram.

sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde hoc est Deo in votis, vt omnes recipiant Euangelium, quod mandauit vniuersis hominibus prædicandum. Et quod suum erat ipse præstitit, videlicet apostolos creare quibus istud munus primo fuit demandatum, & illis vita functis suis successoribus, hoc negotij fuit sedulo commissum, vt Paulus, suo discipulo aiebat, Prædica verbum, insta opportunè, & importunè argue, obsecra, increpa, &c. Adhæc sermonem Apostolorum Mar. vltimo
1. Timo. 4. Dominus confirmauit, sequentibus signis, nihilominus, non omnes obediũt Euangelio. Non obediunt sanè Euangelio, non quia Deus hoc vult, vt ipsi non obediant, imò contrarium ipse exoptat,
Ioan. 1. cæterum lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, magis inquam maluerũt in suis consuetis erroribus persistere, quam veritati Euangelicæ obedire. Vt is qui grossioribus, & rudioribus, vescitur alimentis, delicatiores, & pretiosiores contemnit. ¶ Deus autem, quæ est sua sapiẽtia humana sic administrat, vt homines non cogat ad pietatem Euangelij amplectendam, sed suo arbitratui, eos relinquat. ¶ Nos de re hac in. 4. lib. senten. in dist. 15. multa disseruimus, & in declamatione de Dei misericordia, in comm. ad Isaiam, ideo supersedendũ duxi ampliori tractatui. ¶ *Sed obliuione obliuiscar eorum.* In Deo nulla est aut potest esse obliuio, cui omnia sunt quam præsentissima. At vero, loquitur more humano, quia vt dicebamus, paulò ante, moribus nostris sese attemperat Deus, vt sermonem eius facilius capiamus. Nam si mores nostros excederet diuinus sermo nos sanè magis deterreret, quã mulceret, vnde aucupes, virides induunt vestes, quia hac ratione aues, ex consuetudine videndi viridia, visis venatoribus, non deterrebũtur, sed potius alliciẽtur. Nam omne animal diligit sibi similem, & similitudo, est amoris irritamentum, vt dissimilitudo, odij seminariũ. Quo circa, Deus suam loquelam, similem nostrę voluit esse. Obliuiscitur igitur Deus non vt nos, qui sæpe, memoriam deponimus, sed solum, quãdo cessat beneficere ijs quibus beneficus erat, & patet quid velit exsuperioribus. Quia aũt nos obliuiscimur Dei, ideo nostri ipse obliuiscitur. Audi Ieremiam, dicentem, Nũ quid obliuisci potest virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ. Populus vero meus, oblitus est mei diebus innumeris. Obliuiscimur autem Dei, aut si non potimur syncera fide, & cognitione diuinitatis, aut si ea potiti, operibus bonis illã destertã habemus. Prioris ordinis sunt omnes infideles, & omnes hæretici. Posterioris vero ordinis sunt, Christiani qui corruptos habẽtes mores incorruptam habent fidem. Qui cum Deum cognoscant fide, factis eum negant. ¶ Damnati quoq; sunt in æterna *Ad Tit. 1.* obliuione Dei: siquidem nunquam eorum miserebitur Deus. Infidelium autem, & malorum fidelium, nonnunquã imò sæpe memoratur Deus, donãdo eis pœnitentiam. At vero, si ipsi in sua obliuione persistant, & nolint ad Deum se conuertere, item Deus horum obliuiscetur. ¶ Porrò autem forsitan, Oseæ, *Colliſio apparẽs pro tẽpore rum soluitur.* obijcies Isaiam cap. 49. in hæc verba loquentẽ, Dixit Sion, Dereliquit me Dñs & Dñs oblitus est mei: & respondet prophetes sub persona Dei: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsite, &c. Quomodo ergo modò ait, prophetes noster *obliuione obliuiscar eorum?* Respondetur, Oseam sermonem habere de decẽ tribubus, quas Dominus, æternæ obliuioni mandauit, quia diebus multis Dei grauissimè lęserũt numen, colentes aureos vitulos, vt sępe dictum est. At vero Isaias, non de istis decem tribubus loquitur, sed de duabus, scilicet de tribu Iuda, & de tribu Beniamitica sibi coniuncta, & secũ in scriptura cõmemorata. Huiusmodi igitur tribus, expostulabãt cum Deo cũ essent detentę in longa Babylonica captiuitate, quod essent à Deo oblitę, credentes ibi permansuras. ¶ Hanc autem expostulationem, reijcit Isaias dicẽs, Sicut mulier nõ obliuiscitur infantis sui, sic non obliuiscetur Deus captiuorum qui erant in Babylone futuri. Confert autem illos infantibus, quia sensu pueri erãt Iudæi, & ad

In Deo quomodo est obliuio.

& ad maiorem diuinæ curæ erga eos expressionem addit, quod si mulier oblita fuerit, ego non obliuiscar, & quod hæc expositio sit germana textui, hinc colliges. Quia, ait, Dixit Sion. per Sion autem, vbi erat templum Salomonis constitutũ, duæ tribus intelliguntur, quas prædiximus. Quod si dixeris, multo tẽpore post Isaiã, fuerunt duæ tribus abductæ in captiuitatem, non ergo de illis loquitur, imo de illis: quia spiritu vatidico, præuidẽs, earum captiuitatem, eas consolatur, admodum prætactum. *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos, in Domino Deo suo: & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Optimè consentit cũ eo quod protulimus dudum ex Isaia, quod modo ait Oseas. Nisi quod Isaias, more familiari prophetis rem enarrat, vt gestam, Oseas, vt gerendam. Ille, subindicare volens, prophetis certitudinem, expresit, cõsolationem, vt præteritam: iste vero, exprimens veritatem, eandem exposuit vt futuram. Quia sub Osea, & Isaia, duæ tribus nondum fuerant abductæ in Babylonem. Ideo ait, Oseas *domui Iuda miserebor.* per domum Iuda, intellige tribum Iuda, & Beniamin, vt sæpe dictum est. Qui loquendi modus vsitatus satis est, Hispano sermone. Præuidens ergo Oseas futuram duarũ harum tribuum captiuitatem, eas iam consolatur, dicens, in persona Dei, domui Iuda miserebor, id est post longam earum ca-
2. Par. 36. ptiuitatem relaxabo vincula suæ captiuita-
1. Esdr. 1. tis. *Et non saluabo eos in arcu & gladio, &c.*
Isai. 44. Siquidem fuerunt asserti in libertatem, nõ ex viribus suis, aut ex victoria Iudæorum contra Babylonios, sed Dei munere solũ, qui Cyrum admonuit, vt relaxaret vincula tam lõgæ captiuitatis. Aut etiam potest
4. Reg. 19. referri, ad victoriam contra Sennacherib,
Isai. 37. sub Ezechia rege, quam Ezechias obtinuit precibus, non armis. Nam Angelus Domini descendit de cælo, & omnes copias exercitus Assyriorũ, vna nocte deussit, atque deleuit. At vero Israelitas, noluit
4. Reg. 15. liberare Deus ab Assyrijs, sed eos subiecit Phul, & Teglat-phaassar, & Salmanasar, qui tandem eos abegit omnes in Assyrios. ¶ At forsan quæret aliquis, cum Israelitæ, & Iudæi fratres essent, ex vno stipite, Iacob, scilicet, pullulantes, cur tanto discrimine, in obtinenda Dei misericordia, sunt discreti? Quod si dixeris, ex crimine lęsæ maiestatis diuinæ, vtique etiã Iudæi hoc ipsũ crimine sunt implicati, vt sub Achaz & Manasse, & alijs regibus Iuda implicatos eos fuisse liber Regũ indicat. 3. & 4. Et ita Ezechiel Vates, & alij Dei Vates. Imo vt ex Ezechiele discimus, grauius fuit peccatũ tribus Iuda, quam aliarum tribuum. Nam ca. 23. duas sorores introduxit, Oollam, & Oolibam, sub quarum persona, & duas tribus, sub Ooliba, & decẽ sub Oollam adumbrauit, quas dixit sorores, quia ab eodẽ stipite, ducunt originem. Oolla vocat minorem filiam, quia decem tribubus constabat, & hanc item vocat Samariam quæ caput erat decem tribuum, & Oollã vocat minorem, & eandem appellat Ierusalem. Duabus enim solis tribubus constabat, & Ierusalem erat Metropolis harum duarũ tribuum. Has igitur duas sorores, dicit, scortatas fuisse, scortatione spirituali, id est fuisse idololatras. Maioremque scilicet, coluisse idola Assyriorum, & ideo, ad Assyriorum dominium esse traductam. Minorem vero coluisse idola Chaldæorũ, ideoque in eorum potestatem esse tradendam. ¶ Et subdit, ad propositũ, quod Ooliba, videns idololatriam Oollæ, plusquam hæc insaniuit libidine, & fornicationem suam, id est idololatriam super sororem suam, admisit. Si ergo, duæ tribus, excesserunt in crimine læsi numinis, decem tribus, vt Ezechielis testimonio, admonemur, cur ergo illis laxior captiuitas, quia tandem fuit soluta per Cyrũ, & istis acerbissima fuit inflicta vsque modo perseue- *Peccatorũ atrocitas ex duobus pẽdi potest.* rans. Respondetur, peccatum bifariam expendi posse, aut secundum genus suum, aut secundum circunstantiam. Si fermo habeatur de peccato, secundum genus suum, peccatum istarum sororum, idem erat, si quidem idololatria erat; quæ eiusdem generis est, siue quis colat idola Assyriorum, siue Ammonitarũ, siue Chaldæorum, &c. Est enim læsio diuini numinis & honorem soli creatori debitum, in creaturam collocare. ¶ At vero si de circunstantia agatur, peccatum sororis minoris graue scit supra peccatum sororis maioris, quia tribus Iuda, adorabat idola in templo domini, vbi ipse solus erat adorandus; at vero decem tribus, adorabant sua idola, in Bethel, & in Dam, vel in alijs locis excelsis & frondosis. Vnde Ezech. 8. Vates vidit adorantes Iudæos in templo Dei, Adonidem, & alia simulachra aliorum deorum, quod decem tribus non fecerunt. Et hæc circunstantia ex parte loci valde aggrauabat idololatriam, vt si mulier vxor alicuius viri,

viri, adulterium cómittit, in toro proprio viri, magis peccat, quam ea quæ extra torũ viri scelus istud admittit: ita propèmodũ, si spiritualiter loquamur templum est veluti torus Dei, vbi coniũgitur ipse per cultum sibi impensum cum hominibus, si ergo in templo Dei diabolus adoratur, increscit valde, idololatriæ iniquitas; quia maiore fædatur Dei contemptu. ¶Et hãc rationem obseruauit Ezechiel, dicẽs esse, fædiorem idololatriam Ierusalem, quam Samariæ. Id est, Iudæorum commorantiũ sub Ierusalem dominio, quam Israelitarũ degentium sub Samariæ moderatione. ¶Cæterum, quia peccatum decem tribuũ durauit multo æuo, & peccatum idololatriæ Iudæorum, multo minores egit moras. Neq; perpetuum erat illis. Nam si sub vno rege admittebatur idololatria, sub alio corrigebatur per alterum regem, vt
4.Reg.16. & 18. 21. impietas Achaz correcta fuit per pium
22. & 15. Ezechiam, & impietas Manasses, & Amonis filij eius correcta fuit per Iosiam, &c. At verò in regibus Israel, qui numero fuerunt. 18. nullus pius, sed omnes impij, ab ipso exordio quo cæpit regni moderamina tenere, impijssimus Ieroboã filius Nabat, vsque ad regem Oseam sub quo extinctum fuit Israeliticum regnum. Quo circa cum duæ tribus, etsi habuerint prope finem sui regni impios reges, ob quod sunt traducti in Babylonem, cæterum habuerunt sæculis retroactis, alios pios, vnde ob hoc, diuina castigatio mitior fuit. ¶Accedit eodẽ, quod de tribu Iuda erat Dei verbum assumpturum carnem, in salutem humani generis, & ideo clemẽtius se gessit Deus cum hac tribu, quam alijs tribubus. ¶Quamuis reuersis ex captiuitate, neque prophetæ fuerunt concessi, neque arca testamenti ornabat, vt ante captiuitatem templum, Ierem. 4. Non dicetur vltra arca Domini. Neque responsis diuinis fruebantur vt prius, sed neque celsitudine regiæ potestatis, amplius fruiti sunt, sed Assyrijs Ægyptijs, Græcis, Romanis colla subegerunt. Itaque, etiam si admissi sunt, ad amicitiam diuinam Iudæi post captiuitatem, & reuersi sunt ad patriam, & lares domesticos suos, cæterum Iudaicus populus post huiusmodi condonata iã adeo facinora, nunquam restituti sunt ad illũ splendorem, quo olim resplendebãt. ¶Et ita accidere solet ijs, qui nimia sanctimonia vitæ, resplenduerunt in mundo, si forte eos contingat grauiter labi, rarò, enim, restaurabunt totum splendorẽ amissum. Non me latet Theologos magni nominis asserere, quod is qui resurgit à peccato, ad maiorem gloriam semper resurgere, & ad maiorem gratiam. Quippe resurgunt, ad gratiam, nouam, & restaurant antiquam. Alijs vero non hoc arrisit placitum, sed quod resurgunt, quandoque ad maiorem, si contritione vehementi resurgant, at vero aliquando, ad minorem, si segnis sit contritio, nonnunquam adæqualem si temperata sit contritio. Qualequale hoc fuerit, nos discussimus satis in disputationibus nostris Theologicis. Mihi sat est, q̃ is, qui ex sublimi sanctitatis gradu labitur, non statim reparabit, feruorem prisinum & promptitudinem ad Dei obsequia præstanda. Quidquid de reparatione gratiæ, & glorię, theologis vocetur in controuersiã. *An resurgens à peccato, ad priorem vnde lapsus est gradum rejungat.*

Et ablactauit eam, quæ erat absq; misericordia. Lactentes infantes, multis fouentur blandimentis. Namque multa eget cura eorũ nutritio. Cum autem ablactãtur, iam abstrahuntur à prioribus fomentis, & durius tractantur. Significat igitur iste propheticus sermo Israelitas, omni suauitate & fomento diuino esse orbandos. Nãque, quandiu, erãt in sortibus suis, etsi idolatræ erant, at vero multis abundabant bonis, ex Dei, munifica largitate, quin & regia potestate gaudebãt. ¶At vero ab acti in captiuitatem, Assyriacam, diuinæ benignitatis, qua ipsos, vt lacte quodã diuino lactabat, non secus atque suauissima suos lactat infantulos nutrix, se indignos fecerunt. Et ideo pro lacte suauissimo diuinæ suauitatis, puncti sunt spinis diuinæ iustitiæ. ¶At vero dicet aliquis, cum Deus sit semper erga omnes misericors, erga pios, & impios, erga iustos, & iniustos, iuxta illud Euangelicum, Matth. 5. Qui facit solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit, super iustos, & iniustos. Siquidem Deus omnia condidit, & condendo diligit, creatura quam condidit, & omnia conseruat, & conseruando, suam, in conseruata, demonstrat dilectionem. Nam nihil odit, eorum quæ condidit, vt liber sapientię testatur. cap. 11. Qua igitur ratione, puellam commoratam vocare iussit sine misericordia, vt præsignaret se non impensurum misericordiam Israelitis? Quid quod in damnatos, angelos & homines, qui sunt peiores omnibus viuentibus, quãtumuis pessimi sint, suam item profert misericordiam. Siquidem eos non punit, secun-

Misericordia Dei dupliciter consideratur.

secundum condignitatem suorum meritorum, sed citra condignitatem. ¶Respondetur, quod Dei misericordia consideranda venit, aut secundum generalem rationem, aut secundum particularem. Sanè Israelitas, semper est Deus prosecutus, misericordia generali, quantumuis dispersos, & idololatras. Namque eos semper cõseruabat, alendo, & gubernando eos: vt & cęteros omnes homines, & creaturas, quas ipse condidit. A complexu namq; huius misericordiæ, nulla creatura dum est, aliena est. Non enim potest subsistere, nisi à Deo
Sap. 11. sustentetur. ¶Et hoc est quod dominus ait, per suum Euangelistam, Matthæum, Qui facit solem suum oriri, &c. At verò, ratio particularis misericordiæ est, prosequi quemquam singularibus beneficijs & gratijs. Et hanc misericordiam, non omnibus impẽdit Deus, sed quibus sibi placet. Hanc igitur misericordiam ostenderat Israelitis Deus, vt sæpe diximus. Namque quamuis, pessimi erant idolatræ, & impij schismatici, trophœis tamen glorioſis, contra suos aduersarios reges Syriæ, quin & cõtra reges quosdam Iuda, eos illustrauit, & insuper prophetas celeberrimos, eis donauit, qui eos à vijs pessimis reuocarent, ad Dei veri cultum, vt Eliam, Eliseũ,
3.Reg.18. Abdiam, Ahiam Silonitem, Micheam, Iehu filium Anadin, &c. & multo æuo, scilicet spatio annorum. 239. paulò amplius videlicet spatio annorum. 242. vt Ioseph. lib. 9. anti. cap. vlt. tradit, eosdem sublimauit, regia cellitudine. ¶Quia igitur ob suã impietatem, istis omnibus fauoribus, & prærogatiuis, quibus ipsos, alioqui indignissimos, fuerat prosecutus, fuerunt semiterno orbati, ideo in multas asperrimas calamitates, sine consolationis spe, fuerũt detrusi, quare iubet Deus puellã, appellare, Sine misericordia, & eam ablactatam, esse commemoratur. ¶Adhuc autem forsan quæret aliquis, cur vates primogenitum vocandum iusserit Iezrael, filiã secundo genitam, absque misericordia, & filium postremo genitũ, iubet vocari Hebraicè Iò ami, id est Latinè, Non populus meus, vt mox subdetur. ¶Respõdetur primò, quod in trina vatis prole, consummatio diuinæ vindictæ sumendæ de Israelitis prænotatur, propter numeri ternarij perfectionem, namque perfectio consistit in initio, medio, & fine, quæ tria sunt. ¶Primogenitum igitur masculum esse voluit, & vocandum Iezrael. Namque in hoc primogenito primitus fuit præsignata acerbitas diuinæ vltionis, exercendæ in Israelitas, similis ei, quæ facta est in agro Iezrael de hostibus Dei Achab, Iorã, &c. vt supra traditum est. Masculorum autem est, vehementer vlcisci, quippe fœminarum nõ est, ob sexus infirmitatem. ¶Verum fœminam, appellat absq; misericordia. Id quod portentosum erat. Namq; fœminæ ob suã mollitiem, sunt ad misericordiam promptissimæ, vnde ex industria iubet Deus fœminam vocare absque misericordia, vt iam inde intelligerent Israelitę Deũ promptissimum alioqui ad miserendum, ex iniquitate tamen ipsorum, redditum erga illos sine misericordia, & ob hãc causam scriptura, Deum confert nonnunquam fœminæ, non ex infirmitate, sed ex summa prõptitudine, ad miserendum: adeo vt Euangelicæ literæ, Deũ gallinæ conferãt. Quoties inquit volui congregare te, sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti. Demum postremum filium vocat, Nõ populum. Siquidem virorum est populos constituere, non fœminarum, vnde contrariũ illi nomen inditur ei, quod masculis congruit. Primò igitur ostenditur vltio diuina contra Israelitas. Secundò ostenditur, quod hæc vltio erit perpetua sine misericordia, tandem consummatio omniũ malorum in eos ostenditur, dum docentur, non esse connumerandos in populũ Dei, quod si non in populum Dei sunt recensendi, erunt igitur in populum diaboli recensiti. *Matth.23.*

¶Adhuc forsan, inquirere placebit amplius, & quid ergo, si excluſi isti erant à misericordia, Dei, non ergo poterant se conuertere ad Deum, neq; viatores erãt, qui possunt, malè, & benè mereri? Quomodo igitur verum erit, quod Paulus clamat, Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. ¶Et item quod Salomon ait, sapientia foris prædicat, in plateis dat vocẽ suam, in capite turbarum clamitat, in portarum vrbis profert verba sua dicens, Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti quæ sibi sunt noxia cupient. Prouerb. 1. Si ergo Deus omnes vocat, omnium igitur miseretur, si ipsi volunt Dei clamores, & suasiones salubres percipere. ¶Respondetur quod quæ hactenus, de negatione diuinæ misericordiæ diximus, in exponendo vate, de misericordia, in temporalibus beneficijs sunt audienda. Nam misericordia interior, quę *Dubitatio alia.*

bona

Misericor dia quoad ſpiritualia mentis bo= na nulli ne gatur.

bona ſpiritualia ſpectat, hæc nulli quoad vixerit negatur. Nam Chriſtus qui eſt vera ſapientia Dei ex ſuo Euangelio; Matth.11. nunquam non clamitat, proferens hæc verba, Venite ad me omnes qui laboratis, & regeni eſtis, & ego reficiã vos. Neque Iudæos excludit, neque Iſraelitas prohibet, neque Paganos faſtidit, ſed potius omnem venientem ad ſe, non eijcit foras, Ioan. 6. ſed ad ſe recipit; vt ipſum ſibi vniat, per fidem, & amorem ſuũ. Quantumcunq; igitur Iſraelitæ calamitoſi, fuerint & exules, à domeſticis laribus excluſi, & ſubditi nationibus barbariſimis, nihilominus, ſi pœnituerunt, de culpis ante actis, in Dei amicitiam, ſe reſtaurabant. Verumtamen pœnitentiã illa, Dei amicitiam cõcilians, quo ad æterna bona, quo ad temporalia, de quibus meminimus, eos non poterat reſtaurare, & quo ad hanc rationem, Deus ſe illis oſtendebat ſine miſericordia. ¶ Et ſanè negando illis hanc miſericordiã erat, nihilominus miſericors illis. Nempe, quia abundantia bonorum corporalium, quibus affluebant, in ſuis, dum agerent ſortibus, fecit eos recalcitrare, cõtra largitorem: vnde pœnuria affecti, ad notitiam veri Dei quem reliquerunt, poterat facilius eos reducere. *Et concepit & peperit filium, & dixit ei, voca nomen eius, non populus meus, quia vos non populus meus, & ego, non ero veſter Deus.* Obſerua quod prius diſcedimus à Deo, quam ipſe Deus diſcedat à nobis. Expende verbum quia vos, non populus meus, & dein ſubdit: & ego non ero veſter Deus? Cur ita, quia vos non populus meus. Prius igitur deſeritur à nobis Deus, quam ipſe nos deſerat. Nam perditio ex nobis eſt, ſalus ex Deo. Deus igitur rectè expoſtulat cum populo ſuo, per Ieremiam vatem, Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontẽ aquarũ viuentium, & foderunt ſibi ciſternas, diſſipatas, &c. Vtiq; ſi prius ipſe nos relinqueret, non erat cur expoſtularet nobiſcum, quod ipſum relinquerem. Quippe nequimus eum ſequi, niſi ſua gratia præueniat nos. Hoc autem ſemper nos incitat, & pellicit vocando & mouendo, vt nos ipſos relinquamus, & Deum ſequamur. Ego inquit ſto ad oſtium, & pulſo: ſiquis mihi aperuerit ianuam, intrabo ad illũ, & cœnabo cũ illo. At vero dubitatio prompta ſe offert, quid eſt quod ait, *Vos non populus meus?* Iſraelitæ enim multo ante, iam non erant populus Dei. Enimuero à ſeparatione vel ſchiſmate, quod fecit Ieroboã filius Nabat, à regno Dauid, iam tum non fuerunt populus Dei, ſiquidem omnes reges qui regnauerunt in Iſrael, fuerũt ſchiſmatici, & apoſtatæ. Spreuerunt enim fidem vnius veri Dei, & cõmutauerunt gloriam ſuam, in ſimilitudinem vituli comedẽtis fœnum, vt regius cecinit vates, & omnis populus Iſraelitarum, ſuorum regum mores, & veſtigia ſunt ſecuti. Fuerunt autem 19. reges, qui decem tribuum regia fruebãtur poteſtate: Ieroboam primus, & hic regnauit 20. annis, Baaſa, & hic regnauit 24. annis, Nabad 2. annis, Ela 2. Zambri 7. diebus. Anri 12. annis. Achab, qui adiecit idola Baal adoranda; præter vitulos duos aureos. 22. Ohozias huius filius. 2. Ioram huius frater. 12. Iehu. 28. Ioachaz huius filius. 17. Ioas huius filius. 16. Ieroboam, huius filius. 41. Zacharias huius filius menſibus. 6. Sellum anno. 1. Manahem. 10. annis Phaceya huius filiꝰ. 2. annis. Phacee huius dux annis. 20. Oſeæ filius Ela annis. 9. omnes iſti fuerũt peſſimi idololatræ, vt tertius liber, & quartus oſtendũt, & populus ſimiliter, ſequebatur horum idololatriam, igitur non erant populus Dei iam ante vaticinium Oſeæ. Qua ergo ratione prædicit, non eſſe futurum populum Dei, & Deus ait, ſe non eſſe futuram eorum Deum? Reſpondetur, quod quamuis reges prædicti fuerint idololatræ, nihilominus Iſraelitarum, qui ſub illis degebant, Deus curam gerebat, per ſanctos ſuos prophetas eos cohortando, vt relinquerent idola. Et plærique eorum, quamuis ſub regibus agerent idololatris, non adorabant idola, ſed templum Salomonicum petebant, adoraturi dominum, vt ſub Ezechia, factum eſſe ſcriptura cõmemorat. Et rurſus, puniebat idololatras, reges & ſacerdotes, idolorũ quos occidit Elias in monte Carmelo, itaque quandiu in proprijs ſedibus, degebãt, ſeu in patria ſua agebant. Adhuc vocantur, populus Dei, ob cauſam commemoratam. At vero expulſi à proprijs ſedibus, in exilium acti perpetuum, iam nõ computabãtur in populum Dei. Et hoc prædicit modo vates, eos eſſe exuſlandos, à proprijs ſedibus in regionem alienorum, id eſt Aſſyriorum. ¶ At vero notãdum duxi, quod idem Dominus Ieſus Chriſtus, propter infidelitatem alijs duabus tribubus, prædixit in Euangelio Matth. 8. Amen dico, ait, vobis, multi venient ab Oriente, & Occidente, &c. & recumbent, cum Deo Abraham,

Deus aliquando negando miſericordiam miſeretur.

Cap. 2.

Apoc. 3.

2. Par. 30.
3. Reg. 18.

Matth. 8.

ham, & Iſaac, & Iacob, filij autem regni eijcientur foras. Vocat filios regni Iudæos, quorum erat legiſlatio, &c, & filiorum adoptio, & obſequium, vt Paulus Rom. 9. commemorat. Sunt tamen eiecti foras, quia per Titum & Veſpaſianum ſunt excluſi à ſedibus maiorũ ſuorum, & ſub perpetuo item agunt exilio, vt & Iſraelitæ. ¶ Idem rurſus Dominus inſinuat, Matth. 21. in parabola vineæ. Malos ait, malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs. ¶ Rurſus tu conſidera, quod Deus dicit ſe eſſe nõ Deum Iſraelitarum, non quia ipſe non ſit Deus vniuerſorum, quippe qui eſt Dominus, vniuerſaq; creatura illi ſubditur. At vero, quia Deus non erat geſturus iam curam Iſraelitarum, vt ſolebat, antequam diſpergerenturin nationes, ideo ait, & ego ero non Deus eorum, non propter naturã ſed propter curæ ſubtractionem, vtiturq; ſcriptura vulgata loquendi phraſi, ſi videlicet, parentes probi filium ob ſcelera eius, odio habeant, continuò dicunt, nõ ſumus parentes tui, ideſt, nõ te tractabimus amore paterno, ſed vt extraneum te ducemus. In correctioribus Biblijs non additur veſter, vterque igitur populus ſiue Iudæorũ ſiue Iſraelitarum, qui duo ſignificati ſunt ſupra, per duas illas ſorores, Oola, & Ooliba, propter incredulitatem fuerũt à Deo abiecti, & ſunt in cõculcationẽ omnium gentium. Quapropter magna ratio eſt habenda conſeruandæ ſyncteritatis fidei, nam huius corruptio regna ſubuertit, & imperia deijcit, & homines deſpectos reddit. Obſerua ſi mihi nõ credis, antiquã illam gloriam Græcanici regni, maieſtatẽque imperij, quod Conſtantinopoli fulgebat at vero, quia ſyncteritatem fidei obſeruare Græcos tẽduit, ideo, traditi ſunt in poteſtatem barbariſimarum nationum, id eſt Turcarum, quorum Tyrannidem iã diu eſt, quod coacti miſeri patiũtur. Neq; putò aliam cauſam fuiſſe quod Hiſpanorum regnum, tranſlatum fuerit olim ad Arabes, niſi fidei & religionis labefactatio, quæ acciderat, ſub Roderico, & prioribus regibus. Nam quod de adulterio eiuſdem Roderici regis Gothi, traditur cum filia comitis Iuliani, occaſio fuit, non cauſa. *Et erit numerus filiorũ Iſrael, quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur.* Conſidera, quam cito terriculamenta prefata omnia, vates temperat noua conſolatione. Et hunc eſſe prophericum morem memorare, in fine blandimentis agere, vt ex amaritudine commminatæ pœnæ, & ex dulcedine adiectæ conſolationis, antidotum ſalubræ temperetur. Nanque ex timore, & ſpe optima fit commixtio, conſolandis infirmis mentibus, triſtia nanque ſtupefaciunt naturam, ideo illa fugit, humana mens. Quocirca Deus, qui optimè nouit, quale ſit hominis ingenium, triſtibus miſcet ſolatia, vt antidota diuina non horreamus, ſed potius amemus. ¶ Vidiſti igitur, quam terribilia hactenus commminatus fuerit vates noſter Oſeas, aſpice modo, quantum ſolatij in fine adhibuerit, dicens. *Et erit, &c.* Quæ vt intelligas, meminneris oportet, ex Paulo Rom. 9. Non omnes qui ex circũciſione ſunt Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij, id eſt, non qui filij carnis, ij filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſionis æſtimantur in ſemine. Et ad Cor. 1. cap. 10. Videte Iſrael, ſecundum carnem. Et ad Gal. 6. Pax Dei ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. Ex quibus apoſtolicis verbis edocemur. Filios quoſdã eſſe Abrahæ ſecundum carnem, alios vero ſecundum ſpiritum, illi ſunt, qui acceperunt naturam ex Abraham, iſti vero ſunt, qui imitati ſunt fidem eiuſdem, & mores. De quibus Mart. 3. præcurſor domini loquitur. Potens eſt Deus, ex lapidibus iſtis, ſuſcitare filios Abrahę, ſignificans hoc ſermone, gentes lapideas emolliẽdas à Deo, ad gratiam fidei ſuſcipiendam, & ideo cõnumerandas ex tunc in filios Abrahę. Vnde Dominus, negans phariſæis, hac potiri filiatione, ait, Vos ex patre diabolo eſtis. Ioan. 8. Hæc autem duplex filiorum Abrahæ ratio, præſignata fuit, in filio Iſaac, & Iſmaele. Hic ſignificat filios Abrahę ſecundum carnem, quia Iſmaelem genuit ſecundum naturam Abraham, at vero, filio, ſpirituales, adumbrauit Iſaac, qui ſupra naturam, ex diuino miraculo fœcundante Saram fuit genitus. Ita quoq; filij ſpirituales, qui ſunt omnes fideles Chriſti, non ex viribus naturæ vt ſomniabat Pelagius, ſed ex ſuperna Dei gratia ſunt adoptionis filij. Rurſus, quod idem eſt atque prius, niſi quod ſub alia verborum traditur à Paulo forma. Duplex eſt Iſraeliticus populus, alter ſecũdũ carnẽ, qui fidem Chriſti negat, legali illa, & abolita iam cæremonialium præceptorum obſeruatione cõtentus eſt. Alius vero eſt populus Iſraeliticus ſecundum ſpiritũ, qualis eſt Eccleſia Ieſu Chriſti, quæ iudicialia, illa veteris legis, & cæremonia-

Magn: cura eſt habẽda fidei.

Scriptura miſcet dulcia triſtibus.

Filij Abrahæ alij ſecundũ carnem, alij ſecũdum ſpiritum.

Iſrael alius ſecundum carnẽ alius ſecundũ ſpiritum.

monialia non ſecundum literam, ſed ſecũdum ſpiritum intelligens, Chriſtum in illis adumbratum aduertit, & Chriſto ſoli hæret. Et huiuſmodi Iſrael vocat Paulus vbi ſupra Iſrael Dei, quippe alter Iſrael, nõ Dei ſed diaboli eſt, vt Dominus aiebat loquens Iudæis, Vos ex patre diabolo eſtis. Enim vero, qui ſeminant in carne, de carne metent corruptionem. Iſti autem ſeminant in carne, quippe legem carnaliter intelligentes, carnaliter illã implent, & æternam mortem ſibi cõciliant. At vero, Chriſti Eccleſia ſeminat in ſpiritu, & vmbras illas veteres, vt Chriſtum adumbrantes veneratur, at non ſecundum literalem ſenſum earum, eas operatur, ſed ſecundũ ſpiritualem intelligentiam, quam Euangelium Chriſti amplectitur. Neque hanc differentiam, vtriuſque Iſraelis, ſolus Paulus aduertit, quinimo & veteres ſacræ muſæ, eandem olim prædocuerunt. An nõ Ieremias. 4. hoc apertè inſinuat cum ait, circũcidimini in Domino, Quid eſt circuncidimini in Domino? niſi reſcindite affectus noxios cordis veſtri, id quod eſt ſpiritualis circunciſio, quam Iſrael, ſecundum ſpiritum ſtrictè obſeruat. ¶ Et Deu. 10. Moſes ait, circuncidite præputium cordis veſtri. Iam enim tunc ſub vmbra legis, micabat ſplendor Euangelij, & ſub arente littera, ſe iam inſinuabat vegetatio diuini ſpiritus. Iam ergo, vt ad rem, noſtra redeat, oratio, hactenus, comminationes acerbas, fulminarat, aduerſus Iſraelem ſecundum carnem, qualis erat populus ille decem tribuum, nunc vero tranſit ad Iſraelem ſecundum ſpiritum, dicens. *Et erit numerus filiorum Iſrael, &c.* Quaſi dixiſſet apertius vos Iſraelitæ ſecundum carnem, quia carnalia amatis, & ſpiritualia negligitis, eſtis, redigendi, ad paucitatem, & eſtis minuendi in dies, at vero non ibi ſiſtet Deus, qui magis eligit miſereri, quam punire, ideo ſi in vos profert gladium ſuæ iuſtitiæ, in Iſraelem ſpiritualem, quæ eſt Eccleſia Chriſti, quæ tũc præſignabatur, proferet dulcedinem ſuæ miſericordiæ. Quo circa vobis ſurrogabitur populus fidelis Deo, & hic ſe diffundet in vniuerſum orbem. Adeòq; propagabitur, vt arenæ multitudini veniat conferendus, quæ numerari ab homine nequit. Locus igitur hic prophæticus, apertè, demonſtrat, gentium vocationem, ad Chriſti fidem. vnde Paulus, rem hanc eleganter eſt. proſecutus Rom. ſcribens cap. 11. dicens. Quod ſi delictum (& eſt ſermo, de Iudæis,) eorũ diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum. Si ſignificatque iſtis verbis, quod Deus permittens Iudæos, & Iſraelitas labi in infidelitatem, non permiſit, quaſi auarus ſuorum donorum, quia ſcilicet, nolebat, beneficus eſſe, erga homines, ſed ob eorum contumaciam, ſic permiſit, oſtendit autem, ſe ſemper velle eſſe munificentiſſimum, quia impedientibus Iudæis, & Iſraelitis, Dei ineffabilem erga eos largitatem, continuo diſpoſuit, quam non exercebat in illos largitatem, in gentes, diffundere. Ideo ait Paulus delictum Iudæorum eſſe diuitias mundi, ideſt ex delicto illo, Deus diſcedens à Iudæis, contulit diuitias ſuæ gratiæ mũdo, ideſt gentibus, quia gratia Spiritus ſancti in gentes diffuſa eſt. Ex incredulitate igitur Iudæorum, reſultauit, quod Deus diſcederet ab ipſis, ſubtrahendo ab eis influxum ſuæ munificentiæ. Verum quia Deo eſt valde cordi, beneficentiſſimum eſſe, ſuæ largitatis dona tranſtulit in gentes. Et delictum Iudæorum, ideſt infidelitas, quia hanc maximè intelligit modo Paulus per delictum, vt ſacrum Euangelium per peccatum, infideli tatem item intelligit, ſi non veniſſem ait, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent, ſubaudi infidelitas Iudaica excuſationem non habet. Verè autem dicit, eſſe delictum Iudæorũ diuitias mundi, per mundum intelligens gentes mundanas. Quia in gentibus maximè fulſit Chriſti fides, & ſuperabundauit Chriſti gratia, multò vberius, quam apud Iudæos. ¶ At vero etſi Iſrael ſecũdum carnem, cuius eſt hoc delictum, & cuius eſt huiuſmodi diminutio huiuſmodi defectum paſſa fuerit, cæterum, ſi relicta carnis vetuſtate trãſierit, ad nouitatem ſpiritus, ijſdẽ fruetur diuitijs diuinæ gratiæ, quibus, & gẽtes. Deus enim nõ eſt acceptator perſonarum. Vnde Paulus ad Rom. 11. mouet quæſtionem illã, nunquid Deus repulit plebem ſuam, aut populum ſuum habſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Quia igitur apoſtolos elegit Deus ex Iudæis, & fundamenta ſuæ Eccleſiæ nouæ, quã condidit in Spiritu ſancto, in Iudæis iecit. Nam ſalus ex Iudæis eſt Ioã. 4. ideo non repulit Deus plebem Iudæorum, quam præſciuit, ideſt prælegit, vt Paulus ait, loco indicato. ¶ Iam ergo ſe pandit

Circunciſionis obſeruatio, ſpiritualis.

Pauli locus explicatur

pandit quæſtio, qui conuenient verba Pauli, cum Oſea tradente, quòd ipſi non ſunt populus, & Deus non illorũ Deus. ¶ Reſpondetur optimè congruere, ſiue fiat ſermo de Iudæis, id eſt, de duabus Tribubus, ſiue de Iſraelitis, id eſt, de decem Tribubus. Siquidem populum carnalem Iudæorum, quam Paulus vocat Iſraelem ſecundum carnem, vt dudum exponebamus, repulit Deus, & repellendum prædixit Deus per Oſeam modò, itemque & per alios ſuos Vates ſæpè fuit prædictum, vt videmus eos qui modò ſunt Iudæos, à Deo repulſos. ¶ At verò ſi ſit ſermo de Iſraele Dei, qui eſt ſecundum ſpiritum, Iſrael huiuſmodi nõ repulit Deus, ſed valde honorauit, ſiquidem Apoſtolos ſuos & Diſcipulos, tam ex Tribu Iuda, quàm ex alijs Tribubus Chriſtus elegit, qui docerent Gentes, vt relictis mundanis quæ ſectabantur, cæleſtia appeterent. *Et erit numerus.* Videtur obſtare huic prophetico ſermoni Euangelicus ille ſermo, Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Quid ergo ſi pauci ſunt electi, & Prophetes noſter loquitur de electis à Deo, vt prædiximus, qua ratione intelligemus eſſe numerum ſanctorum innumerabilem nobis? Quippe confertur arenæ quæ menſurari, ſeu numerari nequit ab homine. ¶ Veruntamen Ioannes in Apocalypſi idem commemorat, Poſt hæc ait, vidi turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat ex omnibus Gentibus, & Tribubus, &c. ¶ Reſpondetur, ſi conferamus electos ad reprobos, paucos eſſe cenſendos: quando maxima pars hominum hæc viſibilia magis amat quàm inuiſibilia bona, & ideo ruit præceps ad tartara. Veruntamen, electi, ſine collatione ad reprobos, ſi conſiderentur, ſunt ab hominibus innumerabiles. ¶ Legimus autem Geneſ. 22. Dominum Abrahæ, propter incredibilem eius obedientiam ad Dei mandatum, promiſiſſe multiplicandum eius ſemen, ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenæ quæ ſunt in littore maris. Quæ quidem promiſsio, etſi in ſemine Abrahæ materiali completa fuit, quia creuit valde numerus generis Iudaici, verum quia Scriptura nos monet, In Iſaac vocabitur tibi ſemen: & Iſaac, quia fuit filius ſecundum Dei promiſsionem, nam ex diuino miraculo fuit Sara potens concipere, ideo multò verius hoc verum eſt de ſemine Abrahæ ſpirituali. De quo loquitur nunc Oſeas, eſſe à Deo multiplicandum, vt marinarum, arenarum, aquarum, & minerum, vt expoſuimus. ¶ Tu interim conſidera, eſſe Hyperbolen in ſermone hoc, non enim eſt neceſſe intelligere æquales futuros eſſe electos à Deo, arenæ maris: & obſerua, quod Oſeas non limitatè loquitur de arenis quæ ſunt in littore maris, vt hiſtoria Geneſ. Sed ſufficit per verba hæc intendiſſe Vatem, docere nos eſſe Iſraelem ſpiritualem, multiplicandum valdiſſimè vt videmus, quia Eccleſia Catholica, quæ incepit in Abel primo iuſto, & procedet vſque ad vltimum iuſtum, ampliſſimi & innumerabilis à nobis multitudinis eſt. ¶ Idemque dicit, in ſermone priori multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli: eſt enim hyperbolica locutio. Nam ſtellæ cæli facilè ſuperant prolem Abrahæ. *Et erit in loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis filij Dei viuentis.* Paulus ad Rom. 9. expoſuit hunc locum, eundem iudicando in hæc verba. Quos & vocauit, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Etiamſi cap. 2. addatur, quod vltimo loco adiecit Apoſtolus: quanquam de dilecta, & non dilecta, non meminerit ibi expreſſe Oſeas, ſed virtualiter: quia ſub illis verbis Oſee, Et miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia, comprehenditur ſermo Pauli, vocabo, non dilectam, dilectam: & eſt alluſio ad filiam Vatis, quæ vocabatur abſque miſericordia, vt ſuprà dictum eſt. Et quia hæc Vatis filia Iſraelitas denotabat, ideo ſignificatur, quòd Iſraelitæ per Chriſtum erant etiam vocandi, vt reuera totus orbis fuit vocatus ad fidem Domini Ieſu Chriſti: vnde Dominus omnes inuitat, Venite ad me, dicens, omnes qui laboratis, & egeni eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris, Matth. 11. Gentibus igitur obijciebatur, quòd non erat populus Dei, quippe.

Matth. 22.

Ioann. 7.

Ad gratiã Euangelij communicandam totus orbis vocatur. Lege Autorem in declam. ad Eſaiæ declar. de vocatione Gentiũ.

quæ incircuncisæ erant: & hoc est quod ait, *Et erit in loco*, id est, in toto orbe dicetur Gentibus, non populus Dei vos, at verò Deo iubente, Gentes vocatæ ad gratiam Euangelij, & eius honore facti sunt participes, vnde Petro linteum fuit ostensum, Act. 10. plenum immundis animalibus, & iussum ei fuit, vt occideret & mãducaret: at ipse ex iussione diuina expauit, excusans, quæ se aparendo Deo ait, Absit à me, Domine, quia commune & immundum non comedi: cui continuò Dominus, Quod Deus fecit, tu commune ne dixeris: significabat autem Spiritus sanctus hoc spectaculo, Gentes immundas esse mundandas gladio diuini sermonis qui purgat mentes, iuxta verbum Domini, Iam vos mundi estis propter sermonem meum, Ioan. 13. & mundatas esse incorporandas Christo: & multa sunt in diuinis oraculis, quæ hanc Gentium vocationem præsignificabant. Tu lege, si iuuat, declamationem nostram ad Esaiam de Gentium vocatione. Tu autem obijcis, morem esse Paulo, & Euang. relictis proferre testimonia veteris Scripturæ secundum sensum, & non secundum verbum, vt vides mòdò in citato Osee loco à Paulo. Et rursus aduerte, quòd Deum vocare sæpè in Scriptura idem est, quòd efficere: Quia ipse dixit, & facta sunt. vnde illud. 4. Regum cap. 4. Vocauit famem super terram, id est, fecit. Idem in Psalmo, quocirca quòd ait, Vocabo non dilectam, dilectam, id est, faciam ex non dilecta, dilectam, &c. ¶ *Filij Dei viuentis.* Deus viuens & vita est, hoc ait. Sum via, veritas, & vita. Magna gloria est mortalium, quòd ex filijs hominũ mortalium, vt ipsi sunt transferantur ad filiationem diuinam. Quod si filij hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Roma. 8. Quòd igitur homo in tam sublimem feratur honoris gradum, quòd ex vermiculo prouehatur, vt sit hæres Dei, & cohæres Christi: summa est dignatio diuinitatis, dignatus est Deus hominem. Et hoc est quòd ait, dicetur eis, Filij Dei viuentis, subaudi vos estis Dei filij sanè adoptiui: quæ adoptio nobis confertur per naturalem filium Dei Iesum Christum. Ipse namque per gratiam regenerantem baptismi, naturalis nostræ propagationis, peccatum purgat & diuinæ nouæque propagationis per aquam baptismi dona confert, vnicus autem est filius Dei naturalis, quem æterno Pater Deus genuit per suam naturam: at verò filij adoptiui sunt innumerabiles quos ipse natiuus filius Christus in tempore, per gratiam suam genuit, Ioann. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri.

¶ *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra, quia magnus dies Iezrael.* Prosequitur Dei Vates gratiam Euangelij, ex qua ex Iudæis & Gentibus coaduna est vna Ecclesia Catholica, quam intelligit per filios Iuda & Israel, quippe sub istis duobus nominibus, duodecim Tribus subaudiuntur, vt ex superioribus facilè est percipere. Per duodecim autem Tribus, vniuersitas fidelium significatur, vt Augustinus commemorat declarans Euangelicum illud, Sedebitis vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim Tribus Israel. ¶ Sic ergo congregabuntur pariter, id est, ad vnam fidẽ, & vnam charitatem, & vnam spem vitæ æternæ. Tribus Iuda, & Tribus Israelitica, id est, Israel spiritualis, quæ comprehendit omnes fideles, vocatos ex Iudæis & Gentibus, & Apostolis coaduna buntur, vnde in Actibus Apostolicis legimus cap. 4. quòd credentium omniũ erat cor vnum, & anima vna. Et rursus, Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia, Act. 2. Deus enim non est Deus dissensionis, sed pacis. 1. Cor. 4. vndè Paulus, Pacem habete & Deus pacis erit vobiscum: pax autem est vnio in omnibus: namque vbi diuisio est, pax non est, neque ibi Christus est, qui vnus est. Vnde Paulus ob hanc causam obiurgabat Corinthios, quia erant in illis schismata iure Religionis: & idem Paulus hanc vnitatem in fide, Iudæorum & Gentium à Christo esse donatam, docens ait, Pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. Quia non solùm reduxit in fidei Euãgelicęcõsensum Iudæos, & Gẽtes, sed homines recõciliauit Deo, & Angelis. Et ad Ephe. 1. hanc vnitatẽ in fide Euangelica, Iudæorum & Gentium pulcherrimè docet dicens, Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnũ. i. Iudæos & Gentes, reduxit in vnitatẽ Apostolicæ fidei, & mediũ parietẽ maceriæ soluẽs, inimicitias in carne sua, legẽ mandatorũ decretis euacuans, vnde duos condat in semetipso, in vnũ hominẽ faciens pacẽ. Et paulò infrà, Et veniens euangelizauit pacẽ vobis, qui longè fuistis, & pacẽ ijs qui propè, intelligens Gentes esse longè distãtes à Deo, quia Deũ verũ non colebant, sed idola: Iudæos autẽ intellexit per eos qui propè erant. ¶ Quoniã isti fruebantur lege Dei, & Prophetarũ vaticinijs, & appellabantur Dei populus: erant autem inuicem inimici Iudæi & Gentes: & causa inimicitiæ erat, lex Dei; & Circuncisionis ritus, aliaque quæ lex docebat: quæ quia damnabat idolorum cultum, & abominationes Gentium, respuebat ideo Gentes, erant infectæ Iudæis, & item Iudæi Gentibus: nam diuersitas Religioni, inimicitias parit inter professentes, & hanc vocat Paulus medium parietem. Dissoluit autem Christus istud quod interueniebat obstaculum, dicens in cruce, Consummatum est: siquidem lex illa significabat Christum venturum, & morituram, ideo postquam Christus in orbe claruit, & in crucis patibulo pependit, legalia euacuata sunt, & inter medios paries iste fuit, solutus à suo vigore, & concessa est lex noua cunctos mortales, ad sui obseruantiam obligans, vt denique sicut est Deus vnus creator omnium, ita esset vna fides, & vna baptismatis, & Christianorum Sacramentorum Religio, vt iam non essent seminaria discordiæ inter Iudæos & Gentes, neque inter Gentes ipsas Religionis diuersitates, imò potius Religionis vnitas, seminarium esset vnionis & pacis inter omnes fideles.

1. Cori. 1.

Ad Colo. 1.

Et congregabuntur, & ponent sibi caput vnum, &c. Hoc caput est illud quod Paulus commemorat dicens, Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. & frequens est hic sermo Paulo, & aptissimè Christus significatur per caput, siquidem vt à capite defluit sensus & motus in omnia membra quæ capiti sunt connecta, ita à Christo deriuatur in totam Ecclesiam, spiritus vitæ & gratię, ideoque rectè vocatur Caput mysticum, vt Ecclesia corpus suum mysticum, seu spirituale. Non quòd Ecclesia sit inuisibilis, vt hæretici quidam hoc æuo garriunt, sed quia non est caput materiale Ecclesiæ Christus, vt caput nostrum nostri: sed solùm est caput ratione summi & monarchici principatus, quem habet in totam Ecclesiam, vt rectores Reipublicæ, capita Reipublicæ vocamus: & reuera absurda est hæresis Ecclesiam Catholicam esse inuisibilem contendens, quia docet Paulus Roman. 14. Regnum Dei non esse escam, neque potum, sed esse iustitiã, pacem, & gaudium. & rursus Luc. 17. Regnum Dei inter vos. ¶ Enimuero aliud est virtus Ecclesiæ, aliud ipsa Ecclesia: nam Ecclesia, fideles sunt qui visibiles sunt: virtus autem Ecclesiæ, scilicet fides in Deum, charitas, &c. & alia dona quibus potitur ipsa Ecclesia, spiritus munere, hæc inuisibilia sunt, at solùm patescunt ex operibus: nam ex fructibus cognoscitur arbor, & virtus Ecclesiæ ex operibus, quæ operantur fideles: at ipsa fides, secundum se, & alia enarrata, secundum suam substantiam sunt inuisibilia, quia spiritualia sunt & demum sicut Sacramenta omnia, etsi habeant vim inuisibilem, at ipsa sunt visibilia, ita Ecclesia, & vide si esset inuisibilis, non constaret ex visibilibus Sacramentis. *Ponent sibi rectè.* Postquam dixerat Vates, vnionem fidelium, subdit, vnde illa vnio resultabat, vtique, quia ponent sibi caput vnum, scilicet, Christum. Nisi quòd est ad manum dubitatio, quid est quod ait, ponent sibi caput vnum: enimuerò Ecclesia non constituit Christum in caput, sed Deus pater, cuius de cælo vox senuit dicens, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Positus est igitur Christus à Deo in caput totius Ecclesiæ, & militantis & triumphantis, & non ab hominibus. At verò si intelligas Vatis verba, ad hanc videlicet rationem, ponent sibi vnum caput, id est, acceptabunt libentissimè Christum esse caput & principem suum. Nam quamuis à Deo Patre sit constitutus caput vniuersale, & eius principatus sit monarchicus super omnem ecclesiam: cæterùm non omnes acceptant hunc principatum Christi, vt infideles omnes refugiunt subijci Christo, quia non omnes obediunt Euangelio, vt Paulus docet, & experimento quolibet discere poterit. Namque reliquit Deus hominem in manu consilij sui, & posuit ante eum,

Hæresis est dicere ecclesiam Christi esse inuisibilem.

Libera est fides, & nõ coacta.

aquam refrigerij, & ignem deuſtionis, & lucem ſanctæ fidei, & tenebras ignorantiæ & errorum, ad quodcumque voluerit porriget manum ſuam. Quocirca cùm neminem cogat ad fidem, conſectarium eſt, quoſdam quos diuina traxerit gratia, accepturos fidem Chriſti alios neglecturos. ¶ *Et aſcendent de terra quia magnus dies Iezrael.* Aſcendere de terra, ſignificat, aſſerendos fideles à captiuitate ſatanæ. Quemadmodũ enim cùm fuerunt aſſerti à captiuitate Babylonica aſcenderunt de terra, quia Babylon erat humilior ſitu quàm terra ſancta: ita modò ait, & aſcendent de terra, vt inſinuet conſequenter ad priora liberandos à tetriore diaboli captiuitate, à qua liberantur omnes fideles, ſiue ex Iudæis ſiue ex Græcis per Chriſti gratiã. *Quia magnus.* Quid fuerit Iezrael, ſuprà admonuimus verùm quia agitur de Iſraele ſpirituali, id eſt de Chriſti eccleſia, quæ ſpiritualis vocari poteſt, non quòd ſit ſpiritus, ſed propter inhabitantem in ea Spiritum ſanctum: ita agendum de Iezraele ſpirituali, quam ſignificabat Iezrael illa materialis, quæ erat vallis ciuitatis inſignis Iezrael appellata: illa ergò materialis Iezrael interpretatur, brachium vel poteſtas Dei, vel ſemen Dei, aut ſtillans contritionem. Et quidem per mortem Chriſti, aſſerti ſumus à pluſquam ferrea captiuitate diaboli, ideoque in Chriſti morte, ſub maxima crucis infirmitate, maxima micuit Dei potentia. Rurſus in Chriſti morte fluxit ſanguis & aqua, teſte Ioanne, diuina emanauerunt Sacramenta, per quæ regenerantur fideles, & plantantur in Eccleſia Ieſu Chriſti. ¶ Ad hæc Chriſti mors confregit indomitam diaboli elationem, & fregit vires infernales, vt rectè dixeris ſtillaſſe mortem Domini contritione. Igitur dies mortis Chriſti, eſt dies magnus Iezraelis: quia fuit dies diuinæ poteſtatis manifeſtatiuus, & fuit dies ſignificans, in aqua & ſanguine fluente ex Chriſti latere regenerationis Sacramentum, quod aqua cõſtat viſibili: at verò ſanguine Chriſti rubet inuiſibiliter, quia per ſanguinem Domini, nõ per ſuam naturam aqua baptiſmi nos regenerat in adoptionem filiorum Dei: quæ duo fuerunt adumbrata in aqua & ſanguine, quæ ex latere Domini fluxerunt. Non enim aqua illa fuit flegma, ſed vera aqua, neque ſanguis ille fuit ſanguis corruptus, qualis eſt cadauerum, ſed ſanguis fuſi ſyncerus. ¶ Et demum ille dies fuit, qui contriuit diaboli potentiam: vt ergo in Iezrael olim Deus vltus eſt iniurias ſuas, quas ei intulerãt Achab, & filij eius, & peſsima Iezabel, &c. & ideo erat celebratus ager ille Iezrael, & dies vltionis in ea factæ, erant celebres dies, & memorabiles: ita dies mortis Chriſti eſt ſummè memorabilis, quia ibi vltus eſt Dominus de hoſtibus ſuis, & humani generis, qui ſunt dæmones. ¶ Ante igitur Vates, primò dixit eſſe coadunandos Iudæos & Iezraelitas, quia ex omnibus Tribubus habuit Chriſtus fideles, & dein dat cauſam huius vnionis, quia ſcilicet magnus dies Iezrael id eſt, quia celeberrimus eſt dies mortis Chriſti, nempe per quem pacificata ſunt omnia, & cæleſtia & terreſtria. De morte Domini, noſtra ad Eſaiam extat declamatio, volenti eam videre, maiora hauriet, quàm hoc loco docenda veniant. ¶ Scito tamen Nicolaum Lyranum, incepiſſe caput ſecundum Oſee, ex illis iam expoſitis verbis, *Et erit numerus filiorum Iſrael, &c.* & ait, Hebræos inde Capituli ſecundi feciſſe initium, verùm in Biblijs correctioribus, etiam ijs, quæ ad veritatem Hebraicam ſunt correcta, non hoc experior, ſed ordinem eum habere, quem ego ſecutus ſum exponendo.

Iezrael ſpiritualis quæ.

Dies mortis Chriſti, dies magn⁹ Iezraelis.

CAPVT II.

DICITE *Fratribus veſtris, Populus meus: & ſorori veſtræ, miſericordiam conſecuta.* Vatablus, hanc Pericopim finem eſſe fecit primi Capituli: at verò in Biblijs noſtris eſt exordium ſecundi, vt aptè adijciuntur, vel adijci poterant priori Capitulo, vt poſt hæc videbitur. Locus autem hic vulgatè exponitur de vocatione Gentium, quas Vates ſuſtinens Dei perſonam, iubet vocare Fratres, & populum Dei, ſiquidem in Domino Ieſu Fratres ſunt omnes fideles: ſiquidem in ipſo neque Circunciſio nihil valet, neque præputium, ſed noua creatura, id eſt, intereſt nihil quòd homo ſit circuncciſus aut præputiatus, vt ſit Deo gratus: quia is ſolùm Deo gratus, qui renouatus eſt ſecundum ſpiritualem vitam ex Chriſti baptiſmate. Et ad Coloſſ. 3. Vbi, inquit, non eſt maſculus, aut fœmina, Gentilis, & Iudæus, circunciſio, & præputium, Barbarus, & Scita, ſeruus, & liber, ſed omnia cum omnibus Chriſtus, id eſt, lex ſeu gratia Euangelica: omnibus eſt communis, ſiue maſculis, ſiue fœminis, ſiue Græcis, ſiue Iudæis, &c. Quocirca hanc gratiam præuidens longè antè Vates, ſpiritu Dei plenus, futuram vnionem Gentium cũ Iudæis in fide Euangelica tanquam præſentem eſſe docet dicens, Dicite fratribus veſtris, &c. id eſt fideles: Gentes iam vocate fratres ô Iudæi fideles, & ſorori veſtræ, id eſt, Gentilitate, vocate iam miſericordiam conſecutam: quia gratia Euangelica in omnes diffunditur qui ſub cælo ſunt mortales. Videtur autem, quòd quia Oſeas dudum propoſuerat, ſe ex Domini iuſſis, ex vxore ſua habuiſſe duos filios, & vnam filiam. Et huiuſmodi Symbolum gerebant perditionis venturæ Iſraelitarum. Et dein dixerat huius perditionis conſolationem, vt ex calce capite didicimus, ideo forſan aptius exponetur. *Dicite fratribus veſtris, &c.* id eſt, ô Iudæi, dicite Iſraeliti fratribus veſtris, ſiquidem omnes, qui ex familijs erant Iacob, dicebantur phraſi Hebræa fratres: & eſt ſermo frequens in Scripturis quale illud, Non fœnerabis fratri tuo: quia accipere fœnus ex mutuo, prohibebatur expreſſe Iudæis ab alijs Iudæis. Dicite igitur ô Iudæi fratribus veſtris Iſraelitis, ſignificatis per duos fratres filios Oſee, populus iam eſtis Dei. Quia vt dicebam, quòd ſperabatur futurum, vt iam præſens denarrat Vates: quia certiſſimus eſt Prophetiæ euentus, nam quæ ſunt præſentia certa & indubitata ſunt. *Et ſorori veſtræ, &c.* Alludit ad filiam ſuam, quam ex Dei mandato vocauit Sine miſericordia, & plebs Iſraelitica dicta eſt Soror plebis Iudaicæ, vt ſuprà meminimus ex Ezechiele: plebs enim decem tribuum appellata eſt Oola, & ſoror maior, quia numeroſior erat quàm plebs duarum Tribuum. Huic igitur ſorori Deus dicit eſſe iam miſericordiam conſecutam, quia per Chriſtum ſunt vocati, etiam Iſraelitæ qui erant diſperſi in nationes, vt ſuprà dictum eſt. Deus igitur qui Vati primò dixerat pro filio, voca nomen eius Lo, ami, id eſt, nõ populus meus & pro filio, voca nomen eius Lo, Ruhama id eſt, abſque miſericordia, & hæc nomina peccati, Iſraelitarum denotabant ſupplicia: nunc contra vocandos iubet, fratres, Ami, populus meus, & ſororẽ, Ruhama, ideſt miſericordiã conſecutã. Vt ſicut in nominibus prioribus diuinę iuſtitiæ ſcueritas Iſraelitas deterrebat: ita in nominibus poſterioribus diuinę miſericordię ſuauitas eoſdem demulceret. Vnde vt dicebamapte conuenire poterant hæc, vt eſſent finalia verba capitis prioris, vt Vatablus tranſtulit. Quia videtur textus conſequentia illa in finem ſuum exigere. Rabbi Salãmon hæc refert ad reductionem captiuitatis Iudæorum ex Babylone in Iudæam cæterùm, Iudæi in Babylone populus Dei erat, & prophetica conſolatione gaudebat & ſpem redeundi firmiam concepierat ex verbo Ieremiæ, & Ezechielis, & Danielis. ¶ *Iudicate matrem veſtram, iudicate.* vertit modò ſermone ad Iudæos, id eſt, ad duas Tribus, quæ patrem contaminauerant ſcelere cum decem Tribubus. Et ait, Iudicate matrem veſtram. Quia Ieroſolyma erat caput regni Iuda & Sacerdotij Leuitici, ideo eam vocat matrem Iudæorum: vt Roma vocatur mater, & magiſtra Eccleſiarum: & vſurpatur continens pro contento, vt in ſermone illo, Fœcundi calices quem non fecere deſertum. Et Dominus, Hic calix nouum Teſtamentum, vſurpatur calix continens vinum, pro ipſo vino, aut pro ſanguine Chriſti, inibi contento. ¶ Ait igitur, ô vos viri probi, quorum eſt reprehendere malefacta in Republica. Nã qui alios carpit crimine carere debet, iudicate, id eſt, reprehendite, & arguite Iudæos, fratres veſtros habitantes Ieroſolymis. *Iudicate*, repetit idem, vt vehementior ſit in improbos oratio, ſiquidem repetitio eſt frequentiſsima in idiomate Hebræo, quã ob cauſam relati vtuntur paſsim Prophetæ. Hoc autem loco *iudicate*, non dena-

Ezech. 23.

1. Cor. 7.

Deut. 23.

tat sentētiam iudicia proferre. Quando quidem (si boni viri) propter virtutē quā sunt prædīti, & doctrinā possunt alios carpere & corripere, iuxta Euangelium præceptum, Si peccauerit frater tuus in te vade & corripe eum, &c. At vero iudiciaria proferre sententiam, nō est horum, sed iudicum. Vnde translatio. Vatabl. recte habet, Expostulate cum matre vestra, iudicate, vel obiurgate matrem vestram, Synagogam scilicet, quæ Ierosolymis erat. Namque verbum Hebræum hoc loco positū est Ribu, quod significat obiurgare, vnde Rib significat iurgium, itaq; ex hoc loco promptū est fas esse inferioribus moderatē arguere superiorum errata, non quidem fastuose & insolenter, ad captandam scilicet iuuenum gloriam coram plebe, sed solum zelo religionis ostendendæ, aut virtutis suadendæ. Vnde Paulus reprehendit Petrum religione tactus Christianimi ad Galat. 2. & ille Nathanaelem Reges obiurgauit, Dauidem Regem, propter adulterium, & homicidium quod commiserat. Etiam Vrias Prophetes reprehendit Ioachim regem Iudæ Iere. 26. vt Micheas Moraschites sub Ezechia rege Prophetes, item reprehendit delicta populi & principum Michææ 3. & Iere. 26. & sedechiam regem Iudæ obiurgauit Ieremias cap. 32. & ita de aliis, si plura exempla percensere libuerit. Addendumque aliquem, & Dominus vult et viros iustos & timoratos, principe, & sacerdotes, cum tota congregatione Ierosolymitana, obiurgare & reprehendere: quamquam congregatio illa & superiores, quæ reprehendebat, essent tanquam mater & obiurgatores tanquam eius filij. *Quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius.* i. est, dum illa non est quæ à vobis obiurgetur, siquidē ipsa ob sua delicta dejecta est ab illa tanto honoratissimo, in quo eam constituerā. Ego namque curabam eam, & honorē ei rogabam, vt vir prudens & probus curat suam vxorē: iam verò ipsa tot & tantis se dehonestauit delictis, vt nam in signum sui odij & ire. Quocirca eam permittam Chaldæis, vt eam contumelijs deturpent, & optimis quibuscumque bonis eam spolient, & demum adeò subijcient eam, vt longo æuo captiuam teneant. ¶ Iam interim obserua, Deum, maximoperè amare nostram correctionem, ideoq; iubere iustis & timoratis, vt reprehendant Synagogam Ierosolymis agentem: vt reuerarentur

Licet inferioribus obiurgare errata superiorum.

Exempla quædam inferiorū qui reprehenderunt suos superiores

prehenderent Ieremias & Vrias, & Micheas, Ezechiel, & Daniel Iesum Iosedech, & Micheas Moraschites Ioachim regem Iudæ, & Ieremias verò & alios captiuitatem reprehenderunt eorum idololatriam, & insolentias alias; Ieremias verò & ante captiuitatem, & ab ipsa. ¶ Hæc autem fuerunt Dominus Deus, nolens mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Non enim lætatur Deus in perditione viuorum. Quocirca curat sedulò per suos Vates, reprehendere iniquos mores, ne incorrectos ipse puniat: vnde latis indicat, Deum, se magis eligere misereri quam punire, vt Ecclesia canit in quadā Quadragesimali oratione. ¶ Tu item considera, quòd etiam in hac vita Deus dignatur animam rationalem, fidelem, & sponsam vocare vxorem, quia proinde se gerit ad eam, vt vir in matrimonio ad vxorem. Et Paulus eodem sermone vtitur, dicens, Viri diligite vxores vestras, sicut dilexit Christus ecclesiam, insinuans, quam sub decursu huius fluxibilis vitæ, Ecclesiam esse vxorem mysticam Christi. Et tanquā stupenda est Dei dignatio in nos miseros mortales, nam & scriptura diuina miris vtitur metaphoris, vtiā enim vocat Deum Virum, iam sponsum, iam Pugnatorem, &c. & Deo denique nostros adaptat mores, vt nos adoptemur diuinis.

Auferat fornicationes à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum. En tibi obiurgationem quam debent facere Prophetæ aduersus matrem suam, videlicet, quòd *auferat fornicationes à facie sua, &c.* At vero non ne per hæc dicetur aliquis, nunquid fornicatio est in facie? non sanè, sed in corde, testante Euangelio, Non quòd intrat per os coinquinat hominem, sed quod exit ab ore: quæ enim ab ore procedunt à corde exeunt, & coinquinant hominem, vt fornicationes, &c. Cur ergo ait per Oseam *Auferat fornicationes à facie sua.* item &, subdubitabis de aduitijs: nam quæ adulteria, vt vniuersa peccata à corde exeunt. Non enim peccatum est, si voluntarium non est: vnde ignorantia inuincibilis, quæ voluntarium penitus detrahit, aufert item peccati imputationem. Et demùm quòd auget voluntariam, auget culpæ grauitatem vt concupiscentia, & quòd diminuit voluntarium culpæ extenuat fœditatē, & metus cadens in constantem virum, aut violentia, seu extorsio, vt nos fusius diximus in nostris Theologicis disputationibus.

¶ Respondetur Vatem vium esse Metonymia

Matth. 15.

Quod tollit voluntarium & culpā tollit

Ephes. 5.

mia: diximus enim abundare diuinas literas schematibus, & tropis Rhetorum, imò nullius Rhetorum ita floret oratio, vt sanctarum scripturarum. Quia ergo meretrices vt homines ad libidinem pelliciant, vultus suos multis fucant mentitis coloribus, vt synopide, minio & cerusa, & alijs multis picturis facies suas pingūt, id quod est incitamentum ad fornicationē, & causa eius vnde de meretrice dicitur Prou. 7. quòd ipsa ornata est ornatu meretricio ad decipiendas animas. & Prou. 5. Fauus distillans labia meretricis. Ob hāc igitur causam, quia ipsa meretrix ex procaci suo vultu incitat ad fornicationem, mouetur vt auferat à facie sua fornicatiões. Et ob eandem præcipitur, vt auferat adulteria de medio vberum suorū: est enim pectus in medio vberum, vnde meretrices etiam ornāt pectora torquibus & monilibus, illudque dealbant suis condimentis, item vt deciapiant animas. ¶ Significat igitur obiurgatio hæc, matrem de qua est sermo meretricem esse, & id est Ierusalem, tum abundare fornicationibus, & adulterijs, & lasciuijs alijs, vnde Isaias dolebat cap. 1. de huiusmodi sceleribus dicens, Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis. Etsi arbitror ideo vocatam meretricem, propter idololatriam, vt mox aperiam. ¶ Aut secundò, exponere non pigebit. *Auferat fornicationes à facie*, ideſt, ne aspiciat idola cum quibus fornicatur & auferat adulteria, de medio vberum suorum, id est, remoueat & abducat affectum suum ab idolis. Idola enim valde amabant Iudæi, & propter idololatriam, quam impēdio affectabant, fuerant traditi in captiuitatē. Ideò Deus per Vatem, ait vt auferat, à suo conspectu, & affectu, nec idola, ne videndo illa decepta, pulchritudine, & ornatu idolorū, ea amet, & adoret. ¶ Vocat igitur fornicationes, & adulteria, ipsa idola. Quippe quæ erant obiectum idololatriæ. Sicut de bono si sit sermo, Deus vocatur patientia nostra, & spes nostra, & iustitia nostra. Namque ex Metonimia causa vsurpatur pro effectu & obiectum sæpè sortitur, nomen actus, quiin ipsum tendit, vt visio Isaiæ, id est res quam vidit Isaias, fornicatio autem, quod idololatriam denotet, in sanctis scriptis, supra admonuimus. Non quod sit vera carnalis fornicatio, sed translatitiè solum. Inpectore autem quod significetur affectus perspicuum est. Namque in pectore resi-

det cor: cor autem, est principium cōcupiscendi, & irascendi. ¶ Obserua rursus, circa priora, illa verba, *ipsa non vxor mea, ego non vir eius*, prius, animam nostram, desererе Deum, quam deseratur à Deo, vt supra etiam adnotatum est. Namque primò ait, ipsa nō vxor mea est, vt denoter, quod anima prius se separat à Deo, & continuo subditur, ego non vir eius. Quasi clarius dixisset, quia ipsa respuit meum coniugium spirituale, ego, respuo, item & suū. Verè igitur amantem diuina, Deus nō potest deserere, vere contritum, non potest, ex sua lege non respicere. Ad quem per Isaiam ait, respiciam, *Nisi ad pauperculum*, id est humilem, & contritum spiritu, ita quoque volentem peccare non potest nō orbare gratia gratum faciente. ¶ Quod vero diximus, prius hominem, se separare à Deo, quam se separet Deus ab homine, tu subintellige, non de prioritate temporis, sed naturæ. Sicut prius est, quod homo claudat fenestras, quam quod cubiculū, tenebris affundatur, non tempore, quia simul illa sunt, sed natura, quia claustio est causa tenebrarum. *Ne forte expoliem eam, & statuam eam secūdum diem natiuitatis suæ.* Verissimè diuinæ literæ diuinam nunquā non prædicant misericordiam. Enimverò diuinum ingenium propensissimum est ad misericordiam præstandam, nisi quod humana procacitas, fonti diuinæ misericordiæ, se obijcit, & fluxum diuinæ misericordiæ, ex sua iniquitate restringit. Habes huius rei promptum exemplum, in re præsenti. Enimverò videns Deus abominationes Ierosolymitanorum, seu tribus Iuda, & sibi sociæ Beniamiticæ tribus, tantorumq; flagitiorum, aduertens, inferēda digna supplicia, occurrit per propheras suos, vt matrem, id est, synagogam, monerent pluries, vt corrigerent errata sua, vt auferent, scilicet, fornicationes suas, vt exposuimus. Modo autem vt promptius diuina mādata expediant, supplicia eis vētura exponit, nisi paruerint verbo Dei, dicens, Ne forte, &c. Peccatores autem bifariam spoliantur, aut secundum animam, aut secundum corpus, id est, vel spolio spirituali, aut spolio corporali. Peccatū enim spoliat animā diuina gratia, & iure habēdi vitam æternā, quo iusti homines potiuntur. Item spoliat. ¶ Anima enim nudata Dei gratia, etsi fidem, & spem, nihilominus potest habere, cæterum, Deo est ingrata,

Prius est hominem peccare quam orbari diuina gratia.

De huiusmodi traditur in Apocalyp. c. 3. dicis, quòd dives sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. ¶ Quia reuera, quamuis homo opibus, & omnibus abundet alijs bonis, si spoliatus est diuina gratia, nudus est coram Deo, & miserabilis. ¶ Et quia charitas Dei seu gratia Dei est operimentum nostrorum peccatorum, infelix hoc spoliũ, qui sustinet diuinæ gratiæ, nuda, & retecta habet corã Deo peccata sua. Non quòd vnquam Deo sint peccata abscondita, omnia enim sunt nuda in conspectu eius, & infernus, & perditio, in conspectu eius sunt, Prou. 15. At verò, scriptura, vsa est hac periphrasi sermonis, videlicet, quòd charitas tegit nostra crimina, vt denotet Deum perinde se habiturum, erga peccata quæ confessi sumus, & de quibus condignã egimus pœnitentiam, ac si Deus illa nesciuisset, & essent abscondita à vultu eius. ¶ Spolium autẽ corporale, manifestius est, quàm multis sit modo prosequendum. Porrò cum natiuitate nostra, nudi nascimur, vtroque modo, & gratia Dei, quia omnes nascimur filij iræ, & bonis corporalibus, quia nudi nascimur de vtero matris nostræ, testante beato Iob cap. 1. Nudus natus sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Quòd si te turbat isthæc locutio Iob, siquidem, Nemo potest rursus repetere ventrem matris suæ, vnde exiuit, Ioan. 4. non te turbabit, si consideras, terram esse matrem omnium viuentium, & ipsam excipere defunctorum corpora in se, nam ea abscondit ceu in secundo vtero. Ideo ait, & nudus reuertar illuc. Sanè non ad vterũ priorem, sed ad verum posteriorem, quia terra est, in quam cadauera nuda sepeliuntur. Nuda, scilicet, ab omnibus bonis, quæ quamdiu viuebant habebant. ¶ Porrò nostram nuditatem, & interiorem, & exteriorem, Deus vestit: internam sanè vestit innocentia die baptismatis, quando tingimur aqua regeneratiua. At postmodũ si accidat nos spoliari à dæmone huiusmodi innocentis veste, Deus nos iterum vestit, per pœnitentiæ sacramentum. Id quod significatur, per illum qui descendebat à Ierusalem, in Iericho, & interim, incidit in latrones, qui spoliauerunt eum, & vulneratum, semiuiuum, reliquerunt. At Samaritanus pertransiens vulnera vides, misericordia commotus, quem neglexerant prærereuntes, sacerdotes, & leuita, ipse curandum duxit, infundens in vulnera oleum, & vinum. ¶ Et quidem à Ierusalẽ descendit fidelis laplus in culpam, qui pacem prius habens, cum Deo descendit in Iericho, id est, in culpam. Iericho vero illa est, quam olim euertit, incendio Iosuę adumbrans Christum peccatum destructurũ, ideò rectè culpæ status per Iericho denotatur. Namque Iericho, odor interpretatur, quia ibi balsamũ nascebatur, quod est valde odoriferum. Mundus igitur, & carnis illecebræ, mundanos ad se trahunt, allectos odore, visibilium bonorum.

Quid sibi velit, quòd charitas tegit peccata

Iob. c. 1.

ve. 10.

¶ Vulneratus autem iacet fidelis peccator in Iericho, quia captus odore huius sæculi vitam spiritualem amisit. Relinquitur autem semiuiuus, nõ quia vitam spiritualem gratiæ sub peccati funesto vulnere obtineat, sed quia fidem adhuc habet Catholicam, quæ etsi sola non sit vita, est tamen spiritualis vitæ principium, & fundamentum. Et vt semen iuxta peripateticam philosophiam, est viuens in potentia, siquidẽ etsi actu non gaudeat vita, potentia tamen vitam habet talis est fides, quæ etsi sola nõ donet vitam gratiæ, quia multi sunt culpa ti fideles, cæterum habet vitam in potentia. Nam fides nos excitat ad pœnitentiã delictorum nostrorum proponendo nobis, & præmia, & supplicia, ideò rectè dicitur, quod semiuiuus fuit à latronibus relictus, vnde infideles, habent conscientias prsus emortuas, quia orbantur principio vitæ, quod est fides. Et quidem latrones, illi qui intulerant hominem descentem à Ierusalem, relinquerũt eum semiuiuum; at dæmones, qui nos inuadũt, contendũt, nostras mẽtes prorsus emortuas facere sublata fide. ¶ At Deus misertur nostri, qui quamuis permittat lapsum in peccatis alijs, fidẽ tamen conseruat in nobis, vt per eam nos ducat adveram pœnitentiã. Nonnunquam autem ea est labes nostra mentis, quæ hoc poscat in supplicium, vt tradamur in reprobũ sensum, neglecta fide Catholica, vt videmus apud Germanos, & alias nationes diabolico instinctu, detorbatam esse Catholicam fidem. Iam verò missas faciamus has Tropologias, & ad literalem sensum, regrediatur oratio nostra. ¶ Scito igitur ad intelligentiam nostri Vatis, scriptum esse apud Ezechiel. cap. 16. parabolam quandam, de puella quadã, quæ vilis erat, & vilia habens natalia, videlicet, quia

Fides sola non viuificat, sed est vitæ principium.

Fides sublata tamẽ semortua manet, illa verò vigẽte, si peccatum non facit, semi mortua est

cùm orta esset à sanguine, secundinarum non fuerit emundata, cuius item vmbilicus non fuerit præscissus, & quæ sale non fuerit salita. Quæ omnia ad vilipendium puellæ sunt spectantia, siquidem puellis omnibus in die ortus sui, præscinditur vmbilicus, & sanguis secundinarum expurgatur, & sale saliuntur membrula, vt sint compactiora. ¶ Hanc igitur puellã, qui sibi sumeret, & foueret, & nutriret, & sanguinem quo respergitur mundaret, & vmbilicum præscinderet, & membra sale saliret, & insuper hanc aleret, quousq; ad pubertatis proficeret annos, & tunc eam vestiret discoloribus, & subtilibus vestibus, videlicet holosericis, prætiosissimisq; alijs, & denique ornaret eam mũdo muliebri exquisitissimo, & tandem eam duceret in vxorem: postmodum verò si puella hæc, tã magnificorum munerũ oblita, sperneret virum, qui tantis, & tam rarissimis eam affecerat beneficijs, alium quæ superinduceret, contempto primo munificentissimo viro, dignissima esset, quę spoliaretur omnibus bonis sibi concessis & repudiaretur. ¶ Est autem hæc parabola, significans plebem Iudaicam, quæ in die ortus sui, id est, in exitu ab Ægypto (nam hæc fuerunt velut natalia illius populi) vilis sane tũc erat, quia sub seruitute tunc erat durissima, & pauper, & nuda, vt sunt serui omnes, siquidem bona seruorum sunt dominorũ suorum, ideoq; valdè tunc contemptibiles erant Iudæi, cæterum Dominus eos extrahens Iudæos de seruitute Ægyptiaca, auxit eos valdè, vt in Psal. 104. Auxit populum suum vehementer, & mirum in modum ditauit, & ornauit, & pauit eos in deserto, & igneam columnam dedit eis, quæ luceret eis per noctem, & nubem donauit per diem protegentem ab æstu, & vtraque hæc donata etiam sunt, vt ducerẽt eos per viam desertam, ne vagarentur incerti. Et demum adeò auxit & ornauit plebem Iudaicã, vt nulla natio sub cælo esset illi comparabilis, vnde erat admirationi, & miraculo toti orbi. ¶ At vero, ipsa ignara Dei sui & paupertatis, & ignominiæ suæ, qua erat affecta, in die natalium suorum, contempsit Deum amatorem suum, qui eam velut vxorem in monte Sinai sibi acceperat, spondens et auxilium, & nutrimentum, & fauorem impensissimum, si ab ipso non discederet: discessit tamen, declinans ad deos gentium, non solùm in deserto colẽs idola, verùm etiam postquàm aucta est in regni clarissimam celsitudinem, & postquam templo celebratissimo fulgebat in omni orbe. Declinauit nihilominus suo more ad idola gentium, ob quam causam decem tribus fuerunt abductæ in Assyrios & euulsi à terra sua, & patrum suorum, & duæ tribus abductæ tandem sunt in Chaldaicam seruitutẽ. Monet igitur Vates modò, vt longè faciant fornicationes suas, & idola sua. *Ne forte, ait, expoliem eam, & statuam eam, &c.* id quod certissimè illis euenit, siquidem fuerunt spoliati gratia Dei cum bonis omnibus, quibus abundabant, & fuerunt redacti in seruitutem Gentiũ vt fuerant olim sub Pharaone, in Ægypto. Ait verò, *Ne forte*, non quòd Deo quicquam sit dubium aut incertum. Quippe omnia sunt in oculis eius nuda & aperta. Sed quia si pœniterent de malefactis suis, non spoliarentur patria, & libertate, ideo ait, *Ne forte*. Hoc idem quòd Vates Dei commemorat, etiam Parabola insinuat Euangelica, Matth. 12. Cum immundus, ait spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit. Tunc dicit, reuertar in domum meã priorem vnde exiui, & veniens inuenit eã vacantem, &c. & tandem subditur, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Adumbrat hæc Parabola plebem Iudaicã, à qua Dominus in deserto expulit spiritũ malum, qui ei dominabatur in Ægypto: at verò plebs hæc immemor diuini muneris, lapsa est in infidelitatem, videlicet, ante Christi tempora in idolatriam: sub Christo verò in negationem Christi. Quamobrem destituti sunt diuina ope & misericordia. Quæ vniuersa sacer ille legislator longè ante præuiderat, vt Deut. 32. miserias sui populi decantat dicens: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, & dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum, & recessit á Deo salutari suo. Et paucis interiectis, tanti flagitij demonstrat supplicium, dicens: Sub Dei persona abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum, quasi dixisset apertius, subtraham fauorem & præsidium meum ab eis, & tunc considerabo exitum infœlicissimum eorum. Id quod Euangelicæ literæ testantur dicentes: Et erũt nouissima hominis illius peiora prioribus. Namque nunc in maxima sunt pressi Iudæi seruitute vbique gentium, & vt vi-

Parabola Ezechielis expouitur

lissima mancipia reputantur. Alij per natalis diem intelligunt, principium ortus Iudæorum, qui fuit Abraham, qui fuit ante vocationem idololatra & ex idolatris, vt habetur Iosue. 24. *Et ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam, & interficiam eam siti.* Hoc patet ex dictis siquidem Nabuchodonosor redegit terrã Iuda, & Beniamin in solitudinem, siquidẽ omnes nobiles abduxit in captiuitatem, vilissimos quosque inibi relinquens. Et facta est illa terra sicut terra inuia, quippe quæ inculta ab hominibus bestijs malis impletur: dicit autem, *interficiam siti*, quippe obsessi sunt à Nabuchodonosore fortissima obsidione: est autem commune sic obsessis, perire & fame & siti. *Terram inuiam.* alij transtulerunt terram torridam, id est, terram aridissimam, vbi nullus est terræ fructus, quale erat desertum, per quod ambulauerunt filij Israel, quando Ægyptum exierunt, si volet tropologiam, anima propter culpã sit deserta & arida, quia destituta Dei gratia fructus vitæ æternæ prodere nequit. *Et filiorum eorum non miserebor, quoniam filij fornicationum sunt: quia fornicata est mater eorũ: confusa est quæ concepit eos.* Iudæos Ierosolymitas vocat hic filios, horum ait Dominus, se eorum non misertũrum, quia multi eorum sunt occisi sub obsidione, & multi ducti captiui. Et causa subtractionis diuinæ misericordiæ est, quia filij sunt fornicationum, id est, pessimi sunt idololatræ. Secuti enim sunt exemplum matris suæ, id est, Ierosolymæ quæ idolorum cultu maximè fœdata erat sub Achab, & Manasse, &c. *Confusa est*, id est, cõfundetur, & pudore corripietur Ierosolyma Iudææ Metropolis, quando viderit suos ciues interfici, spoliari omnibus bonis, & in captiuitatem redigi. Et reuera magna confusio, quòd is, qui clarissimus Dei populus fuerat, tot nobilitatus diuinis dotibus, tot celebratus illustribus triumphis, quòd miser & nudus vi oppressus trahatur captiuus, & templum Salomonicũ toto orbe gloriosum, incendio pereat, & muri ciuitatis diruti, vt nullam possint habere ab illis defensionem. *Quia dixit, Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Rectè dixit S. Grego. peccatum quod per pœnitentiam non lauatur, suo pondere in alia trahere, id quod est cernere in istis Iudæis, quos sacer commemorat Vates. ¶ Istis namque, non sufficit adorare idola, sed auxerunt suum scelus, summo alio scelere, videlicet attribuendo idolis rerum creationem: & eis accepta referendo, quæ diuinitati soli sunt accepta ferenda. Hoc est, ait, quia dixit, *Vadam post amatores meos.* id est, idola, qui dant panem, &c. Mira est humana cœcitas nã in rebus cui dẽtibus sæpè cæcutit, cùm semel mentis obducitur caligine. Namq; quæ maior temeritas, quàm credere idola esse creatores panis, vini, lanæ, olei, &c. quandoquidem, cùm sit solus vnus rerũ creator Deus, & impossibile est multos esse creatores, qui idolis tribuit subministrationẽ panis, & vini, &c. dubio procul, multos profitetur creatores, cùm tamen adsensum pateat idola creaturas esse, & non creatores. ¶ Cæterùm isti delyrium hoc sibi suaserunt, quia putabant quòd post quam idolorum cultibus sese mancipauerant, abundabant bonis terrenis, scilicet, pane, aqua, oleo, &c. ideo insensati, aiunt, idola eis suppeditare bona terrena, cùm tamen contrà poterant experiri, ob adorationem idolorum orbatos fuisse à Deo omnibus bonis temporalibus, quibus erant refertissimi, & pressos multis fuisse & acerbissimis calamitatibus. Cùm autem Deo debitum impendebãt cultum, honoratissimos fuisse, & locupletissimos adeò, & bonorum exundans copia, fuerit eis lapsus occasio, vt ex Mose paulò antè referebamus. Impinguatus est dilectus, incrassatus, dilatatus & incalcitrauit, subaudi contra Deum, vt equus indomitus & egregiè pastus, solet in dominum calces mittere. ¶ Erat autem occasio erroris istis, quia videbant gentes opulentissimas esse, & nihilominus adorantes dæmonia, quia dij Gentium dæmonia, ideo dæmonijs attribuebant bonorũ temporalium collationem, cùm tamen debuissent videre, quòd neque Gentes neq; ipsi à quoquam alio poterãt obtinere temporalia, neque æterna, nisi à summo creatore, quòd verè Gentibus idololatris ea cõcederet Deus, vt pijs Dei cultoribus exinfinita sua largitate proueniebat, quippe qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. *Vadam ad amatores meos,* id est, impendam dæmonijs cultum. Sed veri dæmones non sunt amatores humani generis, sed pessimi osores. Etenim testante sacro Euangelio, Ille homicida erat ab initio. Ioan. 8. siquidem

Impossibile est esse multos creatores.

Diabolus suis familiaribus simulat esse amicum, cùm alioqui sit deterrimus inimicus.

quidem creatum primò hominem, diabolus perdidit: & animus eius est occidere nos & non seruare, si simulat se equidẽ esse amatores sucrum familiarium, cùm alioqui nihil minus habeant quàm eos amare, cùm vniuersitatem hominum dæmones odio maximo persequantur: nam inuidia diaboli mors introiuit in mundum. Sane multa præstant suis familiaribus dæmones, quæ videtur amoris erga eos signa nam faciunt quæ ab illis ipsi postulant: cæterùm hoc faciunt, non ex amore, sed ex occulto odio, vt eos inescent, & tandem ad præcipitium mentis & sæpè corporis eos deducant. Quia ergo ipsi nos odio capitali persequuntur, oportet etiam nos erga eos similiter gerere, vt odio habeamus eos, & fugiamus eos, & eorum opera, quæ sunt tenebrarum opera: vndè qui init pactum cum dæmonibus, vt quidam ineũt, vt grandia quæ exoptant perficiant, grauissimè lęduntur numen: siquidem cùm hostes sint infestissimi Deo, non licèt hominibus maximè fidelibus, qui sunt filij lucis, cum principe tenebrarum societatem inire.

Namq; nulla est conuentio lucis ad tenebras, neq; participatio Christi cum Belial, ideo q; Necromantia & omnes diuinatoriæ artes sunt dãnatæ ab ecclesia Dei: quia in omnibus istis se miscet diabolica opera & societas. *Vadam post amatores meos qui dant panem mihi.* Hoc itidẽ exprobrat Ieremias Prophetes. 44. inducẽs enim Iudæos loquentes in hæc verba, Ex quo tempore cessauimus sacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & fame, & gladio consumpti sumus, eis respondet Vates contrarium accidisse Iudæis, quã ipsi dicunt, siquidẽ quia sacrificabant idolatriæ, ideo fame & gladio erant consumendi, & calamitates quas sustinuerant, propter idololatriã sustinuisse. Et oportuisset quidem eos meminisse maledictionum contentarum in lib. Leuit. 26. quas Dominus comminatur sacrificulis idolorum, & benedictionum quas Dominus pollicetur implendas cultoribus suis, Hæbitas fortasse qua ratione poterant Iudæi adeò insanire, quòd i. lola lignea, & aurea, & argentea, & aurea, quæ erant prorsus inanimata crederent, subministrare panem & vinum, & oleum? ¶ Respondetur, quòd erant illis idola representantia Solem, & Lunam, & Astra quædam insignioraut ex cap. Ieremiæ præcitato, apertè colligitur, & huiusmodi imagines. Astrorum adorabant Iudæi, sequentes ritum Gentium & causa eorum illis huiusmodi cultus, quia ex cælo & astris videbant huiusmodi bonorum copiam prouenire. Deus autem hoc sceleus prouidens in Deut. cap. 17. grauissimè punientes mandat, siue viros, siue fœminas, qui Solem, vel Lunam, aut militiam cæli, id est astrorum multitudinem coluerit, & in Ierem. cap. 10. Nolite, ait, timere à signis cæli. Per timorem more consueto Scripturæ reuerentiam intelligens, vnde de Salomone traditur, quòd post quam illud fortissimum depromptit de duobus infantibus iudicium, quòd Iudæorum populus timuerunt Regem, id est, habuerunt eum in precio, multifacientes scilicet, eum. ¶ Fuit autem ergo tanti erroris, quia credebant Solem & Astra, esse intellectuales substantias, ideo reuerendas & colendas eas putabant, tãquam deos, vnde Deut. 4. Hoc idem inculcat Moses, Ne forte, ait, eleuatis oculis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia Astra cæli, & errore deceptus, adores & colas quæ creauit Dominus Deus tuus, in ministerio cunctarum gentium quæ sunt sub cælo. ¶ Itaq; rationem profert, cur non sunt adoranda, & colenda ab omnibus cæli astra, nempe quia ea sunt creata non vt dominentur hominibus, sed vt illis seruiant, vt Sol seruit illuminando interdiu, & Luna noctu, &c. & non solùm nobis seruiunt, quin etiam & brutis & plantis: quid quod ministerium hoc necessariò præstant, ideo non sunt colenda. Namq; cùm homo, authore Aristo. 2. *Physic. tex. ca. 24.* sit quodam modo omnium visibilium finis, graue scelus admittit, subdere cultum suum quem soli Deo Creatori debet, creaturis istis visibilibus, cùm ipse sit præstantior illis. Hoc item errore decepti tenentur Indi, qui Solem exorientem adorant, & Lunam colunt. *Et potum meum.* Potus hoc loco pro re quæ potatur sumitur, scilicet pro vino, vel quauis alia re potabili, quam Hebræi syceram vocant, qua fit ex multis rebus. Vnde de Ioann. traditur: Vinum & syceram non bibit. per syceram intellexit Euangelista, quicquid inebriare potest hominem: & sunt multa quæ inebriare possunt præter vinum ex vite: quia sit etiã vinum quod vocant sydera, & cerusiam, & malualiam, vel vinum ex pomis, aut ex dactilis, &c. *Propterea hoc ecce ego sepiam viã tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semi-*

Iudæi imagines astrorum adorabant.

tas

tas suas non inueniet. Ex secunda persona transit ad tertiam: nam primò dixit, Sepiã viam tuam. & postmodum addit ex tertio, & semitas suas non inueniet. & est frequentissimum in diuinis literis, & in sermone nostro familiari, eadem consuetudo est loquendi, præsertim cùm irati sumus: tunc enim sæpè ex secunda persona, in quã contumelias iactamus, transimus ad tertiã: in quam quoque probrabimus, sub tertia subaudientes ipsam secundam cui irati sumus. ¶ At verò mutamus personam, vt honestiùs iram nostram euomamus. ¶ Ecce ego. Verba hæc referenda sunt ad obsidionem validissimam, qua obsessi sunt Iudæi à Chaldæis. Nã Nabuchodonosor erat rex potentissimus, cui subdebantur omnia regna mundi, Ierem. 34. ideo contra Sedechiam iratus valde, quòd ille iuramẽtum fidelitatis, Hispanicè la fee, y pleyto menaje, quòd Nabuchodonosori præstiterat impudenter violarat, maximam obsidionem parauit contra Ierosolymam, vt tandem illam subuerteret & penitus pessundaret, id quod effecit: & hoc est quòd ait, Ecce *ego viam tuam*, id est, vias tuas spinis sepiã: spinas vocat impedimenta quæ non poterant superare neque rex Sedechias, neque ciues eius. ¶ Nam conclusi ex obsidione euadere nequiuerunt: quamuis enim Sedechias studuerit euadere per cuniculos quosdam subterraneos, latiter subterfugiens ipse cum quibusdam militibus suis, at tandem comprehensus est in planitie Iericho. 4. Reg. 25. vbi traditur quòd clausa fuit ciuitas atque vallata bienmo. Et *semitas suas*, per quas scilicet, solebat ingredi has non inueniet, quippe omnes semitas & vias obsiderunt Chaldæi, vt nullus egrederetur ex Ierosolyma, & nullus ingrederetur qui eis deferret commeatum, vnde vt ibidem traditur præualuit fames, & nõ erat panis populo: per panẽ subaudi commeatum. ¶ Si Tropologiam amas, qui tanquam oues in inferno positi sunt, quos mors ipsa depascit, quia cum vita sociam habebit mortem sempiternam: isti sunt de quibus dixeris, quòd habent vias septas spinis, & semitas obditas macerijs. Siquidem, non conuertentur ad Dominum: neque agere possunt iam pœnitentiam. Enimuero Deus ab istis subtraxit suum auxilium, vnde pœnas quas luunt euadere nequeũt, ideo Dominus, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Vnde delyria sunt, quæ quidam Origenis sectatores tradiderunt, post multa sæcula esse deuehendos angelos malosque & damnatos homines peccatores ad altra. At verò quamdiu hoc agitur, nunquam via ad cælestem patriam spinis clauditur, vel obditur vobis ianua cælestis: vt illis fatuis virginibus fuit clausa. Aperta semper est, quamdiu in hac peregrinatione & misero incolatu agitur. Vnde quamlibet grauia peccata sint, semper per pœnitentiam condignam possunt superari, aliás nõ essemus in via, sed in termino, & conclamatum esset de peccatoribus in sæculo viuentibus. ¶ Et vbi esset illa sententia Eze. 33. in qua cumque die impius cõuersus fuerit ab impietate sua viuet. Et Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. ¶ Quocirca etsi morosa & tarda ad Dominum fiat conuersio, nunquã est inutilis, semper est proficua. Nam vt delyrabat quidem Concionator me audiente, contendens, quòd qui differt restitutionẽ in articulum vsque vitæ postremũ, quòd hic damnatione æterna plectetur. ¶ At verò hic Concionator, latronẽ in vltimo halitu constitutum exegisse veniam, nõ considerabat, & non solum adeptum veniam, sed simul cum venia beatitudinis gaudia reportasse non aduertebat. ¶ Vsu venit autem Prædicatoribus quibusdam, quòd studentes deterrere concionem, multa blaterant insulsa, imò planè insana effutiunt: & equidem sufficit Dei veritatem prædicare, quòd si hanc non audierint, neque falsis commouebũtur auditores: viatoribus igitur vsque ad postremam animam patet via salutis: at verò dãnatis clausa est ianua, & spinis est obdita: & iustè, vt qui peccatorum spinas adeò amarunt, vt neque iam iã morituri illas deusserint igne pœnitẽtiæ, spinis quoque occlusa sit illis ianua vitæ æternæ, id est sempiterno sit obdita ejs, neque viam aut semitam inueniant, vt Deũ possint iam promereri. *Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos & non inueniet: & dicet, vadã ad virum meũ priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Plebs Iudaica pressa calamitatibus recurrebat ad sua idola, eis offerendo, thura, & libamina, & alia quæ instituta habebat ad placandos suos iratos deos: at verò neque oblationes, vel libamina prodebãt sæpè illis, siquidem vanè se laborare in huiusmodi cultu cernebant. At neq; sic cessabant

bant à superstitioso cultu, sed instituerunt simul colere Deum verũ. vnde 4. Reg. 17. Et cùm Dominum, ait, colerent, dijs quoque suis seruiebant, iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam: & non solum Gentes hunc mixtũ cultum habebant in terra Israel, sed etiam & Iudæi idem actitabant, vt constat ex Ezechiele, qui vidit in templo Dei, vbi adorabatur Deus, etiam coli imagines idolorum cap. 8. Putabant ergo isti summæ esse religionis, nullum deorum habere offensum, cùm alioqui esset summę superstitionis deorum falsorum miscere cultum cũ cultu Dei veri. ¶ Secundò exponitur, & Nicolai est expositio, per amatores hoc loco subaudire Ægyptios, à quibus imploratum opem Ierosolymitæ, vt habetur 4. Reg. 27. quòd Ioachim Rex Iuda dedit pensionem auri & argenti Pharaoni Necao, vt sibi esset auxilium cõtra Nabuchodonosorem. Verùm neque profuit huiusmodi auxilium, quominus Nabuchodonosor expugnaret Ierosolymam, siquidẽ Nabuchodonosor sua vi repulit opem Ægyptiorum. 4. Reg. 24. ¶ Porrò quia Vates paulò antè, per amatores, intelligebat idola, vel deos falsos quos ipsi colebant, quos amatores vocat, non sanè quia erant veri amatores, sed veri illusores, sed quia cultores credebant suos deos esse amatores suorum cultorum, quia credebant bona ab ipsis recipere. ¶ Quocirca nõ videtur hæc commoda declaratio per amatores subaudire Ægyptios, sed deos, quos dudum dixerat, & sensus est hic, videtes Iudæi quòd ex cultu suorum deorum non leuabantur ex suis miserijs dixerunt, reuertamur ad cultum Dei nostrorum maiorum, vt benè sit nobis. Et colligunt prosperitatem successus, quia tunc benè erat nobis, quando colebamus Deum verum. *Sequetur amatores suos.* scilicet colendo eos superstitiosè, & non apprehendet eos, id est, nihil boni ex eis consequetur, sed frustrabitur suis votis. *Et quæret eos, & non inueniet*, repetit qđ dixerat sub alia verborum forma. *Et dixit, vadam, & reuertar ad virum meum priorem.* Persistit plebs in parabola supradicta, vocando Deum virum suum, & se vocando vxorem Dei. ¶ Porrò isti fictam pœnitentiam, & conuersionem ad Deum habebãt, siquidem, solum ob commoda temporalia reuertebantur ad Deum, & non propter ipsum Deum. At verò pœnitentia vera, Deum habet in scopum solùm, propter quem dolor peccatorum intra arcanum mentis concipitur. Quocirca Iudæi isti nõ sunt laudandi ex conuersione, quam videtur profiteri, sed potiùs vituperandi ex fictione, quam debuissent non habere. ¶ Ideoque non sunt adeò recepti, neque probata eorum est ad Deum conuersio. Similem legimus de Sedechia Rege Iuda, & proceribus Iudæ Ierem. 34. quòd fœdus inierunt nouum cùm Domino, de seruanda lege Domini, & vitulo consciso in duas sectiones more vetusto firmandi pacta, ipse Rex primò, & dein Proceres, transierunt inter sectiones vituli sibi imprecãtes similem sectionem si fœdus violarent. Et nihilominus violarũt, id quod sanctus Ieremias eisdem exprobat cap. præcitato. similes fuerunt istis, ijs qui nauigationem terribilem patientes, quia ex maris procellis & tempestate periclitantur, vota nuncupant Deo & sanctis eius, quam nihilominus euadentes, obliuiscuntur votorũ nuncupatorum, sic isti cùm ab hostibus diuexarentur acerbè, & à suis dijs opem implorarent, nõ assequerentur, in Deum verum se conuertebant, vt auxilio opportuno potirentur. Quocirca indigni fuerũt, quibus Deus suppetias auxilij sui ferret, & dignissimi qui permitterentur hostibus suis.

Antiqua sõlẽitas violandi fœderis.

Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal. Summa profectò ignorantia, nescire Deum esse largitorem omnium visibilium, & inuisibilium: & summa iniquitas, quæ propria sunt creatoris attribuere creaturis. Nã licèt per medias quas condidit creaturas Deus, vniuersa administret; cæterùm non ob *id* creaturis sunt attribuenda, sed ipsi Creatori, vnde primò fluxerunt, & quotidie ab ipso fluunt: vnde neque à Sole, aut Luna, vel astris panem, vel oleum, vel vinum petimus, sed à solo Deo postulamus, precantes, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Est sanè receptum Astrologis, coitus, & oppositiones, situs, aspectusque planetarum & astrorum aliorum multas efficere in mundo sublunari varietates, vt ad sensum videmus: cæterùm ipse Deus, qui per causas secundas cuncta dispensat, creando cælum cum tãta varietate astrorum, hoc ab æterno disposuit, vt per varietatem coniunctionum & oppositionum, & per aspectus varios astrorum varia edere in hoc

in hoc mundo. At vt tradunt Philosophi, causa prima plus influit in effectus quàm secunda: ideo rerum abundantia, aut inopia, etsi ex varietate astrorum, & vario situ in cælo ipsorum accidat, at quòd sic accidat Deus Omnipotens ab æterno dispo suit futurum, per cælum & astra quæ in tempore condere placuit. *Quæ fecerunt Baal* Baal est nomen præsidentiã aut superioritatẽ significans apud Hebræos, vndè Nabal, idẽ est, ac si dixisses præses, vel superior. vnde aptè etiam congruebat Deo Optimo & Maximo, qui habet vniuersalem præsidentiam super omnem creaturam, nisi idololatræ suos deos Baalim vocarent & in singulari Deum quem sibi constituebant Baal, quia illi cultum & adorationẽ impendebant, vt numini superiori. Indignatur igitur Dominus Deus cum sua plebe, quippe non solùm non cognoscebant Deum esse authorem vniuersorum, sed etiam creaturas quas Deus condidit ad laudem nominis sui, ipsi conuertebant in deos falsos, quia conflabant in deum suũ Baal, namque aureos deos maiori prosequebantur honore. *Quæ fecerunt Baal*, id est, conflauerunt argentum & aurum in Baal. Enimuerò cùm variam materiam haberent dij Gentium, ex ligno enim & lapide, ex ære, ex argento, & auro conflabantur, quæ ex pretiosiori erant materia, pluris fiebant. *Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meũ in tempore suo, & liberabo, lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* Dignissima est Dei iustitia, quæ hac ratione punit homines abutentes suis beneficijs, vt scilicet eisdem orbentur. Quia igitur prædixerat Iudaicam plebem, abusam fuisse auro, argento, lana, & lino, id est, vestibus laneis & lineis, & oleo, &c. namque illa vertebant in ignominiã largitoris Dei vt prædiximus, ideo prædicit modò, eos orbandos omnibus prædictis bonis, ceu in iustissimi possessores. Et hoc loco insinuat captiuitatem duarum Tribuum, siquidem à Chaldæis fuerunt spoliati cunctis temporalibus bonis, & redacti ad extremam ignominiã, & magna ignominia, & fortè multi nudi ducti sunt captiui.

Et tunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius, & vir non eruet eam de manu mea. Nunc, id est, breui tempore, vel paulòpòst mea dicta, fiet quod prædico eis euenturum. Manifestabo stultitiam eius, id est, ostendam plebem Iudaicam adorãdo idola fuisse stultissimam: quippe quæ adorauit deos, non natura deos, sed eius vana opinione. Quòd verò ait, in oculis amatorum suorum, idem est ac si dixisset publicè & manifestè. Nam diximus amatores plebis esse Solem, & Lunam, &c. Est igitur modus loquendi sanctarum Scripturarũ, cùm rem aliquam esse publicam & manifestam demonstrare cupiunt, tradunt corã Sole gerendam, vt 2. Reg. 12. Dormiet cũ vxoribus tuis in oculis Solis istius. Publicè enim Absalon dormiuit cum concubinis patris sui Dauid. ¶ Est autem aduertendũ Ieronymum in glossa ad locum dudum ad literam expositum *Liberabo lanam meam & linum meum*, perque intellexim us vestes laneas & lineas, quibus nuditas corporum nostrorum operitur, quam vocat ignominiam, quia ignominiosum est nudum incedere: intellexisse custodiam Angelorum secundum Tropologiam, vnde ait, Vestimenta, sunt auxilium Dei, & custodia Angelorum, quæ aufert dador Deus ab ingratis, vt relicti in sua iniquitate tradantur diabolo ad æternam pœnam. At verò ex scripturis multa sunt testimonia, quæ affirmare videntur hominem peccatorem, nunquam deseri vel à custode Angelo sibi ab exordio deputato ad custodiam, vel diuino orbari præsidio sibi necessario ad salutem. Etenim Esa. 5. Quid debui ait Deus, facere vineæ meæ, & non feci: quibus verbis Deꝰ denotat nobis, ipsum omnia necessaria ad salutem semper nobis ab ipso ministrari: Et quamuis Deus nulli creaturæ quicquam debeat, quia quicquid facimus boni, ex ipso nobis conceditur. At verò ait, se debere, more humano loquens, aut quia sibi debet ex profluente sua misericordia, peccatores ad se multis beneficijs allicere, aut terroribus terrefacere, vt duri ties eorum emolliatur. ¶ Item apud Math. legimus, Quoties volui congregare vos, sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti. quæ verba etsi dirigantur ad Ierosolymam, vt Isaiæ commemorata verba, nihilominus in omnes peccatores ea transferre, omninò licet, per Deum igitur non stat, quominus peccator conuertatur ad Deum, sed per nos stat: igitur si per Deum non stat, nunquam ipse nos destituit suo fauore, neque Angelorum destituimur custodia, Scriptura testante, Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, si in omnibus vijs nostris custodimur, igitur quoad viuimus, non orbamur Angelico præsidio. ¶ Sanè si Deus quæ est sua largitas, facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, & hanc largitatem humana quamlibet grauia peccata nõ impediunt, cum idololatris & omnibus infidelibus hæc beneficia præstantur, multò vberius præstabit animæ adiutorium, vt si velit illuminetur, neque vnquam pigebit Deum homines munire Angelica custodia, quia pluris facit Deus salutem animarum quàm corporum: quare si in fouendis corporibus tanta Dei cura, in fouendis animabus multò maiorem exhibebit. Nonne facer Apostolus hoc idem nos docet dicens, loquendo de Deo, Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: si autem hominem dum viuit desereret, iam non vellet omnes homines saluos fieri. Ad hæc sæpè legimus, maximos peccatores ad Deum conuersos, & infideles Iudæi & Sarraceni sæpè conuertuntur: at verò si ob peccatorum summã gratuitatem, homines desererentur à Deo, & Angelis, vtique nulli conuerterentur. ¶ Accedit eodem nos suprà ex Osea collimus, Deum semper paratum esse ad misericordiam præstandam: quoad salutem animæ, etsi salus sit, quoad bona quædam corporis, quæ homines irreparabiliter perdunt propter eorum peccata, vt decẽ Tribus fuere depositæ ex Regia celsitudine, qua splendebant & obactæ in sempiternã captiuitatem, quam modò patiuntur, dispersæ inter Sarracenos & Turcas, atque inter Christianos: itemque duabus Tribubus idem accidit, vt suprà ostensum est. ¶ Et demùm hæc doctrina, & vulgata est, & quàm receptissima apud omnes Theologos, & illi standum est. Hieronymi autẽ verba intelligenda veniũt, de speciali quadam custodia, & eximio quodam Dei præsidio quæ subtrahuntur à Deo, sæpè nostra exigente iniquitate. Nunquam tamen omninò tollit suam opem, quia testante Ioanne Apocalyp. semper stat ad ostium, & pulsat, &c. *Et vir non eruet.* Syllepsis est, vbi singularis numerus vsurpatur pro plurali, & est frequens Scripturis locutio: vir igitur vsurpatur pro viris: & sensus est, quòd nulla potestas eruat Iudæos de manu Dei: vocat enim exercitum Chaldæorum manum suam, quoniã Chaldæi Deo permittente, venerunt euersuri Ierosolymam: & disposuerat Deus quòd Iudæi nõ erueretur à potestate Chaldaica alicuius auxilio, sed quòd omninò destituerentur ab omnibus, in vltionem suorum peccatorum. *Et cessare faciam omne gaudium eius, solennitatem eius, neomeniam eius, sabbathum eius, & omnia festa tempora eius.* Adductis Ierosolymitis in captiuitatem, omnia cessauerunt solennia: siquidem deustum fuit templum, & ideo sacrificijs non fuit locus, & captiuis autem nullum est gaudium, si quidem captiuitas omne depellit gaudiũ: quippe libertatem tollit, at libertas est maximum bonum vt dixit ille, Nõ benè pro toto libertas venditur auro. Vsurpatur itẽ hic solennitas pro solennitatibus: sabbathum autem erat solennitas, per singulas decurrens anni hebdomadas. Neomenia verò in exordio cuiuslibet mensis. Phase verò erat solennitas in quolibet anno 14. luna mensis primi, à quo die numeratis 50. diebus, erat solennitas Pentecostes. Solennitas verò Tabernaculorum erat in mẽse Septembri, &c. Has solennitates cessaturas prædicit Vates, quoniam captiui Religioni vacare nequeunt. ¶ *Et corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit, merces hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Stulto errore delusa Iudaica plebs, copiam vini & ficuum sibi prouenisse credebat, ex cultu Solis, & Lunæ, quæ vocat amatores suos. Deus igitur ostendit se omnia illa esse demoliturum, subaudi grandine conterente, aut bruco & locusta erodente. Aut etiam quia intenti erant obsidioni abigendæ non poterant colere vineas suas, & ficus suas. vnde sequebatur earum euersio. *Et ponam eam in saltum, & comedent eam bestiæ agri.* Captiuata plebe Iudaica, redacta fuit in solitudinem, vnde erat necesse, vt succrescerent spinæ, & malæ aliæ herbæ, & bestiarum malarum multitudo, quæ amicæ sunt solitudinum, nam habitationes hominum fugiunt, ipsis hominibus fugantibus eas. Vel per bestiam agri subaudire licebit Nabuchodonosorem, qui plebem Iudaicam captiuam duxit Babylonia: aut exercitum Romanorum qui secundò Iudæos destruxit, & dispersit in nationes, vt videmus modò dispersos. ¶ Tropologicè vero, anima quæ Dei sui oblita, in vana sæculi delabitur de sideria, nisi resipuerit, ponetur in saltum, id est, in solitudinem, diuina gratia enim

gratum

Hieronymus expenditur.

Cap. 23

Nunquam dum viuitur, homo orbatur angelico præsidio.

Matth. 5.

1. *Timot. 2*

Propter peccata nostra, Deus detrahit misericordiã suam à nobis, quadãtenus ratione.

Syllepsis vsurpatnumerum pro numero.

Tropologicus sensus.

gratum faciente orbabitur, & proferet spinas, & tribulos quippe peccatis incúbet, enimuerò etsi nõ sit necesse hominem destitutum Dei gratia gratum faciente, peccare hoc vel illud peccatum, cæterum necessum est tãdem peccare instar cœci, quẽ necesse est, tandem labi, si duce deseritur, etsi sine duce poterit fieri, vt semel, vel iterum bene ingrediatur citra laplum: & huiusmodi animam, persistentem in peccatis, bestia agri, id est, diabolus, qui leoni, & viso, & alijs feris trucibus confertur, eam comedet, id est, deducet tandem ad inferni voraginem insatiabilẽ. *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus.* Visitare in Scriptura nonnunquam in bonum, nonnunquam vsurpatur in malum, vndè Exod. 20. Ego Dominus visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem: vbi visitare, in malum vsurpatur, pro punitione. Et Leuit. iiidem. 18. Polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, id est, castigabo. At verò Exod. 3. Visitans visitabit vos Dominus: de visitatione consolatoria sermo est. In præsentia autem visitabo, idem est, atq; castigabo, aut pœnas sumam pro diebus, quibus colluistis Baalim, id est numina vestra: insinuat, eos ducendos captiuos. *Ornabatur.* Plebs Iudaica, in cultum suorum idolorum se ornabat optimis vestibus, vt festiuior esset idolorum suorum cultus. Et perstitit in Metaphora meretricis: siquidem meretrix vt amasium alliciat, se colit & pingit, & inaureis suas ornat aures, & monili pectus: ita Iudaica & Israeliticа plebs festiuos suorum deorum celebrãs dies, multis se ornabat vestibus pretiosis: credens hoc ornatu gratiorem futuram esse suis idolis. ¶ Deus autem prædicit eis omnia hæc ornamenta esse auferenda ab eis, siquidem ab hostibus spoliati sunt omnibus pretiosis quibus nitebant. Primò ergo dixit, gaudium ipsorum quo gaudebant, in deis suis esse abolendum à Deo, et vertẽdum in mœrorem. Deindè dixit Deũ corrupturum vineas eorum, & ficus, quæ sunt precipui fructus autúnales: insinuans quòd deletis vineis & ficubus, cæteras quoque fructiferas arbores esse consumendas. Et quando illa malè habent, item mala punica, oliuæ, cidonia mala, & persica, pinis, escúso, &c. imò & ipsa frumenta nõ possunt benè habere: ideo breui sermone prædicitur omnium victualium interitũ, seu iacturam, quam Deus ipse non per manus hominum, sed per aduersas conflictiones planetarum & astrorum orbi infligit sæpè, vt ad Deum mentem leuemus, & ire damus, potestati eius subdi annorum vbertas, atque sterilitas: & ex sterilitate discamus Dei contra peccata nostra vibrari iustitiam: ex vbertate verò, suam in nos alioqui malignos, & effundi misericordiam. Iudæi igitur puniti sunt merito maxima sterilitate, quoniam credebant vbertatem annonæ & victualium, esse retributionem seu mercedem concessam sibi pro cultu idolorum. Et quatuor flagellarum Dei, quæ vocat Scriptura iudicia Dei pessima, id est, castigationes grauissimæ, altera est sterilitas, Ezech. 14. Tertiò præcipit quod suprà iam prædixerat, captiuitatem plebis Iudaicæ, dum ait, reducendam tertiam in solitudinem, translatis in captiuitatem Iudæis, terra remansit sola, quia suis ciuibus fuit spoliata, vndè etsi exitus Nabuchodonosoris, quidam viles homines reliqui erant, vt eam colerent, at verò cultura erat exigua, ideo paruit terra bestijs pascentibus gramina, quæ sine cultura terra profert. Denique quartò ait, Et visitabo super eam dies Baalim, quod est conclusio prædictorum. *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius.* Locus hic difficilis videtur, quia non apparet, apta cohærentia ad priora quæ primo dixerat. Nam dudum loquebatur de visitatione punitiua plebis Iudaicæ, & nũc ait, Propter hoc. dicet aliquis quid est propter hoc? Num quia adolebat incensum idolis, & ibat post amatores suos, subaudi in processionibus. Namque vt ex lib. Baruch patet, quando premebantur calamitatibus idololatræ, sua idola ex phanis efferebant, & illa per calles deducebant, ornatissima quæ ei ipsi sequebantur, & præcedebant illa, vt modo fit cum sanctorum imaginibus. At Fideles imagines colunt, non vt Deum, sed vt imagines diuorum, qui Deum verum maximè viuendo coluerunt. Quidergo est, propter hoc lactabo? id est, beneficijs suauissimis prosequar plebem Iudaicam, num quia sequebatur & ibat post idola? Nicolaus asserit, cohærentiam altius esse petendã, & non ad verba proximè præcedentia, sed ad remotiora, videlicet, Dicite fratribus vestris, populus meus

Sterilitas prouenit sæpè ex peccatis nostris.

lus meus, & sorori vestræ, Misericordia cõsecuta, esse referenda. Et probat, quia Paulus verba huius capitis intellexit de Ecclesia ex Gentibus vocata, & coablita. Vnde expositio facilis est, si coaptatio est cõmoda: siquidem Ecclesiam ex Gentibus vocatam, Dominus lactauit Spiritus sancti consolationibus, vnde Actor. 7. prædicãte Petro traditur, quòd Spiritus sanctus cecidit supra Cornelium, & alios Gentiles. Et quia multi ex vocatis Gentilibus, solitudines gremosque vastas concesserunt, vt vitam degerent cælestem, vbi multi sunt illustrati reuelationibus, ideo ait, Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Nam magna sunt à Deo sancti hæremicolæ per sua voluptate spirituali, agentes in solitudinibus. Neq; enim poterant acerbam vitæ ducere consuetudinem, quam ad miraculum vsque duxerunt, nisi cælesti Angelorum colloquio, & mira & supra humanam naturam voluptate afficerentur. Porrò antè Paulus verba postrema huius capitis refert & applicat ad conuersionẽ Gentium, vt nos suprà exposuimus: vnde videtur, quod verba præsentiam, non sunt tã longè reducenda, & si ecclesiæ ex gentibus vocatæ, satis conueniant, nostri vatis, verba vt expositum est. ¶ At secundo si placet, declarabo cohærentiam ei ad hanc rationem. Propter hoc, idest, quia vos affligã diu, propter scelera, & ex afflictione peccatorum vestrorum sordes erũt repurgandæ, cum tamen misericors sim & mihi magis cordi sit commiserari, quam punire, ideò vt vos peccatores castigatum meis flagellis, idest lõga Babylonica captiuitate, ita vos resipiscẽtes, ornabo muneribus, gratiæ meæ. ¶ Propter hoc igitur, quia cessare faciam gaudia vestra, & solennitates vestras, & quia corrumpã vestras vineas, & ficus, &c. quæ sunt denarrata mala quæ sub Babylonica obsidione & captiuitate accidẽt plebi Iudaicæ, ideo pro mea clementia vertã hæc flagella omnia in consolationem vestram. *Lactabo eam*, id est, plebem Iudaicã ex pressura, captiuitatis mœrore affectam, ego mea miseratione lactabo, id est, consolabor eam, & spe regressionis ipsa tandem regressione. ¶ *Et ducam eã in solitudinem*. id est, in patriam propriam, quam inuiti reliquerunt tyrannide Babylonica coacti; vocat eam solitudinem, quia dixerat suprà, *Ponam eam in saltum*, versa namque est in solitudinẽ. Quia igiturmulto tẽpore Iudæa desolata fuit, ideo ex præterita deuastatione nunc vocatur solitudo more scripturæ, vocantis aliquid ex appellatione præterita. Vt in Ioãne legim', Gẽs tua, & pontifices tui, te mihi tradiderunt: Quo loco Annã vocat pontificẽ, quia fuerat pontifex prius quàm Caiphas. ¶ Porrò autẽ, sub persona plebis Iudaicę, adumbratur, vocatio gentium vt suprà diximus esse Israelẽ spiritualẽ aut plebẽ Iudaicã secundũ spiritualem intelligentiã. Nanque Paulus nos docet, ad hanc rationem theologizare, vnde ad Rom. 2. Non enim qui in manifesto, Iudeus est, neq; qui in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudeus est, & circũcisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Quo circa congruit igitur satis Paulo, vocare Gentes conuersas, esse plebem Iudaicam, non litera, sed spiritu. Et quia Deus spiritus est, hic spiritualis Iudæus, Deo magis placidus est, quàm is, qui naturaliter est Iudæus. Gentilem igitur populum lactauit Christus suo Euangelio, vnde Paulus Corinth. scribens ait, Lac dedi vobis in potum, non escam. Siquidem Gentiles paulatim vt infantes sunt attracti ad fidem Euangelicam 1. Cor. 3. de quibus etiam dicit Petrus, Quasi modò 1. Pet. 2. geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite. De eadem quoq; vera erit expositio, si dixerimus eandẽ gentilitatẽ esse ductã à Deo in solitudinẽ. Etenim per solitudinẽ si intelligamus, abnegationẽ prauorũ affectuũ, apta erit intelligentia. Siquidẽ Gentes quæ adhuc infirmæ erant in fide lacteo pastu refocillabantur, nõ enim illis grandia & quæ perfectorũ erant, cõmittebantur facienda. At verò perfecti ad sublimia ascendere contendentes verè, amabãt solitudinẽ. Namq; mens veluti solitaria est corporis solatia sibi negãs propter Christũ. Quid quòd huiusmodi perfecti contubernia hominũ, & colloquia mundana impendio fugiunt: & maxima multitudo fideliũ ex gentibus vocatorũ, ad literã ad solitudines conuolarũt, vbi vitã angelicã potiùs q̃ humanã duxerũt, vt sunt nobis exemplo, Paulus qui fideliũ primus eligitur, primus æremiticã coluisse vitã, & Antonius, Arsenius, Macharius, Simeones, Phraates, Iulianus monachus, & alij innumerabiles. *Et quod sequitur loquar ad cor eius.* Ex phrasi Hebraica est loqui cõsolatoria, & quæ audita voluptate afficiũt, id quod in plebe illa antiqua verificatum fuit, quando Dñs per Ieremiam, & alios Vates, Iudæis loquebatur

asserendos esse à captiuitate quatuor quibus tur, & deducendos tandem honorificè per Cyrum in patriam. ¶ At verò multò verius impletum est, inuocatis à Deo Gentibus, Paul. Heb. 1. docente, Multifariam, multisq; modis olim locutus est Deus nobis in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est Deus nobis in Filio suo, quem constituit hæredem vniuersorum. Hæc sanè locutio, est locutio ad cor. Nihil enim ita potest solari humanas angustias, nihil tam potest firmare spem perueniendi ad cælestia regna, quam fide viua tenendo Deum factum esse hominem, hucque in nostra ex cælo concessisse, vt nos verbo & exemplo suo erudiret ad omnem præstandam pietatem, & vt sanguine suo nos redimeret ab operibus mortuis, vt seruiamus Deo viuenti. ¶ Est similiter illa loquendi figura apud Latinos intelligenda, Loquimini ad cor Ierusalem, id est, dicite ciuibus Ierosolymitanis consolatoria verba, quæ delectam ipsorum erigant ipsorum. *Ego lactabo.* In lactatione, Imperfectorum status insinuatur vt prædiximus: quibus in nonnullis indulgentia conceditur. & Paulus Corinthijs indulget matrimonia repetere.

Imperfectorum, & perfectorũ status.

In verbo autem subsequente, *Et ducam eã in solitudinem*, perfectorum subnotatur status, qui cum singularem ducant vitam, & à consuetudine communi alienam, rectè dicens, ductos esse à Deo in solitudinem. Et expende vtrumque, *Lactabo eam, & ducam eam in solitudinem.* Namque plerosque lactat mundus, & ducit eos in solitudinem: de quibus apud Deum, nulla laus: quia non sunt à Deo lactati, neque ducti. An non Sapiens ille hoc nos docuit dicens, Fili si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Hæc sanè est pessima lactatio. & nihilominus mundanis consueta: quibus nihil familiarius quàm peccatores lactare. Quòd si rogitas, quid est hoc peccatores lactare? vtique est illud quòd facer Vates Isaias tradidit dicens, Vè vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes in amaru dulce, & dulce in amaru. Enimuerò adulationis vitium hoc habet genuinum sibi peccata laudare, & virtutes contemnere, vt placeat ijs quibus studet assentari. Et istud est quod Ezech. 13. quibusdam valde exprobat, quòd viuificabant animas, alioqui non viuentes sanè viuificant in apparentia, quando ea quæ

Cap. 5.

mortem afferunt fidelibus, docent non esse mortifera, sed potius vitalia: in quorum numero est Lutherus, qui petulantissimè toti Ecclesiæ Dei sese opposuit, & contrà illam calces iecit, dicens, sat esse ad vitam spiritus conciliandam fides qua adepta, nihil aliud affirmabat esse necessarium. Vnde sectatores credunt, se viuere coram Deo, si fidem teneant, etsi multis sint obruti criminibus, & hoc ideo putant quia viuificabat eos, is qui vita carebat Lutherus. Imo reuerà cùm ipse mortuus esset, occidebat suos discipulos. Tales quoque sunt nostri confessarij, qui clare errante, absoluunt à peccatis, quorum debuissent potius peccata retinere: & retinent peccata quæ debuissent absoluere. Namque sæpe hoc illis accidit, muneribus affecti, viuificare eos qui non viuunt: veruntamen isti omnes, vana spe vitæ deluduntur, quippe qui non lactantur à Deo. Hi igitur soli lactantur à Deo, qui Euangelicis & Apostolicis, aut Ecclesiæ Catholicæ monitis morem gerunt. Simili quoque modo sunt qui solitudines amant, non solum locorum, sed affectuum vt de plerisque Philosophis memoria extat, solitudines petiuisse, & diuitias, patriamque reliquisse, vt liberius Philosophiæ vacarent. Alij verò regna & imperia deposuerunt, vt tranquillius sibi viuerent. Cæterum illos non duxit Deus ad solitudinem, sed vel inanis gloriæ, cupido aut odium, & quæruido ab strepitu sæculi. Deus autem quos ducit in solitudinem, vel loci, vel affectus, eò ducit quò diutius quietius vacent, & cælestibus voluptatibus facilius imbuantur. Nihil igitur obstat in humana degendo societate, solitudinem affectuum humanorum habere. Et cũ hominibus agendo, quæ sunt humana respuere, id quod sancti Apostoli præstiterunt, qui nõ in deserta loca se contulerũt, sed in vrbibus & vicis cũ hominibus agentes à cælo pendentes erant, & affectibus in cælestibus habitabant, adhuc corporis larcina pressi. Et hoc est quòd Paulus aiebat, Viuo ego iã non ego, sed viuit in me Christus. Sancti vero Anachoritæ deserta incolebant Christũ referentes, qui agens in desertis quadraginta dierũ inediã sustinuit. Perfectorũ igitur est, quòd à Deo ducuntur in solitudinẽ, nam horum est, seipsos negare, non solũ nepharia nõ admittendo, sed etiam licita arcendo. Horũ quia propter

subdi-

subditur in Vate nostro egregia prærogatiua, videlicet, *Et loquar ad cor eius.* Qui enim se desolantur propter Dei honorem, ab ipso Deo consolantur, vndè Paulus, Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et quia redundans est hæc consolatio, ideo subiecit, ita vt & alios possimus consolari, vndè Dominus Apostolos suos videns, ex sua corporali absentia desolatos, in die nouissimæ cœnæ, loquitur ad cor Discipulorũ dicens, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis: significans hoc sermone, pacem & consolationem æternã se exhibere suis Apostolis. Et item ad consolationem ipsorum, pro illis orat, & Paracletum illis pollicetur, postquam se ad dexteram Dei Patris collocarit. Et reuerà solus Deus est qui loquitur ad cor hominis: etenim solius Dei est, quæ recta sunt instillare humanæ menti, docente Domino, Nemo, ait, venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Itemque solius Dei est, perfecta & non caduca consolatione: qualis est mundana consolatio, mentem hominis exhilarare. ¶ Sanctis ergo loquitur ad cor Deus ipse: at verò peccatoribus, volentibus iam melius sapere, item loquitur ad cor, siquidem illis suggerit, vt reuertantur à vijs pessimis, ad Deum Authorem suum: illis quoque si respuerint, loquitur ad cor: Ego, ait, cogitationes pacis. Porrò obstinatis non loquitur ad cor, imo loquitur illis in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Sed iam hora est vt audiamus Vatem. *Et dabo ei vinitores ex eodem loco.* Vinitores relationem habent ad vineam: quocirca, per vinitores, subaudit vineam, vel vineas. & sensus est, quia peccatis vestris postulantibus, vobis prædixi, quòd eram vineas vestras demoliturus, ideo ne omnino frangamini desolatione, ego iam polliceor vobis ex mea misericordia, restituturum me vineas quas euertendas prædixi. ¶ Allegoricõs verò pollicetur Dominus, per vineas ex quibus vinum fit, abundantiam fidelibus, bonorum spiritualium & cælestium gaudiorum. Namque sancti Apostoli in tribulationibus gaudebant: ibant enim gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesv contumeliam pati: Vinitores igitur suerunt sancti Apostoli, qui vineam Domini Sabbaoth, id est, Catholicam Ecclesiam, magnis sudoribus plantarunt doctrina & sanguine: ita sancti Martyres, qui triumphali sanguine suo vineam istam rigarunt, ex quorum irriguo, mirum in modum aucta est Dei Ecclesia.

Ioann. 14. 15. 16. 17.

Ierem. 29.
Psalm. 2.

Sensus Allegoricus.

Achor. 5.

Non enim armorum impulsu, aut humanis industrijs Catholica increuit Ecclesia, vt crescunt mundi regna ex tyrannide, sed patiendo tormenta sancti Martyres, & non inferendo bella, illam auxerunt. Rursus vinitores huius vineæ sunt Doctores Catholici, qui verbo suo & calamo diuinas literas elucidarunt, & secundum eas plebem Christianam docuerunt. *In eodem loco.* vt vbi corruptio accidit, generatio succedat: & vbi calamitas ventura comminatur sterilitatis, ibidem prosperitas delectet fertilitatis. Siquidem in terra Iuda vtrumque prædicitur futurum. *Et dabo vinitores.* Hebraica lectio, habeat vineas, loco vinitores, Chaldaica verò possessiones. At verò lectiones istæ, & vulgata, eodem sensu fruuntur. Namque Iudæi reuersi ex captiuitate Babylonica, restituti sunt in possessiones suas, quas ex vinearum nomine subaudire voluit Hebraica lectio. Vinitores autem referuntur ad vineas & possessiones, ad possessores, vt prædictum est. *Et vallem Achor ad aperiendam spem, & canet ibi iuxta diem iuuentutis suæ, & iuxta diem ascensionis suæ de terra Ægypti.* Quæ sit vallis hæc Achor, Burgensis exponit esse vallem, eius quem lapidauit Hebraicus populus, in introitu terræ promissionis, quia contra Dei iussa acceperat de Anathemate, vnde apud illum, Achor, est nomen proprium personæ illius delinquentis, & non nomen vallis appellatiuum. At verò in dogmate isto, est manifestaria fallentia, quandoquidem Iosue capite septimo, Persona quæ deliquit fuit Achan, & non Achor. Imò vt ex eodem loco est perspicuum, vallis Achor erat, vbi supplicium lapidationis passus est Achan, & appellata est Achor, id est, turbationis. Quia iam ibi consistens Hebraica natio, in limina terræ promissæ, cùm iam essent gaudentes, quòd promissam à Deo terram, iamiã erant ingressuri, turbauit eorum gaudium & spem Achan: nam propter huius furtum fugerunt deturbati & fusi, sicut aqua ab Haitis, incolis scilicet ciuitatis Hai, vndè

Gloſſa Ordinaria ad hunc locum, quam ſecutus Burgenſis, credidit quod indicabamus paulò antè, non eſt autentica, eſt enim expreſſe contra præcitatum ex Ioſue locum. Eſt igitur ſenſus, Dabo vallem Achor Iudaicæ genti, quæ vallis non erat ad turbandum eos, vt olim fuerunt deturbati in eadem valle conſiſtentes, imò potiùs erit eis in reditu ex Babylone, ad aperiendam eorum ſpem introeundi in patriam ſuam. Aperire ſpem, eſt idem quòd eam certam, & in proximo implendam facere. Hebraica lectio habet, *in oſtium ſpei*, ſiue, *in ianuam ſpei*. & eſt idem ſenſus qui prior, videlicet, non erit vobis vallis Achor turbatio ſpei introeundi in Iudæam, vt olim fuit maioribus veſtris: imò vallis illa erit vobis ianua patefaciens implementum ſpei veſtræ introeundi in terram diu à vobis expectatam, ſub captiuitate Babylonica detentis. *Et canet*, id eſt, vt olim excuntibus vobis de mari Rubro, Moyſes cecinit canticum illud victoriale, Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt in nobis, equum & aſcenſorem deiecit in mare. ita & vos canetis mihi laudes, quia eduxi vos de Babylonica ſeruitute. *Iuxta dies iuuentutis ſuæ*. vocat dies iuuentutis ſuæ, exitum ab Ægypto, ſiquidem quamprimùm fuerunt liberati à ſeruitute illa Pharaonica, tunc cæperunt eſſe populus, & habere Deũ legem & ducem. Namque priùs cùm ſerui eſſent, non erant populus, populus enim non coaleſcit ex ſeruis, ſed ex liberis hominibus. Significat igitur, quòd eo gaudio ſunt afficiendi, aſſerti ex Babylonico iugo, quo fuerunt perfuſi liberati ex Pharaonica captiuitate. ¶ Allegoricè verò ſtatus Eccleſiæ Catholicæ ſubnotatur: Cui vallis Achor, id eſt, mundus hic qui aptiſsimè per vallem Achor ſubnotatur. Quippe mundus hic turbulentus eſt, & perturbationibus varijs vndique agitur cæterùm quamuis in hoc mundo ſancti diuexentur varijs diuexationibus, quia tentatio, ſiue militia eſt vita hominis ſuper terram: cæterum ſanctis iſtæ turbationes non ſunt turbationes, ſed conſolationes, quippe nouerunt per has tandem reportaturos trophæa æterna, vnde ad Roma. 5. In tribulationibus gloriamur. Vallis igitur Achor datur fidelibus, ad erigendam ſpem in Deum, Quoniam ſi compatimur glorificabimur, ad Roma. 8. *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabis me vir meus, & non vocabis me vltra Baalim*. Proſequitur Vates in Dei perſona beneficia & fauores, quibus Deus proſequutus eſt populum ſuum redeuntem ex captiuitate Babylonica, videlicet, quòd tantis beneficijs illum tunc afficiet, quòd non vocabit populus Dei, Deum, appellationibus, timorem incutientibus, qualis eſt appellatio Domini. Namque Domini appellatio, timorem incutit ſeruis, & famulis, Malach. 1. Si ego Dominus, vbi timor meus: ſed potiùs appellabit Deum appellatione amabili, & quæ amorem videtur conciliare, qualis eſt appellatio hæc, Vir meus. Recolendum eſt ex ſuperioribus, nomen hoc Baal, eſſe nomen, ſignificans authoritatem in alium, vel dominium: vnde & ſignificat virum, ſiue maritum, ſiquidem vir authoritatem & ius habet ſupra vxorem. Sub poteſtate ait, viri eris, & ad virum erit conuerſio tua; vnde Gentes, ſuos deos hac appellatione compellabant, quaſi ex nomine profitentes, eſſe eas idolis ſubiectas. ¶ Sed quid, nonne Iudæi etiam poſt reditum, laudabant Deum ex Pſalmis Dauidis, vbi eſt frequentiſsima Dei appellatio ex dominio, quale illud Pſal. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Et demum paſsim in arcanis literis Deum Dominum appellari inueniemus. ¶ Quòd ſi dixeris huiuſmodi locum referendum ad Euangelicam gratiam, etiamnum ſub Euangelica gratia, Chriſtus ait Ioan. 13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benè dicitis, ſum etenim. Et ſæpè aliàs Chriſtus hoc nomine vocatur in Euangelicis literis. ¶ Propterea oportet intelligere locũ hunc nomini conſequiem facit, ſed in ſenſu quo firi ſit autem in hoc ſenſu. Tanta erit mea propitiatio in populum meum, tanta ſuæ beneficiorum ſuauitas, quòd iuſta ratione potiùs eſſem vocandus, nominibus præferentibus amorem quàm timorem. Et quanquam vtrumque impletum eſt hoc in populo illo veteri, at verius impletur in populo nouo, qui eſt Eccleſia Catholica: de qua ait Apoſtolus, Non iterum accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater, Romanor. 8. & non Baalim. Lectio Hebraica, non Baalim, ſed Baali, habet: & eſt germanior lectio, id eſt, non vocabis me Dominus, ſiue herus meus, quia dudum dixerat, Vocabis me vir meus, id eſt, maritus meus, ideo aptè ſubditur, & non hærus meus: & Hebraica dictio prior eſt, iſchi, id eſt, vir meus. Per quæ omnia, hunc ſolum intellectum voluit Vates nomine Dei, videlicet, potiùs ero iam tunc à vobis amandus, quàm timendus, id quod fuit ſtudio ſingulari optimis quibuſuis principibus, ſe amabiles potiùs exhibere ſuis, quàm formidabiles. ¶ Et æquidem in lege Euangelica, talem ſe exhibet Deus: quippe Euangelicas literas, ſi conſulimus, regni cælorum ſit frequentiſsima mentio, at verò gehennæ rara: & ſæpè nos alliciunt ſpe bonorum, vt legimus apud Mathæum, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Et cæteræ quoque quæ denarrantur beatitudines, quid ſunt niſi illectamenta virtutum: at verò rariùs nos deterrat Chriſtus terrore gehennæ. Et Ioannes præcurſor Chriſti, ſuauiſsima appellatione Chriſtum appellat, videlicet Eccleſiæ ſponſum, Agnum Dei auferentem mundi ſcelus: & Chriſtus ſe vocat Magiſtrum, & Redemptorem, Cibum, & Paſtorem, Vitem, & Colonum, & id genus alijs nomenclaturis amabilibus ſe appellat: & demum ſe paruulum fecit, & egenum, vt omnem formidinem accedendi ad ipſum à nobis propulſaret. Et Deus Pater, ſe cunctis amandum exhibuit, quia, Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Itaque non ſolùm ex nomenclatura, ſed ex operibus ipſis admirandi amoris, ſe Chriſtus Dominus, & in Chriſto Deus amabilem ſe præſtat in lege noua. ¶ At verò, quò amabiliorem ſe modò Deus exhibet, & nomine offert, cò formidabilior erit in die iudicij, ſpernentibus tanti amoris indulgentiam. Vndè Petrus aiebat, Meliùs fuiſſet eis ſi viam iuſtitiæ non cognouiſſent, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti. Vbi vides legem gratiæ vocari à Petro viam iuſtitiæ, nempe, quia facit nos iuſtos: & Dominus hoc idem inſinuans ait, Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis.

Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum. Hoc verum fuit in reditu ex captiuitate Babylonica, etenim poſtquam aſſerti fuerunt Iudæi in priſtinam libertatem, nunquam deinceps idola coluerunt, quæ hic vocantur Baalim: Baalim enim vocabantur gentibus, dij quos ipſe adorabant. Quamuis enim vrgente Annocho Aſſyrio Rege, multi eorum coluerunt idola, vt liber primus Machabeorum demonſtrat, verum iſtud fuit modico tempore, & non ſponte, ſed preſsi cruciatibus, aut hos exhorreſcentes. ¶ At verò, ſub lege gratiæ coruſcante per orbem Euangelica prædicatione, idola non coluntur, ſed maxima pars orbis, illa non colit. Sed vnum Deum creatorem cæli, & terræ colunt: Saraceni, & Turcæ, qui ſunt innumerabiles, quippe optimam terræ partem, & maximam poſſident, & Indorum bona etiam pars, idola iam non veneratur. Et Æthyopes idolorum colentiſsimi, iam idola ſpreuerunt, inſtructi Euangelica prædicatione, opera Luſitanorum Chriſtianorum, vt Indi occidentales opera Caſtellanorum fidelium, idola abiecerunt. Quamuis hæc peſsima labes, idololatriæ tam altè ſuas habebat in orbe defixas radices, vt etſi ſummo negocio ſint euulſæ, at non penitus ſunt eradicatę. Quia ſunt quædam Indorum nationes, & Æthyopum, & aliarum barbararũ nationum, quæ vſque nunc idola non abiecerunt. ¶ At hæc hominum licet vſque modo augere permittitur à Deo, apud aliquos ex ſua infinita ſapientia, vt palam ſit hominibus, quã fragiles, & miſeri ſumus Deo non opitulante, cum videamus, homines aliquos idola vaniſsima adorare, & illis ſeſe proſtrare. Vnde cogitare licebit, niſi diuina luce perfunderemur, idem nos eſſe facturos. Vnde reſultabit in ore noſtro, gratiarum actio, quod Deus ſit miſertus ex maiori parte generis humani, diuinitatis ſuæ notionem certam nos docens, vt eum ſolum colamus, cui ſoli debetur honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

¶ Euerſio autem idololatriæ, non Iudaiſmo, tribuẽda eſt, ſed Chriſtianiſmo. Enimuero lex Moſaica, etſi terribilibus fulſit miraculis, quæ nota fuerunt gentibus, vt eductio populi Iſraelitici de Ægypto, & diuiſio maris rubri, & alia innumera miranda ſupra naturã Dei opera, quæ nota erãt Arabibus, Ægyptijs, Idumeis, Sidonijs, & reliquis circunſtãtibus nationibus, nũquã tã miracula hæc has nationes attraxerũt ad cultũ vnius veri Dei, ſi qui autẽ fuerũt attracti ex eis, qui dicebãtur ꝓſeliti: at vero, illi fuerũt pauciſsimi: verũ poſt Chriſti mortem,

Exod. 15.

Senſus Allegoricus

Iob. 7.

Ioan. 1.
Ioan. 3.
Ioan. 6.
Ioa. 10.

Iſai. 9.
2. Cor. 8.
Ioan. 3.

2. Pet. 2.

Luc. 12.

Cur permittitur ad huc idololatria apud quaſdã nationes.

tem, ex verbo apostolico eruditi homines, idola abiecerunt, adeò vt neque idololatris vestigia, in maxima orbis parte, inueniantur, cum alioqui hæc pestis peruagata fuerit, & depopulata fuerit omnem orbē exceptis Iudæis, imo etiam in hoc seuit etiam hæc calamitas, & ob eā, multa sunt passi mala. *Et percutiā eis fœdus, in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili de terra.* Hactenus quatuor singularis amoris insignia Dei erga fideles suos, hic Vates exposuerat, & quod lactandi erant à Deo, & quod ducēdi in solitudinem, & quod Deus esset locuturus eis consolatoria verba, & quod, tantis eos debuisset exornare muneribus gratiæ, quod potius esset amandus ab eis, quā timendus. ¶ Nunc autem, gratiæ suæ munera dilatans magis: ait, se initurum fœdus cum fidelibus, in die illa, id est, in tempore Euangelicæ legis. Quod fœdus iniuit, non sicut illud fœdus fuit, vetus, cum populo illo veteri, quod fuit stabilitum in monte Sinai, fuso sanguine vitulorum super altare, quod Deum repræsentabat, & super populum, non inquam hoc modo nouum percutitur fœdus, sed in lauacro regenerationis, tunc init fœdus, Christus cum suis fidelibus. Enimuero tunc baptizandis proponitur, si abrenuntiant diabolo, & pompis eius, & ipsi respondent se se abrenuntiare, & ita demum dāt sua nomina Christo. Et istud fœdus, non est sancitum super bonis temporalibus, vt vetus, si mē, inquit, audieritis, bona terræ comedetis. Sed potius constitutum est super bonis æternis, quæ Christus pollicetur sibi obtemperantibus Hæbr. 5. & hoc fœdus, non sanguine vitulorum fuit firmatum, sed sanguine agni immaculati Christi, qui aspergitur super nos quando proluimur, ex fonte baptismi. Et aspersus fuit primo super aram crucis. Non sanè aspergitur, materialiter, super nos, sed solum spiritualiter. Quippe, virtus sanguinis Christi, tunc nos tangit, cum eripit nos à satanica tyrannide, & hic spiritualis tactus, ipse est aspersio, & hoc fœdus est illud cuius meminit Ieremias. cap. 31. & ad Hæbr. 8. Quod vero subdit fœdus quoque ineundum cum bestia seu bestijs agri, & volucribus cæli, & reptili, &c. dupli cem subit intelligentiam, aut quod literalis sensus, sit idem quem verba sonant, aut quod parabolicus sit exigendus sensus. Quod si primum amas intellectum, tenebis eum ex Marc. cap. vltim. serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint nō eis nocebit. Et Luc. 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones. Et reuera in gestis martyrum, legimus frequentissimè, superasse leones, & feras alias, martyribus deuorandis à tyrannis iectas. Et S. Georgium legimus superasse ex Christi fide maximum, & truculentissimum draconem, & eripuisse filiam regis, iam iam deuorandum, ex plebis decreto, à dracone. Et de Beato Francisco legimus, volucres cæli, illi fuisse cicures, & frequenter aduolasse ad manum eius, citra timorem. Et de Paulo extant gesta Apostolica, denarrantia à manu Apostolica pependisse viperam, citra Pauli læsionem. Et plura alia exempla, tibi suppeditabunt Sanctorum si legeris historias: & item sanctis veteris testamenti, idem contigisse legimus. Nam Danielem leones famelici non leserunt, & serpentem illum Babylonicum offa picea, & sibia iecta in os eius interfecit ipse: verum, non tam frequens est, ista cicuratio ferarū mirabilis, in veteri testamento, qualis sub nouo accidit. Aut secundo exponitur, sub parabola istorū, quæ denarrantur ab Osea, significari, principes, & magnates huius sæculi, scilicet, per bestias agri, nam sæpè leones, vrsi & reliquæ hoc genus bestiæ, significat sæpè in scriptura, principes huius sæculi, vt est videre apud Danielem. Per volucres autem, insinuantur, philosophi, qui propter suam sapientiam, aptè conferuntur volucribus, alta petentibus ex suo volatu. Denique per reptilia animantia, turbæ & populares rectè significantur. Iam ergo, vniuersi isti, pugnauerunt, contra Christi Euangelium, vnde in Psalm. 2. hoc innuitur, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, aduersus dominum, & aduersus Christum eius: Cæterum, hunc fremitum sæculi Christus conpescuit, adeo vt imperatores, & philosophi clarissimi, populi sponte susceperunt Christi fidem. Et istud est pactum quod nunc ineundum esse cum feris, & volucribus, & reptilibus, Oseas commemorat. Et æquidem, istud est longe mirabilius, quam mansuefactio bestiarum, siquidem illas, aliquando mansuefacere nouimus Arte Magica, & alicubi viperæ non sunt noxiæ, & serpentes quidem apud Indos Occidentales referuntur

Exod. 24.

Isai. 1.

tur lædere nihil. At verò quod homines in domiti, & qui feriūt suis noxijs affectibus, mansueti reddātur à verbo. Istud est multò mirabilius. Fides namque & Euangelica doctrina, est supra naturam hominis: Nostra enim natura tota est propensa ad sensilia, hæc amat si bona, & deserit si mala. Quocirca humanam erigere naturam, vt posthabitis sensibilibus, velociter currat ad inuisibilia & cælestia bona. Et præsentibus despectis amet futura quæ non videt: istud est magni miraculi. *Et arcum, & gladium, & bellum, conteram de terra.* Esaias prę uidens Christi tempora, dixit tūc esse conflandos gladios in vomeres, & lanceas in falces. Non leuabit, item ait, gens contra gentem gladiū, neq; exercebūtur vltra ad præliū. Et hoc ipsum docet modò Vates noster: & sæpè alibi apud sacros Vates vnde regius vates istis cōcinuit dicēs, Orietur in diebus eius iustitia & abūdantia pacis. Porrò, cōtinuò insultabit aliquis, dicēs, quotidiè exoriri bella, nō solum fidelium contra infideles, sed etiam fidelium inuicem. Et non solùm modò, sed ab exordio legis Euangelicæ idem accidit. Et item bella spiritualia, qualia sunt fidelium aduersus hæreticos, & contra: semper ab ipso initio Ecclesia Dei passa est. Quid quòd bella carnis contra spiritum, & bellum dæmonis contra fideles semper vrget, vbi ergo ista pax? cùm Paulus dicat, datum sibi stimulum carnis suæ, quo angelus satanæ eū colaphizet: & alibi dolens queratur, se aliam legem sentire in membris suis, repugnantem legi menti suæ: & alia hoc genus inuenies innumera. Quocirca non oscitāter oportebit horum intelligentiam perquirere. Scito igitur Dauidem ceciniſſe Pax multa diligentibus legem tuam, & nō est illis scandalum: id quod si de pace intelligatur perfecta, qua beati fruuntur, non inuenietur ita esse, siquidem sancti qui custodiunt, quoad licet legem Domini multis concutiuntur turbationibus, multisq; aguntur tentationibus, vt ex Paulo dudū didicimus. Quamobrem de pace est audiendus sermo, quæ viatoribus est possibilis, Hanc autem pacem significabat Apostolus dicens, Pacem habete cùm omnibus hominibus, si fieri quod in vobis est. Secundò obseruandum est, Christū suos docuisse fideles, vt ament inimicos suos, & orent pro persequentibus & calumnian tibus. Et rursus, Si quis te percusserit in maxilla vna, obuerte ei alteram. Et si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Ex quibus infertur, quòd fideles, si sanctè iuxta legem Christi belligerēt vtique ista belligeratio non procedit ex animo nocendi inimicos, quos Christus docet esse diligendos. Atque animos habere promptos ad sustinendum mala, si menti illorum profuturum crederetur. Si ergo animus bellandi, id est, nocendi inimicis, procul debet esse à fideli, planum redditur quòd Esaias docuit; Non exercebuntur vltra ad prælium, id est, non habebunt qui Christi sequuntur Euangelium vltra animum bellandi, id est, bellandi animum vt noceant. Imò quantum in ipsis est, pacē curabunt cum omnibus inire. Et quantū in ipsis est, conuertendi essent gladij in vomeres, &c, siquidē ipsi ab animo belligerādi & infestandi alios vacant. Cæterùm si offerentibus illis pacem, oblatam pacem hostes negligunt, repugnare noxijs conatibus inimicorum Euangelium non vetat. Ne Euangelicis viris illud contraeat quod olim, sub Machabeorū ætate accidit quibusdam, qui religione Sabbathi ducti, aduersarijs Antiochenis non se opposuerunt & in sua simplicitate, ab hostibus die Sabbathi sunt trucidati. Et horum exemplūsi imitarentur reliqui Iudæi, breui extingueretur natio Iudæorum, id quod exoptabant hostes ipsorum. ¶ Et eodem modo fideles si cæderent iræ hostium suorum, breui periret Religio Christiana. Et non solùm res hæc est intelligenda si agatur de Religione, sed si agitur etiam de Regno, ab hostibus occupato iniustè vel detento: vel si agatur de libertate, vel defensione Reipublicæ contra inuadentes eam. Semper enim dicet, nos & nostra defendere seruato moderamine inculpatæ tutelæ. Est autem moderamen hoc, eo animo nos defendere, non vt lædamus aggressores, sed vt nos illæsos seruemus. Quòd si illæsos nos seruare nequimus nisi lædendo, vtique nihil contra Euangelium admittimus. Namque Dominus sub Passionis tempore dixit Apostolis, Sed nunc qui non habet, vendat, & emat gladium. Quæ verba eò tendere videbantur, quo Apostoli armati se defendere possent ab inimicis suis: verùm verba Domini aliud condunt, aliud verò præferunt: quod præferunt est armaturam Apostolis præcipere: quòd condunt est nos docere ius esse

Quæ videtur pugnātia in Scripturis.

Roma. 12.

Matth. 5.

1. Mach. 2.

fidelibus, se defendere, siquidem Apostolis dicentibus, Ecce duo gladij hîc, ait Dominus, satis est: Sed reuera duo gladij non satis erant ad tuendũ Discipulos contraingruentes satellites: verùm non erat intentio Christi, quòd sui Apostoli gladijs se defenderent, quandoquidem Petro distringenti gladium ait, Mitte gladium tuum in vaginam, &c. sed intentio Domini erat, prælatam defensionem, nos docere esse licitam inquam omnia iura proclamant esse licitam. Quocirca de homicidio in G.C. vnico corrigitur, quòd priùs tradebatur incorrectum, videlicet, quod clericus suæ defensioni incumbens, si alium occiderit, iam esse irregularem. *Et dormire eos faciam confidenter*. Quando tranquilla sunt omnia, somnum capimus securi, secùs autem si omnia sunt turbata, quies nõ datur etiam dormientibus. Cùm igitur sub Euangelica gratia nobis detur pax cũ Deo per Christum, ipse enim est pax nostra, & cum hominibus, angelo concinnente, Et in terra pax hominibus. ad sensum iã prætactum: inde sequitur, quod erit fidelibus securitas. Ais forsan, etiam infidelibus est somni quies, vt fidelibus. Respondebis, quod non est pax impijs dicit Dominus. Cùm autem eos multa sæpè pace frui videamus, oportet intelligere hæc de vera animi ad Deum pace, quæ est pax spiritualis quam desiderãt infideles. Quod igitur ait, *Dormire eos faciam fiducialiter*. subaudi de quiete & fiducia in Deum. Aut notat, quòd iusti fideles moriuntur cum spe & fiducia videndi Deum, id quòd negatur infidelibus. *Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.* Repudiata Synagoga illa veteri, subrogata fuit ei Ecclesia Iesu Christi, quæ vt diximus, est populus Israel spiritualiter, nam filij Abrahæ spiritualiter sunt fideles. Synagogæ autem repudium supra est prætactũ verbis illis, *Ipsa vxor mea, & ego non vir eius*. At nouum cum Ecclesia Catholica coniugium, subrogatum veteri, insinuatũ fuit paulò antè, *Vocabit me vir meus*. id est, maritus meus. At qui quòd tunc insinuabatur, modò explicatur apertiùs dicens, *Desponsabo te mihi in sempiternum*. Quo sermone significatur, Ecclesiam Catholicã nunquam deserendam à Christo sponso, vt deseruit Synagogam: etenim Synagoga repudiauit Saluatorem mundi dicens, Nolumus hunc, sed Barrabam: præferêtes homicidam authori vitæ, vt Petrus meminit, quapropter & Christus Synagogam repudiauit. Nam per mortem suam illam dimisit, dicens, Consummatum est. Namque abrogatio legis veteris per mortem Christi repudium erat obseruantium legem illam. Et quidem istud est, quòd Paulus ait, Itaque fratres, & vos mortificati estis legi, id est, soluti estis ab obligatione seruãdorum legalium per corpus Christi, id est, per mortem corporis Christi, ad Roman. 7. Veruntamen desponsatio, quæ successit Ecclesiæ cum Christo, spiritualis, nunquã finietur, ideo ait, *Sponsabo te mihi in æternum*. Siquidem huiusmodi sponsalia non fundantur in operibus illis legalibus, quæ, quia erant vmbra & figura Christi tunc venturi, adueniẽte Christo, illa cessauerunt, ideo postquam expleta fuêre per Christi mortẽ, ipsa corruerũt. Quod vero ait sponsabo, in iudicio, &c. frequens est hęc locutio diuinis literis. Vnde Psal. Feci iudicium, & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. Et rursus Micheæ. 6. Iudicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam. Et sunt quamplura huius rei exempla in diuinis literis. ¶ Oportet autem inquirere, quale hoc sit, ex quo sponsandã ait Dominus sibi plebem suam. Aduertendum autem, quòd iustitia apud Philosophos duplex est, vt est videre apud Aristo. 5. Ethic. quædam est particularis virtus, quæ locum habet in venditionibus, & emptionibus, alijsque humanis commercijs. Et hac ratione, ille iustus est, qui iustè contractat emendo, vendendo, commutãdo, &c. Alia verò iustitia est generalis, quam vocat Arist. legitimam: & hæc est virtus, ex qua homo fit promptus facere, aut nõ facere quæ legibus sunt præscripta. Et hãc ait esse generalem virtutem, quippe quæ ad omnia quæ ex lege faciunt ciuem bonum, se tendit hæc virtus. Neque fieri potest, quòd quis sit iustus ex hac iustitia, & non sit temperatus, aut fortis, aut prudẽs, &c. Has namque virtutes, & alias quæ ex istis pendent leges præcipiunt, ad bonitatem conciliandam ciuibus, & ad conseruandum bonum publicum: ideo hanc virtutem esse fulgentiorem lucifero docuit Aristot. ¶ Verùm qui habet particularem iusti-

Iustitia quædã particularis, alia generalis virtus.

iustitiam fieri poterit, quòd sit vel intemperatus, aut timidus, vel illiberalis, &c. quia iustitia hæc non comprehendit omnem virtutem necessariam ciui bono.

¶ Iuxtà autem iustitiæ generalis, est charitas Theologica virtus: enimuerò charitas extendit se ad omnia, quæ diuina lege præcipiuntur, vt hæc impleat: & ad omnia quę diuina lege vetantur, vt hæc declinet, vnde Paulus 1. Cor. 13. charitatem magnificans ait, Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperã. Vbi charitati tribuit optima, & ab illa amnoenti pessima. Quocirca, charitas est ipsa iustitia Christiana, quia hac submota nullus est iustus corã Deo. Nam sola charitas est, quæ operit multitudinem peccatorum. vnde Scriptura vtens hoc verbo, iustificare, significat iustitiam habere in conspectu Dei, id est, quòd homo sit mundus à peccato, & Deo gratus, atque probatus ad vitam æternam. Nam vt diximus, charitas est velut quædam iustitia legitima, quæ est secundum legem Dei: & ideo iustus hac ratione est ille qui implet legem Dei. Legimus autem in Esaia cap. 4. Si abluerit Dominus fordes filiarum Sion, in spiritu iudicij & ardoris: Per spiritum ardoris, Spiritum sanctum denotans, qui in linguis igneis apparuit, vt denotaret, quòd sicut ignis purgat sordes corporales, ità charitas Dei quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis, purgat mentis fordes, & coinquinamenta, de quibus Dominus loquitur dicẽs, Matth. 15. Quæ procedunt à corde coinquinant hominem.

Charitas est Christiana iustitia.

¶ Est igitur charitas, iustitia Christiana, vt diximus, & ipsa item est spiritus ardoris, qui ab igne illo mystico in nobis diffunditur. Quòd verò ait, in spiritu iudicij, etiam purgari sordes, correspondet Oseæ dicenti, Sponsabo te mihi in iudicio & iustitia. Per spiritum igitur iudicij, pœnitentiam veram, si intelligamus non errabimus: enimuero pœnitentia debet fieri in pondere, numero, & mensura, id est, cum examine & libramine nostrorum delictorum, expendendo eorum essentialem qualitatem, & circũstantias, & eorum numerum: & pro grauitate delictorum, mensuram nobis imponere pœnæ. ¶ Porrò si spiritus iudicij non sociatur cum spiritu ardoris, pœnitentia inutilis est ad vitam eternã. Quam obrem hæc duo sunt necessaria, & pœnitentia, & charitas, vt desponsetur anima Deo. Verùm quia charitas non extat nisi ex fide, ideo fidem esse necessariam ad hãc desponsationem, indubitatum est: & id quod subdet mox Vates noster. Quia ergo per sacram Baptismi aquam, Christo vero sponso desponsatur Ecclesia: in Baptismo autem est iudicium, quia quando baptizantur adulti, exigitur ab eis, si abrenuntiant satanæ & pompis eius, si dolent de eratis prioribus, si iam mutatum habent animum, vt nouam vitam secundum Deũ agant: est item iustitia, quia ibi infunditur Spiritus sancti charitas, rectè ait, Sponsabo te mihi in iudicio & iustitia. Quòd verò subditur, Et in misericordia, & in miserationibus, aptè adijcitur id quod vt perspicuum tibi sit notato in istis mysticis sponsalibus siue animæ fidelis, siue Ecclesiæ Catholicæ cum Christo, quædam esse nostra, alia esse diuina, alia verò communia Deo, & nobis, nostra dixerim, quę exiguntur à nobis vt Deo vniamur. Et istud est spontaneus voluntatis nostræ consensus. Enimuero nullus poterit Deo hærere, nisi sponte hoc velit. Sicut enim peccatur volendo, ita quoque vt iustificemur, liberi arbitrij consensus exigitur. ¶ Imo liberior consensus exigitur à nobis ad iustificationem nostram, quam ad inquinationem nostram. Quandoquidem si quis ex timore mortis peccat, lanè peccat, etsi videatur consensus huiusmodi coactus, quia voluntas coacta voluntas est. Porrò si ex timore quispiam mortis, bonum operatur, actus ille non est vtique aquaque studiosus. Si quidem quod bonum est benè, item faciendum est: quod si non benè factum fuerit, non erit actus virtutis omnino, etsi ex genere sit studiosus. ¶ Porro quod non sponte fit bonum, non benè fit, quia voluntariè prorsus non fit. Voluntatis igitur nostræ spontaneus consensus noster est, quia libera præditi sumus facultate ad volendum, & nolendum: & ideo velle & nolle nostrum est. Quocirca dolere de peccatis, & correctionem vitæ proponere nostrum est, id est, à nobis hoc exigit Deus, vt iustificemur: porro charitatis infusio, quæ necessaria est nobis, vt nostra pœnitentia sit fructuosa, diuina est, & non est nostra, vt fidei infusio. Tametsi hanc infusionem Deus non operatur sine nobis, nisi in paruulis, quando tinguntur baptismo: ipse sane solus operatur in nobis, non tamen sine nobis: siquidem quia dolemus

Quibus desponsatur Ecclesia Deo, & quælibet anima Christo.

Consensus etsi coactus sufficit ad peccatum, at non sæpe est ad virtutem.

exactè de peccatis nostris, & consiteri suo tempore decernimus, ideo Deus nobis infundit charitatem suam, per quam iustificamur. At verò quando Deus nos vocat ad pœnitentiam, ipse est qui solus hoc operatur ex misericordia sua. Hanc igitur vocationem & instigationē operatur Deus in nobis, & sine nobis. Quia vt vocetur peccator ad gratiam iustificantem, nihil est in peccatore, vnde vocetur vt nihil erat

Actor. 9. in Paulo, quando illam cælestem tonantē sibi vocē audiuit, Paule, Paule, dicentem, quid me persequeris. Imò contrariam dispositionem omninò habebat vexandi Ecclesiam Dei. Propterea igitur ait Vates, In misericordia & miserationibus: quia ex misericordia vocat ad iustificationem, & ex miseratione iustificat. Est autem tribuē dum Deo, & nobis, perseuerare in bono: est enim Dei donum, & operæ, & sedulitatis nostræ. Imò etiam quòd verè pœnitea-mus & Deo, & nobis tribuendum est. Sic matrimonijs etiam humanis idem accidit, quædam enim sunt viri, vt subarrare vxorem suam virginem: alia sunt vxoris, vt dotalia bona: alia sunt communia, vt lucralia bona. Vndè nonnihil refert matrimoniū carnale, matrimonium spirituale. ¶ At verò hæsitat aliquis cur vocantur sponsalia hæc ab Osea, & non matrimonium? non enim ait, Duco te in vxorem, sed sponsabo te mihi. Cùm tamen suprà insinuauerit Deum esse maritum dicens, Vocabis me vir meus, & non vocabis me Dominus meus. Respondetur esse matrimonium ratum, & esse consummatum: primùm vocant Theologi & Iurisconsulti, imò ipsa diuina Scriptura Sponsalia, vt sacra virgo Maria sponsa & vxor Ioseph in Euangelio appellatur: secundum verò non sponsalia, sed matrimonium vocatur. ¶ Quamdiu autem in hoc exilio exulamus, non accidit nobis perfecta cum Deo, quia in multis offendimus omnes. ¶ Porrò obseruare erit oportunum aliam rationem esse habendā in proposito, vniuersalis Ecclesiæ, aliam huius vel illius fidelis animæ. Enimuero, Ecclesia vniuersalis quia errare nequit, neque tota esse in crimine, quandoquidem Paulus asserit Ephes. 5. eam esse immaculatam, & non rugosam, ruga vetustatis peccati, ideo vniuersalis Ecclesia sponsa est Christi, quia coniunctio Christi & Ecclesiæ, est instar matrimonij rati, & non consummati: firmum namque spirituale est hoc matrimonium, quia Ecclesia tota nō potest deficere à fide syncera, neque tota potest esse maculata. Non tamen est consummatum, etsi quamdiu est Ecclesia militans in hoc sæculo, videt in specie & in ænigmate, & non facie ad faciem. Quippe peregrinamur à Domino, & nondum apparet quid erimus, sed cùm apparuerit similes ei erimus: itaque, etsi sub hac peregrinatione Ecclesia sit arrata à Domino, quia fidem habet, & charitatem, & spem, & cætera consequentia dona Spiritus sancti, verùm adhuc ingemiscit Ecclesia redemptionem filiorum Dei expectans, adhuc clamat cum Regio Vate, Heu, dicēs, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Tunc autem erit consummatum hoc matrimonium, quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum suorum, quando lanabitur viso Dei vultu sponsi sui Christi. Interim autē fide contemplatur Ecclesia sponsum suum, interim charitate in ipsum quō non videt, inardescit, & spe in eum volat, desiderans dissolui & esse cum Christo. Si verò loquamur de Ecclesia in particulari hac vel illa, vel de anima fideli, vtique cū istis non matrimonium ratum hoc spirituale. Etenim huiusmodi deficere possunt, & sæpè deficiunt ab vnione cū Christo, quæ est per charitatem & fidem. Potiùs hanc vnionem dixeris, quando adest esse vnionem referentem sponsalia de futuro quæ dissolui possunt. ¶ Quod verò Oseas nunc de futuro prædixit, Sponsabo te mihi, Ioan. Euangelium esse iam impletum demonstrat dicens cap. 3. Qui habet sponsam sponsus est: & sunt verba paraniphi, seu pronubi Baptistæ Ioannis. & Apocal. 21. Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, &c. sicut sponsam ornatam viro. Per Ierusalem Catholicam Ecclesiam sub intelligens, quæ dicitur de cælo descendere, quia tota gubernatur ex cælestibus oraculis Christi, qui de cælo descendit, & propter nostram salutem factus est homo.

¶ Quod si forte pulsat animum tuū, quæstio hæc, quæ nam est dos quam offert spōsa Christi Christo? dixerim tibi, quod Saul Dauidi dixit. 1. Reg. 18. Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tātum centum præputia Philistinorum. Namque Christus cùm sit verus Deus, non eget nostris, canente Psal. Ego dixi Deus meus es tu, quia

Matrimonium ratū, matrimonium consummatum

Ecclesia Catholica spōsa Christi.

Romān. 8. *Psal. 119.* *Apoca. 21.*

Philipp. 1.

Quam dotem spiritualem exigit Christus à sua sponsa Ecclesia.

quia bonorum meorum non eges. Eget autem nostris, est sanè ex sua ordinatione. Disposuit enim, vt illi cooperemur: præputijs igitur eget nostris; non carnis, sed spiritus. Præputium autem spiritus, est superfluitas affectuum, hāc vult à sua sponsa ecclesia, circuncidere, & resecare. Affectus enim isti sunt Philistinorum, id est, alienigenarum; quia faciunt nos alienos à regno Dei. Centum autem præputia, ex numero centenario, qui perfectus est, perfectā denotat resecationem istorum noxiorum affectuum. En tibi, dotem ecclesiæ, mortificationem, scilicet, affectuum noxiorum,

Ad colo. 3. quam Paulus monens ait, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Et

Galat. 5. rursus, qui Christi sunt crucifixerunt carnem suam cum vicijs, & concupiscentijs. ¶ Porrò autem, ea est paupertas spiritus nostri, ea est imbecillitas virium nostrarum, quod nequeamus hanc dotem mortificationis ex nobis solum nisi Deo adiuuante speciali-ter præstare quimus. Quandoquidē, Paulus docet, Nos, non esse sufficientes cogitare aliquid à nobis, tāquā ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Desponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus.* Phrasis est Hæbraica, in fide, id est, per fidem, vt percusit Philisteum Dauid in lapidē, & funda, id est, per lapidem, & fundā. 1. Reg. 18. & itidem quæ supra sunt relata, Despōsabo te mihi in iudicio, & iustitia, &c. id est per iudicium, & iustitiam. Porrò Hebræi hæc declarant, hac ratione, desponsabo te mihi in iudicio, & iustitia, id est, corripiam te per Chaldeos, & affligam te captiuitate. Istud est iudicium & iustitiam, & in misericordia te afferam à captiuitate, & miserationibus multis te prosequar per Cyrum. & desponsabo te mihi in fide, maiorū tuorum Abrahæ, Isaac, & Iacob, & aliorū Sanctorum, vnde tu ducis originem, siquidē per fidem patrū Deus misertus est Iudæorum, vt Paulus ait, Rom. 11. Cæterum, desponsatio nō videtur referanda ad exitum ex captiuitate, siquidem iam præcesserat in Ægypto, ideo prosequamur nostram expositionem, quā vt assequaris, scias oportet, quod fides multifariā vsurpatur, apud autores. Dicitur namque fides, baptismus, quia fides est sacramentum, & sub eo fit prima professio fidei. 45. dist. de Iudeis. Itē dicitur fides thori connubialis castitas, vt 27 quæst. 2. coniuges. Rursus fides vsurpatur pro pacto, vt. 23. quæst. 1. Noli. Præterea

Multifariā dicitur fides.

fides, dicitur conscientiæ dictamen. 28. q. 1. §. 1. vnde Rom. 14. Omne quod non est ex fide peccatum: est adde etiam fidē vsurpari pro constantia mētis, in opere suo. Vnde in diuinis literis. 2. Reg. 7. Domus fidelis dicitur, id est, multo tempore constans generationis ex vno stipite, processio. Præter hæc fides, pro confidentia Matth. 17. si habueritis fidem, vt granum sinapis. & habitus infusus fidei, quā Theologi annumerant in Cathalogo Theologicarum virtutum, item est fides: præter hæc etiā fides, significat ipsum actum credendi. Vnde illud Greg. in hom. paschali, fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. ¶ Porrò, autem in præsentia, non sunt nobis tot acceptiones fidei necessariæ, sed solum nobis sat sunt quatuor ex illis, si elegerimus, videlicet pro fidelitate, pro fide infusa, pro confidentia in Deum, pro credulitatis ex hac progrediēte actu. Enim vero Christi sponsa per hæc spōsatur Christo. ¶ Primò namque ecclesia est fidelissima Christo. Siquidem sancti Martyres, vt Christo se seruarent immaculatos, incredibilia subiere tormenta. Et demum tota ecclesia soli hæret Christo, & alium, id est, sa-

Domus in scriptura pro genere

tanam non admittit. Et ideo propter Christum innumeros tolerauit labores, & tolerabit, vsque ad mundi consummationem. Est igitur hæc Christi sponsa fidelissima suo sponso Christo, quæ prompta est, omnia quæ habet, & ipsam denique vitā, pro Christi sponsi amore perdere. Rursus, sponsa hæc fulget fide infusa, quam fideliter, & immaculatè, fidem, quam concepit ex verbo Dei obseruat. Denique, & fidem quam concepit corde, quotidie ore profitetur. Edocta enim est à doctore Gentiū, Rom. 10. dicēte, Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Et demū confidentissima est in Christum, quod ab ipso non deseretur. Et *sciet*. Vtique dum in corpore peregrinamur à domino ex clara notitia non possumus scire diuinitatis arcana. At vero, scire non erit ab re, diuinas literas non vsurpare nomen scientiæ, vt est moris philosophici, aut dialectici, id vocare scientiam, quod ex euidenti demonstratione patescit: sed vocat scientiam cognitionem certam, & infallibilem diuinorū. Vnde illud Sap. 10. dedit illi scientiā sanctorum, & honestauit illum in laboribus. Et locus hic cōcinnit, cū loco illo Ieremię 31. Omnes enim cognoscent me, à mini-

Ecclesia fidelissima Christo, in eum confidentissima, plena fide infusa Christi, & in Christum credēs pro pensissimē.

mo

mo vsque ad maximum, ait Dominus. Et hoc impletum est sub luce Euangelica, quia omnes fideles sciunt, vnum esse verũ Deum, essentialiter vnum, & personaliter trinum, & hunc solum esse colendum, & adorandum. *Et sciet*, optimè cõtexuit post quam enim dixit. *Desponsabo te mihi in fide*, continuo subiecit, *Et sciet, quia ego Dominus* Namque post notitiam ex fide, quid speratur nisi clara visio Dei? Siquidem per fidei viuæ meritum, consequimur claram scientiam diuinitatis, testantibus Theologis, in patria fidei succedere visionem, vt charitati fruitionem, vt denique spei habitum, vel habitionem, seu tentionem Dei sperati. ¶ Vnde Isai. 7. vbi nos habemus, Nisi credideritis, non permanebitis, Septuaginta legunt, non intelligetis. Itaq; ad sciẽdum Deum, clarèque intelligendum diuina exutis corporibus, primus gradus est fides. Et æquidem iustum est præmiũ, siquidem, qui captiuauit intellectum suũ, in obsequium Christi, vt scilicet crederet, quæ humanæ rationi videbantur impossibilia, dignus est, vt tandem ea clarè videat quæ obscurè credebat. *Et sciet*, vtiq; totus conatus noster, in hunc scopũ tendat, oportet, scilicet, cognoscere Deum, pura, & syncera notione, vnde dixit ille, neque glorietur sapiens, in sapientia sua, & non glorietur fortis, in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me. Quia ego Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra. Vbi aduertere oportet, hoc loco, vt fæpè aliàs in arcanis literis, scire, vel cognoscere Deũ, non significat notionem solũ intellectualem, sed etiam puritatem affectus nostri in Deum. Quapropter huiusmodi notio Dei præstat omni mundani sapientię, omnibus viribus, & potestatibus, & principatibus sęcũ; humanis, omnibusque rebus pretiosis huius sęculi. Nãq; testante Domino, Hęc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum. Quilocus, & si passim à Theologis inducatur, quo probent beatitudinem consistere, in clara visione diuinitatis: cæterum, non cõcludit locus huiusmodi conclusionem. Namq; promptum est dictu, loci sensum esse vitam æternam in cognitione vera Dei per fidem, formata charitate: siquidẽ scriptura, istud vocat cognoscere Deũ. ¶ Et quamuis actu non sit hæc affectuosa diuinitatis notio vita æterna: at verò, in spe est vita æterna. Et est eadem locutionis figura cum illa, Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt. Vbi credentes vocat beatos, quia spe sunt beati: vt electus in Episcopum, iã vocatur Episcopus. ¶ Obserua tamen obiter in verbis Ieremiæ, dudum citatis, aliter vsurpari iudicium, & iustitiam. Cum de Deo agitur, & aliter cum in nos refertur huiusmodi sermo. Siquidem Deus facit iudicium, dum seruat omnibus suum ius: facit vero iustitiam, quia vnicuique reddit iuxta opera sua. Nos verò in alium sensum retulimus has voces, vt dudum patuit. Etsi sponsa Christi, etiam seruat iudicium, dũ constituit fidelibus sua iura, & facit iustitiam, dum vnicuique statuit esse reddendum iuxta opera, & merita sua: & hoc iudicium, & iustitiam, libri Decretalium, & Decretorum, compræhendunt, cum Sexto libro. Si autem Pontifices ab hoc iudicio aliquãdo, & ab hac iustitia, declinant, vitiũ est liberi arbitrij nostri, quod ad malum est propensum, non spõsæ Christi, quæ cũ sit non habens maculam, neque rugam, non potest declinare à vero iudicio, & integrita te iustitiæ. Habet tamen hæc sponsa Christi, in capite suo, quod est super terrã, summo Pontifice, potestatem amplissimam, ligandi, & soluendi, & dispensandi quando oportunitas, se se obtulerit, & abrogandi iura, si viderit opus esse abrogare antiqua, & noua pro temporis indigentia constituere. Cæterum in omnibus istis, ob oculos est habendum, quod sponsalia huius fœlicissimæ sponsæ, sunt facere iudicium rectum, & iustitiam. At quia nonnunquam summum ius est summa iniuria, ideò coniunxit Dei verbum cum prædictis, aliud scilicet facere misericordiam. Misericordiã enim facere, amat Deus, fragilis namq; est natura humana, & ad peccandum procliuis, quocirca iudicium, & iustitia, temperãda sunt misericordia, vt fecit ille Samaritanus, qui oleum, quod misericordiam denotat, propter suam lenitatem, & vinum ex ardore suo iustitiæ rigorem insinuans, infudit, vt iacentem, vt vulneratum à latronibus hominem, hoc medicamine, ex vtrisq; prædictis temperato, sanaret. *Et erit in illa die, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudiant terram, & terra exaudiet triticum, vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael.* Comminationes diuinæ, quibus nos terret,

Ierem. 9.

Summi pretij est notio vera Dei cũ puritate affectus & hãc Euangeliũ vocat vitã æternum.

Sponsalia Ecclesiæ sunt iudicium, iustitia, & misericordia.

Deus parcè mala comminatur & largissimè promittit bona.

terret, vt à peccatis cessemus breues sunt: at verò promissiones quibus nos allicit, vt ad æterna conuolemus sunt largissimæ. Breuis namq; comminatio fuit, quæ prædicta est per Vatem hic: at verò toto hoc capite, maxima bona pollicetur Deus, sequentibus se. Et huius rei causa est, quia Deus pronior est ad parcendum quàm puniendum. Prædictis igitur pollicitationibus, nouam adiunxit Deus per Oseam, dicens, Et erit in illa die, illa scilicet, quando desponsabit sibi Ecclesiam, coadunatam ex Gentibus & spiritualibus Israelitis, *Exaudiet dicit Dominus, &c.* Cõtinuò obijciet Lector, quid ergo cæli sunt intellectuales, vt precentur Deum? aut terra est rationalis, vt coram cælis fundat orationem? Ne esset autem locus huic obiectioni, planiorem translationem edidit Vatablus. *Annuam, annuam* (inquit) *cælis, ipsi autem annuent terræ, terra autem annuet frumento, vino, & oleo.* Aut vt Chaldæa habet translatio, *Respondebo cælis, ipsi autem respondebũt terræ, &c.* Verum pro nostræ versionis intelligentia scito, quod diuinæ literæ non horrent omnem modum loquendi, etiam Poeticum. Siquidem Deus loquitur hominibus, non Angelis: vnde fit, vt omnem modum loquendi humanum, Dei Vates, non despicentur. ¶ Est autem Prosopopęya locutionis figura, ex qua ad maiorẽ exaggerationem eorum quæ dicuntur, tribuimus personam non habenti, vt illud est, Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Namque cęlis tribuitur auditus rationalis, qui humanæ est personæ, itemque terræ idem tribuitur. ¶ In quem propemodum in præsentia noster Vates cælis tribuit preces, & terræ, & frumento, & vino, & oleo. Cùm tamen alioqui, neque cælum precari potest, neque terra, neque frumentum, neque vinum, neque oleum, cùm sint hæc inanimata. Iam verò opus facto erit explicare, quid velint præmissa verba, Et sunt similia illis, quæ Virgilius scripsit. 2. Georg.

Tũ pater omnipotẽs fœcundis imbribus æther.
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus

Et Virgilius Metaphoricòs vocat terram coniugem, & ætherem vocat virum & patrem. At verò noster Vates alio schemate sermonis est vsus, quo item vtuntur profani Poetæ. ¶ Est autem sensus, sub tempore nouæ Ecclesiæ, Deus non impediet cælorum & astrorum influxum vnde terra fœcundatur. Terra enim ex imbribus moderatis, & flatibus, grandinibus, & niuibus, & id genus impressionibus fœcunda redditur. Et quia terra hoc appetit, lætas scilicet habere segetes, & fructus obtinere optimos, alendis & hominibus & pecoribus. Et hoc exoptat, quia habet se ad modum exoptantis. vnde Psal. Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ideo quando cælum eam sua vsitata influentia fouet, dicitur eam exaudire, nempe quia appetentiam naturalem terræ implet. ¶ Et rursus, quia vinum, & oleũ, & frumenta etiam naturaliter hoc appetunt, imbrium temperamentum, & caloris & frigoris moderamen, nam ex istis illa aluntur, & ad suũ robur perueniunt, quando terra illis subministrat quæ sunt necessaria, vt ilico germinentur, & vegetentur, dicitur terram exaudire terræ fruges & fructus: siquidem naturalem illorum appetentiam absoluit. Porro autem si cupis clariùs hæc discere, scito Deut. 28. proditum esse, custodientibus Dei mandata, aperiet Dominus thesaurum suum, optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore tuo. Postmodum maledicens Deus violantibus legem suam, subdit, Sit cælum quod supra te est æneum, & terra quam calcas ferrea: det Dominus imbrem terræ tuę puluerem, & de cælo descendat. super te cinis, donec conteraris. ¶ Vndè colligitur contra quendam, quod Deus disposuit per cælestes aspectus, & constellationes terram fertilem reddere, & tunc dicitur cælum dari à Deo nobis optimum, id est beneficentissimum. Itemq; ad vltionẽ nostrorum criminum, disposuit per alios aspectus astrorum, & coniunctiones, vel oppositiones terram facere sterilem: quando scilicet coniunguntur in magna coniunctione astra exiccantia terram, quod vocat cælum æneum: id est, admodum sicca sitaq; quamuis cæli substantia sit semper eadem, at verò ex varietate aspectus astrorum, iam fit benignum cælum, iam verò aridum, ex sola operatione exiccante. Nam cælum neque calidum, neque frigidum est, neque aridum, aut humidum: sed solum secundum efficientiam quam efficit in hæc inferiora. Sicut & Author cælorum Deo Scriptura tribuit irasci, pœnitere, &c. solum ob effectum. ¶ Est igitur sensus iam apertus, quod sub tempore nouæ Ec-

Diuina scriptura non despicatur omnem modum loquẽdi, qui est in humana consuetudine.

næ eccleſiæ, Deus exaudiet cælum, quia quod peccata noſtra reddiderunt æneum, Dei miſeratio, apperiet theſaurum ſuum, ſcilicet imbrium ſuarum, & faciet cælum optimum, & terra quę erat ferrea, id eſt, ſiciſſima, vt fertur olim in Hiſpania accidiſſe, quando 25. annis pluuiæ ceſſauerunt, adeò, vt tota dehiſceret, & voragines patentes obſtarent greſsibus ambulantium. Terra igitur, quæ ob peccata incolarum, efficitur ferrea, ex Dei miſeratione, prædicetur ſub ætate eccleſiæ nouæ inebriandâ à cælo. ¶ At verò, non minima eſt quæ reſultat dubitatio, num hæc ad literam ſint habẽda, an potius parabolicè eſſe dicta putandum ſit. Etenim Hebræi, hæc ad literã credunt habenda. Nam ſub Meſsiam, quẽ ipſi vana ſpe, ſperant, putant ſummam futuram bonorum temporalium abundantiam. Itaque cælum ſemper erit illis optimum, & terra feraciſsima, vt iam tunc nulla ſit timenda ſterilitas. ¶ Porrò autem Hebræi cum ſint valde carnales, omnia ad ſenſum carnalem referunt. At ſunt etiam Catholici, qui idem fatentur, ſed moderatius. Aſſerunt enim polliceri à vate ſub Meſsia, tunc venturo, abundantia bonorum temporalium, & item ſub hac abundantia cõprehendi abundantia ſpiritualium bonorum. Ego vero, nõ video, in decurſu Euãgeliorum, Chriſtum ſuis promiſiſſe abundantiam, & temporalium bonorum, ſed ſolum ſpiritualium. Namq;, quod Matt. 19. traditur, Qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit: non eſt intelligendum de temporaneis bonis, vt Hieronymus rectè colligit Commen. in Matth. Enimuero ſi de caducis iſtis bonis ſermo eſt, igitur pro vna vxore relicta propter Deum, centum eſſent reddendæ, id quod honeſtum eſſe quis iudicabit, niſi ſectator fuerit Mahometanæ ſectæ, quæ ſuis ſectatoribus vxores pulcherrimas in altero promittit ſæculo. Et præter hæc num in vita æterna erunt coniugati homines, habebũt ne filios & filias, & ſorores, agros, &c. Domino contradicente, In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei. Non ergo verba Domini in reſurrectionem finalem ſunt referenda. Quod ſi ad præſentem vitam, dixeris referẽda. Qua ratione monachus, qui reliquit ſua propter Chriſtum, vtpote ſponſam, quia forte ſponſam habebat, & illam cæleſtia guſtans, dimiſit, & monachiſmum eſt profeſſus, num hic habebit centum ſponſas? num centum agros, & ita de reliquis? Non vtique cum monachatus, non compatiatur vxorem, neque peculiũ. ¶ Quocirca, verba Domini, ad ſpiritualem recõpenſam, ſunt referenda. Quæ ſanè fit in hoc ſæculo, relinquenti propter Chriſtũ, ſua, Nam Chriſtus in melioribus bonis, ſcilicet in gratia Dei, in perſeuerantia boni, in victoria diaboli, & hoc genus alijs, repẽdit, propterea quæ Chriſti amore aliquis reliquit. Et hæc ſanè, centuplo ſunt meliora, quam fluxibilia bona. ¶ Quid quod in neceſſarijs non deſtituetur huiuſmodi tẽporalibus bonis. ¶ Quamobrem, dixerim ſenſum literalem verborum vatis, non eſſe capiendũ ex prætextu literę, ſed potius ſub parabola, verba acciperet quidem, ſub parabola prę ſignatur in noua Eccleſia, nullam futuram ſterilitatem, vel olei, id eſt, diuinæ miſerationis, vel vini, id eſt, diuinę charitatis, vel frumenti, id eſt, cæleſtis doctrinæ. Siquidem abundantiſsimè Deus elargitus eſt ſuã miſericordiam, fidelibus. Teſtante Paulo, Apparuit, benignitas, & humanitas ſaluatoris noſtri Dei nõ ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuã miſericordiam ſaluos nos fecit. Et rurſus commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quia cum inimici eſſemus, reconciliauit nos in Chriſto. At doctrinæ abundantiam, illa verba denotant, item docete omnes gentes, &c. Et rurſus ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, vt denique verum ſit, quod ſcriptum eſt, & mittet quaſi imbres eloquia ſua. Exaudiuit igitur Chriſtus, Apoſtolos ſuos, qui erant cæli, & Dei ſedes. Nam in die Penthecoſtes, orantibus eis, deſcendit ſpiritus ſuper illos Spiritus ſanctus, & terram exaudierunt cæli. Siquidem gentium populi, optimè ſignificantur per terram, quia defixa corda tenebant in terrenis bonis ignorantes vnum verum Deum. Et quamuis ex ignorantia non deſiderabant cæleſtem patriam in particulari, at vero in genere ſaluari optabant: quandoquidem naturalis eſt omnibus appetitus ad beatitudinem: etſi in particulari erretur ab humano intellectu in quærenda beatitudine, niſi illuſtretur ſuperna gratia. Apoſtoli igitur qui erant cæli myſtici, exaudie-

Luc. 20.
Matth. 22.
ad Tit. 3.
ad Rom. 9.
Matth vlti. & Marc. Ioann. 8.
Eccleſ. 39.
Actor. 2.

runt terram huiuſmodi. Namque, vota gentium abſoluerunt. Gentes enim optabant beatitudinem, & Apoſtoli demonſtrarũt beatitudinem eſſe Chriſtum, & viam ad hanc aſſequendam, eſſe fidem in Chriſtum. Rurſus gentes, exaudierunt frumentum, vinum, & oleum. Quando quidem Dei miſericordiæ, Dei charitas, Dei doctrina hoc vnicè habentur in votis, omnes homines ad ſe trahere, iuxta illud quod diuina proclamat ſapientia, Prou. 8. Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. ¶ Hæc igitur ardentia vota, populus gentium implebit, ſiquidem gentes libenti animo ſuſceperũt fidem in Ieſu Chriſto. Et Paulo teſtante, ad Romanos, honorauerunt Deum gentes, pro impenſa Dei erga eos miſericordia, & charitate, & doctrina, adeò vt corda ſua aperuerint carnificibus ex ferentiſsimo amore Ieſu Chriſti, & ſubditum. *Et hæc exaudiet Iezrael.* Diximus ſupra Iezraelem ſignificare inter alia, ſemẽ Dei, aut ſeminationem diuinam. Sanè, quæ dixerat vates, hactenus exoptabãt diuinam ſeminationem, hoc eſt diuinam generationem. Namque Dei miſericordia, Dei charitas, Dei doctrina, hoc in votis habebant, & ſemper habent, quod Deus generaret ex gratia ſua filios adoptionis, vt in eos, Dei miſericordia ſe vberrimè defunderet, & diuina charitas, haberet quod æterno, ad æternam, ſcilicet vitam amaret. Et demũ Dei doctrina haberet, quos cæleſti diſciplina imbueret. Quæ omnia ſub ſtatu nouæ Eccleſiæ ſponſæ Chriſti, eſſe adimpleta, ſancta Dei eloquia non obſcurè indicant, inde ſubdit vates, in Dei perſona. *Et ſeminabo eam mihi in terram, & miſerebor eius quæ fuit abſq; miſericordia. Et dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipſe dicet Deus meus es tu.* In Gentilitate diabolus lemẽ ſuum, ſcilicet, tranſgreſsionem, & diuinũ honoris violationẽ ſeminauit. Quippe, gentes Deum verum ignorantes, ad idola currebãt ſicut bruta citrà ſenſum, & intellectum. At verò, Chriſtus, Apoſtolica prædicatione eradicauit hoc ſemen peſſimum, quod alioqui profundiſsimas egerat radices, & ſeminauit, ſemen legitimum diuini verbi. Quod ergo ait, *Seminabo eam mihi in terram*, ſiue, *in terra*. Hunc ſenſum habet, id eſt, ſpargam inſtar ſeminis, Eccleſiam Catholicam, in totum orbem. Nam Eccleſia catholica, non eſt concluſa ſub modo, vt olim Iudaica natio, ſed ſparſa in totum orbem eſt Malac. 1. à ſolis ortu, vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gẽtibus. Et in omni loco, ſacrificatur, & offertur nomini meo. Seminatur autem Dei ſemen, non in omni terra, ſed in terra reſpondente ſibi. Aut potius vbique ſeminatur, at non vbique cum fructu. Namque ſemen Dei, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum auiti: aliud vero cecidit in lapidoſam terram, & nõ potuit ſe extollere, quia humore vegetante orbabatur: aliud vero in terram vepricoſam, & ſuffocatum auiti: aliud denique in terram bonam, & hoc fructificauit, multa varietate, nam terræ bonitas, non erat vna qualis. Quædam enim eſt bona, alia melior, alia optima. Quæ enim bona, fructum retulit trecesimum, quæ verò melior, duplicauit fructum, quæ denique optima, centeſimum protulit. Quamobrem quod ait, *Seminabo eam mihi in terra.* Non ad ſimplicẽ fructũ ſubaudi, ſed ad varios & pulcherrimos fructus. Enimuerò, quia varietas eſt præmiorum, in cæleſtibus regnis, ideò, & varia ſunt in hoc exilio merita ſanctorum. Vnde diuinum ſemen diuini verbi, quia potentiſsimum eſt, potentiſsimè operatur in terra ſibi obediẽte, ideſt in corde, quod in conſuetudine ſuſcepit, verbum Dei patris, inſitum in humana ſubſtantia. ¶ Hoc denique ſemen, ſancti Apoſtoli ſparſerũt in orbem terrarum, & quotidie ſpargunt, diuini verbi proclamatores. Qui omnes poſt Chriſtum, qui fuit, & eſt primus huius verbi ſator, ſunt eiuſdem verbi ſatores. ¶ Reliqua huius textus expoſitam ſupra dedimus. Nam ex Paulo, ad Rom. 9. diximus intellectari, de gentium vocatione ad fidem Ieſu Chriſti. ¶ Et quidem ſummæ eſt felicitatis, eſſe populum Dei, teſtante Pſalmographo, Beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Et hac felicitate potiebatur, olim Iudaicus populus, qui erat grandis natio apud Deum, gens inclyta in caput, conſtituta non in caudam Deut. 4. & 28. At verò, quia ſtatuerunt declinare oculos ſuos in terram, ideò facta eſt vilis natio in conſpectu omnium gentium, & populus ignobilis, & opprobrijs plenus, & iam in caudam eſt omnium nationum. Et qui erant primi, vt Euangelica nos monet doctrina, Deuteronomio concinens, facti ſunt nouiſſimi, & qui erant nouiſſimi facti ſunt primi. Nam Iudæi qui principatũ obtinebant, in diuina obeunda religione, ideò

Iacob. 1.
Pſalm. 16.
Matt. 20.

ideo erant tanquam caput in orbe, iam vero, quia à diuina religione abhorrent, & superstitionibus suis sunt deditissimi, sunt velut orbis cauda. Et quamuis, aliæ nationes vt idololatrarum, & Saracenorum, grauissimis sint oneratæ culpis, & grauioribus, quam Iudæi, at verò, isti sunt, etiamnum cunctis vitiores. Siquidem Christũ Dominum, quæ in suis vatibus quotidie legunt, non recipiunt, id quod cæterũ gentibus imputari non potest, tam fædè, vt Iudæis, siquidem idololatræ, & Saraceni, prophetas sacros, non probant, neque maiores eorum Christum anxiè, & certissimè venturum sperabãt. *Et miserebor*, Iudæi referunt hæc verba, ad exitum ex captiuitate Babylonica sub Zorobabele, vt est autor Rabi Salomon. At verò, non abstulit Deus suam misericordiam à Iudæis sub captiuitate illa Babylonica, siquidem per prophetas suas, illis prædixit, asserendos esse ab illa, expletis septuaginta annis. Et sub ipsa captiuitate cõsolatus est eos, Deus & tunc adhuc erat, populus Dei, ideo credamus Paulo, hæc verba referente ad vocationem gentium in fidem Christi, vt admonuimus dudum.

EXPLANATIO IN CAP. III. OSEE.

ET dixit Dominus ad me, adhuc vade, dilige mulierem dilectã amico, & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respectãt ad deos alienos.

Proposuerat vates cap. 1. se ex Dei imperio accepisse, meretricem in vxorem, ex qua susceperat filios, & filiam. Ex quo tanquã ex proposito paradiomate, Deus volebat demonstrare Israelitis, suam in Israelitas munificentiam, & Israelitarum in Deum ingratam mentem, ingratitudinisque extrema supplicia. Nunc verò, iterum ostendit, se ex Dei imperio dilexisse, mulierem dilectam ab amico suo, alioqui adulteram. Itaque, ex literæ contextura, non iubetur accipere vxorem, vt primo fuerat iussus propheta, sed mulierem adamare vehemẽter, quæ spernens se sic adamatam, esse fornicata nihilominus est. Vnde, hoc paradigma, quod nunc proponitur est demonstrans statum Israelitici populi, postquam repudiauit, synagogam, Deus & illi dedit libellum repudij, in quo statu versantur vsque modo Iudæi, à tempore primitiuæ Ecclesiæ, vt supra expositum est. Paradigma verò, primum demonstrabat, statum synagogæ, quando diligebatur à Deo tanquam vxor diligitur à probo marito. Sub quo statu, & si sceleribus multis esset implicata, nihilominus, multis erat prædita beneficijs diuinis. Quia regno vegebat, sacerdotio sancto pollebat, tẽporalibus bonis affluebat. Quod si increpationibus diuinis in terrã, afflictabatur, persistebat in suo honore. Repudiata verò, deiecta est à suo honore & prærogatiuis eximijs quibus erat à Deo dorata synagoga, vt modo videmus ad oculum Iudæos abiectos esse, & proculcatos á nationibus Barbaris, & non Barbaris, vt supra aiebamus. Porrò, & si in hoc capitulo Oseas huius abiectionis meminerit, in fine huius capituli, dicens, *Sedebunt filij Israel, sine Rege*, vt mox patebit, cæterùm, in priori parte, quam nunc versamus insinuat, de abiectione decem tribuum Israel, quas vocat filios Israel, vt supra commemorabamus. Et causam abiectionis exponit, esse quia decem tribus respectabant deos alienos. Respectare autẽ vel respicere deos alienos, est deos alienos in oculis habere. Latini autem, vtuntur hac etiam phrasi, rem aliquam dicunt habere in oculis, id est, rẽ multifacere. Quia igitur filij Israel, colebãt deos falsos, ideo, ait, ipsos respectare deos alienos. ¶ Aut aptius expones locum hunc non solum de decem tribubus, sed de omnibus tribubus quorũ ingratitudinem exponit vates supra, & modo, idem repetit proposito exẽplo de Amasio, qui adamat vehementer, amicam suam, & eam ornẽt multis muneribus, at, his nihil efficientibus ipsa, alios adamat. Ex quo patet exemplo, quod Deus, repudiatam iam synagogam, adhuc amat: quia tandem eos, sua gratia ad se cõuertet. Conuertentur enim ad versperam, & famem Euangelici verbi pauentur vt canes. At verò forsan obijcies, quod in præsentia, ipsi non colunt deos alienos, qua ergo ratione, hoc affertur in causam ingratitudinis? *Et ipsi ait, respectant deos alienos.* Respondetur, quòd non solum hoc affertur in causam, siquidem, & alia adijcitur, *Et ipsi diligunt vinatia vuarum.* In quo sermone est schema metoniniæ. Nam vinatia, vsurpantur pro vasis continentibus vinum. Continens, scilicet, pro contento.

Vasa

vasa vini, enim significantur per vinacia vuarum. Et vua, vsurpatur pro vino, & vinacium pro vase. Quod Hispani vocant flasco, vel garrafa. Diligere autem vinum est ebrietatem amare. Et vehementior est significatio huius sermonis, quam sit eiusdem prolatio. Prolatio enim, nihil mali præfert. Nam diligere de se malum non est. Præsertim si verbum diligere suam, quam grammatici tradunt significationem, retineat. Videlicet diligere esse amare secundum rationem. At qui hæc significantia si obseruetur, diligere vinum, non solum non est malum, imo est bonum. Nam pro temporis, & salutis necessitate. Bonum est, vinum bibere. Vnde Paulus suo Timotheo suadet, vt biberet vinum modicum, pro medela languentis stomachi, & ad præsidium aliorum morborum, quibus Timotheus vexabatur. Verumtamen, vt aiebam, vehementior est significatio, quam prolatio. Significat enim, filios Israel dedititissimos esse vino, id est, temulentiam amare. Et quia Paulo docente, & experientia comprobante, ex ebrietate, seu larga vini potatione consequitur luxuria. Nolite ait inebriari vinum in quo est luxuria, idcirco sub amore ebrietatis, & reliqua vicia quæ ad eum consequuntur, licebit, subaudire, ideo illa omnia vicio dat vates filijs Israel, & non solum idololatria.

1. *Tim.* 5. *Ephes.* 5.

¶ Quamuis igitur à tempore Machabeorum, vt supra admonebamus, idololatriæ vicium fuerit extinctum in Iudaico populo, vnde Dominus, non carpit hoc vicium in Euangelicis literis, id quod sedulo carpisset, si eo tenerentur Iudæi, sed carpit hypocrisim, auaritiam, temulentiam, &c. Ideò dicendum est, quod etsi Israelitæ ob idololatriæ peccatum, fuerint abducti in Assyriacam captiuitatem, & item Iudæi in Babyloniacam, & Israelitæ, fuerint à Deo repudiati ob crimen illud, quia illud non correxerunt.

¶ At verò Iudæi, & si fuerunt quidem à Deo castigati, & ob idem crimen, at quia correcti, non fuerunt repudiati, vsque ad Christi aduentum, quem suspendentes in ligno, sese auerterunt ab ipso, & ideo repudiata est synagoga prorsus: non sanè ob idololatriam, sed ob infidelitatem in Christum. Infidelitati autem præstitit occasionem, voluptas, & vanitas huius sæculi, quæ sub ebrietate, licebit subaudire. Ideò Ioannes, ait, de principibus Iudæorum quibusdam non credentibus in Christum, eos non credidisse, quia dilexerunt potius gloriam hominum, quam gloriam Dei. Et Lucas, commemorat quod Domino reprehendente auaritiam, deridebant eum Pharisæi, quia auari erant. *Vinacia vuarum*, vinacia, aut vinacea duo denotant, vel granula ipsa lignea, vuarum, aut vuarum reiectamenta, id est folliculos ipsos. Hispanè la granusa. Nam expresso per torcular, vino ex vuis, restantia reiectamenta, quæ porcorum sunt alimenta, appellantur vinacia. Et est mira exaggeratio ebrietatis. Quasi dixisset, adeò vinosi estis, & ebrietatis amatores, quod ipsa reiectamenta vuarum, supitis ex quo fit, locum hunc non esse ad metonimiam, referendum, vt nos paulò ante retulimus, ex aliorum sententia, sed citra metonimiam, exponendus est, vt exposui. *Ipsi diligunt vinacia.* Alia translatio habet amant.

Ioan. 12. & 5. Lucæ. 16.

¶ Hæsitas fortasis, nunquid vates, hoc realiter fecit, scilicet adamare mulierem prædictam, an solum factum est, in visione prophetica? Et hæc quæstio, est similis pueri motæ in capite primo. Et eandẽ forsè sortietur responsionem, quam inde colliges.

¶ Verumtamen, non cessabit inquisitor, exquirere, ecquid num vates fornicationem admisit? quandoquidem mulier non describitur vxor, sed amasia: vnde vt liquet, coitus cum illã erat fornicarius. Dices forsan, apud Iudæos, fornicationem simplicem esse inculpatam. At istud est contra legem Mosaicam, quæ expressè vetat meretrices, seu prostibula Deut. 23. forsan dicet alius, hanc mulierem, fuisse vxorem vatis, quippe ex subiunctis videtur vxor. Namque ait, *Et fodi mihi eam quindecim argenteis.* Aut clarius, vt Hebraica habet litera, *Et mancipaueram eam mihi quindecim argenteis*, id quod docti Hebræi referunt ad dotem, id est comparaui mihi eam in vxorem, ex numis argenteis quindecim, & ex alijs, quæ subduntur continuo. ¶ Obstat tamen istis, quia viri non dotant vxores, sed

E ipsæ

ipsæ dotantur à parentibus suis, aut à consanguineis suis, si parentes verbi causa inopes sunt, & consanguinei opulentiores.

¶ At vero, hæc obiectio non est admodum efficax, nam etiam aliquando fœminas pauperes, viri ditiores dotant maximè, si sunt viri senes, & vxores adolescentulæ. Et apud Lacedæmonas, viri, vxores ciebant. Et apud Turcas Constantinopolitanos, hic idem mos fertur seruari.

¶ Et quidem ex textu non constat, mulierem istam esse vxorem, imo cum hoc proponatur in figuram, quod synagoga etiam repudiata, & excluſa, à Dei mystico coniugio, à Deo diligitur, vt supra dicebamus, non est necesse credere hanc fuisse vxorem vatis. Imo, cum non exponatur nomen huius fœminæ, vt expositum fuit nomen alterius fœminæ memoratæ in primo capitulo, certo videtur alia ratio, in facto hoc, atque in illo. Vnde arbitror, quod gestum istud, fateatur quispiam, accidisse in visione prophetica, quod non errabit admodum. Cæterum si reuera accidit, & memorata mulier non fuit vxor, oportebit dicere, ex coitu cum illa non esse culpandum vatem, quia Deo paruit, & Deus iubendo, dispensabat cum vate, ne culpæ subderetur. Non me latet Theophylactum, ex translatione interpretum septuaginta, tradidisse hanc secundam mulierem, etiam esse vxorem vatis. Nam apud septuaginta sic legitur. *Vade diligere vxorem amantẽ praua.* Et Theodoretus, aliud insinuat: Propheta inquit, cum muliere in nefarijs facinoribus versante, habitabat quidem vt Dominus iusserat, at matrimonij consuetudine non vtebatur. Ex quibus verbis non obscurè insinuatur Theodoreto placuisse Oseam mulierem qui adultera fierat, iam cõnectam accepisse, in sociã, & cohabitatricem, non tamen vxorem.

¶ Prior autem sententia quod sane si vera est, nescio, hoc vnum scio, quod citra probationem asseritur, siquidem ex textu non conuincitur fuisse vxorem, aut si concedamus fuisse vxorem, vt septuaginta ediderunt, solo ex matrimonio rato fuisse, non interueniente copula, quæ est matrimonij consuetudo. Sanè, solum verba illa, *Fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei, præ se ferunt, hæc concessa mulieri, in dotem.* Cæterùm textus non ait, despondi eam mihi, aut duxi in vxorem, ex quindecim nummis argenteis, & ex coro hordei, &c. Sed solum, *Fodi eam mihi*, id quod alludit ad veterem Hebræorum consuetudinem, ex qua seruus, qui anno septimo nolebat deponere septenariam seruitutem, perforata subulla eius auricula, manebat æterno seruus. Quod si hæc est vera allusio potius significat huius fœminæ seruitutem, ad Oseam ex pretio prædicto, quam dotem, id quod, & translatio ex Hebræo præfert, scilicet, & mancipaui eam mihi quindecim argenteis. Et reuera, hoc magis exaggerat rem quam Spiritus sanctus intendit, per huiusmodi figuram. Namque Oseas seruam suam adamabat illam, videlicet ornans muneribus multis, at nihilominus ipsa immemor seruitutis, & adamationis, extraneis se coniungebat. In quem modum, & synagoga seruitute diuina prædicta, & à Deo multis exornata beneficijs, Deum spernebat, defluens ad idola ante Christi Aduentum, & post Christi coruscationem in orbe terrarum, dissoluta voluptatibus sæculi. Exod. 21. Deut. 15.

¶ Et tandem, arbitror rem hanc difficilem exploratu: ideò proposui lectori, quæ mihi videbantur magis consentanea rationi & textui, eligat ipse quæ volet. *Fodi*, Iam vero, si ad rem figuratam, hæc transferamus, non leue dubium est quid sibi velint hæc quod synagoga fuerit Deo addicta, seu mancipata, ex quindecim argenteis, & ex coro ordei, & dimidio, & ratio dubij non est spernenda, siquidem cum quindecim nummi argentei sint exiguum pretium, & item corus hordei, & dimidius corus sit etiam vile pretium, qua nam ratione possunt significare largissima Dei munera, quibus Deus prosecutus est synagogam? Pro coro enim, Hebraicè legimus Homer. Homer autem significat corum, vel modium, vel mensuram frumenti, quantum scilicet, asinus vnus portare poterit. Asinus autem portare poterit ad maximum, quatuor, quas Hispani vocant hanegas hordei

vel

vel tritici. Et iuxta hanc rationem, Homer, & dimidium Homer, idem est, quod sex fanecæ, seu sex hanegas de ceuada. Scio æquidem Homer, item significare cumulum, vel aceruum, vt lexicon Hebraicum nos docet, & iudicat hunc eundem locum quem in manibus habemus. Item & Abac 3. Vnde sensus esset iuxta hanc interpretationem, Fodi eam mihi cumulo, & dimidio cumuli. Verum hæc significatio, non videtur ita conuenire, vt prior. Iam igitur, cum hæc non sint magni sed exigui pretij, quia fiet, vt significant, largitatem Dei erga Iudæos. Sunt qui exponant, cum glossa per quindecim argenteos numos, intelligendum esse exitum illum celeberrimum ab Ægypto, qui fuit quinta decima die mensis Nisam, id est, Martij, siquidem. 14. die, celebrauerunt Phase. Exod. 12. & 15. diem exierunt ab Ægypto. Per corum autem, & dimidium cori, asserunt significari, tempus quando peruentum est, ad montem Synai. Quæ peruentio fuit. 45. die ab exitu ab Ægypto. Nam tradunt corum esse mensuram continentem. 30. modios, & dimidium cori erunt. 15. cori; vnde conficitur numerus supradictus. At vero corus. 45. modios habet ex sententia Latinorum, & modius est. 16. sextarij, vnde non congruit, explicatio hæc. Alij igitur, cum Lyrano per quindecim argenteos, quindecim prophetas, quos dono dedit Deus Iudæis, ad eorum doctrinam, quos hucusque legunt. Nam quamuis sint. 16. prophetæ. At verò Danielem Hebræi, non vt prophetam, sed vt apographum legunt, & per quadraginta quinque modios, quadraginta duas personas in Christi genealogia contentas, quibus adde tres reges, quos Matth. prætermisit, vnà de conflantur. 45. Et demum, res hæc cum sit explicatu difficilis, non est conuentum inter autores. Theophylactus autem per quindecim argenteos, intellexit libros Mosaicos quinque, & decem præcepta decalogi. Comparauit, igitur vel conduxit Deus plebem Israeliticam Pentateuco, eis exhibito, ad eorum gubernationem & decem præceptis. Pentateucum autem, secundum literam intelligunt Iudæi, vnde ex litera illa sola trahuntur ad Dei notitiam alioqui in perfidiam habendi eã. Per hordeum vero irrationalem ipsorum alimoniam adumbrat. *Fodi*, verba hæc, vt paulò ante dicebamus, seruitutis perpetuitatem denotant. Et equidem synagoga hanc seruitutem neglecto Euangelio amauit. Et perforatio auriculæ, fidei contemptum facile subdenotat, nam fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Vnde Paulus sub Ierusalem terrestri appellatione, quæ caput erat & Metropolis Israel ipsa nationem Hebræam insinuans, ait, ipsam adhuc seruire cum filijs suis, & quia noluit Euangelicam libertatem, ideo hucusque premitur sub seruitute cæremonialium mandatorum. Vnde rectè litera Hebraica, habet, *Mancipaui mihi eam.* Quia reuera Iudæi sunt velut mancipia seruientia vmbræ legi, & gaudere cupiunt spiritu seruitutis, & reijciunt spiritum adoptionis filiorum. Quod vero ex quindecim numis, scilicet, argenteis conducitur synagoga hoc significat, Deo esse adhuc mancipatam synagogam, propter legalem, sapientiam. Namque, Deum vnum colunt creatorem cæli & terræ, & prophetarum libros versant. Argentum enim inscripturis, sapientiam; vel diuinam, vel humanam significat. Et equidem hac ratione discrepant à cæteris infidelibus. Qui & si credant vnum esse Deum, multa vana commiscent, in hac fide, & non recipiunt propheticos libros, vt Iudæi, qui eis hærentes syncerioremem habent de Deo fidem, quam alij infideles. Et quod subdit ex modio hordei, vel ex Homero dei, &c. Intelligentiam sanctarum scripturarum, rudem nunc habere Iudæi insinuat. Namque cæremonialia obseruant, secundum literam, & non secundum spiritum, itemque iudicialia. Litera autem occidit, spiritus est, qui viuificat. Vnde se circuncidunt carnaliter, & cætera ad eandem rationem obseruant. Pascuntur igitur ex scripturis, non decorticatis & denudatis, à sensu literali, qui est asper sensus; sed vt bruta vescuntur mystico hoc hordeo cum suo cortice. Cum tamen diuinæ veteris scripturæ literæ, sunt decorticandæ à literali sensu, qui est velut cortex, & tunc medula, quæ intus est occulitur, id est, spiritualis sensus, fiet vescẽtibus vitalis. Vnde ob eã causam sperant Messiam, potentem ex hu

Ad Rom. 9.

Ad Gal. 4.

Ioan. 6.

mana potentia, qui eos sit ditaturus supra modum, & donaturum temporalia immensa bona. Quia in diuina scriptura legunt ad literam huiusmodi temporales promissiones. Sunt ergo Iudæi modo diuinis cultibus mancipati, iuxta sapientiam legalem, non quam scilicet litera profert, non tamen, secúdum sapientiam, quam Spiritus sanctus sub litera occultat. *Et dixi ad eam, dies multos expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro, sed ego expectabo te.* Iudæi hucusque sperant suum Messiam. Non fornicantur, id est idola nó colunt, quorum cultura est fornicatio quædam spiritualis, vt sæpè dictum est. Imo vt frequenter admonui, à tempore Machabeorum ab idolis abstinuerunt, & si vi coacti, quidam ex eis idola venerati sunt.

¶ At verò sub tempore Christi prorsus idololatriam abiecerant. Verum iam ex eo tempore, Deus Iudæos non eo fauore prosequitur quo solebat ante Christi tempora, quippe sunt deiecti valde, apud omnes nationes. Et hoc est, quod ait, *Et non eris viro*, id est, non geram curam tui, vt solebam prius, quándo te eo amore, & fauore prosequebar, quo solet vir prosequi vxorem suam. *Et non eris viro*, id est, quasi vidua eris desolata, & viri solatio destituta eris. *Sed & ego expectabo te.* litera Hebraica. *Et ego tibi*, vel vt Vatablus transfert ego apud te. At verior est prior versio. Septuaginta legunt. *Et ego tecum ero, vel tibi ero.* At Vatablus, transfert. *Et ego apud te*, suppletuit, iuxta septuaginta (*ero*) id quod non est de textu, sed suppletum est ad clariorem intelligentiam. Exposuit autem Vatablus iuxta veritatem Hebraicam hunc locum, *Etiam non intrabo ad te*, id est, geram me ad te, vt se gerit maritus, cum fornicante vxore, quam ad tempus relinquit, in vltionem maleficij commissi contra ipsum.

¶ At verò aptior videtur expositio, si non suppleatur affirmatio, sed potius negatio, scilicet. *Et ego tibi non ero*, subaudi, *vir*, & consonat priori textui, videlicet, *Non eris viro*, subaudi alieno, quia non copulaberis idolis, *Sed neque ego ero vir tuus.* Vnde sedebis tanquam vidua, non habens solatium viri veri, aut falsi. Hoc idem præuidit Ieremias Threnorum. 1. facta est inquit, quasi vidua, domina gentium. Nostra autem translatio, *Sed ego expectabo te.* Clarior est, siquidem Deus, non omnino relinquet plebem suam, quam ipse elegit, siquidem tandem conuertet Deus Iudæos ad nouissimum diem iudicij, vt mox subdetur à vate. Expectat Deus igitur conuersionem Iudæorum, quam ipse ex sua misericordia operabitur. Modo autem secundum consilium suæ infinitæ sapientiæ, ex sua immensa iustitia relinquit eos obuolui in sua cæcitate, & cordis sui degere perfidia. Cur autem præsentes relinquit Iudæos in suis tenebris versari, at posteros luce sua perfundet, cum alioqui omnes sint in dignissimi, non est nostrum scrutari, quia scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Et Dauid hæc cogitans & excogitatu, expauescens, aiebat. Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vt concinnit Paulus, dicens, incomprehensibilia esse iudicia Dei, & inuestigabiles vias eius. *Quia dies multi sedebunt filij Israel, sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.* Quidam, cum Theodoreto, hunc locum exponunt, de captiuitate Babylonica. Namque sub illa captiuitate, fuit plebs Iudaica quasi vidua sedens, & erat sine rege, & principe proprij generis. Siquidem non viuebant tunc ex proprijs legibus, sed ex legibus Chaldæorum regebantur, itemque sinè sacrificio, & altari, quippe combustum fuit templum Ierosolymitanum à Chaldæis, At in templo solum Deo sacrificia celebrare licebat, postquam enim constructū est nullibi fas erat sacrificare Deo, neque in altari alio, Deo offerre sacrificium, nisi in altari illius templi. Vnde neque Ephod, quod est vestis quædam sacerdotum, habebant, neque Teraphim, sunt autem Teraphim, imagines quædam, quæ edebant oracula apud gentes. Porrò Iudæi, idolis addicti vtebantur, eisdem imaginibus. Est autem radix huius nominis Teraphim, Tarat, vnde in plurali Theraphim significat autem Tarat, quod Latinè dicimus cessauit. Siquidem, ad responsa harum imaginum, eis addicti homines, vel faciebant, quod decreuerant facere, aut cessabant, & abstinebant, ab operando. Erant autem imagines factæ huiusmodi, ad similitudinem corporis humani, & erectæ certis horis, & sub certa cō stellatione vocem edebant, eo quod capaces essent cælestium influentiarum, vt inquit Rab. Abenezra. Alij verò volunt, huiusmodi imagines fuerint instrumenta ærea, per quæ cognoscebantur partes horarum, futurique euentus, secundum iudicium astrorum. Et memini me legisse in libro quodam, Albertum Magnum fecisse arte astronomica imaginem qualem Abenezra, putà esse Teraphim. Et quod imago vocem edidit. Nam fratre quodam pulsante ianuam domicilij Alberti, absentis, ipsa imago respondit. Et apud Indos, vt supra commemorabam, erat consuetudo, imagines quasdam, humanam speciem referentes, ex cæra conflare, & conflatas floribus ornare, & in pauimento mundo constituere. Quas cum consuluerint, ipsas reddere consulentibus, responsa, & celebres apud poëtas, de huiusmodi oraculis idolorum, fit memoria. Et sæpè falsa, & frequentissimè dubia erant oracula huiusmodi, vt est videre latè apud Sanct. Theodoretum, libro de curandis Græcanicis affectionibus. Nam hac arte vtebatur Satanas, ne caperetur in mendacio, dubia proferebat oracula, quæ ad vtrumque euentum, & prosperum, & in fœlicem poterant referri. Septuaginta, non legunt Theraphim, sed δηλώσεις, id est, manifestationes, si quidem, sub captiuitate Babylonica, constitutis, pontificum administrationem habebant Iudæi, quorum erat responsa ex rationali, quod in pectore gerebant duodecim gemmis distincto, de gerendis, aut non gerendis edere. Et ad hanc rationē, reliqua exponit, videlicet *Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Quia inquit soluta captiuitate Babylonica quæsierunt filij Israel Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, quia educti sunt sub Zorobabele, qui fuit ex semine Dauid Matth. 1. Et pauebunt, ex mirabilibus quæ Deus erga eos operabitur, in eductione eorum à captiuitate prædicta. Itaque secundum hoc placitum, mulier adultera, quam iussit Deus Osee vt eam diligeret, quam dilexit Oseas, & accepit in suum contubernium, non vtendo ea consuetudine matrimonij, sed solum societate quadam contubernij, significet plebem Iudaicam, contaminatam, idololatria: At verò, iam correctam ex scelere, Dominus noluit prosequi coniugali amore, vt priùs, neque penitus sua misericordia destituere. Quia adhuc sub captiuitate, habitabat Deus in plebe illa in Babylone constituta.

¶ Porrò autem hæc expositio, non videtur satis consentanea textui. Primò, quia sub captiuitate commemorata, habuerunt Danielem in principem Iudæi. Fuit namque vnus ex tribus maximis regni principibus. Secundò, quia habuerunt prophetas, vt Danielem, & Ezechielem. Tertiò, quia diuinis tunc fauoribus sunt profecuti. Quandoquidem est interpretatus Daniel visiones Nabuchodonosor, vnde sibi & populo captiuo, magnam gratiam conciliauit imperatoris. Rursus, ex miraculo trium puerorum, quos ignea non densit flamma & ex miraculo Danielis, quem famelici leones non tetigerunt, populus ille captiuus gratus fuit imperatori Babylonico. Quibus Danielis iudicium miraculosum pro Susanna addere poteris. Quartò, quia Zorobabel nunquam fuit rex, quomodo ergo verum est, Requirent Dauid regem suum. Quintò, quia assertio illa á captiuitate Babylonica non fuit in nouissimo dierum, quoniam expletis septuaginta annis fuit absoluta. Sextò quid est, quòd ait, Requirent Dominū suum, quasi dixisset, abalienatos, à Deo esse conuertendos in Deum. At verò sub captiuitate Babylonica, non erant abstracti á Deo Iudæi, quoniam tunc, non erant idololatræ. ¶ Septimò, quòd est hoc bonum præstandum Iudæis in nouissimo dierum? vtque Zorobabel, non præstitit bonum hoc, nam Zorobabel non dissoluit captiuitatem illam, sed Cyrus, diuino actus instinctu. Zorobabel enim cum esset concaptiuus, quod obsecrò bonum, omnibus concaptiuis poterat præstare. Quòd si dixeris, bonum hoc erat Dei non Zorobabelis, rectè, at verò Iudæi restituti in patriam, ex captiuitate Chaldaica, non fuerunt restituti, in eam maiestatem, ex qua lapsi sunt. Neque postea á Deo floruerunt, vt prius florebant. Nam à dignitate, qua pollebant regia, prolapsi sunt, & non est postea reparata. Et sacerdotia postmodum erant venalia, & ipsi

semper fuerunt, sub imperio Assyriorum, & Ægyptiorum, & Græcorum, & demum Romanorum. Quocirca, cum ait, *Et patiebant ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* De bono magnificentissimo, & superante, cætera collata bona habendus est sensus. Quamobrem dubitandum non est, locum hunc esse referendum cum priori loco, ad miseriam Iudæorum, & Israelitarum, quam modo patiuntur. Sunt enim sine regio dominio ex propria natione, sineque principe, quia aguntur legibus extraneis, vel Sarracenorum, vel Turcarũ, vel Christianorũ. Sunt sine sacrificio, & altari, quia templum Salomonicum, & altaria eius, Thimiatis, & holocaustorum, sunt diruta, imo vbi olim erat Salomonicum templũ, adest modo constructa Mischeta Sarracenorum, quam sub mortis interminatione, neque Iudæus, neque Christianus ingredi potest, pontifices, & sacerdotes, habet ex genere Aaron, at verò sine administratione, sine vnctione, imò frustra appellantur sacerdotes, Prophetarum oraculis orbãtur, Ephod non habẽt: est autem Ephod, quòd latinè dicitur cinctorium, correspõdet illi, quod nos dicimus amictum. Hoc enim vtũtur nostri sacerdotes, & inde cingitur eorum corpus. Deriuatur à verbo Hebræo Apad, quod significat, cõstrinxit, cinxit Exod. 29. Vnde Ephod, erat superhumerale, vel cinctorium. Et erat factum in modum pallij ex lino. Mosaicum autem Ephod, erat aureum, hyacinthinum, purpureum, & coccineũ. Quid autem sit Teraphim diximus, & Iudi. 17. Ephod, interpretatur vestis sacerdotalis, & Teraphim idola verum non est de textu. Alijs placet, per Teraphim, intelligere, vrim, & tumim, id est doctrinam, & veritatem. Et Græci hoc amant placitum, vt Theophyla. & Theodoret. in commenta. scito autem, vrim deriuari, à voce Hebræa, vr, quæ significat ignem, vel ab or, quæ vox significat lucem, à verbo, or, luxit, micuit. Inde trahitur plurale, vrim, id est doctrinæ. Etsi Rabi kimhi exposuerit valles. Erant proinde vrim in rationali summi sacerdotis ornamenta quædam, è quibus responsa dabãtur. Qualia autem fuerint ornamenta hæc ignoratur, cæterùm, germanior est prior expositio, per teraphim, imagines astronomicas, quas diximus intelligens. Etsi verũ sit Vrim, & Thumim esse ornamenta, quæ summus sacerdos, in rationali portabat. Et primum, doctrinam, & secundum veritatem interpretantur. Ephod item videtur, exhibendis responsis, inseruisse aliquãdo, siquidem, legimus Iudi. 8. Quòd Gedeon fecit Ephod, id quod præstitit occasionem idololatrandi Hebræis. Et Dauid accepto Ephod hinc, consuluit Dominũ 1. Reg. 30. *Sedebunt.* Nonnunquam sedere in diuinis literis vsurpatur in bonum, vt sedebitis & vos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Et tunc significat autoritatem, vt sedebitis & vos, id est erit vobis, hæc diuina autoritas, iudicãdi, vniuersum orbem. Qui per duodecim tribus significatur. Aliquando vsurpatur in malum, vt lamentabatur Ieremias dicens. Quomodo sedet sola ciuitas, & tunc stabilitatem in malo significato denotat. Nam Ierosolyma multo æno passa est, tũc solitudinem & desolationem, ex captiuita te longa suorum ciuium. Ita & præsens sermo est habendus. *Sedebunt filij Israel*, id est, longis sæculis patientur calamitatem, & miseriam, id quòd vt denotaret vates, dixit, *multos dies sedebunt.* Et rursus, quia dixerat, *expectabis me*, & quia morosa maximè præuidebatur expectatio, ideò adiecit sedebunt. Nam qui expectant alios, si moram faciunt, sedetur. vt leuius geratur longa expectatio. *Et ad bonum eius*, id est, ad Dei magnificentissimam, & gloriosam, largissimamque munificentiam, seu bonitatem. Et æquidem dignus est hic pauor, qui habeatur ad Dei bonitatem, quod videlicet, miserebitur tandem populi, contumacissimi, & Christo Domino ingratissimi, quem vt ferunt in suis synagogis, quotidie maledictis incessunt. *In nouissimo*, id est, ad finem mundi, instante iam Dei finali iudicio. Nam conuertentur Iudæi ad mundi vesperam, id est, ad mundi finem. Etsi nouissimum, in scriptura Christi aduentum, nonnunquam denotet, in scriptura siquidem etsi post Christi aduentum, multa sint elapsa tempora: At verò, quia Euangelica lex, aliam non expectat, sed ipsa est vltima, ideò tempus Christianæ legis nouissimum, appellatur. Vnde Isai. 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini, &c. Vbi Christianæ Ecclesiæ tempus vocat nouissimos dies. Sedebunt *Filij Israel*. Diximus supra à diuisione regni Dauidis, in regna duo, quosdam vocatos

Ephod. Vrim. Thumim.

Sedere in scriptura in bonam & in malã significationẽ vsurpatur.

Nouissimũ in scriptura, & de tẽpore Christi, & de finali iudicio dicitur

vocatos Iudæos, alios Israelitas, verum postquam omnes post Christi mortem dispersi sunt inter Gentes, dicuntur filij Israel quia inuicem sunt commixti. Esset nunc quærendum circa caput hoc, de imaginibus Astronomicis, occasione illius vocis Teraphim. Num videlicet imagines istæ quas Astrologi faciunt sub certis horis, & constellationibus sint nefariæ, an potiùs sint permittendæ. Siquidẽ Astrologis sunt in vsu, & mirabiles habẽt effectus vt ferũt. Et quidem de re hac multis est in confesso hasce imagines esse permittendas, & effectus quos operantur, operari ex influxu cælesti. Quia si materia auri, vel argenti, vel cupri, vel quæuis quæ ad hoc opus sit apta liquescat, & proportionetur cælesti influẽtia, quia fit sub tali aspectu, & tali constellatione, quæ est effectiua eius quod intenditur, id temporis talis materia suscipit talem efficaciam, vnde quidam ad sanitatem tuendam ferebat in brachio imaginem aureã leonis, & alius ad gratiam conciliandam, aliam alterius materiæ ferebat imaginem. Huius sententiæ est Petrus de Apono in lib. differentiarũ differ. 64. At Thomas lib. 3. cõtra Gentes cap. 105. diuersum autumat, quia figura quæ fit ab Astronomo, hominis, vel leonis, vel aliarum rerũ, non est dispositio ad suscipiendam formã cælestem. Actus enim actiuorum sunt in patiente benè dispposito, at verò figura cùm non sit de genere actiuorum, alioquin triangulus vitalis posset generare triangulum, & ita de alijs Mathematicis figuris, non potest disponere materiam ad suscipiendam cælestem formam. ¶ Breuiter tamen ego dixerim, quòd huiusmodi imagines possunt fieri multifariam, vel ad prænoscenda futura contingentia, quæ non possunt ab homine certò cognosci, vel ad alios effectus, vt ad sanitatem tuendam & prolongandam, vel gratiam conciliandam, & id genus alia. Si ergo fiant ad prædictionem futurorum contingentium, penitùs sunt prohibendæ; quia pertinent ad diuinationem, & diuinatio habet vel tacitum, vel expressum pactum cum dæmone: vnde qui huiusmodi imaginibus vtuntur, sunt superstitiosi, & diuini, & præsumuntur esse apostatæ à fide, quia pactum ineunt cum dæmone, vel ipsum inuocando, id quod est pactum expressum, aut characteribus vel signis exhibitis ipsum alliciendo, quod pactum est tacitum, vt etiam dæmoni sacrificando, veruntamen, si non fiant ad prædictiones futurorum contingentium, quales fiebant ab idololatris, quas dicebamus Hebraico sermone appellari Theraphim, sed ad alios effectus crediderim nõ esse malas, nisi ad huiusmodi effectus etiam operum diaboli misceatur, verbi gratia, si fiat imago Astronomica, ad mulierum amorẽ prouocandum, vel ad diuitias acquirẽdas iniustè, vel ad alia huiusmodi. Si verò sine inuocatione dæmonis, vel pacto aliquo cũ dæmone, & ad bonum finem solum, huiusmodi imago fiat, nõ video cur sint condemnandæ de crimine, nisi forsan de superuacua curiositate. At Marsilius Ficinus lib. de vita cælitus conseruanda cap. 13. ad modum probat vsum harum imaginum, pro quibusdam effectibus mirabiliter consequendis: & citat in suum fauorem Ptolomæum in suo Centiloquio, tradente vultibus cælestibus rerum inferiorum effigies esse subiectas. Et rursus quædam ex Haly doctrina profert, vnde probet harum imaginum vsum esse probandum. Ait namq; vtilem imaginem serpentis effici posse, quando Luna cælestem serpentem subit, aut fœliciter aspicit. Similiter Scorpionis effigiem efficacem, quando Scorpij signũ Luna ingreditur. Aut quando Scorpio tenet aliquem angulorum cælestium, videlicet, si sit in oriente, vel occidẽte, aut meridie, aut in angulo oppositi. Refert autẽ Haly in Ægypto suo æno accidisse, ipso præsente, quòd ex sigillo Scorpionis, in lapide Bezaar, ita facto imprimebatur Thuri figura, dabaturq; ei in potum, quẽ Scorpius pupugerat, ac subitò curabatur. Has quæq; imagines Trismegistus refert Ægyptios, ex quibusdam mundi materijs facere consueuisse, & in eas animas dæmonum opportunè inserere solitos, & multa deinque alia ibidem denarrat. Marsilius de imaginibus istis miranda, qualia etiam feruntur de annulis Thebit. ¶ Ego vero ex verbis Halj non persuadeor, neque ex facto ab eo relato, vt eas probandas duxerim, siquidem dicerem, quòd sanatio illa à punctura Scorpionis, nõ fuit ex imagine Scorpionis impressa in lapide Bezaar, sed potiùs ex lapidis virtute. Quandoquidem lapis hic, qui nascitur in ventriculo cuiusdã Indici animalis, mirabilem efficaciam habet aduersus venena, tradẽtibus omnibus Medicinalis facultatis doctoribus. ¶ Et rursus, quòd secundo denarrat de animabus

Mathematica non sunt de genere actiuorum.

An imagines astronomicæ sint reprobandæ.

Lapis Bezaar contra venenũ efficax.

bus dæmonum, itidem est explodendum. Siquidem primò contra ipsum est dæmones non esse animatos, sed esse spirituales intelligentias, vt in. 2. lib. Sententiarũ nostris demonstrauimus. ¶ Rursus corporalia non possunt cogere dæmones, neque eos trahere ad se. Namque dæmonum natura excellentior est, quàm sit omnis corpulenta substantia. Quocirca nulla imago siue lignea, siue aurea, &c. sit, poterit ad se trahere dæmonem, etiam si fingamus eos esse corpulentos & animatos, siquidem adhuc sunt superioris naturę: verum si imagines ipsi se insinuant, spontè hoc faciunt, et si interim simulant se inuocationibus concitari ad imagines illas imbuendas, vt hac ratione imagines adorent insipientes, vnde responsa edebantur: & hinc originem duxit idololatria. Eadem ratione cadauera mortuorum, quasi informant, vt inde responsa pronuntient. Cùm tamen in cadauere nulla vis sit, vt à se vi pelliciat dæmonem. Porrò ex vi diuina, quæ aliquando operatur per corporalia, dæmones cogi possunt, vt Dominus Iesus cogebat eos exire ab obsessis, & Apostoli, & demum exorzistis Ecclesiasticis sæpè coguntur, de qua re alibi. ¶ Libet autem & vnam aliam rationem adijcere superioribus, contra huiusmodi amatores imaginũ: faciamus igitur quòd Astronomus ex qua velit materia, conflet imaginem Scorpionis, vel Serpentis sub ea cæli opportunitate, quã ipse iudicat esse necessariam. Tunc vt Astrologi profitentur, qui patrocinantur huic placito, insluit virtutem Scorpius cælestis, aut Serpens cælestis, aut quæuis alia cælestis imago in materiam sibi proportionatam, & commensuratam ex arte Astrologica. Tunc ego quæro, si Scorpij illa imago aurea, vel metallica, ex alio metallo conflata, habet virtutem sanandi, vel aliam faciendi operationem, vnde habet aut ex metallo, aut ex figura sit commẽsurata cælesti imagini, non ex metallo, quia tunc omnia eiusdem speciei metalla eandem vim consequerentur. Neque ex figura arripit sibi illam virtutem cælestem probatur, quia fieri potest, quòd sub eadem constellatione & sub eadem astreitate vtipsi loquuntur, nascatur vel Leo verus, vel Scorpio, vel Serpens, vel quoduis aliud, faciamus ergo ita esse, quia contingens est igitur tũc Leo ille, vel animal quod volueris sub illa constellatione natũ, vel habebit illam cælestẽ virtutem, quam habet imago illa Astronomica, eiusdem animalis, aut non: si non, quæram cur magis sortietur illam cælestẽ virtutem imago quàm verum animal? vtique nulla est ratio, quæ differentiam legitimam assignare possit: imò multò fortiùs arripiet sibi aut conciliabit sibi verum animal illam virtutem cælestem quàm imago illa, siquidem est materia magis disposita, & conuenientior cælesti imagini. Siquidẽ cælum non operatur imaginem Astronomicam, sed ars Astrologica. Veruntamen virtus cælestis & animalia inferiora huiusmodi terrena generant animalia, quia Sol & homo generant hominem. 3. Physic.

Corporalia non possunt ex sua virtute cogere dæmones.

¶ Quòd si animal prædictũ conciliat virtutem illam cælestem, sanè hoc expertum aliquando esset, aut memoriæ proditum, de Leone scilicet aliquo, aut Scorpione, vel de alijs, quòd haberent virtutem huiusmodi salubrem, sanandi venenũ, aut alia. At verò videtur repugnãre, quòd Scorpius, verbi causa, qui est totus venenosus, virtutem haberet, ex qua subitò depelleretur suum ipsius venenum. Nam quòd viperes carnes sint medicinales contra ipsam viperam, istud accidit non ex virtute cęlesti, sed ex propria vipera natura, quando ex carnibus eius cum multarum aliarum rerũ mixtione fit theriaca. Et quis inducet in animum suum, quod in tot retroactis sæculis animal aliquod non sit natum sub constellatione, sub qua Astrologi suas temperant imagines, & tamen nullum expertum est hac virtute cælesti pollere. Vndè tandẽ dixerim, huiusmodi imagines, etiam submota omni diuinatione, & malo fine, non esse probandas, neque tamen audeo eas damnare, tanquam superstitiosas, vt suprà aiebam.

EXPLANATIO
IN CAP. IIII. OSEE.

Vdite verbum Domini filij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.

Prophetarum hoc esse familiare suprà aiebam, iam prædictiones Propheticas edere, iam verò magistros sanctorum morum se exhibere, probando sancta virtutum officia, aut reprobando diuersa vitiorũ opera. ¶ Egerat igitur Oseas horum munus primum in capitibus tribus superioribus, vbi Propheticum obiuit munus, nunc autem magistri agit personam, & reprehendens vicia, quæ id temporis sua ætate vigebant, & subinde reprehensurus, quæ sæculis venturis eadem erant committenda: porrò captat audientis attentionem, dicens, *Audite verbum Domini filij Israel.* Nihil enim adeò dignum est, quod audiatur sicut est Dei verbum: siquidem est infallibile verbum, à nobis quàm vtilissimum verbum si audiatur tamen, si verò contemnatur, nihil nocentiùs contemnentibus: vndè si verbum graue, & hominis vtile & iucundum est audiendum, quid quod de verbum, quo nullum est grauius, neque iucundius, neq; vtiliùs audiatur? vnde aiebat ille Psal. 118. Quã dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel & fauũ. Idemq; in Psal. 81. de eisdẽ Dñi verbis inquit, Desiderabilia esse super aurũ, & lapidẽ pretiosum multũ: & dulciora super mel & fauũ. Si ergo ea audimus libenter, quæ nobis conciliant honorem, parant diuitias, comparant sanitatem, afferũt voluptatem, & eademq; quæ efficiunt, vt à nobis arceantur ventura mala quæ timemus, & abigantur noxia quæ nos premũt, attentissimè audimus: vtiq; ob has omnes rationes, audiendum est maximè verbum Domini, siquidem verbum Domini recipientibus conciliat, non solum temporaneum, imò æternum in cælesti patria honore. Nam beati, Luc. 11. sunt qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. ¶ Rursus ex verbo Dei locupletatur supra modũ anima nostra diuitijs veris, quales sunt spirituales diuitiæ. Namque maiores diuitiæ, quàm animam expurgatam habere ab omni peccato? & ornatam diuinis virtutibus? at hoc nobis præstat Dei verbum. Ioan. 13. Iam vos mundi estis propter sermonem meum. Rursus confert menti nostræ sanitatem. Sap. 16. Tuus sermo Domine sanat omnia. Quantam autem voluptatem afferat, Petrus est fidelis testis dicens Ioann. 6. Quo ibimus Domine, quia verba vitæ æternæ habes. Et in Psal. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Si ergo verbum hominis recipimus, verbũ Dei maius est, igitur audiendum est verbum Domini, quod cum summo proventu auditur, & summo exitio contemnitur.

Quod si obieceris, si verbum Dei lætificat quomodo Psaltes ait, A verbis tuis formidauit cor meum, vtique verbum Dei iam læta proponit, quando vitam æternam pollicetur pœnitentibus, iã vero tristia, quando impœnitentibus æterna minatur supplicia, ideoq; & lætificat, & formidinem incutit. Cæterùm quia audire verbũ Dei, est ex præceptis affirmatiuis, nõ pro quodlibet tempore tenemur audire, sed pro tẽporis opportunitate. ¶ Fuerunt qui dixerunt, quod si hæc duo præcepta audiendi scilicet verbum Dei, quod pro suggestu prædicatur, & præceptum audiendi sacrũ Missæ officium tempore festiuo, quando Ecclesia ad illud audiendum obligat, inuicem colliduntur, si fortè alterum eorum solum potest impleri, tunc temporis audiendum est verbum Dei, & relinquenda est audientia Missæ. ¶ Et quidem hæc sententia lapsa est, quia authores eius nõ considerarunt, præceptum audiendi verbum Dei esse affirmatiuum, & non habere tempus decretum hoc vel illud. Sed relictum est opportunitati loci, & temporis, vt arbitrabitur vir prudens: at verò præceptum audiendi sacrum Missæ officium, habet iã decretum tempus, nempe diem festum. Quamuis enim sit affirmatiuum præceptũ cæterum tempus implendi non est relictũ nostræ prudẽtiæ, sed ab ipsa Ecclesia fuit præscriptum. ¶ Quocirca si tunc cessante iusto impedimento non mandetur executioni, in culpa est, qui nõ exequitur: secus autem de præcepto audiẽdi Dei verbum, quia si tunc non impleatur, implebitur alias, aut aliquando iam est impletum.

Quædam præcepta affirmatiua habẽt determinatũ tempus ab Ecclesia.

I. Dubitat.

¶ Sed nunquid qui audiunt Dei verbum sine fructu, vt moris est, maximæ parti fidelium peccant, quia nõ fructificat in eis Dei verbum? hoc est, vt clarius agam, nunquid audiens concionantem relinquendã esse concubinam, restituenda esse furta, aut aliã iniustè parta, & ita de alijs: & nihilominus auditor perseuerat in suo crimine, peccabit ne nouo peccato? videtur nãque contemptus nouus diuini verbi, si quidem auditur & non impletur. ¶ Respondetur, si noua non adsit obstinatio, verbi causa. Si auditor dixerit intra se, etiam si proclames, quantum velis, ô Concionator, ego non cessabo à crimine contra quod tu clamas, & exaltas vocem tuam, non est nouum peccatum, præsertim si audiens dolet suam infirmitatem, aut duritiẽ sui cor-

dis, vndè non resurgit à suo peccato.

Dubitat.2. ¶ Sed nunquid infideles, quando non obediunt Dei verbo quod eis prædicatur, vt accidit istis temporibus, quando prædicatum est Euangelium Indiæ Occidentali & Orientali Euangelium, quòd tamen ipsi non receperunt. Quamuis enim tandè ipsi receperunt armorum vi coacti, at verò in exordio prædicationis multi perierunt in sua infidelitate. Respondetur, quòd Indi si continuo acquieuissent Dei verbo eis prædicato optimè fecissèt. Quippe etsi scriptum sit Eccle.19. qui citò credit, leuis est corde. Istud sanè est, qui citò credit verbis hominũ, quæ quia fallacia sæpe sunt, Quia omnis homo mendax. ideo antequam credantur, opus habent examine an vera sint. At verò verba diuina sunt omninò veracissima, quia Deus verax est, & nõ potest aut falli aut fallere: ideoq; examine non egent, quia iam sunt examinata, quando sunt à Deo prolata, Psalm.17. Eloquia Domini igne examinata, id est, adeò pura sunt, ac si essent igne examinata. Et ideo Psal.11. Cõferuntur argento igne repurgato, & examinato, in quo nihil est maculæ. ¶ Cæterùm, si non statim credunt, subdistinguendum est, aut enim remoratur fidẽ ipsorum, animus repugnandi Dei verbo, vt multis infidelibus animo est, & tũc peccat grauiter, quia repugnare satagunt, vt potuerint Dei verbo. Aut non hoc prædicti animo, non statim credunt, sed potiùs vt examinent, quale sit hoc verbum Dei, quòd illis prædicatur, vt explorato quòd sit vere Dei verbum, eidem morem gerant, & hac ratione recte agunt instar Dionysij Areopagitæ, & quorundam aliorum Athenensium, qui audientes Paulum prædicantem Euangelium Christi, & resurrectionẽ mortuorum, dixerunt, Audiemus te de hac re posteà. isti non statim crediderunt, neque tamen reprehenduntur ab Scriptura ob hanc causam. Enimuero cùm fides Christi sit supra naturam hominum, qui audiens illam prædicari sibi noue, intendit examinare quale sit verbum Dei, quod si sibi infidèli, & huius verbi ignaro prædicatur, vt postquam didicerit vere esse verbũ Dei per Prophetas prohuntiatũ, per Christum euangelizatum, per miracula supernaturalia ab ipso stabilitum, per Martyrũ sanguinem, tot retro sæculis constitutum per vniuersum orbem receptum illud recipiat recte facit. Quæ omnia nequeverba sapientissimorum philosophorum habuerunt, imo Respublicæ Lycurgi, Platonis, & Aristotelis, vel nõ sunt receptæ, vel si receptæ, à paucis sunt receptæ, & nõ diu perstiterũt. Neque etiam falsorum vatum verba, istis fulgent doctibus, vt Mahometi & aliorum, quæ etsi irrepterint in orbem, vt secta Mahometana, multum modo viget in orbe: cæterũ secta hæc neque à Prophetis prædicta, neque miraculis diuinis corroborata, neque sanguine Martyrum rubet. Imo nullus est Sarracenorum, qui sanguinẽ funderet propter illã, sed quia amplectitur à maxima orbis parte, quia lata est porta & spaciosa via, quæ ducit ad interitum, ex diaboli enim astutia, qui familiaris erat Mahometo, excogitata est hæc secta latissima, ex qua inescantur miseri mortales huic sectæ dediti, & tanquam fasciculi colliguntur innumeri quotidie ad tartara. Durationem habet autem morosam, quia superat annos. 900. quod viget in mundo, forsan causa est, quod Saraceni vnum Deum colunt, & idololatriã fugiunt, imo abominantur: & forte Deus præuidens, pronitatem infidelium ad idololatriam permisit, quod huiusmodi secta prosperaretur in mundo, vt homines illi dediti, siquidem fidem præuidet non habituros, certe tantum malum cauerent, quantum est idolatria, vnde permisit minus malum, vt maius euitaretur. At vero quia incomprehensibilia sunt iudicia Dei, ideo de hac re supersedendum duxi. ¶ Redeamus igitur ad lineã vnde digressi sumus, videlicet, si infidelis audiens Dei verbum defert cognitionem, vt discutiet qualis sit fides, quæ si annuntiatur, non peccat sub censura suprapositã. ¶ Postquàm autẽ explorarum habuerit, quod sit valde credibile Dei verbum, propter rationes commemoratas, tunc tenetur obtemperare Dei verbo. *Audite verbum.* Dabar Hebraice, est quod Latinus interpres vertit Verbũ. Et significat & verbũ mentale, & vocale quod effatur, & ipsam quoque rem significatam, Hebræis peculiari idiomate denotat, iuxta illud Isai. 39. Non fuit verbum quod non ostenderet eis, id est, Ezechias ex omnia quæ erant in tẽplo Domini patefecit Chaldæis. Hoc autem loco non pro mentis verbo de quo nos plura meminimus commẽtarijs nostris ad Ioan. in principio. At hic sermo est de verbo vocali quod auribus corporis primum, deinde mẽtis hauritur.

Matth. 7.

Cur Deus tanto ævo permittit Mahometanam sectã perdurare

Dabar verbum vocale & mentale, & ipsam quoq; rem seu negocium. Hebreis denotat.

Audire

Audire autem hoc loco, & sæpè alibi inscripturis, non simplicem donat corporalem sensum auditus, sed etiam mentalem auditum. Sunt enim quidam, quos commemorat Isaias. 6 qui auribus audiunt, & non intelligunt, Matth. 13. hoc Pharisæis superbis obijcitur. Qui quidem audiebant exteriori aure verbum Dei: at verò, interna aure illud repudiabant. *Quia iudicium.* In Arcanis literis iudicium, non simplicem habet significationem. Iam enim significat bonum, iam verò malũ. Vsurpatur in malum, apud Regium vatem, Iudica inquit Domine nocentes, id est damna illos, quia sunt sine causa, mihi noxij. Et apud Paulũ iudicium sibi manducat, id est, suam condemnationem, communicans synaxim indignè comedit, & bibit, & Ioan. 3. filius hominis non venit, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum, id est nõ venit, vt condemnet mundum, &c. Et rursus qui non credit iam iudicatum est Ioan. 3. iudicari capitur, pro examinari, id est, qui infidelis est non eget examine, si rectè obseruaret fidem, siquidem fidem nõ habuit. Nonnunquam accipitur pro iudicis sententia, quam post motam & discussam litem profert. Vnde Exod. 23. Pauperis, non misereberis in iudicio, id est, pauperis miseria non te flectat, vt sententiam iniquã pro ipso feras, absoluendo eum quem damnare oportebat. Item pro ipso iure Deut. 24. nõ peruertes iudicium aduenæ, id est, quia aduena est, & non indigena, non auferes ab eo suum ius. Et. 1. Reg. 18. Acceperunt munera, & peruerterunt iudicium.

Iudicium multiplicè significantiam habet

¶ Sumitur quoque pro ipsa potestate iudicandi, vt in Psalm. Deus iudicium tuum regi da, id est, concede illi potestatem iudicandi rectè, vt tibi est hæc potestas. Nonnunquam pro recto, & æquabili opere, Prouerb. 20. Gaudium iustorum est facere iudicium, id est, neminem lædere, & reddere vnicuique quod suum est. Et ad propositum item capitur pro disceptatione, & examinatione causæ, siue pro ipsa lite quæ mouetur. Vnde in Psalm. 142. Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hoc est non disceptes mecum Domine, super sceleribus meis, quia nullus est iustus in conspectu tuo. At obiter insultabit quispiam, dices, & quid est, quod Dauid deprecatur Dei iudicium, qui alioqui optimè sciebat, vniuersa opera humana, esse deducenda in iudicium. Nam cuncta quæ sub sole fiunt deducet Deus in iudicium. ¶ Respondetur nõ eò tendere verba Dauidis, quo ipse deprecatur ineuitabile secũdum Dei dispositionem iudicium, sed eò tendunt, quo precetur Deum, ne secundum rigorem suæ iustitiæ, & ad coriculam exactam sui iudicij vitam Dauidis discutiat, sed potius iuxta dulcedinem suę misericordię, temperet discussionẽ. Et rationem innuit, cur sic precetur, quia si ad exactam libellum res hæc discutiatur, non iustificabitur causa cuiusquam coram Deo, siquidem, omnes nascimur filij iræ, & in multis offendimus omnes.

Ecclesi. 12.

Hinc tu considera, quam oblique forsit Lutherus hoc testimonium, volens ex eodem colligere, neminem habere gratiã habitualem, aut charitatem, sed omnes esse iustos ab extrinseco, Videlicet: quia Deus, non imputat eis peccata commissa. Itaque macula peccati, semper adest nobis iuxta hanc hæresim, semperque sumus immundi coram Deo, sed eatenus iusti homines sunt iusti quatenus Deus quoad peccata eorum puniẽda, se gerit negatiuè non imputando illa autori, neque decernẽdo supplicia propter illa esse subeunda, cũ tamen scriptura vbique clamet, Deum mũdare conscientias nostras per sacramenta, & gratiam suam. Nam quid est illud Isai. lauabimini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere peruersa discite benefacere, &c. & paulò post subdit, si fuerint peccata vestra, vt coccinum quasi nix dealbabuntur & reliqua. Cui concinnit regius vates dicens, Asperges me Domine hysopo & mũdabor lauabis me, & super niuem dealbabor. Et Paulus Ephes. 5. ecclesiã dixit mundasse Christum lauacro aquæ, & quid obsecro fonat hæc, nisi mundationem mentium fideliũ, esse intrinsecam. Hoc est cohærentem, vt nix alba est ab inhærente candore. Et quod mundatur intra se recipit munditiem, vt ex sensu patet. Quocirca cùm diuina scriptura, quoad licet, sensibilibus vtitur exẽplis, vt per sensibilia manu ducamur, ad percipiendam intelligibilium veritatẽ, anima quando mundatur à peccato, aliquid recipit à Deo quo mundetur, & macula peccati expietur, vnde non imputare peccatum non solum est, quòd Lutherus machinatur, quòd Deus se habeat negatiuè, imo habet se affirmatiuè, in mundatione con-

Lutheri insania.

Iustificatur homo non ab extrinseco, vt lotium dicitur sanum, aut herba sana sed à cohærente charitate.

Actor. 17.

conſcientiæ noſtrę ab operibus mortuis in fundendo gratiam, & charitatem, per ſpiritum ſanctum, vt Paulus loquitur; cæterũ de iſtis multa in diſputationibus noſtris Theologicis. *Iudicium*, iudicium hoc loco ſignificat diſceptationem, examen, ſeu litẽ Hebraicè, Rib: à verbo Rob quòd ſignificat diſceptare, contendere, aut controuertere, vt ſit ſenſus controuerſia, aut litigiũ eſt Domino, cũ habitãtibus in terra. Et re vera tremendum valde & formidandũ eſt iſtiuſmodi litigium, vt formidabat regius propheta, dicens. Ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo domine. Siquidem ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius. Et in conſpectu eius nõ infans recẽs natus, imo neque is qui in vtero conceptus eſt matris innocens eſt. Et ſi voluerit Deus contendere cum homine, nemo poterit Deo reſpondere, vnum pro mille Iob. 9. Sed potius tacendum erit, cum Dominus nos increpat, & ad iudicium ſuum vocet, vt legitur illum feciſſe, cui Dominus conuiuij obiecit, dicens, Amice, cur huc intraſti nõ habẽs veſtem nuptialem Matth. 22. Enim verò, hic obticent, quia impij in tenebris conticeſcent. 1. Reg. 2. Quia ſapiens corde Deus eſt, & fortis robore, quis reſiſtit ei, & pacem habebit Iob. 9. id eſt, Deus infinitã habet ſapientiam, & omnia ſunt clara in conſpectu eius, & infinita gaudet potentia, ideò Deo increpante nos nulla poteſt ei exhiberi reſponſio, ſed cum pudore noſtro tacendum erit. ¶ At forſan quæret aliquis, cur Deus contendere vult cum homine, quem certo ſcit, & clariſsimè nouit, nullam poſſe habere defenſionem, nullũque ſubterfugium? vtique, ex magnitudine diuinæ ſapientiæ hoc euenit, ſiquidem quem ex ſua omnipotentia, habet victum, ex ratione quoque vincat, vnde in die iudicij clariſsimè conſtabit damnatis ſe iuſtiſsimo Dei iudicio, eſſe damnatos, cui nihilominus non acquieſcent, ex ſuperba ſua contumacia contra Deum.

¶ Et ſtupenda ſanè res, quod Deus omniſcius, & omnipotens, velit contendere cum homine miſerrimo, ignaro, & inualido, & ex ratione oſtendere, eum eſſe damnationi obnoxiũ, *Iudicium*, verba ſunt prophetæ loquẽtis ex propria perſona, & ſi ex Dei afflatu, cæterùm in tribus capitibus ſuperioribus, loquebatur ſub perſona Dei quaſi referens Dei verba. Nunc verò ipſe loquitur dicens, *Iudicium eſt Domino*, ideſt Dominus grandem mouet litem contra habitatores terræ. At proculdubio, Deus ſi litigat contra hominem, malum erit homini, quia cauſam ſuam perdet. Litigatio verò hæc eſt demonſtrare homini, quod deuius incedat, á via recta. At verò ipſemet qui litem mouet, iudex eſt, contra hominem, contra quem mouet litem. Nõ enim eſt huiuſmodi lis, qualis apud nos, cui reſoluendæ inter partes, creatur iudex, eiſdẽ componendis. Enimuerò, ipſe Deus eſt ſupremus iudex, idcirco ipſe litigat contra peccatores, & iudicat eos. Non enim mouet litẽ, gratia ſui, quippe qui nullius eget, qui eſt ſibi ſufficientiſsimus, ſed noſtri gratia, & ad noſtram vtilitatem, eſt Domino iudicium contra habitatores terræ.

¶ Sed quid num cõtra omnes habitatores terræ, an contra quoſdam, non contra omnes? vtique, niſi miſereretur noſtri, cõtra omnes moueret litem. Quia de cælo reſpexit Deus, de præparato habitaculo ſuo ſuper omnes inhabitantes terram, vt videret ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Quocirca, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, ideò ſi vellet contra omnes moueret litem, quod iniuſti, ſcilicet ſumus nati, & concepti. Et re vera iuſta contentio contra nos, quia fecit Deus hominem rectum, & ipſe miſcuit ſe quæſtionibus multis. Omnes enim in Adam peccauerunt. At verò ex ſua munificentia, quoſdam purgauit, & ſanctificauit ſibi obtemperantes. Contra hos non mouet Deus litem, cum iſtis nihil diſceptat Deus, ſed contra rebelles eſt domino lis increpando eos, & exigendo ab eis, vt debitam diuinis legibus proferant obedientiam. ¶ At verò, ea eſt hominis petulantia, vt etiam Deo, ipſe moueat litem. Vnde de quibuſdã diuinus docet ſermo, ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuã duriſsimam Deut. 31. & Ezech. 18. Quidã contendentes contra Dominum dixerunt non eſt æqua via domini. Quibus Dominus obuertit dicens: Audite ergo domus Iſrael: Nunquid via mea non eſt æqua, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt? vbi vides, vt contendet Deus cum homine contumaci, & cõtumax homo, cum ipſo Deo. ¶ Porrò autem lis diuina cum homine eſt iuſtiſsima, ſiquidem Deus contendit, vt ſibi exhibeatur, quod ſibi debetur multis & illis iuſtiſsimis nominibus, videlicet obedientia

Pſalm. 32.

Rom. 3.

Eccleſ. 7. Rom. 6.

dientia ad leges ſuas; verum lis hominis cum Deo, eſt iniuſtiſsima. Siquidem creatura nihil iuſtè poteſt obtendere contra creatorem. Siquidem vnumquenq; iuxta vias ſuas iudicat Deus, Ezech. 18. & in Pſal. vnicuique reddet ſecundum opera ſua. Quod ſi nos voluiſſet omnes abſumere, nemo poterit dicere, cur abſumpſiſti, ſicut figulo matula, nõ poterit dicere, cur ſic me feciſti. *Cum habitatoribus.* Contẽtio Dei verè eſt cum habitantibus terram, ſcilicet habitantibus corpore, & affectu. Iuſti namq; &ſi habitent terram corpore, affectu tamen, incolæ ſunt cæleſtes; cum Paulo dicentes Epheſ. 2. conſedere nos fecit in cæleſtibus. Et ideò gemunt cum vate hymnidico, Pſalm. 119. dicentes, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, &c. & alibi Pſalm. 118. incola ſum ego in terra, non abſcondas à me mandata tua. Quaſi dixiſſet apertius, corpore ſolum habito terram, mẽte vero, ad te inhio, ideò æquum eſt, vt nõ celes á me mandata tua, quibus obſeruatis, tandem ad te eſt perueniendum. Et ad Rom. 8. Ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes.

Ad Ro. 9.

¶ *Non eſt enim veritas.* Profert modo cauſam litis, quia non eſt veritas in habitatoribus terræ, qui habitantes terram, ſtatuerũt declinare oculos ſuos in terram, & terrena amant, & cælestia curant. In iſtis non eſt veritas. Sanè ſi de infidelibus agatur, non eſt in eis veritas fidei, quę eſt veritas diuina. Si vero de fidelibus iniuſtis, in eis non eſt veritas. Quippe fraudibus, & malis dolis intẽdunt circunuenire, in negotio alios fideles, vt Paulus mieminit. Et nõ eſt *Miſericordia.* Veritas eſt ad ſe: & ad alium, ad ſe, quãdo homo talem ſe præſtat alijs, qualis eſt ipſe in ſe. Et iſtam violant veritatem hypocritæ. Qui foris ſunt veluti ſepulchra dealbata, & picturata, oſtendentes alijs hominibus opera bona, & verba bona. At verò intus ſunt plena oſsibus mortuorum, vt Dominus ait. Hypocritæ igitur violant hanc rationem veritatis. Quod ſi occultat ſuum venenum, & prauitatem, vt ſuo tempore euomant, vt fecit Neſtorius: de quo narrat Theodoretus, quod finxit magnam ſanctimoniam, & habitu, & ſermone, & operæ. Namque reputabatur vir ſanctus, vnde promotus ad Archiepiſcopatum Cõſtantinopolitanum, hæreſim, quam cælabat euomuit in plebem Conſtantinopolitanam. Et huiuſmodi latio veritatis, eſt grauе crimen, quia eſt in perniciem magnam reipublicæ Chriſtianæ. Nam qui ſancti reputantur doctores, cum alioquin ſint peſsimi impoſtores, facile imponunt ſimplicibus qui doctrinam pendunt, ex probitate perſonæ, tales item fuerunt Phariſæi, qui vt corraderẽt bona ſimplicium perſonarũ, ſimulabant ſanctitatem, Domino dicente, Marc. 12. eos deuorare domos viduarum. Et decimabant menthum, anetum, & ciminum, & omne olus, & præteribant graуiora legis. ¶ Porrò autem, qui cum alioqui ſit peccator nihilominus ſuum peccatum occultat, non vt noceat alteri, ſed vt ſuo honori conſulat, vtique etſi veritatẽ non ſeruet, quia alius eſt, quàm ſe oſtendit vt verbi cauſa, ſi oſtendit verbis, & habitu ſe caſtum eſſe, cum tamen ſit libidinoſus. Hic ſanè non peccat criminaliter, quia tametſi non obſeruat veritatem, non ex eo peccat, ſiquidem non tenetur tunc obſeruare veritatẽ, ſub criminis pœna, ſiquidẽ in modico nõ obſeruat amãs ſuũ honorẽ. Sat erit, ſi dixerimus peccatum veniale committere, quia mentitur operæ. Et hoc ſi intendat ſe profiteri caſtum, vt alijs hoc ſit perſuaſum. Tunc enim intendit decipere. Cæterùm, quia huiuſmodi deceptio, nõ eſt deceptio noxia, imo eſt officioſa, vnde quod alij benè opinentur de eo, qui indignus eſt illa opinione, ſi ibi figatur gradus ſolum venialis eſt culpa. ¶ Quod ſi vltra progrediatur, quia intendit libidinoſus, hanc caſtimonię ſibi comparare opinionẽ, vt ſecurior ſit illi via, ad concubitum cum mulieribus, vel ad alios fines noxios hypocriſim hanc eſſe crimen dudum docebamus. ¶ Verum, qui non facit oſtentationẽ caſtitatis, cum ipſe ſit libidini vacans, ſed ſolum non oſtendit ſuam libidinem, alijs quia cum cautela ſuæ ſagacitati indulget, hic ſic cautè agens non peccat, etiam venialiter: ſiquidem quilibet tenetur ſe non prodere, vel verbo, vel operæ. Neque hic per ſe decipit, quandoquidem animus illi non eſt fallendi alios, aut quod credant ipſum eſſe caſtum, ſed ſolum intendit non ſe prodere, cautè voluptati veneręæ vacando, vnde ne dixeris hunc hypocritam.

Matt. 23.

Matt. 23. Lucæ. 11.

Hypocriſis venialis

Cautè occultare ſua peccata nõ eſt hypocriſis.

¶ Quod ſi alij ipſum reputent eſſe caſtum, quia nihil libidinoſum ſapiens in eo ſuſpicantur, & ob id falluntur huius fallentiæ ipſe nõ eſt cauſa per ſe, ſed per accidens quare nõ ob eam cauſam ipſe peccat.

1. Theſ. 4.

¶ Prætereà veritas ſe tendit ad alios, qualis eſt

est veritas contractuum, & pactorum, id quod pertinet ad fidem ciuilem seruandam: Nam autore Cicerone libro de officijs ex eo dicta est fides, quia fit quod spondetur, aut pacisceitur. Sublata autem hac veritate, perit respublica. Nam si non statur pactis iustis, & honestis contractibus, tota reipublicæ administratio perit, & pessundatur. At vero misericordia est virtus potius ad alium. Enimuerò, misericordia est, affectus, vel virtus, ex qua nos tangit alterius miseria, sicque nos tangit, quod si illam leuare possumus leuamus. Non me latet diuinas literas, etiam vsurpasse misericordiam ad se, iuxta illud, Miserere animæ tuæ placens Deo Eccle. 30. Cæterum exactior sermo, ad alium fatetur esse misericordiam. ¶ Quia verò est miseria spiritualis, & miseria corporalis, idcirco est misericordia, vtroque modo, & vtramque quando res postulat exercere tenemur. Quemadmodum igitur, seruanda est veritas erga omnes, vt fides contractuum, & pactorum seruetur incolumis. Et circa Deum, vt diuinam veritatem incōcusse teneamus, & vt id ad quod diuina lex nos obligat, obseruemus. Ita quoque seruāda, est misericordia, erga homines, vt amor humanus, & concordia, & amicitia inuiolata subsistat. Nam per misericordiæ studium, hominum amicitia fruetur, & augetur.

Vnde dicta fides.

Misericordia quid sit & propriè est ad aliū non ad se.

Et non est scientia, id est, ignorantia agendorum terrenos offuscat terræ habitatores: est autem ignorantia scientię priuatio. ¶ Priuamur autem scientiam bifariam, aut culpatè, aut inculpatè. Sanè culpandus ille est, qui cum debuisset scire, vel renuit scire, vt paulò infrà, quia repulisti scientiam, ego te repellam ne fungaris mihi sacerdotio. Et rursus noluit intelligere, vt benè ageret Psalm. 35. vel si non renuit scire, at inertiane scit. Vt est ille, qui dormiēs (quod aiunt) ad vtramque aurem, ignorat ab ipso agenda. ¶ Primam harum vocant Theologi, affectatam ignorantiam; secundam crassam, seu torpentem ignorantiam. Et ambæ sunt culpabiles, etsi leuior, iners ignorantia, quando studiosa ignorantia. Inculpatè porrò ille ignorat, qui non tenetur scire, quæ ignorat, vt putà si ad ipsum ea scire non spectabat. Quam ergo repræhendit, modo Vates, ignorantiam, non est hęc vltima, quippe quæ inculpata est; sed repræhendit priores ignorantia; ideò ait, *Nō est scientia Dei in terra*, id est, habitatores terræ ignorant, quæ à Deo illis sunt in cuncta, vt sciant. Ignorāt sanè, vel quia renuūt scire, aut quia torpent vt nesciant. *Dei*, De scientia Dei sermo est, si quidem hæc scientia, scilicet, articulorum fidei, & præceptorum diuinorum, est nobis necessaria ad salutem. Scientiam autem mathematicorū, aut philosophorum, aut dialecticorum, & id genus scientiis nō exigit à nobis Deus. ¶ Obserua autem, Deum esse ipsam veritatem, ipsam misericordiam, ipsam denique scientiam. Quia ipse est notitia actualis omnium rerum clarissima. Quocirca, ipse amat in nobis veritatem, & odit mendacia, ipse amat in nobis misericordiam, & odit in misericordes, ipse denique amat scientiam in nobis, & odit ignorantiam. Enimuerò, si omne animal diligit sibi simile, est enim similitudo amicitiæ causa, vt dissimilitudo odij, seminarium conficitur Deum, similiter, similes sibi amore prosequi, at vero sibi dissimiles odio habere. Cum ergo ipsē sit verax, non potest diligere mendaces, cum sit misericors, non amabit crudeles, cum sit omniscius, ignaros suæ legis, qui diliget: Imo vt Paulus docet 1. Cor. 14. qui ignorat ignorabitur. ¶ Et Beatus Dauid contra mendaces, Deum precatur dicens, Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & in corde locuti sunt. Et incandescens contra mendaces, subdit, Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Per linguam magniloquam non intelligens linguam quæ verè loquitur magna, sed quæ grandia mēdacia picturato sermone loquitur. Quæ est lingua hæresiarcharum, & discipulorum eorum, qui miro ornatu sermonis ponunt contra cælum os suum, id est contra fidem Catholicam exaltant vocem suam, & acuunt calamos suos. ¶ Quod vero ait, Defecit Sanctus, idem est, ac si dixisset perit sanctitas, vel sanctitas nulla est in terra. Nam diuinis literis sæpè accidit cōcretum pro abstracto vsurpare, & contra sanctus, scilicet pro sanctitate. Et sanctitatem, pro viris sanctis & iustis, ideo petebat anxiè à Deo beatus rex, vt eum saluum faceret, id est, seruaret eum innoxium, & inculpatum, quia cum omnia videret perturbata, & iustos ex imminentibus peccatorū offendiculis videbat defeciſſe sibi, tibi timens,

Ignorātia studiosa. Ignorātia iners. Ignorantia inculpata.

Eccles. 13. Deus amat sibi similes & odit dissimiles habentes mores.

Deus verax misericors & omniscius.

mens, sibi consulens, precatur Deum, vt eum in tanta iustitiæ strage seruet incolumem. ¶ Vnde idem versat, quod modo vates noster, dicens, Quoniā diminutæ sunt veritates à filijs hominū, vates autē ait, nō est veritas. Et in eo quod ait Dauid defecit sanctus, compræhendet reliqua duo, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Namque si hæc duo desiderantur, nulla est sanctitudo. ¶ Quāti autem Deus pendat misericordiam, vt alia duo interim mittamus, diuinæ literæ vbilibet inculcat. Beatus, ait Dauid, qui intellexit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eū Dominus. Et Euangelica oracula, idem sonant, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et rursus date eleemosynam, & omnia erunt munda vobis. Et demum in extremo iudicio, de misericordia, erit habenda ratio, cæteris suppresis. Esuriui ait, & dedistis mihi manducare, &c. De hac tamen re amplior non est proferendus modo sermo, quia in declamationibus ad Isaiam, multa protulimus. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium, inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quæ generali pronuntiauerat sermone, dicens non est veritas, &c. Hæc iam particulari prosequitur oratione. Dum aut modo *Maledictum.* Pro maledicto, Hebraicè, legitur peierare. Namque verbum Hebraicū Alah, significat iurare cum imprecatione, & maledictione. Quod genus iuramenti vocamus execratorium, vt solent homines quidam, & mulieres iurare dicentes, Deus me pessundet; nisi hoc ita est, vt dixi, vel nō ita est. Et Petrus vsus est hoc iuramento, Matth. 26. cæpit iurare & anathematizare, si noui hominem istum. Septuaginta legunt Ara, id est, maledictio. Huiusmodi autem iuramenta imprecatoria, si vera sunt, & talia esse creduntur, non sunt crimen, imo pro temporis opportunitate sunt necessaria. Et Paul. 2. Cor. 1. vsus est hoc genus iuramento, dicens, testē Deum inuoco in animam meam, id est, contra animam meā, seu vitam meam. Quocirca vates reprahēdens hæc iuramenta execratoria, non reprahendit, quæ sunt opportuna, sed quæ falsa sunt, & sine causa facta, *Maledictum*, si vocem autem hanc velis interpretari, dicito vatem carpere maledicta, quę in Deū conijciuntur, qualia sunt blasphemiæ, & maledicta, quæ in homines obijciuntur, qualia sunt contumeliæ, probra, vel conuicia, aut susurrationes clandestinæ. Cætera patent: *Inundauerunt* Hebraicè, *eruperant*, id est, instar vehementis torrentis, qui ex angusto in latum se amplificat, sic crimina erumpunt inter vos. Quo sermone ex eui dentia voluit significare, & copiam grandem peccatorum. *Et sanguis, sanguinem*, Hebraicè, *Sanguines, sanguines, tetigerunt.* Septuaginta. *Et sanguinem; in sanguine miscēt.* Idemque sensus est, id est, tot patratis homicidia, totque cędes vt vna, aliam sequatur, vt finita vna, alia expectetur. Tot sunt iniuriæ inter vos, vt vna cessante, alia exoriatur. Per sanguinem in scriptura sæpe, iniuriam grandem alteri illatam iniustè, subaudimur iuxta illud Isai. 59. manus vestræ pollutæ sunt sanguine, id est, multas patratis inuicem iniurias, *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, in volucre cæli: sed & pisces maris congregabuntur.* Hic traditur pœna habitantium in terra, apud quos non erat veritas, neque misericordia, neque Dei scientia. Imo contra, apud eos erant maledicta, homicidia furta, &c. Ob quæ delicta, lugebit terra, id est, se habebit in modum lugētis, quando desolabitur à Chaldeis. Nam sicut dicimus metaphoricè, pratum ridere, quia flores eius vernant, & videntibus sunt voluptificæ, ita etiam terra dicitur lugere, quia videntibus vrbem inclitam desolatam, causa erat hoc spectaculum luctus, & mæroris. *Infirmabitur*, & miserunt Israelitæ robur suum, quando ducti sunt in captiuitatē Assyriacam. Nam robur est arma, & diuitiæ, quibus omnibus sunt spoliati, quando ducti sunt captiui, itidem, & Iudæi sunt infirmati, id est omnes suas vires, siue militum, siuè armorum, siuè diuitiarum perdiderunt, quando abduxit eos Nabuchodonosor in Chaldeam, & non solum hæc calamitas inuadet homines, sed etiam bestias agri & volucres cæli: vsurpatur enim hic singulare pro plurali. Siquidem cum desolata est terra, & bestiæ recedunt, & aues non inuenientes pabula. Quinimo & pisces congregabuntur, id est cōficientur, significat fluuiorum aridi tatem. Pro congregabuntur septuaginta legunt deficient. Et equidem quando accidit multorū pisces cōgregantur in vnum, secus autem quando viuunt, quia vtro ci troque vagantur. & non conueniunt in vnum. *Verumtamen vnusquisq; non audiat, & non*

Iuramentum execratorium quandoq; est necessarium.

Correctio fraterna nõ obligat si desperatur correctio.

Sacerdotũ dignitas.

Lutherus carpitur.

Quomodo obediendũ sit pontifici bus.

& non arguatur vir. Scripsit sapiens, peccatorem cum in profundum malorum venerit, contemnet. Vnde huiusmodi cum contemnunt correctionem, consilium est eos non corrigere. Num vt rectè Salustius dixit frustra niti, & nihil aliud quam odium quærere extremæ dementię est. Et dominus clarius docuit, ne spargamus margaritas diuini sermonis, coram porcis, id est, coram contemptoribus, & derisoribus, ne fortè conuersi rabie dirumpant nos. Enimuerò, & si constringat nos Dei præceptũ de corripiendo fratre, at hoc præceptum, ad correptionem fructuosam non obligat, nam adinutilem, aut noxiam non obligat. Quamobrem, vt vates modo, demonstret petulantiam Iudæorum, & eorum obstinationem in peccatis iam denarratis, subdit. Vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir, id est, cò malorum iam ventũ est, vt filij Israel etiam tot flagellis, percussi, in ea obstinatione persistunt vt nemo iam eos damnare, aut arguere teneatur. Quoniam vt scriptum est, vbi non est auditus non effundas sermonẽ. Clarius & dixerunt septuaginta. *Et nullus neq; iudicet, neque arguat quisquam. Populus enim tuus sicut ij qui contradicunt sacerdoti.* Loquebatur hactenus Oseas, nunc autem introducitur Deus loquens, & fit mutatio personæ; id quod est familiarissimum sanctis vatibus. Et persistit in exponenda petulantia, & obstinatione Iudaica. Enimuero, tam impudens erat, vt ij qui contradicunt sacerdotibus, Legimus in Malachia labia sacerdotis custodient scientiam, & de ore eius requirent legem Dei, Angelus enim Dei exercituum est. Surgitur sacerdotes, Dei legati, lux ecclesiæ, ciuitas supra montem posita, terræ sal. Ideo fideles eis obtemperare tenentur. Quod si Deus tanti fecit sacerdotium vetus quanti legimus fecisse, Deut. 17. Qui autem superbierit ait, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Et hoc item loco tanquam præcipuum grande traditur, contradicere sacerdotio. Enimuero sacerdotum erat rogare pro populo, vt patet ex Leuitico, & ipsorum eorum erudire plebem ex lege Dei, de agendis, & cauendis. At quanto obsecro est dignitas noui testamenti sacerdotum, excellentior, quam veteris? Si renuentes exequi imperium illorum merito erant adiudicandi, qui nõ obedierint imperio nouorum sacerdotium nũ erunt immunes? Illi enim veteres clauem regni cælestis non habebant, at illi habẽt, illi rursus veteres potestatem non habebant cõsecrandi corpus & sanguinem Christi, isti ea potiuntur. Illi denique seruiebant figuris, & vmbris, isti seruiunt luci, & veritati. ¶ Quamobrem, Lutheri, & Lutheranorum iusta est damnatio, qui cõcilijs sanctorum patrum nolunt obtemperare. Obtendentes sanctos Pontifices, qui concilijs œcumenicis interfuerunt, & decreuerunt agenda & cauenda ab Ecclesia Dei fuisse homines, & fallere, & falli potuisse. Quasi vero pontifices veteres, non fuissent homines, & nihilominus, iubet Deus loco iudicato, eorum imperio fuisse tunc parendum. Obijciant amabo, Deo, Domine cur hoc præcipis, quia istis sacerdotes possunt fallere, & falli? At verò rectè sciebat Deus, quod sacerdotes quos instituebat, & poterunt fallere, & falli, nihilominus, præcepit, vt qui superbiens noluerit obedire sacerdotis imperio, mulctaretur mortis pœna. ¶ Sed obserua verba legis, qui superbiens noluerit obedire, qui ergo non ex superbia, sed ob aliam causam, non obedit, vt verbi gratia, si præcepisset sacerdos quod clarè erat iniustum, quia erat contra Dei præceptum, hic sanè, non erat dignus morte, siquidem, non ex superbia non obediebat, sed quia melius erat parere Deo, quam sacerdoti repugnanti Deo, vt Petrus ait, Acto. 5. Et sacerdos sic præcipiés, non præcipiebat vt sacerdos, sed vt diaboli minister. Nam diabolicum est præcipere contra Deum. At verò, si nõ erat contra Dei mandata, sed potius indifferens erat, quod præcipiebat, tenebatur populus obedire. Iam enim tunc, non erat indifferens, postquam præceptum erat: sed reddebatur virtutis materia. Cæterùm si res dubia erat an esset exequi fas, vel nefas, quod sacerdos præcipiebat, sermo est de summo, quia si inferiores sacerdotes præciperent, quod non videbatur faciendum, recursus erat ad summum. Si ergo in opinione versabatur, aut rogandus erat summus sacerdos, vt re melius inspecta, præciperet, quod si adhuc insisteret, etiam si falleretur sacerdos summus, quia iniustum præcipiebat, nihilominus, quia res versabatur in opinione, ideo obtemperandum erat illi: & obediens non peccabat. Et credendum erat quod Deus sic iubens, prouidebat

uidebat suis tunc pontificibus, vt præciperet recta, nisi ex peccato populi Deus eos falli permitteret, vt traditur Ezech. 14. Et propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetã illum. Et sermo habetur, quando interrogatur propheta, ab homine impio, seu iniquo, tunc Dominus in pœnam iniquitatis eius qui interrogat permittit, quod propheta interrogatus fallat interrogantem, vt ex diuinis literis didicimus falsos fuisse Iudæos, sæpè à suis pseudoprophetis.

¶ Quod si summus sacerdos ille vmbratilis, tãta vt diximus prærogatiua gaudebat, an non sacerdos, qui est Christi vicarius eadem, & multo digniori gaudebit? Parendum igitur est nobis summo Pontifici sub pœna mortis æternæ, nisi euidenter iniusta præcepisset, quia illi occinendum esset, melius esse obedire Deo quã hominibus, vt prædictum est. Vnde in cap. siquis. 11. q. 3. siquis prohibeat nobis, quod à Domino præceptum est, vel rursus præcipiat fieri, quod dominus fieri prohibet execrabilis sit omnibus qui diligunt Deum. Equidem quia homo est Papa errare potest in facto, vt verbi causa malè dispensando, in voto siuè simplici, sibi solenni, aut alias dispẽsando in iure sine causa, sed ex placito suo, &c. Verum hæc dispensatio si non sit subreptitia, nõ est imputanda dispensato, qui verè protulit despendi voti, vel iuris causam, aut non causam, sed voluntatem suam, egrediendi videlicet, scilicet à monasterio, aut ducendæ vxoris si simplici tenebatur voto. At erit imputanda pontifici, qui citra sufficientem causam dispensauit in voto, vel iuramento, vel in iure. Porrò aliud est, quod possit errare in dispensationibus, aut alijs factis, quæ pendẽt ex testimonio, vel relatione hominum, qui falli & fallere possunt, aliud vero, quod erret in iure, siquidem ius spectat gubernationem ecclesiæ generalis, non tamen dispensatio, & ideo in iure non potest errare. Quare iuri ab eo prouulgato, obediendum erit. Quod si fortè suspendatur per supplicationem interpositam, vel alias, ad tẽpus obedientia, donec summus ipse consulatur pontifex super dubijs emergentibus ex nouo iure, vel etiam mandato Papæ istud nõ est non obedire, sed suspendere ad tempus obedientiam. Scio quosdam pontifices, quædam iura mandasse, quæ sequentes pontifices correxerũt. Verum interim quod ab alijs pontificibus non corriguntur, parendum erat iuri ab ipsis promulgato, nisi euidenter liqueseret esse contra ius diuinum Euangelicum, aut naturale. Et fuisse promulgatum ius ex Papæ inconsideratione, aut aliâs. Namque & si Deus assistentia sua ornet pontifices summos, vt non errent in concernentibus ad fidem, & mores fidelium, tamen opus facto est, vt ipsi operam suam impendant totam, vt scilicet præstenr totum quod in ipsis est, vel conuocato concilio generali, aut doctissimis ascitis, quibusque, vt ius ipse statuat post grauem consultationẽ. Quod si non præstiterint nihil mirum est, si errent in decernendo iure. Vnde quod dixit Agato Papa cap. sic. distinct. 19. Sic omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ, rectè dictum est. Siquidem distinguere oportet, inter Apostolicum, & Apostolicam sedem. Est enim Apostolicus, Ioannes, vel Martinus, qui est Papa. Apostolica vero sedes, est autoritas, supremi pontificatus. Fieri igitur potest, quod hic, vel ille Papa erret, at nequit fieri, quod si papa præstet totum quod autoritas sui pontificatus exigit, pro decernendis causis spectantibus fidem, aut religionem Christianam, quod erret, quippe ei commissus totus grex Dominicus in verbo illo, Pasce oues meas, &c. Ideo dixit Agato, sanctiones Apostolicæ sedis esse accipiendas, perinde ac si Petri voce essent firmatæ. *Ioan. 21.*

¶ Verum vt aiebam, sacerdoti summo non est contradicendum, nisi euidenter constet, ipsum erasse male præcipiendo contra fidem, vel bonos mores. Vnde distinct. 19. Agato Papa cap. in memoriam, inquit, & licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. *Populus tuus.* Septuag. *Populus meus,* vt cunque transferatur verba sunt Dei. *Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum. Nocte tacere feci matrem tuam.* Hebraicè, pro hodie, habetur interdiu. Vt significetur, quod populus ille, siue interdiu, siue noctu, passurus erat magna mala, vel dicitur, *Hodie,* id est, breui tempore á prophetia ista prolata, erant Iudæi abigendi in captiuitatem. Et quia secundo Paralipomenon vltimo traditur, quod noctu fuerunt abacti in captiuitatem

Præcepta papalia etiam si dira videantur sunt ferenda.

Babylonicam, ideo secundum quendam ait, *Nocte tacere feci matrem tuam*, idest, Ierosolymam, quæ erat tanquam mater Iudæorum, quippe quæ erat Metropolis Iudææ. At verò, *Ideò ait tacere feci*, Quia Chaldæi, non sinebant quos captiuos ducebãt, suas deflere miserias. Ad hanc rationem quidã exponunt locum istũ. Porrò in 2. Para. vlt. non traditur noctu fuisse captiuatos Ierosolymitas, sed solum quod noctu surgebant prophetæ, vt admonerent Ierosolymitas, vt Dominum colerent. Ideò, forsan cõmodior erit expositio, si per noctem, iuxta phrasim scripturæ, extremas angustias, & calamitates subaudiamus, vnde ait, nocte, id est in angustijs, & miserijs durissimis, quibus affligetur mater tua, ô populemi, tacebit. Est enim natiuum, ijs qui maximis præmuntur angustijs, siuè viris, siuè fœminis tacere insinuantes, verba sibi deesse, ad explicandum tanti doloris magnitudinẽ. Et quia cum populo illo decepto à falsis prophetis, pollicentibus libertatem, cõtra Ieremiæ vaticinium, & aliorum sacrorum vatum simul fuerunt trucidati falsi quidã vates, alij verò adducti captiui in Babylonem, ideò ait, & corruet propheta tecum subaudi falsus propheta. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuit scientiam: quia tu scientiam repulisti: repellã te ne sacerdotio fungaris mihi.* Quẽ supra dixerat populus tuus, loquens cum Osea Deus, modò loquens Deus cum populo, vocat meum. Erant enim Iudæi Dei populus, ab ipso cõditus, & moderatus, at prophetæ erant populus propter curam quam gerebat vates, ciusdẽ populi. *Conticuit*, id est, non repugnabit neque poterit resistere Babylonicæ potestati; sed tradet manus victas Nabuchodonosor. ¶ Aut conticuit, vel conticescet, nam vsurpatur more Hebraico, præteritũ pro futuro. Quia tanta premetur calamitate, quod deficient eis verba ad exponendum eam. Et frequenter accidit, quod irruens calamitas, etiam lachrymas impediat, & efficiatur patiens dolorem, veluti stupidus veluti sine sensu. Spiritibus enim vitalibus retroactis, & coeuntibus incor, necesse est, vt corpus exterius reddatur tanquam stupidum. *Quia tu scientiam.* Sermo refertur ad sacerdotes, qui quia neglexerunt scientiã diuinam, ideo ipsi sunt neglecti à Deo. ¶ Quamobrem, sunt ipsi quoque abducti in captiuitatem, & nullus honos eis est habitus, sed vt inglorij & miseri sunt acti in captiuitatem, & in gladium. Quare, & orbati sunt sacerdotio.

¶ Nam qui superstites fuerunt in Babylonica captiuitate, non sunt functi sacerdotio: quia eo non poterant fungi apud Babylonios. Et hoc item per Ezechie. docetur. capit. 22. Sacerdotes ait, contempserunt legem. Et Threno. 1. Eorum miseriam, ob legis contemptum deplorat Ieremias, dicens, Sacerdotes eius gementes. Et infra in hoc vate sicut populus, sic sacerdos, id est, nulla est habita ratio à militibus Nabuchodonosoris sacerdotum Dei, sed eodẽ opprobrio abducti sunt in captiuitatem, quo vulgares homines. Enimuerò, infideles nullam habent rationem sacerdotij sancti, ideò reputant conculcandum, tanquam profanum. *Quia tu*, Obserua vt fit mutatio personæ. Primò, ait, conticuit populus meus, quod pertinet ad tertiam personam, dein sub secunda subdit. *Quia tu*, Discant sacerdotes ex hoc loco scientiam Dei discere, etenim, quia ipsorum est docere populos, ipsorum quoque est, scientiam diuinam discere, vt apte docere possint populos. Nam ipsi si cæci sunt, eueniet illis illud Euangelicum, si cæcus, cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Rursus, communes sacerdotes, si non sunt doctores plebis, saltem diuina administrant, diuinorum autem administratio, non potest sine peccato fieri, nisi sacerdos habeat scientiam congruentẽ suo ministerio obeundo. Et digni sunt qui deponantur à sua sacerdotali functione, vel suspendantur, quixtum sint valde idiotæ diuinis administrandis se immiscent. Et istud est quod ait, Quia tu repudisti scientiam, ego repellam, ne fungaris sacerdotio. *Et oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum, & ego.* Hæc clausula, idem spectat, quod proximè exposita: siquidem vtraque contra sacerdotes profertur: at qui populares vocat filios sacerdotum. Sunt enim filij geniti ab eis spiritu, non carne, id est, ex doctrina, non ex concubitu. Quem loquendi morem obseruat Paulus, filioli ait, mei, quos iterũ parturio, donec formetur in vobis Christus. Galat. 4. & Ecclesia Christi eundem loquendi modum obseruat, vocãs filios huiusmodi ex sacramento pœnitentiæ, aut baptismi, aut ex doctrina genitos. Et Monachi suum prælatum ob eandem rationem patrem vocant. ¶ Vnde collige, quod quia sacerdotes obliuiscuntur diuinæ legis, ideo accidit fidelibus sæpè calamitas, & vexatio. Siquidem sacerdotum est vt dicebam, docere plebes, cultum Dei spectantia, vnde in Ezechiele. cap. 33. Et tu ait, fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me: si me dicente ad impium impie morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinẽ autem eius de manu tua requiram. ¶ Itaq; sacerdotes sunt speculatores. Enimuerò, vt in bellis, sunt constituti speculatores in speculis sublimibus, vt inde procul contemplentur hostium acies, & excursus, vt annuntiẽt suis opportunè, ne subito, & incauti opprimantur. Ita in vita Christiana, quæ est quædam militia spiritualis, cũ Satana, & sæculi pompis vanis, sunt adeò cõstituti sacerdotes, ceu speculatores, qui debent conscendere speculam diuinarũ musarum, vt inde contemplentur mala quæ à plebe sunt fugiẽda, & bona amplectenda. Quod si neglexerint, quia non præstant speculatoris munus, valde puniẽtur à Deo ipsi, & populus concreditus ab hoste maligno opprimetur. ¶ At istud speculandi officium maximè est episcoporum, qui interpretantur supernè speculantes. Horũ enim est in primis docere plebes, vnde Concilium Trident. tradit officium præcipuũ episcoporum esse prædicare verbum Dei. Et quia habeãt potestatem coercendi mala, qua carent vulgati concionatores, ideò peccata plebium sibi concreditarum (quæ vocat Ezechiel sanguinem, metaphorico sermone, ex sanguine materiali, ad necem spiritualem) requiret Deus ab episcopis. Vnde Dominus, Si oculus tuus simplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit, si autem oculus tuus nequam est, totũ corpus tenebrosum erit. Siquidem oculi plebium sunt sacerdotes, quippe qui sunt speculatores, si ergo isti fuerint maculati oculi, plebs lucida erit, edocta sapienter à sacerdote, sin vero maculati oculi non potentes cernere, plebs tenebris peccatorum obuoluentur. *Oblita es.* Potest referri etiam ad Ierosolymam, quam supra insinuerant, dicens: Nocte tacere feci matrem tuam. Filij autem huius erant Iudæi in particulari. Quia igitur Ierosolyma oblita es legis, vbi erat Dei templum, & sacerdotum magistrorium, & offerebantur sacrificia. Cui igitur incumbebat docere filios suos, oblita es tamen diuinæ legis, ideo Deus oblitus est Iudæorum. Metaphoricus sermo, Deus enim obliuione non tenetur, neque potest teneri, quia ipse est actus purissimus omnia cernens. Verum sicut ij qui obliuione tenentur, non curant oblita, ita quia Deus erat neglecturus populum illum, ideò ait obliuiscar. Obserua quod quia obliuiscimur Deum, ideò ipse obliuiscitur nostri, ideò ait, quia oblita es, obliuiscar. *Secundum multitudinem eorum peccauerunt mihi gloriam eorum in ignominiam commutabo*, id est, ipsi valde multi sunt, & ita peccata eorum sunt valdè multa, quapropter, gloriam eorum in ignominiam vertam, siquidem glorioſi valde erãt Iudæi, vt supra diximus ex Deut. porrò ob eorum scelera, commutata est gloria sua in ignominiam. Siquidem Israelitæ, obducti sunt in Assyrios, & Iudæi in Babylonios, & nunc perpetua captiuitate, & ignominia tenentur. *Peccata populi mei comedẽt, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum.* Peccata vocat hostias pro peccatis oblatas. In quem loquendi ritum Paulus 2. Cor. 5. vocat Christum peccatũ, quippe qui oblatus est pro peccatis totius mũdi. Sacerdotum igitur erat has offerre hostias, & ex oblatis vesci, vt liber Leuiticus ostendit. Ait igitur sacerdotes illos, id temporis vesci ex peccatis populi: nam comedent, vsurpatur pro comedunt, *& ad iniquitatẽ*, idem significat, scilicet, ad hostiam oblatã Deo, pro iniquitate, subleuabunt sacerdotes, pro subleuant animas suas, id est, hoc intendebant anxiè sacerdotes, hostias illas offerre, vt ex illis vescerentur, vt sit sensus studium vestrum ô sacerdotes non est ad discendam, & docendam legem Dei, ad quod ex sacerdotio teneminĩ, sed potius diuinæ legis obliti estis, vt animum vestrum & studia vestra in hostias populi vnice incumbũt, vt ex eis vescamini, vt ferè fit, nostris temporibus accidit, quia bona pars sacerdotum non incumbit in diuina perdiscenda, sed ad stipendia pro sacris facienda. *Et erit sicut populus sic sacerdos, & visitabo super eum vias eius.* Id est, quia sacerdotes, obliuiscuntur legis meæ, ideo erunt ipsi captiui, & gloriam sui sacerdotij cõmutabo, in captiuitatis ignominiam. Nam sicut populus, obducetur inglorius, ita & sacerdotes. Nam singulare vsurpa pro plurali. *Et visitabo*, id est puniam graui supplicio,

Sacerdotes est habere scientiam Dei.

Ex sacerdotum doctrina pendet religionis pondus

Sacerdotes speculatores sunt, sed maximè episcopi.

Matth. 6.

Hostia pro peccato vocatur peccatum.

vsurpatur hic anima pro desiderio animæ causa pro effectu per metonimiã

plicio populi, & sacerdotum iniquitatem. *Et cogitationes eius reddam ei.* Non ergo solum puniebat Deus sub illo tempore facta mala, vt quidam arbitrantur, sed & cogitationes malas. Nam & si lex humana, quippe quæ de occultis non iudicat, non solum cogitationes cordi tepultas, non potest punire, quin etiam & facta mala, quæ testimonio sufficienti non possunt probari, punire nequit: at verò Deus cum sit cordis inspector in vtroque animaduertit, nō solum in noua lege, quin etiam & in veteri, vt ex loco, & alijs efficitur. *Et comedent, & non saturabuntur, fornicati sunt, & non cessauerunt, quoniam Dominum dereliquerunt.* Quia dudum dixerat sacerdotum gulam, & auaritiam, quippe eorum animus, studium que totum, erat ad hostias, & oblationes, vnde ipsi vescerentur, & ditarentur, ideò subdit modo, & comedent, subaudique ipsi appetunt: at verò non saturabūtur. Siquidem, non tot comedebant quot ipsi desiderabant. Et non pro ingluuie ipsorum, & rubida auaritia succedebant ipsis sacrificia. ¶ Sicut enim ij qui patiuntur famem caninam, etsi multa comedant, & supra vires stomachi multa ingurgitent, at verò nunquam saturantur, sed quò magis edunt, eò magis esuriunt. Siquidem eiusmodi ipsorum, non est natiua, sed violenta potius, & contra naturalem stomachi dispositionem, fit enim ex nimia frigiditate stomachi. Ad eadem rationem auari sunt, quibus tam deest, quod habent, quā quod non habent. ¶ Sacerdotes igitur isti, hac quoque mala affectione laborabant. Sicut legimus etiam de filijs Heli sacerdotis. 1. Reg. 2. qui exingluuie & rapacitate, anticipabant esum sacrificiorum Domini. Re prehenduntur igitur isti sacerdotes, quia tanta erat eorum voracitas, quod perinde ac si laborassent fame canina, nunquam satiabantur. Insinuat, autem vates hos propter suam edacitatem iniuriam etiam fecisse offerentibus, vt sua mala desideria explerent. Quo itidem vitio eos etiam num laborasse sub Christi Aduentu, ipse Christus non obscurè demonstrat, siquidem arreptō flagello ex funiculis confecto, expulit, vendentes, & ementes de templo, dicens, eos esse latrones. *Comedent*, vel hoc dixit insinuans eos esse tandem fame torquēdos. Enimverò vt supra diximus ex 4. lib. Reg. cap. 25. sub obsidione Chaldæorum fame expressit Ieroso lymitas. Ideò tunc comedebant, sed non ad satietatem, quia nō habebant alimenta sufficientia, quibus vescitarent. *Fornicati sunt, & non cessauerunt.* Sensus est apertus, fornicati sunt seu scorati sunt, addentes scilicet peccata peccatis. Auaritiæ inquam, & ingluuiei, adiungentes scortationem, & non cessauerunt à suis scortationibus. At verò litera Hebraica, aliud habet videlicet, pro cessauerunt, *Liberos habebunt.* Nam verbum Paraz, Hebræis est propagare, vel erumpere. Et Chaldaica translatio, itidem habet, filios non habebunt. Septuaginta autem. *Fornicati sunt, & non dirigentur.* Id quod facile est reducere, ad sensum literæ Hebraicæ. Fornicati sunt, æstimantes se ex fornicatione cum scortis, accepturos liberos: at verò hæc eorum æstimatio, non dirigetur, neque prosperabitur, quia frustrabuntur prole.

Quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Sensus est perspicuus, dereliquerunt Dominum, non custodiendo, videlicet vias Domini, quæ sunt præcepta eius. At verò difficilior est Hebraica litera, quæ legit affirmatiuè. *Custodiendo.* Nisi dicamus Iudæos cum religione diuina, voluisse idolorum miscere culturam. Vnde volebant Deum simul cum idolis colere, & Deo sacrificare, & idolis item. Sic ergo, custodiendo Dei sacrificia, id quod erat sui muneris dereliquerunt Dominum, quia simulabant Satanam, & profanabant synceritatē diuinæ religionis, cum turpitudine cultus sordidissimi idolorum. ¶ Porrò, dicet aliquis, qui cohærent hæc, cum proximè dictis, nunquid ex eo non habuerunt liberos ex scortis, quia dereliquerunt Dominum, & coluerunt idola? Insinuat enim ipsos acceptaros prolem ex scortatione, si idola non coluissent. Id quod falsum esse non est arduum de iudicare, siquidem ipsa scortatio, non est digna præmio prolis, sed mortis pœna. Fortè hæc clausula, non est componenda cū proxima, sed per eā causa redditur priorum videlicet, *Comedēt & non saturabuntur*; Quoniam, &c. iuxta tamen nostram Latinam trāslationem, huic dubio, vt vides non est locus, *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Explicat, quibus vitijs, essent irretiti sacerdotes illi, & populares, de quibus dixerat, repulisse eos scientiam Dei, & repulsa scientia Dei, ignorantia diuinorum viget, & hac vigente, mens & iudicium obtenebrātur, vt quæ recta sunt despicentur, & quæ obliqua

Ioann. 2.

obliqua sunt, amentur. Igitur isti fornicationibus erant mancipati, & vino erant diditi, vnde resultabat corporis temulentia, & mentis insipientia, ideò ait, *Auferunt cor*, Id est mentis integritatem, & iudicij synceritatem: vnde omnia sunt timenda mala. Namque iudicij synceritate corrupta, homo redditur bestialis, indeque vorago patescit omnium viciorum. ¶ Vati, concinnunt alia oracula sacra Prouerb. 20. legimus luxuriosam rem esse vinum. Et Eccl. 19. vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes. Vt Salomone sapientissimū, alienigenæ mulieres deprauauerunt. cor. 3. Reg. 11. loco vini, Hebrai. legitur mustu, id quod valde exaggerat temulentiam Iudæorum illorum quos carpit vates, quia mustis se inebriabant, id quod supra insinuaret etiam vates dicēs, diligunt vinacia uarum, vt nos supra exposuimus. Et notandum est Dominum, Leui. cap. 10. præcepisse Aaraoni, & sacerdotibus ne biberēt vinum, aut quidquid inebriare poterat, quando erant intraturi in tabernaculum testimonij: ne moriamini inquit. Vnde fit sacerdotes illos magis culpandos ex ebrietate, quippe quos Dominus speciali præcepto constrinxerat, ne biberent vinum pro tempore ministerij. Siquidem qui sunt vino dediti ssimi, nullum tempus obseruāt, vt abstineant, sed in omni tempore suo genio indulgēt, vt prolibidine calices exhauriāt. ¶ At forsan timebit litera hæc, quę duo facit, quæ alioqui in vnum computātur, scilicet vinum, & ebrietatem. Quandoquidem bibens vinū per se non est culpandum, imò Paulus suo Timotheo præcepit modicè bibēndum, ebrietas sanè est de se mala. Ebrietas autem, non causatur ex sola potatione vini, sed ex nimia. Nimia enim potatio meri, peruertit sensum, & reddit hominem orbatum intelligentia rerum, donec deseruescat vini æstus. ¶ Caterum, quia nō solum vinum inebriat, sed etiam alia sunt quæ inebriant, si largius ebibantur vt cycera, maluasia, & alia supra enumerata, quæ fiunt vina ex cærasis, pyris, dactilis, &c. ideò, vt hæc comprehendat vates, dixit vinum, & ebrietas, idcirco in Leuit. 10. traditur, vinū, & omne quod inebriare potest non bibent Aaron, & filij eius, quando intraturi sunt tabernaculum testimonij. ¶ Quæret aliquis nūquid ebrietas est secundum se, siue ab intrinseco mala, vt homicidium, furtum, & reliqua hoc genus? Videtur enim, non habere intrinsecam malitiam. Enimuerò, sæpè medici ægrotis consulunt, vt inebrientur, curandi morbi causa. At si intrinsecè esset mala non præciperetur, neque exequeretur, videtur ante esse intrinsecè malum, etenim Paulus. 1. Cor. 6. & ad Galat. 5. ebrietatem damnat, etsi. 1. Cor. 6. in numero eorum quæ sunt mala intrinsecè reconset ebriosos. Neque adulteri aut neque fornicarij, neque maledici, neque ebriosi, &c. regnum Dei possidebunt. Et ratio hoc probat communis est. Quia homo se sponte inebrians, sibi infert magnam iniuriam, quia se sponte orbat rationis vsu, ex quo differt a brutis. Dixi sponte, quia si ex ignorantia inebrietur, excusatur à culpa, secundum rationem suæ ignorantiæ. Etenim qui probabiliter credebat, se ex tali vini potatione non esse inebriandum, ideo bibit, non biturus, si nouisset se inebriādum, & si inebrietur, non est in crimine, id quod accedit sæpè ijs, qui ignorat vini vires, quod bibunt, sed bona fide bibunt. Vt Noe nescies vires vini, bibit largius, & inebriatus est, & de re hac nulla est lis. Quo fit, vt medici non possint iure præcipere suis infirmis, vt inebrientur, siquidem si ebrietas est per se mala, ideo nunquam potest benè fieri. Sicut neque possunt præcipere, quod coeant fœminam non suam salutis gratia. Etenim sunt & alia remedia salubria, etiam si non confugiant ad ebrietatē, vel ad fornicationem. Neque euidens est medico, quod si hæc antidota non adhibentur quod salus non continget infirmo. At verò dicet aliquis, etsi non sit euidens, quid si valde probabile sit medico, quod si inebriatur infirmus euadet infirmitatem? Et non est firmo de vomitu, quia certum est ex alijs posse prouocari vomitum, etiā si ebrietas non corripiat ægrotum. Ideò in alio casu differenda venit quæstio, in quo scilicet sit probabile valde medico, quod ex ebrietate, euadet morbum. ¶ Syluester verbo ebrietas quæst. 3. ait se non videre, in huiusmodi casu, cur sit ebrietas peccatum. Quod si tunc non est peccatum, neque illam mandare, medico erit culpabile. Et addet S. Th. visum fuisse contrarium. Et quidem S. Th. 2. 2. q. 150. art. 2. credit ebrietatē esse ex suo genere malā. Et iuxta hoc, nullo casu potest admitti, neque enim quæ sunt ex genere suo mala, aliquo casu possunt admitti: siquidem habent in-

An ebrietas sit per se mala.

Medicus non potest iure præcipere infirmo, vt inebrietur propter cō parandam salutem.

Differitur si ebrietas sit peccatū mortale.

secam maliciam, vt mendacium, furtum, adulterium, vt Aristo. tradit lib. Ethi. 5.

¶ At verò ratio, nec vnde hæc intrinseca malicia probatur, est vulgata prima, quia priuat violenter vsum rationis. Namque etsi somnus item priuat vsum rationis, at hæc priuatio non est in potestate nostra, quia naturalis est. Imo est nobis necessaria vt postmodum liberius vtamur rationis vsu. ¶ Rursum secundo, quia homo se exponit periculo peccandi, quia ebrij multa ex furore operantur mala, percutiũt enim alios, euulgant secreta, & nonnunquam cędes operantur. ¶ Item tertiò, quia homo non est Dominus suorum naturalium, sicut esset crimen, si abscinderet suam manum, vel pedem, aut oculum, ita & se orbare vsu rationis. ¶ Verum hæc postrema ratio habet promptam euasionem. Siquidé si manum quam quis sibi abscinderet, ad horam, vel diem, reparare sibi posset, non videretur crimẽ modico spatio orbari vsu manus, vel pedis, vt siquis sine causa, cum alioqui esset sanus, eo integer ex libito suo scinderet venam, vt sanguinem funderet, modicum. Etsi sanguis, est naturalis humi ni: at verò, quia illa sanguinis iactura cito reparatur, ideo non esset crimen. Ita quoq; ebrietatis damnum, quia cito reparatur videtur, quod hæc ratio non colligat esse crimen. ¶ Vt neque secunda, quia multi sunt ebrij qui nihil meli operãtur, sed altissimè dormiunt, quousque vini vapores, delati in caput resoluantur. Vnde hoc, quod ratio assumit per accidens est, vt inde credamus ebrietatem esse crimen. ¶ Sed neque prima, quia itidem diceretur, quod orbari vsu rationis modico tempore, & si violẽter orbemur non esse crimen. Rursum omnis coitus cum muliere, etiam coniugalis, aufert rationis vsum sub eo tempore quo fit, quia confertur epileptico morbo, at cõiugalis coitus non est in culpa. ¶ Adhæc Paulus non ait, ebrij non possidebunt regnum Dei, sed ebriosi. Sunt autem ebriosi, quibus est consueta ebrietas. Vnde multis visum est, ebrietatem assiduam solam esse crimen, non cõsuetam vero inter minima computant peccata. Neque argumentum quo quidam impetunt hanc sentẽtiam, est neruosum. Quid aiunt, si assidua ebrietas est crimen, necesse est, quod ebrietates, ex quibus hæc assidua est profecta sint criminales etiam, quia consuetudo venialium, non potest si ibi figatur esse criminalis.

At verò, obijcerem ego istis, si quis furatur triẽtem, vel quadrantem, veniale equidem est, ex leuitate materiæ, si furtum idẽ repetat, tertio, & quarto, &c. Veniale semper est, at vero assiduum huiusmodi furtũ cum venerit, ad magnam quantitatem, ex multis furtis cõflatam, iã fit crimen. Quia si venerit, verbi gratia, ad complementum vnius numi argentei, iam crimen est, aut finge aliam quantitatem maiorem. ¶ Iam diceret aliquis ebrietas, vna vel altera, venialis culpa est, quia modica est rationis læsio, at qui assiduè inebriatur, valde lædit rationis vsum, vt gutta semel cadendo, & iterum, atque iterum parum lædit lapidem: at verò si assidua sit stillatio, valde lædit, quia admodum exanat lapidem. ¶ Itẽ manifestius lucebit ex alio exemplo, quia ebrietas lædit sanitatem corporis. Maior enim flamma, absumit minorem Arist. in proble. teste, ideò æstus vini obtundit natiui caloris vires, verum quando non assuescit homo vino inebriando se, & si lædat vires naturales, non tamen admodum; cæterùm si assidua sit, verè notabiliter pessundat naturæ vires, & eas extenuat, vnde breuiorem reddit vitã, & fit homo sui occida, & ideò tunc erit crimen. ¶ Porrò autem, hæc dicta sint differendi gratia, verum si meam exigis sententiam, dixerim primo, ebrietatem esse duplicem, est namq; quædam quæ notabiliter orbat ebrium vsu rationis, siquidem ad furorem, vel amentiã, eum inducit, aut ad quandam stupiditatẽ. Sunt namque ebrij quidam furiosi valde, alij vt stipites, iacent in terra stupidi, & attoniti. Alia vero est ebrietas, quæ non tam seuit, vt prædictę, sed mitior est. Siquidem non orbat ebrium plenè rationis vsu, neq; mentem quæ sola est in homine quodam diuinum, quia secundum illam homo cõditus est ad imaginem & similitudinem summi Dei, lædit multum. Sed aliquantulũ eam lædit. Quia huiusmodi ebrius, fruitur adhuc iudicio, & rationis vtcumq; est compos, & si non plenè, vt ante ebrietatem, vt mihi contigit videre quosdam ex vino balbutientes, & vacillantes, & non recte iudicantes, quæ rectius iudicarent, si nõ corriperentur mero. ¶ Dixerim igitur ebrietatem, primo modo, esse de se crimẽ. Primò, quia lædit valde, quod solũ est diuinũ in homine, scilicet mentẽ. Et lædere regalẽ celsitudinẽ, & si modicè lædas scelus est. ¶ Secũdò, quia Paulus eã collocat inter opera

Ebrietas assidua possunt naturæ vires.

Authoris placitũ de ebrietate proposita quæstio.

opera carnis, quę sunt de se mala ad Gal. 5. ¶ Tertiò, quia. 1. Cor. 6. numeratur inter mala ex suo genere ebriositas. Neque est dicere quod non dixerit ebrios, non possessuros regnum Dei, sed etiam ebriosos. Ebriosi autem sunt, quibus est consueta ebrietas. Vnde tradunt Theologi in. 4. sentent. Ebriosos posse administrare sacramẽtum baptismi, non tamen ebrios.

¶ Et quidem non spernẽda esset obiectio, nisi Paulus ad Galat. 5. ebrietatem collocaret inter opera carnis, quæ sunt de se mala. At fortè replicabis, opera carnis ibi relata; licet sunt omnia crimina, & si de se mala sint, vt commessationes non sunt crimina ex se, & si ex se sint venialia peccata. Sed quid, nonne, & alia ibidem denarrauit, quę sunt ex suo genere mortifera, vt idolorum cultus, homicidia, &c. quæ ibidem denarrantur. Cur obsecro non potius dicemus, ebrietatem cõnumerandam inter ea quæ ex suo genere sunt mortifera, quam inter ea quæ sunt venialia. ¶ Quod verò Apostolus, non dixerit ebrios, sed ebriosos nõ possessuros regnum Dei, non eò fecit quo intelligeremus, solum consuetudinem ad ebrietatem esse peccatum mortiferum, sed vt ex consueta ebrietate, palã faceret ebrietatem etiam non consuetam, esse mortale ex suo genere. ¶ Etenim si Paulus assiduã ebrietatem refert inter ea quæ sunt ex suo genere crimina commonefecit, subinde ebrietatem esse ex suo genere crimen. Cõsuetudo enim nihil potest facere esse ex se crimen, quod alioqui non erat ex suo genere crimen. Enimuerò venialibus, quantumlibet assuetas, semper venialia persistunt vt patet. Consuetudo enim mala nõ potest transferre peccatum, ex vno genere in alterum. ¶ Porrò autem, sicut etsi furtũ sit ex suo genere crimen, cæterùm leuitas materiæ, vt furtum tuentis præstat non esse fura crimen. Item que indeliberatio, vt siquis nesciens esse alienum subripuisset alienum, namque si nesciens etiam non volens, idem efficit, ideo non est in culpa. ¶ Eodem modo de ebrietate est Theologizandum. Etenim ebrietas secundo modo si accidat ex leuitate, vel modicitate dãni quod infert homini est venialis. Quippe quæ modicè lædit, mentis humanæ celsitudinem, vt expositum est. At ebrietas primo modo quando accidit etsi modico tempore lædat, at est magna læsio humanę mentis, vt expositum est, ideò crimen est.

At verò in secundo modo ebrietatis non item accidit, vt patuit. ¶ Rursus, si in deliberata sit ebrietas, non erit peccatum, vt qui nesciens vires vini, bibens inebriatur quas si nosset, non ita copiosè bibisset. Quia hic non intendebat inebriari, item cui notæ erant vini vires; at verò, & nota sibi erat stomachi sui & cerebri sui virtus ad resoluendos vini vapores. At verò nihilominus á se deceptus inebriatur. Itidem hic non ex intentione inebriatur, si quidé, si compertum sibi esset quod erat inebriãdus non bibisset, vt supponimus. Demum concludamus, quod etsi somnus, priuet nos ad tempus naturali vsu rationis, at verò quia hæc priuatio, non lædit diuinum quod est in nobis, sed potius suspendit eius actum, vt in vigilia absolutio, quadat. Et quia etiam est hæc priuatio nobis natiua est, & amica est natura, ideò est citra crimen. Priuatio verò mentis ex ebrietate, lædit, & non perficit, & violenta est & nõ natiua. Item priuatio mentalis actus ex coitu coniugali, est item secundum naturam, & legem licita, secus de ebrietate. Concludamus igitur cum nostro vate ebrietatem esse ex suo genere crimen, quia aufert cor. Auferre autem cor, vt supra declaratum est, absorbere iudicium mentis. Cor enim in sacris scriptis aliquando mentis vsum, iam verò substantiam significat mentis, vt est illud Psalm. 32. qui finxit sigillatim corda eorum, vbi cor mentis substantia denotat. Est enim sensus, Deum creare singulas animas rationales, in singulis hominibus, aduersus pessimum Auerrois dogma, credentis vnicam mentem adesse cunctis hominibus. ¶ At verò in proposito apud vatem, cor non substantiam mentis, sed legitimum eius vsum significat. Neque enim fornicatio, aufert mentem substantialiter, neque ebrietas, vt liquet. ¶ Vnde fit vt videtur verò simile, quod si ebrietas non aufert ex toto cor, id est mentis naturalem vsum, ex modicitate læsionis, veniale esse culpam. Fornicatio autem, etsi auferat mentis vsum, vt referũt philosophi, & medici, quia epilepsiæ, eã similẽ esse dixit Auicẽna; at verò nõ inde crimẽ esse dicimus, sed qui si sit adulterina fornicatio, iniuriã facit cõiugi, quæ grauissima est. Si verò simplex est, quia per eã iniuria fit proli crimen est, nam ex natura coitus fornicarij orbat eam patre: at accipitur hic fornicatio pquouis illegitimo coitu, de qua re nos in

Coitus extra mulierem inducit affectum similem epilepsiæ.

Error Auerroistici.

Fornicatio sumitur pro quolibet nefario cum muliere coitu. Fornicatio & ebrietas peruertũt sensum ad omnia committẽda facinora.

cæcæ, & superſponſus veſtris, cum adulteraue rint? Quæ pœnæ corporales, ſunt peccatorum antidotum, mali enim, exhorrent facinora perpetrare, formidine pœnæ: ideò, cum peccatum eſt impunitũ ingraueſcit amplius, & auget rationem quã habet pœnæ. Et hoc eſt quod Dominus, docet modo. *Non viſitabo*, Id eſt, non puniam pœna temporali huiuſmodi adulteria filiarum, & vxorum veſtrarum, ne vos conſolemini ex peccati commiſſi contra vos ſupplicio. Enimuerò, qui iniuriam patitur, ex iniuriantis ſupplicio ſibi gratulatur, quia irrogãti iniuriam eam repẽſum eſt. Et idẽ eſt, quaſi dixiſſet Dominus, afficiemini iniuria ô impij, quia violabunt fidelitatem vxoriam filiæ, & vxores veſtræ, neque vobis gratulabimini ex ſupplicio illato, ſed magis contriſtabimini. Quippe iniuriam, qua affecti eſtis, inultã cernitis. Quæ quo grauior eſt, grauius vos torquebit, quia impunè ficta contra vos eſt. *Non viſitabo*, pœna ſubaudi temporali, quia æterna pœna, niſi pœnitentia deleat peccatum, nullũ remanebit multum, ſi quidem ad Dei iuſtitiam iſtud ſpectat, & quod merita bona coronentur ęternò, quę ſub vitę huius fluxu non fuerũt coronata, & quod mala merita, puniantur ætèrnò, quæ digna pœnitẽtia non fuerunt purgata. ¶ Eſt autem grauiſſima pœnarum peccatum, ex alio mulctare peccato: ſiquidem Iſai. 1. ait Deus, Super quo percutiam vos vltra addentes prævaricationem prævaricationi, quaſi dicat ad vltimum malorum peruentum eſt, addendo peccatum peccato. Nam redditur mens humana indies durior ad pœnitẽtiam incundam quando peccatum grauat peccatum, & indies magis contemnit, & iam depoſita frõte, peccet inſolentius. Vnde illud Sapiẽtis, Impius cum in profundũ peccatorum venerit contemnit. Non poteſt autem homo ad ſtatum calamitatioré peruenire, quam quod diuina contemnat: Vnde Paulus contemptores omnino cauẽdos docebat, dum aiebat videte contemptores, & admiramini, & diſpergimini Act. 13. Contemptus enim diuinorum Deo claudit mentis ianuam, ne radio ſuæ lucis eam illũminet, ſed eam in ſuis potius ſordibus iacentem, relinquet. Vnde docebat in Euangelio non eſſe ſpargendas margaritas coram porcis, neque ſanctum eſſe dandum canibus. Siquidem porci ſiliquas amant, margaritas contemnunt. Et canes oſſa rodunt, ſancta ſpernunt. *Quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effœminatis ſacrificabant, & populus non intelligens vapulabit.* Reddit rationem, iuſtiſſimæ ſuæ Deus indignationis, & mutatur perſona ſecunda in tertiam. Quoniam ipſi ſubaudi viri, mulierum quas dixerat impunè, eſſe adulteratura, cum meretricibus conuerſabãtur. Hebra. ſeparabãtur, futurum pro præſenti, id eſt vos viri, ſubducitis vos ab vxoribus veſtris, vt fruamini meretricibus. Pro effœminatis Græca verſio habet initiatis. Vocat initiatos, qui ſacris nefarijs idolorũ, nouè afficiebãtur, Hebræa vox ſcortum ſignificat. Et litera hæc eſt cum ſcortis ſeparabantur, & cum meretricibus ſacrificabant. Tertio autem Regum. 14. legimus, Hieroboam, qui diuiſit Regnum Dauid permiſſiſſe effœminatos in terra, vocat effœminatos, cinedos, aut vt gloſſa interlinealis, eunuchizatos, iſti enim cum fœminis admittebantur, ad ſacra illa nefaria idolorum. Et ritus erat gentium Ephebia, id eſt cinedorũ, vel effœminatorum, permittere lupanaria. 2. Macha. 4. quem ritum peſsimũ ſub Machabeis, vrgente peſtilentiſſima vexatione Antiochi Iudæi acceperunt, & ſi reuera effœminati ſunt molles, & delitioſę viuentes. *Populus non intelligens.* Supra idem vates obiecerat Hebræis inſipientiã, Et Iſai. 5. propterea dicens, captiuus populus meus ductus eſt, quia non habuit ſcientiam, idemq; Oſeas refricat modo. Quod ex defectu diuinæ ſcientiæ varijs eſſet iactandus calamitatibus. *Si fornicaris tu Iſrael, non delinquat ſaltem Iuda, & nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen, neq; iuraueritis, viuit Dominus.* Iuda vt diximus duas tribus denotat, & Iuda, & Beniamin, vt & Iſrael, decem tribus. Nũc ergo ait, ſi pro quia vos decem tribus, abieciſtis ſcientiã Domini Dei veſtri, & ideò cultum ei impendendum, impẽditis eius hoſti diabolo, tu tribus Iuda quam regia nobilitate, ego nobilitaui, apud quam vo lui eſſe templum nomini meo dicatum, vt ibi mihi legitimè offerrentur hoſtiæ, noli ſequi fornicationem, decem tribuum, ſed meliùs ſape, tibi prudentiùs conſule, ne eadem miſeria inuoluaris, qua inuoluendæ ſunt decem tribus. Tribus Iuda, Deus oſtẽdit ſe maiorem habere rationem, ſiquidẽ ex hac tribu originem accepit Dominus Ieſus ſecundum carnem Matth. 1. & ad

Prou. 18.

Summum malorũ eſt peccatum peccato punire.

Matth. 7.

Effeminati qui ſint.

Rom. 1. *Nolite ingredi*, Galgala, reuolutionem ſignificat, erat autem locus vltra Iordanem, nam poſt tranſitum Iordanis, ibi Ioſue primo caſtramentatus eſt, ibique circunciſus eſt Hebræus populus, qui ob moleſtiam itineris per deſertum, non ſuſceperat circunciſionem. Quapropter omnes nati in deſerto, in Galgalis circunciſi ſunt, antequam terram promiſſam ingrederentur Ioſue. 5. & 1. Reg. 10. Saul, ibi fuit acceptus in regem. Et arca teſtamenti, ibi quieuit, antequam transferretur in Silo. Et ob has prærogatiuas, quibus ornabatur hæc ciuitas Galgala, aut Galgalis, Hebra. Gilgal, idololatræ, collocauerunt, ibidem ſua idola, vt homines, frequẽtãtes locum, ob reuerentiam eius, ſimul adorarent idola, ibi conſtituta. Hac namque arte fraudulẽta, vtebantur idololatræ adineſcandum inſipientes, vt colerent idola. Quod ergo ait, *Nolite ingredi*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, ne adoretis idola, quæ ſunt in Galgalis. *Neque aſcendatis.* 3. Reg. 11. Hieroboam, ille ſciſmaticus, & impudentiſſimus, conſtituit duos vitulos aureos, alterum, in ciuitate, quæ dicebatur Bethel, vbi apparuit Dominus Iacob, & in ciuitate Dan. Etſi venerabilior erat vitulus idololatris, qui erat cõſtitutus in Bethel, quia erat totus aureus, vt colligitur ex. 4. lib. Reg. Ideò ait modo ne aſcendatis in Bethauen, dixit aſcendatis, quia Bethel, erat in loco eminentiori. Noluit autem Oſeas vocare Bethel, vt liber regum vocat, ſed ex facto accidẽti, vertit nomen in Bethauen quod ſignificat, domum vanitatis, aut iniquitatis, vel domum idoli. *Ne iuretis*, iſti Iſraelitæ, & ſi colebant idola, iurabant nihilominus, viuit Dominus, quę erat forma iurãdi Hebræis, nunc ergo, ait, ſi adoratis idola, cur iuratis per vnum Deum viuum, cum colatis deos mortuos? Forſan quæris, nunquid malum eſt, iurare per Deum, ſub hac forma, viuit Dominus, non ſanè, ſed quod reprehenditur nunc eſt: ne iſti miſcerent cum cultu profano idolorum, cultum ſanctũ Dei viui. Id quod erat in vſu Iſraelitis iſtis. Deus enim ex toto corde colendus, & ex tota anima, & ex totis viribus, & qui totũ poſcit incultum, nihil relinquit cultus, alij impendendi. *Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit, nunc paſcet eos* Dominus, *quaſi agnum in latitudine.* Loco huius, vacca laſciuiens Hebraicè habetur vacca prævaricatrix, & rebellis, ſeu indomita. Et quia ſupra contulerat plebem Iſraeliticã mulieri meretrici, quæ laſciua eſt, ideò modo item perſiſtit in collatione ad fœminam, conferendo eandem plebem laſciuienti vaccæ. ¶ Enimuero fœminæ ſunt in genere humano impudentiores, & ſtolidiores viris ſi ſemel enim depoſuerint frontem, nihil impudentius, ex ſexu autem habent annexam debilitatem mentis. Vnde dixit Ariſtot. corruptionem eſſe regiminis, ſi per fœminas reſpublica adminiſtretur. ¶ Ex quibus collationibus, hoc vnum intendit Spiritus ſanctus, loquens per vatem ſuum Oſeam, plebem Iſraeliticam eſſe impudentiſſimam, & inualidi iudicij, quia quæ maior impudentia, aut inualidens iudicium, quam relinquere Dominum Deũ viuum, & verum, cui ſe obſtrinxerat in deſerto, quando profeſſa eſt ſe velle legem Dei ſeruare, Exod. 24. quam profeſsionẽ violantes poſtea abierunt poſt vaniſsima gentium idola. *Quoniam.* Rationem reddit, eius quod paulò ante prædixerat, *Non intelligens vapulabit*, Quali dicat quare vapulabit: nempe, quia ſicut vacca indomita, quæ ex furore percita frangit iugum, quo tenetur obſtricta, & vagatur per campos ſoluta, & furibunda, neque permittit ſe ligari à Domino, ſed velut inſaniens, ſæpè ſe dat præcipitio. Ita plebs ſe habet Iſraelitica, laſciuiens enim, ex vbertate magna omnium bonorum temporalium quo fruebatur Dei dono, fregit iugum legis, quo ſeſe obſtrinxerat Deo in deſerto: at vero ſoluta à lege Dei, ſe dedit præcipitio, mancipando ſe Satanæ, colendo inania idola. Hoc eſt quod ait, ſicut vacca laſciuiens declinauit. Quaſi clarius dixiſſet, ſi à me exigitis, cur vapulabit, reſpondebo, *Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit.* Sicut vacca prævaricatrix, quæ relicto iugo Domini ſui, & eo fracto, declinat ab agro Domini ſui, & vagatur per campos alienos, donec ſe tradat præcipitem, ita plebs ſe habet Iſraelitica. *Nunc paſcet eos.* Contulerat eos dudum vaccæ laſciuienti, aut in domitæ ad ſubindicandum, quantus furor fuit, & dementia in Iſraelitis ad perpetrandum mala, nunc confert eos agno, vaganti per ſpatioſa loca, quo nihil miſerabilius. Enimuerò, cũ vagetur ſolitarius per loca ſpatioſa, non habens ducem, neque paſtorem, cum ipſe ſit animal inſipientiſsimum, paret lupis, & furibus, quia nulla potitur protectione. In quem propè modũ,

1. Poli. cap. pit. 8.

2. Poli. cap. pit. 7.

Geneſ. 28. & Ioſ. 10.

Matt. 22. Marc. 12. Luc. 10.

plebs Israelitica futura prædicetur sine Dei protectione. Quippe quę breui erat dispergenda inter gentes, quando ducenda erat captiua ab Assyrijs, *Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine*, id est breui, ducetur inuita in latissimos campos, quia vagatura erat per orbem, postquam abducenda erat captiua. Et tu obserua, quomodo in arcanis literis, vnum & idem vsurpatur, iam in bonum, iam in malum. Namque significat Leo Christum Apoc. 5. vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Iam vero Leo, dæmonem significat. 1. Pet. 5. Aduersarius enim vester, diabolus tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. ¶ Ad eandem quoque rationem. Et agnus, Christum significat; Ecce agnus Dei, ait Ioannes, Ioan. 1. Ecce qui tollit peccata mundi. Iam verò, plebem miseriam Israeliticam significat, propter agni insipientiã, & infœlicitatem, quando solus vagatur per camporum latitudinem, vt expositum est. Christum vero ex alia causa agnus significat, videlicet, propter sacrificij rationem. Namque agnus offerebatur in sacrificium, immaculatus, & anniculus Exod. 12. & in Leuit. sæpè pro agnum; potest verti etiam grex agnorum. Nam cebes, Hebræis vtrumque significat. ¶ Vel secundo exponere poteris eũdem locum. Agricolis enim sæpè vsu venit pascere agnos in locis vberrimis, vt pinguis eos reddat, &, & pingues iam, & obesos, vel mactent, vel carius vendant, vt mactentur. Ita vos Israelitas, ego paui, in locis pascuis, vbertate pastus mira refertis, vt vos tradam in potestatem Assyriorum perdendos. *Particeps idolorum Ephraim dimitte eum.* Verba Dei sunt ad vatem, quasi dixisset oleum perdes, & operam, ô Osea, si incumbis in plebe corripienda hac pessima Israelitica. Siquidem obstricta est, iã olim cultui obscæno idolorum, cæcitate magna est obducta, ideo iam illi est cõclamatum; ideo dimitte eam, vbi tu obserua, quod supra annotabamus, in corripiendo fratre, hanc legem seruandam, eatenus corripiendum esse, quatenus speratur fructus correctionis, si hic desperatur, verba sunt Dei, *Dimitte eum*. Ephraim autem decem tribus denotare supra docuimus. *Separatum est conuiuium eorũ fornicatione fornicati sunt.* In conuiuio voluptas sensualis subauditur. Siquidem in conuiuijs, sæpè Bacho indulgetur, & postmodũ Veneri. Vnde Paulus, commessationes, Hispanè banquetes, inter opera carnis enumerat. Et populus Hebraicus Exod. 32. tantisper dum in deserto vagabatur, postquam ad latietatẽ comederat, surrexit ludere, & vitulũ conflatum adorauit. ¶ Quod igitur ait, tale est, separatum est conuiuium, id est cessauerunt iam conuiuia eorum, & est præteritũ pro futuro vsurpatum. Et singulare pro plurali & insinuat quod iam de proximo; voluptates conuiuiorum erant abolẽdæ. Quia captiuis, nulla voluptas. Et quod addit. *Fornicatione, &c.* Est causa prioris, idest abolenda sunt vestra conuiuia, quia idololatræ istis, id quod sæpè vates sitte, & alij inculcant, vt immanitatem sceleris patefaciant. Vt enim sunt quædam opera heroica, nunquam satis laudata, ita sunt peccata immanissimi, nunquam satis vituperata, quale est idolorum cultus. *Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius*, id est, statuerunt ex malefactis quæ patrauerũt principes illius populi, conciliare sibi ignominiam captiuitatis sempiternæ, & populis sibi commissis. Principes enim qui vocantur nunc protectores, quorum erat punire facinora plebis, non solum non coercuerunt, verum suffragati sunt peccatis plebis, consentiendo eidem, & verbo laudantes peccata, & opere eadem patrantes. Et ideò fuerunt causa ignominiæ suæ, & aliorum, itemque perditionis. Ais, forsan, principes potius auersabantur suam ignominiam, quomodo ait, *Dilexerunt afferre ignominiam.* Vtique affectu, non dilexerũt, imo odio habebat afferre sibi, & plebi ignominiam, at affectu, & studijs pessimis, hoc curabant coram Deo conciliare sibi captiuitatis ignominiam. ¶ Subsanando enim prophetas Domini, qui grauiter eos carpebant, & incumbendo suis delictis, quid aliud efficiebatur, quam afferre sibi ignominiam? Vt obstinato in peccato, dicimus tu vis æterno damnari: aut furi dicimus, tu vis suspendium, & ita de aliquis idem. Græca versio, aliter habet. *Dilexerunt ignominiam ex fremitu eorum.* Id vocat fremitum contra Deum, & Dei vates repugnantiam, & rebellionem. Quia supra admonuerat eos esse instar vaccæ rebellis, & indomitæ. Vnde in Psal. 2. Quare fremuerunt gentes, in eadem significatione accipitur. ¶ Alia translatio habet, *Gaudent*, (dicere) *afferre ignominiam.* Et refertur, ad auaritiam principium, qui gaudebant muneribus,

In diuinis literis vnũ & idẽ vsurpatur in bonum & in malum.

Cebres agnus & grex agnorum.

Ad Gal. 5.

Vatabli versio.

ribus, & corrumpebantur eisdem. Et hoc erat eis ignominiosum. At verò verbum Hebraicum, hîc positum Ahabu, à verbo Ahab, significat diligere, vel amare, vt Latina, & Græca habent. *Ligauit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificijs suis.* Sunt qui exponant, per spiritum hoc loco diabolicum spiritum, qui ligauit plebem illam, multis facinoribus eam obstringẽs. At verò, vox Hebræa, etiam ventum significat, Ruha. Vnde exponendus videtur locus ad aliam rationem, videlicet, vatem verbis istis insinuasse, quod Israelitæ, essent velociter abstrahendi, à solo, & patria sua, instarq; venti rapidissimi, qui frumenta collecta, in varias partes velociter dispergit, sic isti erant abigendi per orbem. Ventus autem metaphoricè, describitur habere alas in scriptura. Iuxta illud Psalm. 17. volauit super pennas ventorum. Alæ autem istæ denotant ventorum celerrimam velocitatem. Et ideò ait, ligauit, id est, vt impetuosus ventus hominem ligat, vt non possit, ire quo vult, sed aliò diuertit, quo nõ vult, ita Israelitæ erant ligandi, ab Assyrijs, & abducendi, quo ipsi nolebant. Aut si mauis, per hunc spiritum intelligere Assyriorum regem, & per alas exercitũ eius: nam exercitus instar alarum componitur. Rex igitur Assyrius ligauit populum illũ Israeliticũ, in alis suis, id est peracies suas, duxit eum captiuum, & tunc confudetur ex cultu idolorum, cum viderit, quod idola sua quæ sollicitè, & superstitiosè colebat, nihil ei profuisse, vt tantam calamitatem captiuitatis euaderet, & intelliget item Dei vates, hoc malum eidem prędicentes, vera prædixisse, & falsos vates, veris contradicentes, vana fuisse locutos. ¶ Metaphoricè vero, vocatur Assyrius spiritus, quia Assyrius instar venti rapidissimi, ex sufflauit, Israelitas. ¶ Demũ tu considera, quod quia dixerat in principio huius capitis, Deo esse litem, & iurgium, cum terræ habitatoribus, & terræ habitatores sunt partiti in tres status hominũm, scilicet principum, quorum est defendere, sacerdotes, & populares: & sacerdotum, quorũ interest orare pro regibus, & principibus: & popularibus & popularium, quorum est operam dare, vt valantur, & principes, & sacerdotes. Hos tres status notatos vides in hoc capitulo, videlicet sacerdotum, cũ quibus Domini fuit iurgium, dũ ait illis. *Quia repulisti scientiam, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi*, & item statum popularium, cum ait, *Populus meus in ligno suo interrogauit, &c.* Contra hunc statum, his Domini erat eadem, quæ contra sacerdotes, & pœna delicti subditur, *Ideò fornicabuntur filiæ vestræ, &c.* Demum contra reges, & principes, & magistratus populi his erat Domini, dum in fine ait, *Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.*

EXPLANATIO IN CAP. V. OSEE.

Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate: quia vobis iudicium est. Superiori capitulo, habitatores terræ vocabat Deus ad litem habendam cum illis, & iurgium, propter eorum delicta, & litem, & causam mouit, contra sacerdotes, & contra populares, & contra principes & magistratus: quia nullus status, erat immunis à culpa; imò omnes erant inuoluti maximis delictis. Nunc autem eosdem conuocat, ad iudicium, & quia iudicium, vt supra tradebamus non nunquam significat damnationem; ideò primus sensus est, vos omnes conuoco, ô sacerdotes, vos ô populares Israelitas, quos subaudit, sub illa oratione. *Attendite domus Israel.* Vos deniq; reges & magistratus, qui à rege habetis præsidentiã in administrandis populis, vos omnes conuoco vt audiatis iudicium, id est condemnationem vestram. *Vobis est iudicium, id est, damnatio.* Quasi dicat, vobiscum contendebam superiori capite, & causam iustam me obtendisse contra vos, patuit capite superiori, ideo modo subditur damnatio. Quoniam sacerdotes populares, & principes ceciderunt à causa sua. Alius sensus est, vobis sit iudicium, id est, sit apud vos iudicandi causam hanc quam modo capite superiori iudicium. Causam suam Deus ostendit esse iustissimam, quam tradit suis reis iudicandam. At verò prior sensus, non abhorret à veritate. Siquidem verbũ Hebræum Mispat, à verbo alio deriuatum sapat, quod iudicauit significat, vnde Sopet iudex, vnde Mispat non solum iudicium contradictorium significat, sed etiam vindictam delicti, siue condemnationem, decretum,

cretum, constitutum, & ius ipsum aliquādo denotat, vt habetur in lexico Hebraico. Cæterùm mihi videtur sensum priorē miscendum cum posteriore vobis, scilicet sit iudicium, id est delicta vestra enormia vos ipsi iudicate. Tanta enim eorum atrocitas, & enormitas, vt vestra conscientia teste, sint damnabilia. Quod verò ait, Audite, Attendite, Auscultate causæ contra Israelitas grauitatem, facili indicat, ideo vt rem exaggeret, multiplicat attentionē significantia verba. At verò forsan, exquiret aliquis, quid est quod ait, *Audite hoc sacerdotes?* Siquidem nō erant sacerdotes, apud Israelitas. Nam vt supra tradebamus, Hieroboam, reiecit sacerdotes, ex genere Leuitico. Respondetur, quod Hieroboam expulsis sacerdotibus Dei, ex promiscua plebe, constituit idolorum sacerdotes, & est consuetudo scripturæ, res vocare, appellatione vulgata, vt appellat falsos prophetas, prophetas & falsos sacerdotes, item appellat sacerdotes, vt falsos deos, deos appellat. Quoniam loquitur, vt vulgus solebat loqui. *Quoniam laqueus facti estis speculationi.* Exponit iam crimina, dicens vos laqueus facti estis, id est paratis laqueum speculationi. Hoc est appellatiuum nomen, & Hebraicè habetur Mizpa, vt sit hæc litera, laqueus facti estis in Mizpa. Et Mizpa, & Tabor nomina propria montium altissimorum sunt, qui erant in terra sancta. Et quia inde poterant procul res spectari, & speculari, ideo eis congruebat appellatio speculationis, vel speculæ. ¶ In istis autem montibus, aucupes, & venatores retia, & laqueos, vt fertur extendebant, ad auium, & bestiarum capturam. Et quia eodem modo sacerdotes Israelitarum docebant plebem, vt idolorum cultum amarent, & suis rationibus sophisticis pessimum cultum persuadebant, ideo laqueum parabant, & retia extendebant ad decipiendas animas. Nam ratiunculæ, & argutis sophisticæ, quibus imponitur miseris insipientibus, satis aptè per laqueos & tendiculas captiosas, significantur. Nicolaus in alium sensum flectit locum hunc, Facti estis laqueus speculationi, id est, vestris technis, auertitis homines ab speculatione in Deum vera & syncera. Aut dicere poteris, abstractū hoc loco, vt sæpè alias in scripturis sanctis vsurpari pro concreto, speculatio pro speculatore. Erant autem speculatores illius populi sancti prophetæ, vt Ezechiel nos admonet fili hominis speculatorem dedi te domui Israel. Quia ergo Israelitarum reges, carceri tradebant prophetas, eos ligantes, & in necem mittentes, ideò rectè ait laqueus facti estis speculationi, vnde Dominus Matth. 23. Hoc idem insinuās ait, Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Porrò autem, hic sensus, & illi conuictus, vtique apti sunt si tropologicè ludamus, verum literalis sensus, neuter horum est, siquidem, Mizpa, vel aliàs Mazpa, mons est in tribu Iuda, scilicet, in confinio Beniamin, & Iuda, cuius sit mentio, Iosue. 11. ibi enim meminit campi Mospha. Et Tabor item est mons in tribu Isachar. Iosue. 19. hos duos montes esse editissimos memoriè proditum est. Itemque in huiusmodi montibus tendiculas, extendi solitas, capiēdis auibus, & feris. Vnde vel oportet dicere vatem huiusmodi venationem, & aucupium trahere, in similitudinem, vt sacerdotum doceret iniquitatem qui suis captiunculis sophisticis, Israelitas decipiebant ad cultum idolorum. Vt sit sensus ò vos sacerdotes, & primates populi Israelitici, similes estis venatoribus, & aucupibus, quilaqueis suis, & retibus in monte Mizpa, & in monte Tabor, capiunt securas aues, securasque feras. Nam eodem modo vestris deceptionibus capitis miseras Israelitarū animas. ¶ Aut si aliter mauis exponere, cum Hebræis, scito Hebræos tradidisse, Hieroboam cum suorum consilio magistratuū, postquam regnū obtinuit decem tribuū, extruxisse in istis montibus hortos, & arces, ibique collocasse speculatores, qui aduerterent, si quis ex regno suo pergeret Ierosolymam sacrificaturi in templo Dei, & habuisse in mandatis, vt hos interficerent. Et propterea ait, laqueus facti estis in Mizpa, & sicut rete expansum super Tabor. Hæc fuit tyrannis Hieroboam, qua item vtuntur omnes tyranni principes, si contēdant ad sectas suas iniquas plebes trahere, necibus enim & carceribus, & vinculis, exilijs & alijs hoc genus malis, illud facere sedulo curant. Etenim religio falsa, cum orbetur soliditate veritatis, machinamentis prorogatur iniquitatis. At verò Christiana religio, quia diuina veritate est suffulta, nō istis à sanctis Apostolis fuit propagata turbulentis malis, non istis multiplicata cruēntis vexationibus, sed prædicatione diuini verbi, & miraculis diuinæ potestatis. Nemine

Mizpa speculatio interpretatur, vel speculatores.

Capit. 33.

minē sanè coegit Christus ad se, & omnes Christus traxit ad se. Non fuderunt sancti Apostoli sanguinem hominum, nō eos in carcerem miserunt, aut fame, aut siti, aut inopia oppresserunt, vt vi coacti crederēt, imo contrà ipsi famem, & sitim, & nuditatem, & denique mortem sustinentes legē vitæ, & veritatis, impresserunt in cordibus hominum. ¶ Vtique sanctis Apostolis, & alijs discipulis domini laqueus facti sunt principes mundi, & huius sæculi sapiētes, illis rete extenderunt, imo prius ipsi domino & magistro Christo, Pharisæi & Scribę, laqueus facti sunt, & illi expanderunt rete suum, & credentes se dominum in laqueo suo, atque retibus compræhendisse, quando eum morti tradiderunt, rupit mirabiliter ipse mortis laqueos, & rete expansum ignominiæ crucis dissoluit, gloriosus resurgens à mortuis. ¶ Itemque Apostoli & Discipuli Domini, laqueos & retia sæculi, contriuerunt. Quia principes, & proceres huius sæculi, Christo subdiderunt. Porrò Satanas, omnibus etiam fidelibus factus est laqueus, & rete expandit suarum deceptionum, vt nos capiat, & auertat à veritate Dei, & sanctorum morum studio. Vnde de S. Antonio illo Alexandrino memoriæ proditur, quod cum esset in extasi suæ in Deum contemplationis, vidisse totum orbem retibus implicatum, & continuo clamasse, Domine quis me eripiet à tot retibus? Responsumque eidem esse, humilitatem animi, soluturam esse mundana retia. Quas Hieroboam, id est, diabolus tēdit in orbe, ne verò Deo sacrificemus sacrificium laudis, & vere dictum est humilitatem, dissoluturam huiusmodi retes. Siquidem in montibus altis tenduntur huiusmodi laquei, hocque genus retes, vt dudū aiebamus. Nam superbi sunt, qui illaqueātur, & irretiuntur à diabolo, non humiles, & mites corde. Deus enim superbis resistit humilibus autem gratiam dat. Et Christus monet Matth. 11. vt discamus ab eo non facere miracula, sed humilitatem, & mansuetudinem. Discite inquit à me, quod mitis sum & humilis corde. Et Paulus seduló, & sæpè idem hortatur dicens, Noli altū sapere, sed time, Rom. 11. Humilis enim spiritu timet Dei iudicium, & offensam, at elatus vero nihil timet, sed modo sibi indulgeat, præcepta Dei negligit. Et demum Dauidico carmine exhortamur ad humilitatem obseruandam. Ait enim, Cor cōtritum, & humiliatum non despicies. *Et victimas declinastis in profundum, & ego eruditor eorum.* Vestra ea est petulantia, vt victimas mihi offerendas, quas inquam mihi Israelitæ veri conabantur offerre, adducendo eas in templum meum, vos tamen vestra perfidia, & vestris captiosis suadelis, declinastis victimas, id est fecistis, vt oblaturi mihi illas, non offerrent mihi, sed hosti meo Satanæ, declinastis sanè in profundum, id est vteātes, profundis & subtilibus captionibus, apud imperitos. Vtebantur enim hac fraudulenta argutia, vt declinarent victimas, ne offerretur Deo vero. Aiebant enim, quod quæ ipsi in cultū idolorum offerebant, etiam offerebant Deo vero, vt sit sensus, victimas Deo offerre declinabant, vtendo profunditate, id est, subtili quam diximus argutia. ¶ Hebraicè, vero aliter habetur. *Mactare apostatare profundauerunt.* Est que mutatio personæ, at cum eisdem Israelitis loquitur, id est, Israelitæ apostatæ facti à Deo, recedentes à legitimis Dei, mactare victimas, profunda argutia excogitata, solebant dicentes se Deo offerre, quod idolis erat immolatum. Græci autem multum discrepant, ab Hebraica litera, & difficiliora sunt intellectu, quā Hebraica, & si Hebraica, non sint perspicua. *¶ Et ego eruditor omnium eorum.* Hebraicè, ego disciplina eis omnibus. Et sensus est apertus, & si callidis cogitationibus vtantur, ego tamen omnia noui, & non me latet profunditas eorum, vt suo tempore de eis pœnas sumam. *Aut ego eruditor*, id est, & si vtamini contrà calliditate, & fraudulenta profunditate, nihilominus ego curaui vos erudire, & auocare à vestra prauitate, per meos prophetas. *Ego scio Ephraim, & Israel non est absconditus à me: quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel.* Omnia esse patentia Deo, scripturæ diuinæ vbique clamant. Nam antequam fierēt vniuersa, Deo ab æterno parebant. Vt artifici nota est domus, quam intendit facere. Siquidem operant per intellectum notum est quod operatur. Deus autem omnia est fabricatus non per naturam, vt ignis ignē alium generat, sed per intellectum vniuersa condidit testante Psalmo, Qui fecit cælos in intellectu. Quoniam in sæculū misericordia eius. Et Diuus Ioannes, omnia facta fuisse per Dei verbū fatur. Ideo modo ait, *Ego scio Ephraim, id est, Israelitas,* qui dicuntur Ephraim, quia Hieroboam, Ephrai-

Psalm. 50.

Allegoricus sensus.

Tropologicus sensus.

Humilitas dissoluit laqueos & diaboli retia.

Operanti per intellectum notū est opus, q̄ est operatur secus de operante per naturam.

Ephraimita fuit eorum rex primus apostata. Et quod sequitur repetitio est prioris, quia omnia sunt nuda, & aperta coram Deo, *Nunc*, cur ait nunc dicet aliquis, cum spatio. 242. annorum moram traxit inter Israelitas fornicatio spiritualis, de qua modo fit sermo? Respondetur sensum esse, nũc post admonitiones crebrerrimas meorum prophetarum, quando debuissent resipiscere, facti sunt impudentissimi, & obstinatissimi, vt iam de illis sit conclamatum. Vnde subdit. *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominũ non cognouerunt.* Deus qui omnia ex sua infinita scientia nouit, nouit etiam qui sunt eius, vt Paulus ait, & nouit, qui non sunt eius. Ideò, optimè nouit ab æterno, ex peccatorum numero, qui finaliter pœnitebũt, & qui impœnitentes in postremo spiritu erunt. Quare ait modo vates, Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Dominum. Idest, non se disponent, per pœnitentiam, & sancta opera ab obtinendam veniã suorum criminum. ¶ Vbi tu vides, quam stolidus sit Lutherus affirmans liberum arbitrium esse, nominetenus liberum, quia reuera apud ipsum non est liberum, sed seruum. Respondeat igitur, quid est hoc, quod ait propheta, non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum? Si necessario non dabunt, cur repræhenduntur, quod non dent, si autem iustè à Deo repræhenduntur, quod non se disponunt per pœnitentiam, & bona opera, vt veniam cõsequantur, igitur poterant se disponere, vt potuerunt se non disponere, & obstare diuino vocanti ad pœnitentiam spiritui. Id quod ex subiunctis manifestum item fit. Quia inquit spiritus fornicationũ, in medio eorum. Ex eo igitur non se disponent, quia propensi sunt ad fornicationes, ex diutina consuetudine, vel potius corrupte la corrupti. Quia igitur voluntatem habẽt promptam, ad fornicationem spiritualem, ideo non dabunt cogitationes suas, id est, non apponent studium suum, vt conuertãtur ad Deum suum. Siquidem, amans peccatum, & nolens ab eo cessare, non studebit conuerti ad Dominum. Quia Deus & peccatum, sunt inuicem opposita, vt lux, & tenebræ. Qui ergo in tenebris versari amat, odio habebit lucem. Primus igitur gradus est conuertendi ad Dominũ odio habere peccatum, quia quandiu hoc amatur, quandiu est in medio nostri, id est, in affectu nostro, non possumus diuinæ cogitationes, easue impendere, ad obsequium Christi. Postquam autem peccatum excusserimus ab affectu nostro, per dolorem vitæ ante actæ in peccatis, tunc oportebit, animum innouare, ad meliorem vitæ frugem, nosque subijcere, re vel voto ecclesiæ clauibus. Nam qui hæc non præstat, non dat cogitationes suas, vt reuertatur ad Deum suum. *Spiritus*, idest, Pseudoprophetis credunt, vel aliter, id est, animus propensus ad idololatriam, est inter eos. Hoc enim sibi vult in medio ipsorum, id est viget inter eos. ¶ Similiter & ille locus, in medio ecclesiæ aperuit os eius Eccles. 15. id est, in ipsa ecclesia Dei, aperuit os suum. Et est phrasis familiaris scripturis. Non enim significat loci positionem, videlicet, quod in puncto medio ecclesiæ aperuerit os suũ, sed quod in ipsa ecclesia potenter docuit, vt etiam illud, Eripuit animam meam de medio catulorum leonũ, dormiui conturbatus, id est, cùm essem inter catulos leonum. *Et Dominum non cognouerunt.* Israelitæ cognoscebant sanè Dominum esse Creatorem cæli & terræ, verum, quia non amabant Dominũ super omnia, quippe qui colebant idola. *Et respondebit arrogantia Israel in facie eius: & Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis.* Metaphoricè ait respondebit. Enimuerò propriè respondere est rationalis creaturæ, arrogantia vero, vel superbia, non sunt rationalia, ideo nequeunt respõdere cum sint quædam accidentia. Verum respondere nunc vsurpatur pro pœna correspondente peccatis. Nam quando qualis quis agit, talia patitur. Et rependitur condigna pœna peccato illa condigna repẽsio vocatur responsio. *Respondebit*, id est, ego rependam Israelitis pœnam, quam ipsorũ superbia commeruit. *In facie eius*, idest, animaduersio Israelitarum, qua ego animaduertam in eos erit publica, & notoria, & Israelitis, & alijs. *In facie*, id est facies Israelitarum pudefient ex diuina animaduersione quam exercebit in eos, pudor enim in rubore vultus demonstratur. Quæ autem sit ista animaduersio, subdit *Israel & Ephraim ruent.* Ruina hæc fuit, quia deposuit eos deos à celsitudine regia, qua fulgebant: & traditi sunt in perpetuam captiuitatem, & eorum regnum fuit translatum ad Assyrios: Quoniam Assyrij sunt dominati

Hebr. 4.

2. Tim. 2.

Lutherus refellitur

Liberũ arbitrium titulo, & veritate liberum est.

Spiritus pro animi vel voluntate.

Psalm. 58.

nati eorum, vt supra visum est. *Et ruet Iudas.* Duæ nanq; tribus Iuda, & Beniamin quia eodẽ scelere sunt cõtaminatæ cũ de cẽ alijs tribubus, ideo eãdẽ ruinã regni, & eãdẽ captiuitatis calamitatẽ sũt experti. ¶ *Et respõdebit arrogãtia.* Arrogantia descẽdit à verbo arrogo, & vitiũ hoc afficit, qñ homo sibi arrogat, qđ non debuisset arrogare, quia nõ suũ, sed alienũ est. Et est quã doq; venialis culpa, vt cũ quis profitetur se esse opulentum, cũ alioqui sit pauper, aut esse nobilem, cum alioqui sit de genere obscuro. Iam vero est crimen, quando sibi arrogat aliquid, cum alterius notabili dãno. Vt qui diceret iureiurando se magnas habere in patria sua diuitias, vt decipiat puellam opulentam, vt sibi eam copulet matrimonio: cũ alioqui ille sit valde pauper. ¶ Israelitæ autem à Deo culpantur de arrogantia, siquidem sibi arrogabant libertatem, à Dei lege, & à diuino syncerocq; cultu. Id quod erat summi sceleris arrogare sibi exemptionem à diuina lege: id quod creatura nulla potest sibi arrogare. Alia litera habet pro arrogãtia fastus, & vtiq; admodum fastuosi, & tumidi erant Israelitæ, qui relicto Dei veri cultu, quem maiores eorũ in deserto amplexi sunt, nulla vi coacti, sed spõtanei, & vltronei, diuino se subigentes iugo Exodi 34. Omnia aiunt faciemus quæ locutus est nobis dominus. Nihilominus cultum hunc quem maiores Israelitarum probauerunt, & libenter sunt complexi posteri, reliquerunt, id quod summi fastus, & peruicaciæ erat. *Respondebit*, respondere in facie peccatũ aliquod, est clarè cognoscere delictũ, cõscientia illud dictãte. Nam cõscientia, etiã prauissimorũ, dictat scelere se esse cõtaminatã. Nã vermiculus cõscientiæ, id est dictamẽ, & rõnis scintilla, quæ intra nos semper viuit, mordet, docendo malũ esse relinquere dñm. Quod si in dãnatis testãte Isaia vlt. vermis hic nõ extinguitur, neq; in viatorib⁹ quãtũlibet pessimis extinguitur. Vnde Cain de interfecto fratre momordit cõscientia, & Iudã inquisimũ, cõscientia cõtinuo accusauit, & testimoniũ tulit cõtra autorẽ de tanto patrato in Christum dñm scelere. Vnde ait, palam, Peccaui tradẽs sanguinẽ iustũ. Inuenimus quoq; etiã alibi, respõdere peccatũ peccatori. Etenim Isaiæ 59. Peccata ait, nostra respõderũt nobis, & apud Ieremiam 14. Si responderint nobis iniquitates nostræ. Respondent enim peccata nobis bifariã, altero modo per diuinã vltionem, quã sumit condignã de peccatis nostris. Hoc est enim respondere, condigna pro meritis pati. Alio modo respondent nobis, nos accusando, & torquẽdo intrinsecè pro malefactis. Et hæc quoq; est Dei vltio interior, vt prior erat exterior. Etenim rectè Augustl. libr. confess. tradidit, iusisti domine, & ita est, vt quilibet peccator, ipse sit sibi pœna. Nam conscientia, vehementius accusat, & accusando prauius torquet, quam mille testes accusare possunt. Quia nemine loquente, nemine accusante, ipsa se accusat. At obijcis, quid ergo est quod sapiẽs loquitur, impius cũ in profundũ peccatorũ venerit, contemnit. Sanè, contemnit etiã propriæ cõscientiæ accusationẽ. *In gregibus suis, & in armẽtis suis vadent ad quærendum dominũ: & nõ inuenient, quia ablatus est ab eis*, cõmune est afflictis vndecunque quærere sibi salutis præsidia. Vnde fertur Turchitas fœminas sub grauitate partus, postquã suũ pseudo uatem inuocauerint, si adhuc partus difficultas premit, sanctã virginẽ implorare, à cuius alioqui fide & honore sunt alieniss imæ. In quẽ modũ istis Israelitis acciderit, ad uertẽtes enim, se à suis vitulis quos adorabãt, nõ habere adiutoriũ, instãte Assyriaca captiuitate, quærũt præsidia salutaria à Deo quẽ tñ ipsi spõte reliquerũt. Et eũ vrgẽte suæ extremæ miseriæ articulo placare sacrificijs curant, mactatis ouibus ex gregibus suis, & capris, & bobus, ex armẽtis suis, cũ alioqui nõ poterãt ad eã rationẽ Deũ verũ placare. Siquidẽ apud illos nõ erat verũ sacerdotiũ, nã Ieroboã, sacerdotes veros à se expulit, vt 2. lib. Para. 11. demõstrat. Et rursus, apud eos nõ erat tẽplũ Deiveri, vbi solũ licebat, Deo hostias pacificas, & p peccatis immolare. Deut. 12. Vnde non sunt exauditi, quia Deus ablat⁹ erat ab eis, videlicet, quia Deus ob immania facinora eorũ subtraxerat suũ fauorẽ ab eis. *Ad quærendum*, sanè omnis q quærit inuenit, & omnis qui petit accipit, & pulsanti aperietur: vt euãgelica admonet lectio. Si tñ, quod regius prædixit vates, executiõi mãdet. Prope ait, est dñs omnibus inuocãtibus eũ, inuocãtibus tñ, eũ in veritate idẽq; est de petẽte, & pulsante, si petit, & pulsat in veritate. Est autem inuocare dominũ in veritate, animo fideli, & syncero, & Deo obedienti, Deum inuocare. At vero isti Israelitæ non inuocabãt diuina auxilia, animo huiusmodi, sed solum

Peccata in arcano peccatoris latentia respõdẽt, suo autori.

Affricti vndecũq; querũt suę afflictiõis præsidia.

Matth. 6.

Psal. 144.

Quid sit inuocare Deum in veritate.

Arrogãtia iam venialis est, iam mortalis.

Quomodo respondet peccatum peccatori.

ſolum animo euadendi ex Dei ope calamitatem eis impendentem, quam ſi euaſiſſent, mores nihilominus non corrigerent, ſed in ſua perfidia perſtitiſſent. Qualis eſt animus Turchicarũ, vt diximus fœminarum. Inſtar eorum, qui marina tempeſtate, periclitãtes, vota Deo, & ſanctis eius, ardentiſsimè nuncupant, quã tamen ſimul atq; euaſerunt. obliuiſcuntur & periculi, & votorũ. ¶ Legimus item in lib. 2. Machab. cap. 9. Antiochum illum ſuperbiſsimum, diuina admonitũ plaga, Deũ verum inuocaſſe, in præſulem ſuũ. At vero ſubdit ſcriptura, orabat autem, hic ſceleſtus dominum, miſericordiã à quo non eſſet conſecuturus. Nimirũ quia hic Antiochus, orabat, eodem modo, quo Iſraelitæ ſacrificabant, ad placandum dominũ. Qui omnes, non in veritate orabant, aut ſacrificabant, ſed ſolũ eo animo, quo præſentia euaderent mala, quæ ſi euaſiſſent, non melius ſapuiſſent, ſed in priſtino errore permanſiſſent. Vnde Iacob. 4. ſcribitur, Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis. Et explicãs, cur malè petebãt, ſubdit, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis. ¶ *In dominum præuaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt: nunc deuorabit eos menſis, cum partibus ſuis.* Subdit cauſas, cur dominus ſubtraxerit ſuum præſidium ab eis: primo ſubaudi, *Quia in domino præuaricati ſunt*, id eſt Deum reliquerũt, & idola coluerunt. ¶ At inculcat hoc ſcelus vates, & quia horrendiſsimũ eſt, colere creaturam, neglecto creatore. Et quia eſt radix, omnium ſcelerum. Ablata enim religione veri Dei, innumera reſultabunt in homine delicta. Nanque religio Dei vera continet hominem in officio, quod Deo debetur. Et ſecundam cauſam adhibet, *Quia filios alienos genuerunt*. Bifariam exponito, aut quod cum parentes execrata idolorum religione eſſent imbuti, eandem quoque inſtillarunt in ſobolem, & ideo alienæ, id eſt falſæ, & non veræ religioni eos mancipauerunt. Nam ex eo vocat ſcriptura eos filios alienos, quia alienæ, à veritate religioni erant mancipati. Vnde illud, filij alieni mentiti ſunt mihi, claudicauerunt à ſemitis ſuis. Nimirum mentiti ſunt Deo, quia Dei veram religionem quam maiores eorum profeſsi ſunt in deſerto Ægypti, ipſi negauerunt, ideo mentiti ſunt Deo, vnde claudicauerunt in ſemitis ſuis, quia vt dudum aiebam ſubmota vera religione, greſſus hominis in viã æternam, ſunt claudicantes, & non recti. Quia tametſi infideles quædam poſſunt præſtare opera bona, quæ natiua ſuadet ratio, at vero nihil meritorium vitæ æternæ efficere valẽt. Hoc idem præuidens ſcriptura futurum Deuteronom. 32. Immolauerunt dæmoniis, ait, & non Deo, dijs quos ignorabant. Recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Secundo expones, filios alienos genuerunt, id eſt, commiſcentes connubia, cum Moabitis, Idumæis, Ægyptijs, Amonitis, &c. Genuerunt filios degeneres, à Iudaica religione, & nobilitate. *Nunc deuorabit eos menſis.* Nunc, ſpacium breue ſignificat, quaſi dicat, iam inſtat vobis veſtra extrema miſeria, atque deuaſtatio. *Menſis*, id eſt in menſtruo ſpacio delebimini, id quod vel dicitur ſecundum hyperbolen, vt ſignificaret ſcriptura occyſimam futuram eſſe illis calamitatem. Aut, vt Hebræis arriſit, ſubaudit menſem Iulium, quia in hoc menſe Iſraelitæ fuerũt peſſundati, & templum primum, & ſecundum deuſta. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, vlulate in Bethauen.* Gabaa, ſeu Gaba ciuitas in ſorte Beniamin vicina Ephraim. Vnde dicebatur Gabaa Beniamin 3. Reg. 15. cuius mentio fit Ioſue 15. Item Rama ciuitas in eadem tribu Beniamin Ioſue 18. & Iudicũ 19. non procul à Gabaon, & vicina item Ephraim eademque Ramatha, & Ramathaim, quæ alia appellatione appellatur Arimathea. Bethauen vero, aut Bethauam, vrbs quædam in Chananæa terra, in tribu Ephraim, & alia in tribu Beniamin. ¶ Vates ergo, quia dixerat, *nunc menſis deuorabit eos*, quo ſermone ſignificabat celerem deuaſtationem Iſraelitarum, idem etiam alia vtens ſermonis forma ſignificat. Enim vero, quando hoſtium acies, cernuntur aduentare, continuo, qui ſunt in præſidijs, & ſpeculis, tubis clangunt, vt clangore tubarum, excitent ciues, vt adornent pugnam contra aduentantes hoſtes. Et non ſolis tubis, id ageba tur olim, ſed & buccinis, vt frequenter diuinæ literæ oſtendunt.

Pſalm. 17.

Gabaa Beniamin.

Gabaa & Rama propinquæ erant inimicæ Iud. 19.

¶ At vero quãdo ciues ſentiunt ſe ſuperãdos ab hoſtibus, & quod fruſtra pugnabitur, contra vim hoſtilẽ tunc vlulant, & flent imminẽtes cædes, & captiuitatem. Quam ob rem, vates ait, clangite buccina in Gabaa, id eſt, vos Beniamitæ clangite tuba, in Gabaa, quæ dicebatur Saulis, excitate deſides ad arma capiẽda. Voſq; Ramei, idẽ præſtate. Voſq; Bethaniſtæ, optimè facitis vlulando, quia hoſtis potentiſsimus Nabuchodonoſor, p foribus eſt, vt rapiat, mactet, & diperdat vos. Sub iſtis verbis, nõ ſolum Iſraelitas ſubaudit, ſub Bethauã, quia diximus Bethauẽ, eſſe Bethel quæ ſitum habebat, in ſortibus decem tribuũ, ſed etiã ſubaudit Iudæos, ſub Gabaa, & Rama, & quia iſtæ vrbes erant proximę Ephraimitis, ideo prouocando illas, ad claſsicũ, mouet Ephraimitas, vt idem præſtent. *Poſt tergum tuũ Beniamin*, id eſt, caue ò Beniamin, quia à tergo tuo eſt tibi hoſtis tuus. Nã decem tribubus abductis in captiuitatẽ, Beniamitæ, impendentẽ habebant item ſuã miſeriã. *Ephraim in deſolatione erit, in die correctionis, in tribubus Iſrael oſtendi fidem.* Vocat diem correctionis diem, in quo erat Deus vlturus ſceleratorũ Iſraelitarũ, quos vocat Ephraimitas, propter cauſam ſæpè repetitã. Tũc enim corripuit eos Deus, in ira ſua, quia noluerunt, frui Dei miſericordia. Tuncque vera oſtenſa ſunt verba ſanctorũ Prophetarũ, qui, non ſtu interdiuq; proclamabãt, vt ſe auerterẽt à vijs, quas terebãt peſsimis, quod ſi rebelles eſſent, Deũ ſumpturũ de eis acerbas pœnas. Illi autẽ fallacia exiſtimabãt eſſe verba huiuſmodi: quãdo autẽ venit dies correctionis, & horrẽdæ vltionis, oſtendit Deus fidelia fuiſſe verba ſuorũ Prophetarũ, quæ habebãt ad Iudæos, & Iſraelitas. Iſtud ergo eſt, oſtendi fidem, id eſt demonſtrabo tũc (quia vſurpatur præteritũ pro futuro) fide plena, fuiſſe, quæ mei vates, in meo nomine ſunt vaticinati. Alia tranſlatio Vatabli, clarius habet, *Oſtendi veritatẽ facti ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum, ſuper eos effundam aquam iram meã.* Scribitur Deut. 19. Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui. Contra hoc Dei mandatum proceres Iuda, & ſubaudi & proceres Beniamitas, quia vt ſæpè diximus, ſub Iuda, cõprehenditur tribus Beniamitica, præterierunt. Si quidem ſimul ac viderunt Iſraelitas, abactos in Aſyriacam captiuitatem, & terram eorum deſolatam hilares occupauerunt eorum terram. Damnumque Iſraelitarum, ſuum eſſe lucrum arbitrati ſunt. ¶ Et iſtud procedebat ex eorum auaritia, nam auari erant, & ideo non contenti ſuis, aliena appetebãt. Ideo in pœnam eorum ſubditur, *Effundam ſuper eos*, id eſt contra eos quaſi aquam quæ effunditur ex vaſe, tota in terram, *iram meam*, id eſt meam vindictam veſtri ſceleris. Et quoniam, non ſolum ob auaritiam Iudæi ſunt ducti in captiuitatem, ſed etiã propter idololatriam, vt hoc ſignificet ſubditur, *Calumniam paſſus eſt Ephraim, tra ctus eſt iudicis: quoniam cæpit abire poſt ſordes*, ſubditur, *Quoniam cæpit*, id eſt inſtituit, & deliberauit abire poſt ſordes, id eſt, poſt idola quæ colebant gentes. Sordes enim in ſcriptura, abominationẽ idolatriæ ſignificant. Deuter. 29. tranſeuntes vidiſtis abominationes, & ſordes, id eſt, idola eorum, lignum & lapidem, argẽtum & aurum, quæ colebant. Græca habent, cœpit abire poſt vana: & idem eſt, quia idolum nihil eſt, & vanitas eſt. 1. Corinth. 8. Scimus quia idolum nihil eſt in mundo. Hebraicè vero, pro ſordibus habetur vox ſignificans præceptum. Nam Miſuat, idem quod Sau, mandatum eſt, ſeu præceptum. Et ſenſus eſt, vltro abierunt iſti proceres poſt præceptum Ieroboam, qui præcepit adorare idola Iſraelitis, & idem ſunt ſecuti Iudæi, *calumniam*, id eſt violentia & fraude oppreſsi ſunt Iſraelitæ, fracti ſunt, & diſsipati ex diuino & infallibili iuſtiſsimoq; iudicio. Verũtamen, quod ſic fuerint oppreſsi, quod ſic fuerint fracti, peccata eorũ cõmeruerũt: quia prætermittentes iuſtiſsima Dei mãdata, ſecuti ſunt mandatũ impijſsimi hominis, ſcilicet Ieroboam. ¶ Obijcies, Ieroboam, nõ erat rex Iudæorum, quomodo ergo ſecuti ſunt eius præceptũ. ¶ Reſpondetur, Iudæos, non fuiſſe ſubditos Ieroboam, ſed nihilominus, ex ſua prauitate ſecutos fuiſſe idola, vt Iſraelitæ ſecuti ſunt ex mandato Ieroboam. ¶ Et quidem hac tempeſtate, Lutherus fuit alter Ieroboã, hic enim diuiſit regnũ Dauid, quod erat regnum à Deo inſtitutum, & ſtabilitum. Et non erubuit, impudens erigere caput contra dominum ſuum Salomonem: & iecit contra eum calces, arripiens ſibi decem tribus, quibus imperaret. Lutherus quoque, contra ſummum Põtificem, ſe erigens, multa probra in eum coniecit iniuſtiſsimè, & Eccleſiam ſanctam, quæ vnitatem fidei, & charitatis profitetur ipſe diſcidit: arripiẽs ſibi bonã partẽ Germanorum, Anglorum, & Gallorũ, quos omnes inſtituit, vt adorarent vitulos aureos, quos ipſe colendos inſtituebat. An

Reg. 13.
2. Reg. 2.

Abominatio & ſordes in ſcriptura idololatriam ſignificãt.

non rectè dixi vitulos esse aureos, libri quos ipse excusit fulgentes eloquentia, inani quos ita excolunt sui discipuli, vt arbitrentur esse colendos, vt Christi euangelia. Porro autem suspicor, eundem exitum habituros hos Lutheranos, quos Israelitas habuisse noster Oseas nos docuit: Patientur enim aliquando (quando scilicet fuerint completæ iniquitates eorum) vim ab hostibus Christi, & calumniam, & tunc frangentur Dei iustissimo iudicio: quoniam cæperunt, id est, vltro nemine cogente, amauerunt sordes: id est vanissimam & sordentem doctrinam Lutheri, an non vana doctrina est, quæ pessumdat neruos ecclesiasticæ disciplinæ? quæ vota Deo nuncupata cõtemnit? quæ monasticam vitam ridet? quæ opera bona nihil esse contendit? quæ merita ad Deum esse inficiatur? quę sacramẽta Christi eneruat, quæ solã fidem neruosam credit? quasi vero, credere diuinis literis satis sit ad salutẽ, quas opere non cõpleueris. Quãdoquidẽ fides, ideo tãti fit quia ipsa nos docet, & instruit, in agẽdis & cauẽdis secũdũ Deũ. *Et ego quasi tineæ Ephraim, & quasi putredo domui Iuda*, quos sociat delictum, æquũ, vt societ supplicium. Quia igitur Iuda, & Ephraim, socij erãt in Idolorũ cultu, Socios futuros in supplicio prædixit. Obseruauit autẽ Israelitas, esse primo ductos in captiuitatem, Iudæos vero postea ideoque captiuitatẽ Israelitarũ cõfert consumptioni quę fit à tinea, at vero deuastationẽ duarũ tribuũ cõparat exesioni, quæ fit à putredine. Et si litera Hebræa nõ putredinẽ, sed teredinem habet, vel cariẽ. Est autẽ differẽtia inter hæc duo animalcula. Siquidem tinea mollia depascit, vt vestes, & pannũ. Porrò teredo duriora exedit paulatim, vt lignũ. Et multo citius tinea deuastat vestes, quã teredo ligna, quia ergo Israelitæ erãt effœminati, vt supra diximus, mollẽ enim & deliciosam degebãt vitã: at vero Iudæi nõ adeo molles, quia magis perstiterũt in fide Dei propterea, aut Israelitas cõsumendos à tinea, & Iudæos, à teredine. Fuit autẽ tinea, Israelitarũ rex Assyrius, vt teredo Iudæorũ, Nabuchodonosor. Hæc duo animalcula exprimũtur Prouer. 25. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. At forsan mirabitur quispiã, cur Reges potentissimos Assur, scilicet, & Nabuchodonosor vermiculis vilissimis cõfert scriptura? Sanè vel quia etiam potentissimi vermes sunt corã Deo, vel quia imperiũ Assyriũ, erat cito labefactãdum, & imperium Chaldæorum non diu subsistit. Quippe, non protractiores habuit moras, quã vsq; ad septuagesimũ annũ. Aut quia sicut vermiculi isti, non statim cõsumũt, quod depascũt, nã tinea sensim exedit vestimenta, & teredo ligna: ad eandem rationẽ, & Rex Assyrius, non primo impetu abegit Israelitas. Sed sensim, vt supra docuimus ex 3. & 4. lib. Reg. & item tribũ Iuda nõ ex primo impetu Nabuchodonosor deuastauit, sed paulatim. Primo enim sibi subiecit Ioachim, dein Ioacin, tandẽ Sedechiã transtulit in Babylonẽ cũ tota Ierosolyma, vt supra demonstrauimus. Propter igitur morosam dissipationẽ horũ regnorũ cõferũtur vermiculis, qui morosè etiã consumũt vestimenta, & ligna. ¶ At obijcit, cur ait, Ero, quasi tinea, nõ enim ait, Assyrius erit quasi tinea, vel Nabuchodonosor erit teredo, sed ego ero &c. Respondetur, quod duos per Reges commemoratos, dissipauit regna duo commemorata, ideoque Deus, accipit in se ipso similitudinem, & tineæ, & teredinis, quia horũ vermiculorũ officia gessit, per Reges prædictos. *Et vidit Ephraim languorem suum, & Iudas vinculum suum.* Vidit pro cito videbit, id est, proxima est iam calamitas Israelitarũ, & calamitas Iudæorũ. Quas ipsi videbunt oculis suis, vt vatibus sanctis credant. Et vates per morborũ vocabula subnotare studuit vates extremas miserias duodecim tribuũ. Pro vinculũ suũ Hebraicè legim⁹ emplastrationẽ, aut ligationẽ, Rabi Kimhi exposuit vulnus Græcè, dolorẽ. Et reuera, sumitur emplastratio, seu vinculũ, p vulnere, per metonymiã. Nã ligatur vulnus, ideo ligatio est vulneris signũ. Et ideo vinculũ vel ligamẽtũ capitur, p vulnere, quod est signatũ, per metonymiã: ex qua signũ sumitur, p signato. ¶ Aduerterũt igitur Israelitæ, suũ languorẽ, id est, se esse inualidos ad resistendũ Assyrio regi, & Iudæi vulnus suũ, id est impotẽtiã suã ad repugnandũ Nabuchodonosori. *Abijt Ephraim ad Assyrium.* Videntes enim Israelitæ se inualidos, ad repugnãdum regi Assyrio, pactũ iniuit Oseas rex Israelitarũ cũ eo. *Et misit ad Regẽ vltorem*, Hebraicè, ad regem Iareb, & Græca lectio Iarib, idem habet. Putant autẽ esse nomẽ vrbis vel regionis Assyrię, aut p imperiũ Assyriacũ hac denominatione denominaretur.

Lutherus refellitur.

Potentissimi vermes quidam, vt vermiculi sunt corã Deo.

tur. Vt reges Ægypti Pharaones, sic reges Assyriaci, Iareb, id est, vindex. Quia ad huiusmodi imperium confugiebant offensi, vt vlciscerentur de hostibus suis, fuit nãque hoc imperium florentissimum. Ad hanc rationem Paraphrastes Chaldæus Iareb, interpretatur nomen. Priorem interpretationem Hebræi amant, & referũt locum hunc, ad tempora Achaz, qui à Teglathphaassar petiuit auxiliũ oppressus à regibus Israel Rasim, & Phacæa, & á rege Syriæ. Alij textum hunc, aliter elucidant ex Ierem. c. 37. vbi traditur Sedechiam implorasse opem regis Ægypti, vt se defenderet, ab aduentante Nabuchodonosor. At verò Ægyptiaca frustratus ope, Nabuchodonosori succubuit. ¶ Verumtamen, textus nõ loquitur, de regibus Iuda, qui fuit Achaz, & qui item fuit Sedechias, sed solum meminit de Israelitis, sæpè significatos per Ephraim. Vnde videtur, quod textus de Israelitis solum sit audiendus. Et quod sit repetitio, cum ait, *& misit ad regem vltorẽ.* Siquidem Oseas, misit legatos ad Assyriũ Salmanasar regem, pro pace ineunda cum illo. Quem tamen vocat, regem vltorem, propter prætactam rationem, à Chaldæo Paraphraste. Item legimus, quod Manahẽ rex Israel, pendebat quotannis Phul regi Assyrio, millẽ talenta argenti, vt esset ei in auxilium contra suos hostes, & firmaret regnum eius. Enimuerò, cum eo tempore, in regnum Israeliticum, quod in Ierosoam initium acceperat, labefactabatur, & sensim minabatur suam ruinam, ideo tanquam infirmum, & enerue confugiebat ad aliena imperia, vt inde contra hostes suos, ferret suppetias. Et hãc regni infirmitatem, vates vocat languorem, quã aduerterunt reges Israel, ante regni Israelitici lapsum, vt accidit sæpè hominibus, ante letiferos morbos, languida valde sentire membra sua esse, vnde præsentium eis futurã sibi mortem. *Eripse non poterit sanare vos, nec; soluere poterit à vobis vinculum.* Nõ est potestas, neque sapientia contra Dominũ, à quo pendet omnis creata potestas, atque sapientia. Quo circa Israelitæ frustrè prædebant, se eripere à diuina vltione, confugiendo ad humana præsidia: verum, hæc præsidia, non potuerũt eos eripere de manu Dei, sicut scriptum est, non est, qui de manu Dei eruat, aut eruere possit. Vnde non sunt fanatia fuo languore, neque soluta à suo vinculo, vel a suo vulnere. Quia regnum Israeliticum collapsum tandem fuit, & Israelitæ multis miserijs succubuerunt, ex patrijs depulsi sedibus, & in exteras, ignotasq; nationes dispersi, vnde Psalm. 77. horum deuastatio, atque desolatio, prædicta erat, vt & Iudæorum. Tradit inquit, in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Et conclusit in gladio populũ suum, & hæreditatem suã spreuit. Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ. Et reliqua quæ psalmo illo Spiritus sanctus prædixerat per os Dauidicum euentura Israelitis & Iudæis, propter eorum immania contra Deum scelera. *Quoniam ego, quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iudæ. Ego capiam, & vadam, tollam, & non est qui eruat.* Græca vox panthera significat, pro qua Latinus interpres legit leænã. Hebræa autem vox Sahal panthẽrã item significat, quam Latinus interpres semper vertit in leænam. Pro catulo vero leonis, Hebraica vox est, Cephir, quæ vox non leunculum, vel catulum significat, sed leonem, qui & si non sit prouectæ ætatis, vel adultus iam, cæterum potens est inuadere alias bestias. Vnde Græca translatio habet non catulũ, sed leonem. Pantheram autem scripsit Aristot. 1. de historia animalium capit. 1. esse perpetuò feram, & nunquam cicurari, aut manuescere. Habere q; quaternas in ventre mãmas, serratosq; dentes. Esseque animosiorem, fœminam, mare. Esseque solã in genere bestiarum quæ suauiter oleat, & vario colore esse respersam. De generatione animalium. 5. c. 6. Colorem autem eius esse fuluum permistum albo, circularesque horum colorum habere in pelle maculas scripsit Albertus. 22. lib. de animal. Leonẽ verò scripsit esse Aristo. ferocissimũ omnium animalium, si tamen pastus sit, & fame vincans facilem, & mitem se præstare 9. de historia. c. 44. Itaq; Panthera, & si ferox animal, ferociam non deponit, sed pernanu seruat fenitatem, at verò leo, sicut iacit, aliquando, & mansuescit. Audiuique dam fide dignum, se vidisse leonem in domo cuiusdam Archipræsulis Hispalensis, qui ad mensam eiusdem Archipræsulis accedebat, & inde sibi cibum capiebat, imò quod longè mirabilius est, narrabat idem huiusmodi leonem, pasci à quodam puero eiusdem Antistitis, qui puer ab eo læsus cum esset, lachrymas fundebat

9. de hyst. cap. 6. 4. Proble. Sectio. 33.

bat. Quem cum vidisset leo lachrymantē quasi misericordia motus, ad eum accessit & lachrymas tergebat. Quasi rependens pastus officium, quod sibi quotidie impēdebat. Textus igitur, lucescit, ex hac prænotatione, siquidem, fuit Deus Israelitis, quasi panthera. Siquidem, vt hæc nunquam cicuratur, sed perpetuam habet feritatē, ita & rex Salmanasar, & Reges Assyrij, nūquam deposuerunt furorem, contra Israelitas. Sed in perpetua captiuitate perstiterunt, & perstant vsque modo. ¶ At verò fuit Iudæis Deus, vt leunculus, qui quidē sicut cicuratur aliquando, & deponit ferocitatem, eodem modo Deus vsus est aliquando misericordia in Iudæos. Namque eos eduxit ex captiuitate, expleto septuagesimo anno per Cyri Medi ministeriū. *Capiam & vadam*, Deus non mouetur gressibus corporis, sed abire dicitur secundum metaphorā. Ex ratione effectus quē nouē operatur. Quia igitur, ex Dei permissu Israelitæ capti sunt ab Assyrijs, & dispersi sunt inter barbaras & ignotas, sibi nationes, ideò, ait, *Capiam*, id est faciam vos capi. *& vadam*, hoc est, & faciam, vt vos eatis, vt dictum est. Et *non est qui eruat*, id est durabit perpetuò vestra desolatio. Parum dixit, & multum significauit. *Non est qui eruat*, id est, nemo poterit eruere de manu mea. Hebraicè, Ego ego *rapiam*. Quod si translationem Latinam velis interpretari, Deus fuit quasi leæna Israelitis, propter leænæ enim ferocitatem se confert Deus leænæ, quia vt supra dixerat cap. 2. & 1. Ablatulit ab eis misericordiam suam, & exercuit in eos iram magnam suam. At verò se gestit, vt catulus leonis, seu vt leunculus in tribum Iuda. Catulus namque leonis, non ità potenter agit, & crudeliter vt leo, vt significetur mitius Deum actorum in tribum Iuda, vt iam expositum est. Vadēs reuertar ad domum meam, donec deficiantis, & quæratis faciem meam. Quia se similem dixerat Deus Pantherę & leoni persistit in metaphora reuertar in domum meā instar fratū, quæ capta præda reuertitur in lustra sua. Aut secundo, ego vos relinquam, & subtrahamus misericordiam meam à vobis, tradendo vos hostibus vestris, donec deficiatis, id est oibamini regno, & libertate, & diuitijs, & quæratis faciem meam. Sunt qui gratia amicorum suorum, exeūt domos proprias & discurrūt, per extraneas terras, at verò si aduerterint amicos, infideles sibi, eos deserunt, & reuertuntur in domos suas. Instar horum ait modo Deus, vadens reuertar in domū meam, id est, quia infideles mihi estis vos deseram, vnde vos subtracto meo præsidio deficietis. Et post quam vestrum defectum videbitis, & quā male vobis erit sine fauore meo, quæretis auxilium meum, & meum implorabitis fauorem. Vnde in Psalm. 77. cum occideret eos, quærebant eum. Et in alio Psalm. Im ple facies eorum ignominia, & quęrent nomen tuum Domine. Ad eandem rationē ait, modo vates. *Reuertar in domum meam, donec deficiatis, & quæretis faciem meam.* *Psalm. 82.*

Sæpè enim destituit Deus, aut destituere videtur suos, vt destituti sentiāt diuina præsidia esse, sibi necessaria. Vnde Petrum visus est destituere, quando permisit, vt penè submergeretur in mari, vt iā inde Christi opem implorauerat, & concessam sibi necessariam esse cognosceret. Et inuitatus ad nuptias, permisit vinum deficere, vt ex miraculo vini diuinitus conditi Christi potētiam discipuli agnoscerent. Vnde Paulus ter Dominum rogat, vt carnis prementem auferret stimulum, neque tamen exauditur, vt in sua pressione Dei sapientiam, & suam agnosceret virtutem. Et domū Deus, adeo bonus est, vt mala non sineret fieri, nisi ex malis prouidisset bonorum prouentum. ¶ Hos ergo Israelitas & Iudæos, permisit deficere, id est multis & grauissimis concuti malis, at verò istud celsit morigeris in magnum profectum. Namq; cognouerunt, quanta fuisset grauitas offensę, quā in Deū admiserunt idololatriæ, & eā postmodum correxerunt. ¶ Dubitat fortè aliquis dicēs Iudæi tunc idololatræ fuerūt, & postmodum multis elapsis annis, Christū Dominum crucifixerunt, vt ei peccauerūt grauiùs, an illi idola colendo, an illi Christū crucifigendo? ¶ Respondetur, idololatriā esse grauissimum omnium scelerum affirmatiuè, & negatiuè, quia omnia scelera superat, & à nullo superatur. Enimverò est euidēter notum vnū Deū esse principē vniuersi, vnde ité est euidenter notum hunc solum colendum, & reuerendum, siquidem cum euidens sit, esse vnum principem vniuersitatis, à quo cuncta pendēt, item euidens est, hunc solum esse summo honore venerandum, quo honore nulla creatura colenda venit. Vnde idololatræ contra rationem naturalem euidentem colunt idola, vt adulteri contra euidentiam rationis naturalis, adulterantur. ¶ Ex quo fit, summum scelus idololatras admittere, & non posse prætendere ignorantiam in colendis falsis dijs. Et præterea est summæ iniuriæ, creatore contempto creaturam pro Deo colere. Siquidem, qui hoc admittunt diuinam vnitatem scindunt. ¶ Adde etiam, quia ex Psalm. didicimus dij gentium dæmonia. Dæmon autem est Dei hostis, qui ergo diuinum honorē, hosti Dei tribuunt, summam committunt iniquitatem; & Deo grauissimam iniuriam inferunt. Horum impietatem execratur diuinus sermo Sapientiæ. 13. dicens, A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat creator horum videri. Et diuinus Apostolus Rom. 1: eosdem execratur, dicens, Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Pœna autem horū idololatrarū, subdit dicens, Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorū. Id est, ob tam immanem impietatem permisit illos Deus, vt ruerent in omnem iniquitatem, & perpetrarent omnia quæ volebant committere scelera. Nam vt diximus supra, Deus in grauissimos animaduertit hac animaduersione peccatores, vt peccata addat peccatis. ¶ Vnde Gregorius, item dixit. Peccatum quod per pœnitentiam non lauatur suo pondere trahere in alia. Enimverò peccatum ad se traliit peccatū, vt virtus virtutem. Vt enim calidū est ad attractiuum, ita peccatum est attractiuum alterius peccati. Et virtus alterius virtutis. ¶ Porrò autem, vt hęc in alium locum missa faciamus, ad propositam quæstionem regrediamur. Idololatria igitur excedit in malitia Christi crucifixionis impietatem. Namque Iudæis, non erat euidens Christum quem crucifigebant esse Deum verum. Credere sanè tenebantur, eum esse verè filium Dei; at verò ineuidens erat eis. Imo non potest esse euidens mortalibus, Christum esse verè Deum & hominem. Siquidem superat omnem rationem naturalem mortalium. Vnde impietas illa crucifixionis non tanta fuit, quanta idololatrarum. Quia vt dicebam, hæc impietas est contra euidentem naturæ rationem, scilicet contra hanc veritatem vnus Deus est super omnia. Quæ non est fidei articulus, quippe quæ euidens est: at est fundamentum est omnium articulorum fidei: Nam tota machina fidei super hac firmissima basi collocatur vnicum esse Deum à quo cuncta pendent. Et quanuis obscuri sint fidei articuli, at fundamentum articulorum fidei, est clarissimum, vnicum, scilicet esse Deum præsidentem omni creaturæ, & visibili, & inuisibili. Ideò maioris criminis est hanc negare veritatem, vt negant idololatræ, & alij qui dicuntur, ἄθεοι, ideſt, sine Deo, vt fuit ille impius Lucianus, qui nullum esse numen affirmabat, quam Christum crucifigere, quod alioqui erat summæ impietatis. Quia Christi iniuria, erat Dei iniuria, vt Christum honorare, est Deum honorare. Cæterùm, quia non erat euidens Christum esse Deum, sed solā fide recipiendum, ideo nō tāti sceleris fuit cruci eum affigere quanti Satanæ diuinos impendere cultus. Id quod videtur insinuasse Dominum, cum ait, Qui dixerit verbum in filium hominis, remittetur ei, qui autem peccauerit in Spiritum sanctū, non remittetur ei, neque in hoc sęculo, neque in futuro. Matth. 12.

Summum scelus est idololatria

Peccatum vnum trahit ad alterum.

Articuli fidei nō sunt euidentes mortalibus

Fundamentum articulorum fidei euidens est

EXPLANATIO IN CAP. VI. OSEE.

IN tribulatione sua mane consurgent ad me, venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipse cæpit, & sanabit nos, percutiet, & curabit nos. Hoc in primis differendum venit, quænam sit huius capitulli materia. Quisue sit huius capitis scopus? Enimverò, quidam Hebræi ad captiuitatis Babylonicæ assertionem referunt. Et enim presi Iudæi captiuitate illa, mane surrexerūt, id est, solicitè surrexerūt ad Deū, id est affectum ad diuina excitarunt, quē iacentem & sopitum habuerant, ex ipsaq; tribulatione eruditi, melius sapuerunt, & conuersi sunt ad Dominum Deum. Vnde dicebāt, *Venite*, nō gressibus corporis, sed mentis desiderijs anhelabant ad Deum. Et causam subdunt, *Ipse cæpit*, vt respondeat verbo supra posito; *Capiam*, id est, capiam prædam instar Pantheræ, aut leonis, ideò ait, modo *Cæpit*, subaudi, nos tanquam fera prædam, At quando sic feræ capiunt prædam, eam vulnerant, seu interficiunt, ideò subdit, *Et sanabit nos*. Quasi

dicat si capiendo nos, nos vulnerauit, aut sauciauit, *Ipse nos sanabit*, vt quemadmodum, exercuit munus suæ rectissimæ iustitiæ, nos capiendo per Assyrios, vel Chaldeos, ita exercebit, munus suæ suauissimę misericordiæ, nos à captura liberando. Et ad idem pertinet sequens sententiã. ¶Alij verò ex numero etiam Hebræorum ad captiuitatem miserrimam, quã modo experiuntur Israelitæ, & Iudæi, locum hunc referunt cum sequentibus. Ab hac namque quotidie precantur Hebræi diuinum numem, & priuatis, & publicis precibus, vt tãdem à Deo asserantur. Et vt aiunt, per vatem istum modo, consolatio futura prædicitur per Messiam, quem ipsi præstolantur. Vnde subdit Rabbi Salomon, quem indicat Nicolaus, quod tandem post tres dies, erunt leuandi à tanta qua tenentur tribulatione. Et numerat hos dies, ad hanc rationem. Vt sit primus dies, ædificatio primi templi, quod Salomonis opera fuit ædificatum. Secundus vero dies, est ædificatio secundi templi, quod Zorobabelis opera soluta Babylonica captiuitate fuit cõstructum. Post hos duos dies, sequetur alter dies ædificationis tertij cuius meminit Ezechiel, quod Messias quem ipsi expectant, ædificabit: arbitrãtur enim Messiam, ædificaturum templum quoddam Ierosolymis, & Ierosolymam item esse reædificaturum, & tunc Iudæi viuificabuntur, id est, habebunt libertatem summam, summasque diuitias, summamque in orbe gloriam. Hæc enim & alia his similia, subaudiunt per verbum, *Viuificabuntur*, instar Hispani sermonis, *Diome la vida*, dicimus, cum à magnis miserijs, in fœlicitatẽ quispiam erigitur. At verò iste Hebræus doctor, vtique est doctor secundum occidentem literam, non secundum viuificantem spiritũ. Enimuerò ex Domini verbis Ioa. 4. lucidè ostenditur quam materialiter sapiant, doctores Hebræi, expectantes huiusmodi materialis templi Ierosolymitani reædificationem, per Messiam quem vanè expectant. Dixit enim Dominus Samaritanæ: *Mulier crede mihi venit hora quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis, adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est.* Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores, adorabunt patrem, in spiritu & veritate. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Quæ verba falsam esse sententiam Hebræorum demonstrant. Siquidem Christus non venit ædificare templa materialia, vt isti putant, siquidem spiritualia templa quærit Christus, & ista venit ædificare. Sumus autem fideles spiritualia templa Dei: Paulo testante, Qui violauerit ait, templum hoc disperdet eũ Deus, templum enim sanctum est, quod estis vos, & cap. 6. ait, an nescitis quod mẽbra vestra templum sunt Spiritus sancti? Quia igitur Deus est spiritus vbique diffusus non egettemplis materialibus, sed spiritualia exquirit. Est item huiusmodi tẽplum, sancta Dei ecclesia, quam Christus venit ædificare. Vnde ait Petro, Tu es Petrus ait, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hoc est templũ, quod Christus sanguine suo venit ædificare, nõ templum Ierosolymitanum, quod quia materiale est, patet iniurijs hominum. Etenim fuit deustum à Chaldæis, & postmodum à Romanis. Materiale enim templũ, quia humana opera fit, ideo & opera humana poterit dissolui. At verò, templũ hoc quod est Christi ecclesia diuina manu firmissimè ædificatum est, supra solidissimã petram Christum, ideo portæ inferi, non prævalebunt aduersus hoc Dei templum. Quod si portæ inferi, non poterunt præualere, vtiq; humana potentia, aduersus hoc templum efficiet nihil. ¶Et obserua obsecro, quam humi repunt doctores isti Hebræi, interrogo namque num si venturus esset Messias, vt ipsi vanè somniant, hoc fuisset illi institutum templum reædificare Salomonis iam semel, atque iterum dirutum? Nequaquam, siquidem Messias decantatus per ora omnium prophetarum, & in lege adumbratus, & in sacrificijs prefiguratus, ad reædificationem templi quã quiuis potens in terra homo potuisset reædificare nõ erat venturus. Sanè hoc opus, quod poterat collabi, non erat finis Messiæ si venturus fuisset. Imo cum ipse decãtabatur venturus excelsior cunctis prophetis, & Mose, & iustus supra omnem Angelorum, & hominum iustitiam, aliquid sublimissimum, & cogitationem nostram transcendens si venturus fuisset, quando adesset erat facturus. Et quia iam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, venit non ad reparandam Ierosolymã illam terrestrem, aut templum illud Salomonicum, quod modo Mahometani possident,

1. Cor. 3.

Matth. 16.

Finis Aduentus Christi non erat finis terrenus, sed plane erat celestis.

sident, sed venit saluum facere quod perierat. At quia totum genus humanum collapsum fuit in protoplasto, hunc lapsum reparare dignissimũ Messiæ erat opus, quod solus ipse præstare potuit. ¶Sanè, vigente statu veteris legis, necessum erat illud stare templum, vbi Deo immolarentur victimæ. Siquidem Deut. 12. ibidem solum poterant immolari ex Dei iussu. At vero collapsa illa lege, vt per sacros Dei vates vaticinatum erat, fore tandem collapsuram, vt sacrificijs illis materialibus non erat adhibenda id temporis opera, ita neque templum, iam tunc erat necesse reparari, vt Marc. 13. & Luc. 19. traditur desolandum. Vnde post vltimam deuastationem templi factam à Romanis, quando iam lex illa vetus per sanguinem Christi fuerit extincta, nunquam amplius fuit reparatum. Tu tamen interim aduerte, ne incidas in errorem quorundam germanorum, negantiũ templa Deo, vel sanctis erigenda. Quia aiunt Deum vbique esse. At vero templa non eriguntur gratia Dei, videlicet, quia Deus eget illis, quippe nõ in manu factis, habitat: sed propter nos, vt certus sit nobis locus, vbi Deum colamus. ¶Explosis igitur istis Rabbi Salomonis figmentis, videamus iam, quæ sit huius capitis materia. Et quidem, quia Paulus 1. Cor. 15. inquit, Dominum surrexisse à mortuis tertia die, secundum scripturas, & nulla est apertior, quæ Dominum surrexisse tertio die indicet, quam hæc, omnino videtur vaticiniũ huius capitis, ad tempora Christi esse referendum. ¶Adde, quia Dominus reprehẽdens Scribas, & Pharisęos indicat verba huius vaticinij Matth. 12. videlicet, Misericordiam volo, & non sacrificium. De Israelitis igitur, & Iudæis conuersis ad fidem Iesu Christi, intellige verba hæc. *In tribulatione, &c.* Namque Israelitæ cum sese aduertissent dispersos inter nationes Barbaras, & ab illis nimis oppressos, item que Iudæi cũ sę cognoscerent vehemẽter opprimi à Romano imperio, & hanc oppressionem sibi succeẽserent, quoniam alieni erant à Deo, conuersi sunt ad Deum recipientes fidem Iesu Christi, & Euangelio obedierunt, vt æternam iram Dei euitarent. Nam non solum tribui Iuda, & Beniamin, sed decem tribubus dispersis tunc per orbem, salus Christi pollicebatur. Vnde discipuli Domini, iam iam ascensurum ad æthera Christum, interrogant, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel Acto. 1. Et B. Iacobus in sua Catholica Epistola. cap. 1. sic habet, Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus quæ sunt in dispersione salutem. Et eisdẽ Petrus scripsit, dicens Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Põti, Galatiæ, &c. *Mane*, Græca lectio manicabunt, vox Hebræa, Sahar, idem significat, scilicet diluculari, aut mane surgere. Sunt tamen qui credant significare, solicitè, & anxiè quærere, quod ex incuria fuit perditum. Vnde hoc loco, mane surget, idem est, atque si diceretur, solicitè exquirent, & anxiè curabunt, inire amicitiam Dei ex perfide, & pœnitentia, quam infidelitate, & cordis duritie amiserunt. *Ipse cæpit*, Græcè, *Ipse rapuit*. Rapuit, tanquam Panthera, vel sicut catulus leonis. Quia per Assyrios, & Romanos rapuit duodecim tribus, & dispersit in nationes, vt sæpè dictũ est. *Viuificabit nos post duos dies, & die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.* Sunt qui exponant hæc verba, dicentes significare, biduum hoc, & triduum, breuissimum temporis spatium. Quasi dixissent, ipse nos rapuit Deus, & ipse nos sanabit, & hoc erit breuissimo tẽpore. Vt etiã Hispana phrasis habet, per exaggerationẽ enim dicimus, *Durara estos dos dias, &c.* Vt subindicemus breui esse finiendum. Et quanquam à tempore huius vaticinij, vsque ad Christum fluxerunt anni multi, at verò mille anni corã Deo, sicut dies vna. ¶Ego vero, mallem, de Domini resurrectione intelligere hoc vaticinium, siquidem Dominus surrexit die tertia. Ideo ait post duos dies, significans diem tertiam, qui sequitur dies duos. At quia post duos dies item est quartus & quintus dies, &c. Vt nõ hos intelligeremus, sed solum diem tertium, subdit, *Et die tertio viuificabit nos.* Enimuerò Paulus ait, Ro. 4. de Christo, Traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter iustificationem nostram. Siquidem sicut Dominus moriens, abegit à se in æternum mortem, quia mors illi vltra non dominabitur: Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo, Rom. 6. Ita quoque per mortẽ suam extinxit in nobis mortem culpæ, & per resurrectionem suam renouauit in nobis vitam animæ spiritualem. Quę est diuina gratia, ex qua quis imbuitur, Deo gratus, & amabilis redditur. Quocirca fideles

Ceſſante lege veteri & templũ ceſſabit.

Vaticiniũ de Christi reſurrectione.

in suis angustijs, & tribulationibus, hoc habent solamen quod tandem post multos exanthlatos huius sæculi agones, ad resurrectionem beatam, per sanctos Angelos sunt deducendi. ¶ Et ideo isti Israelitæ & Iudæi isti, vt ij qui iam conuersi erant ad fidem Iesu Christi, dicunt, *Venite, & reuertamur ad Dominum.* Et cùm sic confidenter loquantur causam subdùt, quia post duos dies, &c. Quia nihil tam erigit spem nostram in Deum, ad expetendum cælestia, quam est spes resurrectionis gloriosæ. Et hanc spem nutrit, admodũ & fouet Christi resurrectio. Nam si Christus resurrexit, & nos resurgemus. 1. Cor. 15. Gloria enim membrorum sequitur gloriam capitis. Et quale caput, talia & membra, si illud glorioſum, & hæc quoque gloriosa. ¶ Porrò autem obseruandum nobis est, duplicem esse resurrectionem, alteram animorum, alteram corporũ. Accidit quidem animorum, dum spiritus vitalis, viget in homine. Continget verò corporum, postquam vitalis spiritus exhalatus fuerit per mortẽ. Est autem resurrectio animorum, quãdo à mortali culpa, ad vitalem gratiam à Deo transferimur: id quod aptè dixeris esse mysticam resurrectionem. Vt enim peccatũ est mors mystica animæ, ita & gratia, est quædam vita mystica animæ nostræ.

Resurrectio animæ resurrectio corporis.

Et hæc duplex beata & non beata.

¶ Ideoque quando à culpa, transferimur in gratiam Dei, est quædam resurrectio spiritualis. Est autem vt aiebam alteri corporalis, & hæc duplex, alia beata, alia non beata. Non beata est, quales illæ quas euangelica lectio, docet fuisse Lazari, & adolescentis, & puellæ filiæ archisynagogi. Beatam verò obtinebunt omnes iusti, in die illo nouissimo, quando Dominus ad iudicandum venerit. Christus verò, hanc primus omnium assequutus est, ideò diuinæ literæ, cum appellant primitiæ dormientium, aut primogenitum ex mortuis. Vt ergo Christus post labores multos, & demum post ignominiã crucis, exaltatus est à Deo patre eruens eum à morte, & super omnium cælorum verticem fuit eleuatus, ita & iustis accidet, post varias quibus torquentur tribulationes, resurrectione beata donabuntur, corporum suorum. Et denique ad æthera leuabuntur. *Et viuemus in conspectu eius;* Iusti viuunt hic per gratiam coram Deo, quia Deo sunt grati, & rursum viuent in conspectu Dei in beatitudine vigent gratissimi Deo, & vitam immortalẽ, & vndecunque fœlicissimam tenentes. Quamuis enim omnia creata sint in conspectu Dei, & infernus sit in conspectu Dei, quia Deus intuetur abyssos, & infernus, & perditio, & non sunt abscondita, cæterum iustis hoc tribuit scriptura, quod viuent in conspectu Dei. Id est, vita iustorum, erit Deo semper placita, & ab illo approbata, & coronata sempiterno. Et ab iniustis, tradit scriptura, Deum abscondere faciem suam, & vultum suum, quia eos non reputat in filios, sed in hostes. Et natiuum est nobis, eos quos odio habemus nolle videre, imò ab eis, retrahimus faciem nostram. Vnde petit psaltes Deũ, vt ostendat faciem suam, vt saluemur. Et rursum Deus ait Deut. 31. Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum. Ablato enim Dei fauore, & sublata Dei misericordia, omnis creatura eua nescrit, vt Dauid commemorat Psalm. 103. Auertente autem te faciem turbabuntur: auferens spiritum eorum, & deficient, & in puluerẽ suum conuertentur. Rectè igitur iusti, qui ex pœnitentia sua iam inierunt Dei amicitiã, quam ex peccato suo amiserant, dicunt, *viuemus in conspectu tuo.* Quasi dixissent ex tuo dono, sordes extersimus peccatorum nostrorum, & ex tua gratia, in tua amicitia persistemus. *Post duos dies,* si tropologiã amas scito, hos tres dies, ad hanc rationem esse numerandos. Primus esto dies, contritonis, secundus confessionis vocalis, tertius satisfactionis. Nã qui hos tres expleuerit dies hic viuit coram Deo, hic perfectam habet, à culpis suis resurrectionem. Primus igitur dies contritionis. Est autem cõtritio, dolor de ante actis culpis propter Deum quem offendimus ex nostris erratis, cum proposito confitendi ea coram idoneo sacerdote, & cauendi imposterum ab illis, & ab vniuersis alijs culpis, quæ possunt nos auertere à Deo. Et rectè dicitur contritio, siquidem contrita, & conquassata, vires amittunt, & vigorem quem prius habebant deponunt, atque vsum. Nam si conteris hydriam, vel cãtarum, vtique nullius sunt vsus. Ad eandẽ rationem, quia per dolorem prefatum, homo amittit animum ad peccandum, & reuocat animum ad seruiendum Deo viuenti. Et perinde efficitur ex dolore commemorato, ac si non haberet vires ad peccandum, quia prorsus deposuit animum ad peccandum, ideo aptè appellatur homo con-

Psalm. 79.

contritus, ex huiusmodi dolore, & huiusmodi dolor germanè, appellatur contritio. Et quidem hic dies, qui est primus sanctificationis dies, est laboriosus peccatoribus dies: at verò, multifaciendus dies, quia est initiũ salutis nostræ. Nam dies hic est dies reconciliationis cum Deo, & Angelis sanctis, & reserationis ianuæ cælestis, vt nos amplius edisseruimus in declamationibus ad Isaiam. Secundus vero dies est vocalis confessionis, hunc diem non admittunt huius æui hæretici. Quia pudet eos confiteri sua scelera alteri homini. At verò, dicant ipsi quem non pudet, nisi impudentissimum? Et sanè quilibet fidelis volet si posset, se eximere à confessione hac vocali. At verò, si Deus non eximit, quid prodest, quod homo se eximat? Deus est, qui præcepit, vt confiteremur peccata nostra clarè & distinctè, confessarijs laboriosum est præceptum fateor, sed suauis est Dominus, qui finxit laborem in præcepto. Etsi pendis, quod propter hunc laborem, Deus tibi condonabit peccata tua, & eruet te à faucibus bonis præparati ad te deuorãdum, an non tibi videbitur suauem esse hunc laborem? si pudet pudeat, melius est cum pudore volare ad æthera quam sine pudore, detrahi ad tartara. Nos in quarto sententiarum multa tractauimus cõtra hæreticos istos neothericos quæ huc vocare non iuuat, qui volet inde hauriat.

Tropologicus sensus differitur.

¶ Tertius dies est satisfactionis. Namque post dõnata peccata, & cõfessa, adhuc pœna temporalis, inquam cõmutata est eterna restat expianda, vt liber pateat commigranti ex hac vita fideli, aditus, ad regna cælestia. Nam si pœna nõ expiata discedit, adhuc remorabitur aliquanto tempore, in purgatorio igne. Ideò dicebamus paulò ante, resurrectionem perfectam animæ nostræ, tertio celebrari die, vt verò iam dictum putes. *Post duos dies, viuificabit nos; & die tertia suscitabit nos. Sequemurq; vt cognoscamus Dominum,* id est, sequemur Euangelicam doctrinam, vt cognoscamus verum Messiam esse Iesum, quem nostri crucifixerunt. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius, & venit quasi imber nobis temporaneus, & serotinus.* Christus duplicem habet egressum, alterum ex Deo patre, cuius Micheas. cap. 5. meminit, & egressus eius inquit à diebus æternitatis. Hic egressus rectè conferendus venit diluculo, vt enim aurora, à sole habet ortum, ita & filius à patre, lux de luce, lumen, de lumine. Alter egressus est temporalis ex Deipara virgine. Qui egressus fuit sine læsione virginei pudoris, ideo vt aurora à luce processit ex virgine. Quemadmodum igitur aurora rutilans, cunctis animantibus, est delectabilissima aspectu, vnde volucres ad eius aspectum melodia vocum, voluptatem suam ostendunt. Et rursus feræ omnes, se abscõdunt lustris suis, vt vrsi, leones, & alia hoc genus seua animalia. Quæ noctu discurrunt, vt quærant sibi escas. At verò subradiante aurora, solis aspectum non substinentia congregantur in speluncas suas, vt psaltes cecinit. Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi: Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabantur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam Psalm. 103. Ad eandem igitur rationem sub Christi ortu, feræ omnes, id est dæmones stupuerunt, & tanti fulgoris irradiatione stupefacti congregati sunt in cubilibus suis, Namque post Christum natum non ea nocẽdi potentia furiunt, qua furere solebant prius in homines. Namq; Christi mors fregit eorum vires, & Euangelica doctrina eos conpescuit; ne sua feritate, & falsitate totum genus humanum, ad se raperent. Vnde homo, qui tenebris noctis, seculi huius erat impeditus ne Deũ agnosceret. Siquidem cæcum erat cęcitate culpæ, orto sole iustitiæ, exiuit ad opus suum. Est autem hominis germanũ opus, Deum verum colere, & eius præcepta seruare. Lex autem Christi, vt hoc opus præstemus iuuat. Præsidia enim confert sacramentorum, vt iuuetur ex illis nostra imbecillitas. *Et veniet quasi imber,* diluculum lucidum est, & delectabile visui, quia sua luce noctis fugat densas, tristesque tenebras: at verò imber de cælo descendens, inebriat terram, vt fæcundata imbribus cælestibus, fructus pariat, hominum vitæ alendæ & fouendæ. Christus item est magister veritatis Euangelicæ, & ideò rectè confertur soli exorienti, quia luce suæ doctrinæ fugauit errores philosophorum, & peccatorum, & attuli lætitiam & Angelis, & hominibus. Vnde recens nato Christo, Angeli canunt, Gloria in excelsis Deo. Et pastores luce cęlesti perfusi, pleni lætitia properant in Bethlehem, infantem adoraturi.

Aurora delectabilis hominibus & secus animalibus odiosa.

Dæmonũ potentia fracta est per Christum.

Christus lux, & imber.

Anima nostra resurgit perfectè à peccata tertio die.

Neque

Neque solũ proximos pastores, irradiauit hæc lux, sed longè lateque se defudit, nam Magos in regione longinqua sitos, sua coruscatione illustrauit, vt rectè dictũ putes, quod Dominus ait, Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitę. Porrò autẽ, non solum Christus lux est, ob commemoratam causam, sed etiam imber est temporaneus, & serotinus. Hebræi tradunt, terrã promissionis, duplici imbre frui, & temporaneo, sub verno tempore, ad maturandas & proferẽdas fruges, & serotino sub Octobri, ad concipienda semina. Et horum imbrium frequens est mentio in scriptura, Deut. 11. & Ierem. 5. & sæpè aliàs. Promittebatur enim filijs Israel Deo obtemperantibus imber temporaneus, & serotinus. Id quod significabat fructuum, abundantiã, ex conuenienti imbrium infusione. At verò aptissimè congruunt ista Christo, ipse enim, qui fide sua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum imbre gratię suæ fœcundat, aridam nostræ animæ faciem, vt sic fœcundata, vitæ proferat fructus æternę, qui sunt fidẽlium bona merita, quibus promerentur vitam sempiternam. Ideò rectè confertur pluuiæ temporaneæ, & rori qui descẽdit super vellus. Appellatur autem temporaneus, & serotinus, quia quando venit plenitudo temporis, missus est orbis creator ab arce patris, & de ventre virginali caro factus prodijt. Temporaneus, item & serotinus, quia tempestiuè, vocat, & iustificat quos ipse elegit ad vitam æternam. Nostri igitur vitij erit hac orbari luce, nostræ erit culpæ, his orbari imbribus. Quia ipse Christus stat ad ostiũ mentis nostræ, & pulsat. Non enim mens humana, necessario illuminatur ab hoc æternò sole, neque necessariò fœcundatur, ab his cælestibus imbribus, vt terra quæ necessariò, lumen sibi ab alto demissum, & imbrem ab alto stillantes necessario recipit. Sumus enim liberi arbitrij, & lumen diuinum, vel recipere, vel reijcere, imbresque cælestes, nostri erit arbitrij. Nam Act. 7. de quibusdam dicitur, Vos semper spiritui sancto restitistis, & de alijs Iob. 24. ipsi rebelles lumini fuerunt. *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra, quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Hactenus, probos Israelitas, descripserat diuinus sermo, nunc verò, ad improbos conuertitur, qui cum alio qui veritatis viam amplexi aliquandiu fuissent, at verò fastidio habentes virtutis opera, ad vomitum ædendum instar canum se conuerterunt obseruabit interim in diuinis misericordiam, non solum eleemosynam, sed iustificationem coram Deo significare. Et propterà subdet, Misericordiam volui, & non sacrificium, id est, cor contritum & humiliatum, ego volo & non sacrificia boum, aut arietum. Nam hæc sacrificia non proderant offerentibus, nisi corde puro illa Deo obtulissent. Misericordia autem, vt instituto nostro congruit bifariã accipi potest; altero modo, vt est virtus specialis, & hac ratione gaudet speciali ratione, scilicet misereri, alterius miseriæ, nostra ope eam subleuando. Alio vero modo, vt confunditur cum iustitia generali virtute, ex qua homo implet legem Dei.

Misericordia bifariã capitur.

¶ Et quia qui diligit proximum totam legem impleuit, Rom. 13. Paulo testante, & dilectio proximi, in compatiendo ei, & subleuando eius miserias, & mentis, & corporis in primis demonstratur, ideò misericordia est quæ legem Dei implet, vnde aptè dicitur esse iustitia impletiua legis. Vnde Dominus in die iudicij, quando exiget rationem actorum nostrorum, solius misericordiæ habebit rationem dicẽs, quia esuriui dedistis mihi manducare, &c. Siquidẽ vt aiebam misericordia legem implet, ideò Dominus vnius misericordiæ habebit rationẽ. Nam huiusmodi misericordia, procedit ex Dei fide incorrupta, & ex Dei charitate, ideo qui fruitur misericordia fruitur cæteris virtutibus. *Quid tibi faciã.* Deus præstat semper hominibus necessaria omniã saluti consequẽdæ; ideo nũc ait, Quid faciam Ephraim, id est, populo Israelitico decepto, à Ieroboam Ephraimita, Quasi dicat, non est quod vltra faciam Israelitis, aut Iudæis, quia iam omnem operam contuli, vt eos auellerem à suis inquinamentis, simile est, quod Dominus ait, per Isaiã 5. Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Et quia possent Deo obijcere, se aliquando pios fuisse, & iustos, respondet ex versu sequẽti, dicens, *Misericordia, &c.* Hoc est vestra in Deum, quæ fuit pietas, & vestra quæ fuit in proximum charitas, fuit volatilis, & momentanea, sicut nubicula, quæ summo mane, totum cælum obumbrat, & leuiculo vento agitata, euanescit. Et sicut ros antelucanus, qui sole æstuante, facile soluitur. ¶ At verò Matth. 10. qui

Deus præstat hominibus necessaria omnia vt salluentur.

Matth. 25.

10. qui perseuerauerit in finem hic saluus erit. Et apud Ezechielẽ legimus. 18. quod iustus si se auerterit, à iustitia sua, iustitia sua nihil ei proderit. Cum inquit iustus se auerterit à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia sua quam operatus est morietur. *Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos, in verbis oris mei, & iudicia tua, quasi lux egredientur.* Demonstrat, quod dudum dixerat, Deũ, omnem operam suam contulisse, vt Israelitas, atque Iudæos auerteret à suis vijs pessimis. Vnde ait, Dolaui in Prophetis, idest, per meos vates, ego dolaui Israelitas, & Iudæos instar fabri lignarij dolãtis, dolabra ligna sua. Ego item dolaui hos, eos corripiendo vehemẽter, per meos vates. *Et occidi*, idest, prædixi etiam Israelitas, & Iudęos, esse occidẽdos ab hostibus suis, nisi corrigerẽtur. *Et iudicia tua.* Sumitur hic iudicium pro beneficio impenso alicui: vt etiam aliquando in malum vsurpatur, vt supra ostendimus, scilicet, pro pœna, quæ infligitur. Dolauit igitur Deus Israelitas in Prophetis, idest, per Prophetas ceu per instrumenta spiritualia, corripiendo eos, & comminando, & item non solũ mala cõminãdo, eos curabat Deus, ad se trahere, sed etiam bona conferendo: & vt omnem mouerent lapidem, ad eorum salutem. Et ideo ait. *Iudicia tua vt lux egredientur*, idest, beneficia quibus te affeci, fuerũt manifesta: Quippe quæ grãdia erant & insolita. ¶ Aliter exponi potest, vsurpando iudicium in malũ, id est, correptiones, & quibus te corripui, & castigationes, quibus te castigaui, fuerunt notissimæ, vt lux, idest clarè, & apertè, prædixi mala tibi euentura, ne obieceris, obscurè fuisse me tibi locutum. Totus itẽ hic locus, aliam subit intelligentiam. *Ego dolaui in Prophetis*, idest, ego eos confudi, & afflixi valde sæpè loquẽs eis, vt te monerẽt, quæ tuæ salutis erant salubria propinarent pharmaca. Et est phrasis Hispana, cum exaggeramus laborem nobis impositum, dicimus trae me acossado, muerto con tãtos trabajos. Ita prope modum Dominus ait, modo, dedolaui in Prophetis, idest, Prophetas, cõtudi, & occidi eos hyperbole est, idest, valde eos fatigaui, monens semper, vt te monerent inde fesse. Et secundum hunc sensum. Præpositio, in, non significat hic instrumentalem causam. *Quia misericordiam volui, & nõ sacrificium, & scientiam Dei, plusquam holocaustum* Israelitæ, & Iudæi, plurimũ fidebãt suis sacrificijs, & holocaustis. Vt Pharisæi, suis decimationibus iactabãt sanctimoniam. Quos reprehendens Dominus, ait, Decimatis mentam anetum, & cyminum, & omne olus, & grauiora legis prætermittitis, iudicium & misericordiam Matth. 23. Itaque isti, quos Dominus carpit modo, sapiebant mores maiorum suorum; qui neglecta misericordia, & sciẽtia Dei sacrificijs intendebãt. Locũ hũc Dominus obiecit Pharisæis, & Scribis, vt supra indicabamus. Etsi in Matth. 9. ca. non legimus volui, sed volo. At vero nulla est sensus variatio. Hebræis nanque familiare est vsurpare tempus pro tempore; vt modum pro modo. Idem autem intelligas hoc loco, per misericordiam, & scientiam Dei. Nanque scientia Dei, non vocatur hoc loco, speculatio diuinorum, sed cognitio diuinarum veritatum, quæ est ex fide orthodoxa, amori syncero diuini tatis coniuncta. Tunc enim verè scimus Deum, cum scientia Dei in nobis vacua non est, sed efficax sanctorum operum, vnde quæ in Matthæo legimus, capit. 9. dixisse Dominum Pharisæos reliquisse misericordiã, & iudiciũ & fidẽ, hoc noster vates dixit, esse misericordiam, & scientiam Dei. ¶ Nanque vt Deus tunc ait, nos cognoscere quando nos approbat, & amat, ita & homo tunc scit Deum, quando ipsum verè amat. Et est phrasis scripturæ vsitatissima, vt alias diximus. At vero obijcit forsan, cur ait, misericordiam volui, & non sacrificium? Siquidem videtur ex his verbis Deum non probasse veteris legis sacrificia, cum tamen ipse præceperit, vt Leuiticus liber nobis testis est. ¶ Respondetur, quod Deus illa sacrificia præcepit, non intendens illa maximè, siquidem vt Psal. 50. traditur. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem, sed holocaustis vtique nõ delectaberis, sacrificiũ &c. vnde promptum est videre, nõ fuisse ex præcipua Dei intentione sacrificia boum, aut arietum. Et istud tota scriptura clamat. Vnde illud Psal. 39. sacrificiũ, & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi. Et illud, victimæ vestræ non placuerunt mihi. Holocausta vestra addite victimis vestris. Et in Psal. 49. Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Quoniã meæ sunt omnes

Traygolos acossados.

Ad Hebr. 10. & Psal. 19. Ierem. 6. & 7.

nes ferę syluarum, iumenta in montibus, & boues, & post pauca subdit. Immola Deo sacrificiū laudis, & redde altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Vnde satis efficitur, Deo non fuisse cordi illa sacrificia vetera, sed sacrificia spiritualia potius amasse. At vero, & si nō erāt Deo cordi, præcepit tamen illa. Propter duritiem cordis Iudaici, Iudæi enim cū essent nutriti apud Ægyptios, qui illis sacrificijs incumbebant, ad huiusmodi sacrificia celebranda erant propensissimi, ideoque ne illa inanibus sacrificarent dijs, sibi iussit immolanda. Et rursus vt sopiretur error dicentium, visibiles has creaturas, à malo principio processisse, vt Manichæi delirabant, vt ostenderet sua esse vniuersa, sibi tunc iusit sacrificanda. Imo etiam ante legem scriptā, sancti patres, ex Dei instinctu, illa Deo sacrificabāt: vnde Deo Abel obtulit de primogenitis gregis sui & de adipibus eorum Genes. 4. Quocirca non solum propter consuetudinem; quam habuerūt cum Ægyptijs Hebræi, Deus iussit animalia sacrificanda, sed etiam, vt doceret se vniuersorum esse dominum. Et quia præsciebat idololatras, huiusmodi amaturos sacrificia, iussit, non idolis vanis, sed sibi esse potius immolanda. Quod ergo noster vates in Dei persona ait, *Misericordiam volui, & non sacrificium*, &c. Sensum hunc habet Deo non fuisse cordi ex primaria intentione sacrificia illa, sed quod primo intendit est vt seruemus misericordiam, vt expositum est, opera enim exteriora, eatenus Deo placent, quatenus, ex fide recta, & charitate non ficta progrediuntur. Vnde neq; martyrium quod est opus heroicū, Deo gratum est, nisi ex huiusmodi prædictis fontibus prodeat. Paulus enim testatur, si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam nihil sum Deus nanque est spiritus summus, quare si ex spiritu immundo, ideſt, ex praua intentione, aut inani gloria, aliquid operamur spiritui mundissimo, non probabitur. Vnde quia Hebræi immundo corde, offerebant ista hæc sacrificia, de sacrificijs eos Deus arguebat. Vt Isaias testatur ca. 1. Quo mihi ait, multitudinem victimarum vestrarū dicit Dominus plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguiū, & sanguinem hircorum noui. Cum venerit is ante conspectum meum, quis quæsibit hæc de manibus vestris? Subaudi, de manibus vestris pollutis ex pollutione cordis vestri. Traditur autem in lib. Prouer. 21. facere misericordiam, & iudicium, magis placet Domino, quam victimæ. Si quidem facere misericordiam & iudicium, semper placita sunt domino, at victimæ non semper nisi ex animo puro proficiscantur.

Prouer.

Sacrificia vetera nō erant grata Deo: si pura nō reseruarentur.

¶Porrò insultat quispiam, item facere misericordiam, est opus exterius, vt & iacere iudicium, & hæc etiam, nisi ex pura intentione progrediantur, Deo non placent, vt ex Paulo didicimus. 1. Corin. 13. Respondetur, quod facere misericordiā, hoc loco, non est eleemosynam porrigere pauperi, sed seruare Dei legem, vt declaratum est. Is ergo, qui synceram fidem habet in Deū, & diligit fratrem propter Deum, hic est qui habet Dei scientiam, & hæc est misericordia, quam Deus per vatem hunc se dicit velle. *Misericordiam volo, & non sacrificium* vtraque schola, & Theologorum, & Philosophorum consentit, opera quædam ex genere suo esse bona, alia vero esse bona, non ex genere, sed ex præcipiente: etenim, pauperi porrigere eleemosynam ex suo genere bonū est, at verò in campum ire, ex suo genere neque bonum, neq; malum est: facere igitur misericordiam ex suo genere bonum est, at vero, mactare oues, vel boues, in sacrificium indifferens est, ex sua natura, at quando Deus illud iubebat bonum erat ex Dei positiuo præcepto, veruntamen intentio diuina in præceptis huiusmodi erat, vt animo impolluto, Hebræi illa sacrificia præcepta offerrent, siquidem sacrificia non mundabant mentem. Paulo autore impossibile est sanguine hircorū, aut taurorum deleri peccata. Hæc enim cum sint externa nullam habebant vim ad mūdandam mētem ab operibus mortuis. Quocirca qui immundo corde accedebat ea oblaturus, immundus remanebat. ¶Quamobrem, Deus per vates suos, hoc studuit, populum illum docere, ne crederent, quod multitudo immolatorū, eos mundabat à peccatis; sed sola fides, & pœnitentia in Deum de peccatis cōmissis. Ideo per Ieremiam capit. 11. ait Deus nunquid carnes sanctæ, auferent à te, malitias tuas in quibus gloriaris? Quasi dicat minimè.

Bona duplicia.

1. Cor. 13

Ad Hebr. 9.

¶Puta-

¶Putabant Hebræi ex immolatis, auferenda esse peccata sua, Deumque placādum: & hanc vanam opinionem excludit, facer vates, & huc spectant, quæ modo Oseas ait, *Misericordiam volui, & non sacrificium*, vtrumque sane id temporis, volebat Deus, quia vtrunque erat in præceptis. At vero sacrificia nuda, à misericordia & scientia Dei repudiabat Deus, magis volebat misericordiam & scientiā Dei sine sacrificio, quam sacrificium sine misericordia.

Sacrificiū Christianæ ecclesiæ est cōsummatio omnium sacrificiorum.

¶Porrò autem, sacrificium verum & immaculatum, quod in Ecclesia Catholica, iugiter celebratur, corporis, & sanguinis Domini, vtique ideo gratissimū semper est: quouis animo offeratur. Nō enim polluitur ex animo polluto, sicut neque sanctificatur, ex animo sanctificato. Tanta est, huius diuini sacrificij, sanctitas, tanta quę puritas, quanta, neque potest pollui à pollutis, neque sanctificari, à sanctificatis. Imo hoc sacrificium, offerentes sanctificat, si ipsi capaces sint sanctificationis, fiunt autem capaces, si grati Deo, tantum offerant sacrificium; & eos pro quibus offertur, etiam sanctificat. Nanque offertur, & pro viuis & defunctis. Et quidem defunctorum animas, quas purgatorius lustrat ignis, hoc sacrificium, relaxat, à purgatorijs pœnis, viuos quoque, in Dei amore auget, & in fide corroborat, illa sanè vetera sacrificia, hæc præstare nequibant, at vero vmbra erant tāti venturi tunc sacrificij. Id quod Christus obtulit primo in ara crucis suspensus, hostiam Deo semetipsum offerens, in odorem suauitatis, postmodum Christi sacerdotes iugiter immolāt idē, ad actionē gratiarū, pro iugibus beneficijs mūdo impēsis à Deo, & ad placationē diuinā, & demum, si rem istam expendis videbis, esse quoddam incruentum sacrificium cordis nostri, cuius meminit Dauid, dicens, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies: & hoc sanè est mysticè, sacrificiū. Quia secundum quādam similitudinem, ad cruenta sacrificia, sacrificium vocatur cruenta autem sacrificia erant alia ratione sacrificia; quia proprietate sermonis erant sacrificia.

Ad Ephe. 5.

¶Porrò sacrificium corporis & sanguinis Domini, bifariam consideratur, aut quatenus, ipse se obtulit in cruce pendēs, Deo patri pro delictis totius generis humani, & hoc sanè cruentum fuit sacrificium; sed cooperans omnia alia sacrificia. Siquidem nō sanguis boum, aut ouium vel agnorum, sed sanguis diuinus Deo immolabatur. Et hoc sacrificium, cōsummauit alia omnia sacrificia. Nam illa erāt vmbra huius sacrificij. Paulo testante ad Hebr. 9. Et quidem sacrificium cordis nostri, quod Deo immolatur per pœnitentiam, & sanctificationem, nullius efficaciæ esset, quia non mundaret cor humanum à suis maculis, nisi vim accepisset mundatoriam, ab hoc diuino sacrificio. Neque obieceris dicens, ante Christi mortem, multis fuisse cor contritum: siquidē Dauid præcesit Christi vocem, & alij pœnitentes innumeri. Dixerim, omnes hosce pœnitentes, sine fide implicita saltem, huius tanti sacrificij non potuisse, pœnitentiam habuisse fructuosam: de qua re nos in 4. sentē. multa disseruimus.

Cordis sacrificiū & alia omnia sacrificia à sacrificio diuino, vim habebant mundatoriam.

¶Alio autem modo, consideratur sacrificium corporis & sanguinis Domini, quatenus à sacerdotibus nouæ legis, & à tota ecclesia Dei simul offertur, quod sanè est idem sacrificium, cum priore, sed diuersa est oblatio. Quia iuxta primam consideration oblatio fuit à Christo facta Deo patri. Nam ipse se obtulit hostiam immaculatam Deo Ephes. 5. At vero nūc ab ecclesia offertur: & tunc quidem fuit cruentum sacrificium, nunc vero incruentum. At vero sicut tunc Christus se obtulit, pro viuis & defunctis, ita modo à sacerdotibus offertur, & pro viuis, & defunctis. Vtique Christus se obtulit pro viuis & defunctis; quippe ex valore mortis suæ inferni potentiam confregit: & animas sanctas ex ergastulo illo tenebricoso potenter eduxit. *Plusquam holocaustum*, Hebraicè, Holoqausta in plurali. Erat autem holocaustum, sacrificium, quod totum comburebatur, ad honorē Dei, quod maximi fiebat apud veteres, quia nihil eius cedebat in vtilitatem offerentium, sed totum cremabatur, ad honorē & cultum Dei. Ex istis non est accliue videre, quam delyrus est Lutherus, negans, sacramentum altaris esse sacrificium. Siquidē ipse negare nequit, corpus idem Christi esse in venerabili synaxeos sacramento, quod erat in cruce pendens idemque sanguis consecrari, qui tunc effusus fuit pendente Domino in cruce. Ipse nanque non diffite-

Sacrificiū in cruce celebratum fuit pro viuis, & defunctis.

diffitetur, esse corpus, & sanguinem Domini, in Eucharistia; etsi transsubstantiationem inficietur.

¶Neque rursus inficiari quibit, Christum se obtulisse, & fuisse verum sacrificium, siquidem inficiantem, Paulus conuincet ad Ephes. 5. vt supra retulimus. Si ergo, idem corpus, idem sanguis, est modo quæ tunc erant, si quia oblata sunt à Christo Deo patri, in remissionem delictorum nostrorum; fuit verum in cruce sacrificium, cum modo à sacerdotibus, & ab ecclesia Catholica, ad placandam Dei iram, ad actionem gratiarum, ad relaxationem pœnarum, pro peccatis iam remissis debitarum offertur, cur non dices optimo nomine esse sacrificium?

Cõfutatur Lutheri hæresis negat Eucharistiã esse sacrificiũ.

¶Ad hæc si offerre Deo cor cõtritum, & spiritum contribulatum, diuinæ literæ tradunt esse sacrificium, cur offerre Deo patri corpus Christi, quod olim in cruce pependit, & sanguinẽ Christi quõdam effusum pro genere humano, formidas hæretice dicere sacrificium? Hæc fusius non prosequimur modo, quia in disputationibus Theologicis, abundè hæc disseruimus. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me, Galaad ciuitas operantium idolum, supplanta ta sanguine.* Omnes peccatores imitantur Adam, & non solum imitantur, in peccatis actualibus, sed primitiuam culpam ab ipso trahunt. Quia omnes in Adam peccauerunt. Rom. 5. Vnde, peccator homo; à Paulo, scitè vocatur homo vetus, quia vetustissimum peccatorem Adamum sequitur. Vt etiam omnes iusti sequuntur, Christum qui est caput iustitiæ, & ille primus Adam, fuit caput iniustitiæ. Vnde iustus homo, à Paulo scita appellatio nouo vocatur nouus homo; quia nouissimũ hominem Christum, sequitur, & ab illo sibi conciliat nouitatem iustitiæ. Vnde 1. Cor. 15. Primus inquit Adam, de terra terrenus, nouissimus de cælo cælestis. Dicitur autem Christus nouissimus homo cælestis, quia neque ante ipsum neq; post ipsum erit alter homo, qui sit Deus homo, qui sit sine debito peccati homo, qui sit natus sine femine homo. Quia ergo Iudæi, & Israelitæ, præuaricati sunt diuinas leges, ideo ait. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum.* Adam, ideſt, homo à verbo Hebræo Adam, ideſt, rubuit, rutilauit, de scendit hoc nomen. Putant enim Hebræi ex rubra terra corpus primi hominis esse à Deo compositum. *Ibi præuaricati sunt in me.* Quia dixerat supra quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda? Id quod referebam ad beneficia & increpationes diuinas, ista clausula, cum præcedente, ad idem sunt referendæ. Quasi dixisset, etsi ego multa in vos contuli beneficia, multasque adhibuerim correptiones, nihilominus, sicut primus homo, transgressus est pactum meum, de non comedendo ligno verito vos item transgressi estis pacta, & præcepta mea. Et, ibi, ideſt, in terra sancta, quam vobis ob singularem dilectionem, dedi habitandam, præuaricati estis contra me. *Sicut Adam.* Magis ad literam iste locus exponendus est, trãsgressi sunt fœdus meum, sicut si esset fœdus initum cũ homine, vt legatur in genitiuo. *Sicut Adam*, sicut hominis: quia Hebræis, Adam, est indeclinabile. Et Lexicon Hebraicum Adam interpretatur, homo plebeius; vnde, est magna hæc increpatio diuini contemptus, transgressi sunt fœdus meum, perinde ac fuisset fœdus cùm homine plebeio, & infimæ notæ, cuius pacta, spernuntur aliquando, in eius cõtemptum. *Galaad*, regio Galileæ ad orientem vltra Iordanem Genes. 31. Vbi dimidia tribus Manasse accepit possessionem, cũ tribu Ruben, & Gad. Num. 31. Deut. 3. Iosue. 13. Huius vrbis etiam fit mẽtio in Psal. 59. Meus est Galaad. Et in Iere. 22. Galaad tu mihi caput Libani. Et capit. 8. Non est resina in Galaad, & pro resina Hebraicè, est balsamum, vel opobalsamum. Quia regio illa abũdabat balsamo, & chirurgis. At in hac regione creuit valde idololatria: quia ibi erant idola, quæ valde colebantur à Galaaditis. Vt ex capit. 12. infra colligitur, & hoc loco insinuatur. Ait enim, *Galaad ciuitas, operantiũ idolum*, etsi loco idolum Hebraicè, habetur iniquitatem, etsi Hebræa vox significat idolum, interpretatur enim multifariam Auan, vel Auen, significat enim idolũm, vel iniquitatem, dolorem, vel vanitatem, vnde Bethanan, domus iniquitatis, vel idoli, vel vanitatis. *Supplantata*, ideſt, oppressa vel polluta sanguine, erat enim regio hæc plena sanguinarijs hominibus, atque facinorosis. *Et quasi facies virorum latronum, particeps sacerdotum.* Pro, *Particeps*, Hebraicè legitur *Heber*. Haber autẽ, Hebræis, significat, quod Latinis socius, parti-

Galaad interpretatur tumultus testimonij.

Homines in actualibus culpis imitantur Adamũ, ac primitiuam culpã ab ipso trahunt.

ceps. Inde Heber cœtus, societas, cõsortium, & est apertior litera, si legamus societas sacerdotum, aut aptius conspiratio, quia sacerdotes excelsorum, seu idolorum, qui erant in Galaad, conspirabãt aduersus eos, qui ex regione illa tacti ex vera vnius Dei religione, cõcedebãt Ierosolymam, sacrificaturi in templo Dei. Et quia via erat per vrbem Sichem, ideo ibi obseruabant illos vt eos spoliarent, bonis, & priuarent vita. Et quia inhiabãt sanguini fundendo humano, & spoliãdis bonis viatorum, ideo eos confert faucibus sicariorum, & latronũ, qui instar leonũ, habent fauces hiantes, ad deuorandã prædam. Hæc vitia sæpè increpantur in scripturis sanctis; & vitio dantur Hebræis, & latrocinia, & sanguinis effusio. Vnde apud Isaiam legimus, cap. 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, iusti habitabant in ea, nunc autẽ homicidæ. Principes tui infideles, socij furum. Quibus verbis notat Ierosolymitas de idololatria, dũ ait, facta est meretrix; & de homicidio, & de furto. Et Dominus in Euangelio Ioan. 4. Iudæorum auaritiam, carpens, inquit domus mea domus orationis vocabitur, & vos fecistis eam speluncam latronum. *Quia scelus operati sunt.* Singulare pro plurali, ideſt, quia multa scelera sunt operati. Et quidẽ grande erat illud scelus cuius hic fit mẽtio, homines retrahere, à vera Dei religione, & diuinum cultum impedire: vt sacerdotes isti Galaaditæ faciebãt. ¶De quibus Dominus in Euangelio, ait. Qui scandalizauerit, vnum de pusillis istis, qui in me credunt expedit ei vt suspendatur, mola asinaria, ad collum eius, & demergatur in profundum maris. ¶Nam is qui verbo vel facto, studet auertere fideles, à syncera religionis Christianæ, hic est qui scandalizat fratrem suum. Et hoc studiũ vocatur Theologis, scandalum actiuum. Quippe data opera, is qui est eiusmodi intendit, auertere alios, à fide, vel lege Christi, & ecclesiæ suæ Catholicæ. Tales sunt hæretici omnes, qui hæresiarchę appellantur, vt hoc sæculo fuit Lutherus, & progenies eius tota videlicet Zuinglius, Carolstadius, Bucerus, & omnes aliæ hoc genus venenatæ bestiæ, quæ instar viperæ euomuerunt virus suum, in simplices fideles, abducendo eos ex libertate Euangelij, in Babylonicam diaboli captiuitatem. ¶Et quanuis Lutherus, scripserit librum de captiuitate Babylonica, quo intendit, vt Cyrus olim Iudæos, fideles ipse liberare, à captiuitate (vt ipse autumat) Romanæ ecclesiæ. Sed reuera, ipse cum suis, est qui hac Babylonica captiuitate premitur Babylonicum enim est, vnitatem ecclesiæ, scindere, vt ipse scindit, vana docens documenta. Babylonicum est ecclesiæ autoritatem perturbare, vt ipse perturbat, docendo, non esse obediendum Christi vicario, summo Pontifici. Babylonicum est ecclesiæ maiestatem, obscurare abrogando, omnes ecclesiasticas consuetudines, omnesque ecclesiasticos colendi Deum ritus. Vnde ipse dubio procul tenetur captiuitate Babylonica, à qua garrit suos esse assertos. Isti ergo hæretici, sunt vt sacerdotes Galaaditæ, qui erant idolorum sacrificuli, & inuidentes syncero Dei cultui, retrahebant fideles ne Deum verum colerent. *Pergentes de Sychem.* Sichem, vrbs est cuius fit mentio sæpè in diuinis literis, vbi morabatur Iacob, cum filijs suis Gen. 37. Erat autem metropolis Samariæ, *in limitibus Manasse Gen. 12. Hanc dictam* postea Neapolim in lib. traditionũ Hebraicarum Hierony. refert dicitur & Sichar sed corrupte à Græcis Ioan. 4. filius Hemor item appellatus Sichem. Genes. 33. Interpretatur autem humerus vnde pergentes de Sichem, idem est ac si dixisset pergentes ex humero, subaudi vno. Vt insinuet huiusmodi sacerdotes cõspirasse contra fideles, qui contendebant Ierosolymam petere, ad sacrificandum Deo viuenti. *In domo Israel, vidi horrendum.* Vidit visione Prophetica, itemque poterat videre idola Israelitarum visione sensibili & idololatriam, vocat horrendum insubaudi scelus, quia vt supra docuimus, vniuersa peccata excedit hoc scelus. Nisi quis hæsitasset, vtrũ esset scelestius, Deũ odio habere formali odio, an idolum colere? Enim vero, forsan videbitur odio expresse Deũ habere, esse scelestius quã idolum colere. Quia scelestius videtur Deum quem quis cognoscit recta fide, odire, quam Deum quem cognoscit, non colere pro Deo. Et quidem quæstio hæc supponit, vnum quod est, valde disceptã dũ an viator possit Deum formali odio habere? Dixerim formali odio, quia interpretatiuo odio, nihil habet disceptationis

Quid sit scandalũ actiuum.

Scãdalum actiuum pessimum scelus.

Hæresiarchæ adum brantur in sacrificulis Galaaditis.

tionis ſcriptura teſtante Pſal. 108. Et poſuerunt odiũ, pro dilectione mea. Et rurſus oderunt me gratis, & annuunt oculis Pſal. 34. & Pſal. 138. Nonne omnes qui te oderãt, odi, verum de formali odio eſt longa diſceptatio, quæ quia huic inſtituto, non ſeruit, miſſam faciamus. Crediderim tamen, non & peccatores, odio habeant Deum, dum legem eius non ſeruãt? Nam is ſolus cenſetur diligere Deũ, qui cuſtodit Dei præcepta tamen odio formali, & deliberato, nullum viatorẽ odio poſſe habere Deum de communi curſu viæ huius, eſt ſermo habemus. An tamen hoc ſit poſsibile viatorem odio formali Deum odire, non diffiteor eſſe impoſsibile. Nam tanta eſt arbitrij libertas, eoque malorum ſe poteſt deijcere, quod odio habere poſsit Deum. Iam vero, an hic ſceleſtior eſt ſi rogitas, quam idololatra, arbitror eſſe ſceleſtiorem. Siquidem Deum quem credit eſſe verum Deum, & ſumme ſuper omnia amandum, odio habet. Nam odio habere Deum hac ratione, vt vellet Deum non eſſe Deum, & velle quod nõ coleretur ab hominibus, imo dolere, q̃ colatur omnem nequitiam ſuperat; quia potius eſt damnatorum dæmonũ, atque hominum, quam viatorum. Et hoc odiũ eſt crimen læſæ maieſtatis, & acerbius, quam colere creaturam pro Deo, non curando de cultu veri Dei. Siquidem cum cultu huiuſmodi, non pugnat, idololatrã non dolere, de cultu veri Dei. Quinimo, & idololatræ multi fuere & forte ſunt apud Indos, & Æthiopas, qui miſcẽt cultũ veri Dei cũ cultu falſorũ deorum. Et
Cap. 17. ſcimus ex hiſtoria Actorum Apoſtolicorum, Athenis, aram quandam fuiſſe dicatam ignoto Deo, & ignotus Deus, illis, erat Deus verus. ¶At fortè obijcis cauſa odij, eſt mali ratio, ſiquidem bonum ſub ratione boni, non poteſt odio haberi, etſi poſsit ex libertate voluntatis, non diligi. Vnde, quidquid odio habetur, neceſſario, ſub ratione mali odio habetur: in Deo autem nulla ratio mali eſt, nanque vbi eſt infinita bonitas, nulla ratio mali eſt poſsibilis; igitur Deus non poteſt vllatenus odio haberi.

¶Reſpondetur, duplicem eſſe rationẽ mali, aut veram, & hæc impoſsibilis eſt ſimpliciter in Deo, vel fictam, ſeu imaginatam, & hæc non eſt in Deo, ſed à corruptione humani ingenij Deo attribuitur, & ſub hac eſt poſsibile odiũ Dei. Si enim eò poteſt labi humana temeritas quò credat nullum eſſe numen, ſed omnia caſu accidere, dixit enim inſipiẽs in corde ſuo non eſt Deus, qua temeritate delipuit, Lucianus ille, ob hoc dictus atheos, ideſt, ſine Deo, quid mirum, eſt, ſi humana inſolentia eò rapiatur, quò odio habeat Deũ, qui alioqui eſt ſummè amãdus ſuper omnem creaturam, fingatq̃ rationem mali, vbi eſt infinita ratio boni. Vt blaſphemi item blaſphemando, Deo ſæpè attribuunt, quod illi competere eſt impoſsibile: aut ab eo detrahunt, quod ab eo detrahi non poteſt, vt blaſphemantes dicunt Deum eſſe impotentem, aut non curare humana, aut eſſe corporeum, membriſq̃ humanis præditum. ¶Etſi nõ eſt neceſſe blaſphemantem, ex odio Dei blaſphemare, quia vel ex ignorantia, aut ex ira contra Deum, quod frequentius eſt blaſphemant; non quia formale odium Dei habẽt. Sicut neque neceſſe eſt quod ex infidelitate blaſphement, imo retenta fide vera, quod Deus eſt omnipotẽs; ſuccenſi ira, tanquam ebrij conuiciantur blaſphemi diuinæ omnipotentiæ, & ira de reliquis blaſphemijs. At vero, ſi quis ex odio formali contra Deũ blaſphemaſſet, hæc erat grauiſsima blaſphemia, quippe quæ procedebat ex diuino odio, & non ex ira, aut ex ignorantia. Porro autem in odio Dei, ſunt malitiæ gradus. Eſt enim odium Dei formale, alterum virtuale, vt prædiximus. At formale, aliud eſt ex quo homo nollet Deũ eſſe, & iſtud grauiſsimum omnium ſcelerum, aliud odiũ, non tam ferale eſt quod eſſet illius, qui non dolet quod Deus ſit, ſed vel quod colatur & honoretur à fidelibus vero cultu, aut dolet quod videat, & ſciat omnia & iſtud odiũ Dei, comparatione prioris, minus graue eſt. Quod ergo ſupradiximus idololatriã eſſe peſsimũ omniũ peccatorũ, tu intellige, cõferendo, ad omnia alia crimina, quæ cõmuniora & frequentiora ſunt, nõ ad ſcelus, quod eſt diuinum odiũ, quod etſi poſsibile ſit viatoribus, at vel nũquã accidet, vel erit quã rariſsimũ.

Ibi fornicationes Ephraim, vocat fornicationes, idolorũ cultus, per Ephraim, ſubaudit Iſraelitas, vt ſæpè iã adnotauimus. *Ibi*, ideſt, in terra promiſsionis. *Cõtaminatus eſt Iſrael*, repetitio eſt prioris ſentẽtię. *Sed & Iuda pone meſſem tibi, cum conuertero captiuitatem populi mei.* Locus hic obſcurã habet intelligentiam, & variè exponitur à Nicolao, & ordinaria gloſſa, at neutra expoſitio, meo iudicio, eſt huic concinna textui: ego vero paucis exponam locum hunc, ſcito igitur pro eo quod latina noſtra trãſlatio habet *meſsis*, Hebraicè, legimus nomen Caſsir & vox hæc deſcendet à verbo Caſsar, quod verbũ inter alia ſignificat metere, vel abſcindere. Vnde Caſsir, Meſsis, interpretatur vel abſciſſio. Vnde clarior eſſet ſenſus ſi legeremus ſed & Iuda, pone tibi abſciſsionem. Etſi in idem recidit latina verſio, quia meſsis nõ fit ſine ſegetum abſciſsione: ſenſus igitur eſt. O tu tribus Iuda, quæ pari innodaris ſcelere, cum decem tribubus, *Pone tibi*, ideſt præpara te, ad abſciſsionẽ tuam ferendam, ſeu prępara te, ad tui demeſsionem patiendam, *Quando conuertero ego captiuitatem populi mei*, ideſt, quando per mortem meam, & Euangelij mei prædicationem, populus gentium, qui olim nõ erat meus, iã efficietur meus Oſee. 1. & 2. Enim verò, de captiuitate, corporali Iudæorum per Nabuchodonoſor, locus hic egerrimè intelligi poteſt; ideo aptius, & clarius ad ſpiritualem captiuitatem, quam gentilitas, ab æuo patiebatur, intelligendus. Quando autem gentes ſunt conuerſæ, Iudæorum fuit ruina. Enim vero ante Chriſtianam fidem, vigebat lex Moſayca, templum illud celebre quod Zorobabel conſtruxerat, cum Ieſus ſacerdote magno ſtabat, diuinus cultus vnius Dei, ibi fulgebat, ſacrificia ſecundum legis diuinæ diſpoſitionem ibi celebrabantur; at vero coruſcante Euangelica luce, & conuerſis gentibus ad fidem euangelij, illa omnia fuerunt abolita, & abſciſſa prorſus: & veluti demeſſæ fuerunt illæ ſegetes, quæ ab agro ſuſtolluntur. Et hoc eſt quod ait, *Pone tibi meſſem*, ſeu ad demeſſionem tui, aut abſciſsionem te diſpone. Quaſi dixiſſet apertius decem tribus ex ſcelere ſuo peſſum ego dedi, & expuli, eos perpetuò: tu quoq; Iuda, nõ eris immunis à ſupplicio propter tua ſcelera: imo para te, ad tuam demeſsionem. Quãuis enim reuerſi Iudæi ex captiuitate, nõ fuerint idololatrę, niſi vi compulſi, & modico tempore; at vero quia Domini fidẽ Euangelicam abiecerunt, ideo gentibus introductis ad fidem, ipſi abſciſsi ſunt, id eſt, lex eorum abrogata eſt, & ſacerdotiũ eorum euanuit, & templum ſuum euerſum, vnde hoc inſinuans Paul. Rom. 10. ait, illorum delicto, ſalus eſt gentibus. Quod ſi delictum eorũ, diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium. Vbi vocat diminutionẽ Iudæorũ, quod Oſeas, dixit meſſem, ſeu demeſsionem, ſiue abſciſsionem Iudæorum. Et quidem hæc explanatio ſatis videtur concinere, cum inſtituto huius capituli, quod vt diximus ſtatum legis nouæ ſpectat. Græca pro eo quod in latina, legitur, pone tibi meſſem, habet *vindemiare tibi*, in vindemia autem abſcinduntur racemi à vite, & cõuenit cum priori noſtra expoſitione.

Si quis odio haberet Deum, fingeret in Deo rationem mali Deo repugnantem.

Blaſphemia nõ neceſſario procedit ex odio Dei aut ex infidelitate.

In odiẽdo Deo, ſunt malitiæ gradus.

EXPLANATIO IN CAP. VII. OSEE.

VM ſanare vellem, Iſrael, reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ: queniam operati ſunt mendacium. Scitè facer Paul. 1. Timot. 2. monet dicens, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et Dominus noſter Ieſus, eodem ſe teneri deſiderio, non raro in lectione Euãgelica demõſtrat. Nã quid eſt illud quod ait Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & regeni eſtis, & ego reficiam vos? Tollite iugũ meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Et illud rurſus. Matth. 23. Ieruſalẽ, Ieruſalẽ, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt, quoties volui cõgregare filios tuos ſicut gallina cõgregat pullos ſub alas ſuas & noluiſti. Et demũ plena eſt ſcriptura hoc genus teſtimonijs, quæ planè teſtantur, deſideriũ diuinum, ad trahendum ad ſe homines, ne pereant. Sed incolumes euadant ab hoc ſeculo, ad ſeculum venturum. ¶Cæterũ quia Deus ipſe, quæ eſt eius inſcrutabilis ſapientia, requirit, noſtri arbitrij operã, ideo, quia hanc non ſolũ nõ præſtamus, ſed potius, Deo vocãti ſæpè repugnamus. Ideo Dei voluntas, quæ ſigni voluntas, ſeu antecedens voluntas vocatur, non impletur. At noſtro nõ impletur grandi malo: ſiquidẽ, tãdẽ animaduertet in nos, noſtrã ad diuina capiẽda ſocordiam, & repugnantiam. Quæ omnia, nunc clarè cõtẽplari licebit, *aliquando* in noſtri vatis verbis propoſitis. Nanque Dei perſonam agens, ait cum ſanare

Voluntas Dei ſigni vel antecedens, quæ noſtro nõ impletur grandi malo ſiquidẽ ſunt præceptæ Dei & cõſilia

non impletur.

vellem siue cum curare vellem. Verbum enim Hebraicum hoc loco scriptum Rapah: sanare, & curare significat Deus igitur intendebat curare Israelitas, non est autem sermo de morbis modo corporis, sed de morbis animi. Istis nanque morbis ægrotabat valde. Et quidem animi ægritudines, longè peiores sunt, quam corporis. Nanque, cum istis afficitur corpus, salus, & vita periclitantur temporales, at vero cum illis mens afficitur, de salute & vita æterna periculum imminet. Et rursus animi morbi hominem prauum reddunt, at corporales morbi, non prauum reddunt, imo sæpè castigati ex huiusmodi morbis, ex morbis animæ sanantur. Et multis morbi corporales cum magno profectu spiritus acciderunt. Mala enim corporis, quæ interim nos premunt, ad Deum nos ire compellunt. ¶Sunt autem animi morbi, peccata omnia mortalia, venialia autem, non sunt morbi animi, sed præparãt ad animi morbos. Istis igitur morbis erat deprauata mens Israeliticæ nationis, vt ex superioribꝰ capitibus didicimus, Deus autem per prophetas suos, tanquam per spirituales medicos, eos curare intendebat, sunt enim diuini verbi proclamatores, medici spirituales animorum. Verbo enim Dei, curant mentes, & sanant eas, deducendo eas ad pœnitentiam agendam pro peccatis suis. Demonstrantes enim grauitatem, & periculum peccatorum, excitant animos auditorum, vt doleant de commissis, & proponant, de non committendis. Est enim pœnitentia saluberrimum, & necessarium, contra morbos animæ pharmacũ, sine quo nulli adulto patet animi sui salus. Etenim vt in cura morborum corporalium, est necessaria medicina, quã medicus submministrat, & item necessaria est cooperatio ægroti. Siquidem si medicina, vt potio, vel syrupum, non actuatur ab stomacho, ægroti, frustra adhibetur. Ita propè modum, frustra prædicatur Dei verbum, contemnenti illud, & sacramenta sine causa, administrãtur illis, repugnanti. Antidotis igitur diuinis, nõ est repugnandum, sed illis est obtemperandum, si volumus, illa cum salutis profectu recipere. Vnde quia sacris vatibus repugnatum est ab Israelitis, vt hic patet, & ex euãgelica enarratione liquet Matth. 23. ideo ait modo. *Cum vellem sanare Israel, reuelata est iniquitas eius.* Studuit enim per suos vates, incitare Israelitas, ad pœnitentiam agendam de turpibus facinoribus suis, vt Deo placato per pœnitentiam, non abigeret eos, in deterrimam captiuitatem, & corporum suorũ in præsenti seculo, & animorum in ventu ro. At vero, cum debuissent se corrigere ad vocem propheticã, non se correxerũt, imo in peius lapsi sunt. Siquidem tanto incẽsi erant peccãdi desiderio, vt peccata sua euulgarent & publicitus illa admitterent. Vt etiam Isaias ostendit cap. 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerũt. Effrænis enim est valde animus, & magnæ petulantiæ est argumẽtum peccatũ suum commendare, & coram populo nõ erubescere, illud factitare. Vertit autem in dubium glossa ad cap. clericus 81. dist. vtrum sit grauius, publicè, an occultè peccare. Et multis actis in disputationẽ, tandem concludit, non esse habendam rationem, si publicè, an occultè, peccatum patretur: sed solum, maior contemptus est considerandus. Qui enim ex maiori contemptu peccat ille magis peccat, siue clã culum, siue palam committatur. Ego vero dixerim cæteris paribus, publicũ esse grauius quam occultum. Siquidem, ex responsione glossæ, conficitur, palam peccare, esse grauius quam clãdestinum peccatum admittere. Siquidem magis cõtemnit qui palam peccat, impudentiusque agit. Vt is qui contumeliam in alium objcit, grauius delinquit, quam si clãculum, contra illum idem objceret. Et ratio prõpta est, quia magis contemnit eundem publicè, eum de honestans. ¶Ad hæc peccata publica sunt scandalosa, & occulta non item. Dixerim scandalosa: quia alios excitãt ad idem patrandum scelus etiam si is qui sic publicè peccat, non intendat alium pertrahere, in idem vel simile delictum. ¶Rursus ex Paulo maiori indigẽt antidoto, publicè peccantes. Ait, enim 1. *Tim.* 5. peccantes coram omnibus argue, vt & cẽteri timorem habeant. Id quod de peccatis publicis est intelligẽdum. ¶Præterea, hoc idem docemur ex vate nostro, dicente, *Cum sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas eius.* Id est publicata, & manifesta ta est palã iniquitas eius, seu in propatulo, sunt peccata eius. Quasi dixisset, mihi volẽti sanare, peccata Israeliticæ gẽtis, obstitit mihi eius impudẽtia, quia magis me spreuit, peccata admittens, publicẽ quasi

Pœnitẽtia necessariũ pharmacũ animimorbis sanandis.

quasi essent opera studiosa. Est autẽ hoc natiuum nobis, mala nostra, & defectus absconderè, & celare, ne deducantur in aliorum notitiam, vnde Dominus, Qui male agit odit lucem, & Iob inquit, oculus adulteri, obseruat caliginem. Quando verò, etiam sub luce, peccare intendunt, signum est, propensissimæ voluntatis ad peccatum ex nimia enim consuetudine ad peccatum, soluitur animus, ad publicum committendum peccatum, vel ad cõtemnendã famam publicã de peccato. Nãsuut peccata, quæ núllus palam facit, vt sunt adulteria, & fornicia, & hoc genus alia, verum adeo crescit aliquando libido peccandi, vt nulla habeatur ratio à peccãte, quod alijs notum sit suum peccatum. Israelitæ item, primo idola coluerũt clanculum dein vero, palam, illa colebant. Et quod summi erat delicti, religioni dabãt. Dixi notanter, cæteris paribus, quippe si paria nõ sunt cętera, fieri potest, vt occultum peccatum, sit grauius, quam manifestum. Enim vero hæresis occulta, grauior est quã fornicatio manifesta. Et fidelis occultus fornicarius, grauius peccat quam infidelis manifestus: & ita poteris in exẽpla alia discurrere. *Et malitia Samariæ*, Triplex esse peccatũ Theologi tradiderunt. Aliud, cuius causa est ignorantia, aliud vero cuius causa est, ira, vel aidens concupiscentia, vel alia passio animi, quod dixerunt esse peccatum ex infirmitate. Denique aliud est, quod est malitia. Quãdo scilicet, non deceptus ex ignorantia, neq; illectus ex cõcupiscentia, vel abstractus ab ira, vel deterritus timore, vel aliàs: sed sciens, & volens, nullo stimulãte, sed amore solum peccandi homo peccat. Et istud esse grauius cæteris, in confesso est apud omnes. Quoniam vbi magis est de voluntario malo, ibi turget amplius culpa. At verò, peccatum ex malitia, plus habet de voluntario, quam cætera denarrata. Nanque ignorantia diminuit voluntarium. At peccata quæ procedunt ex concupiscentia, aut ira, aut quauis alia passione, siue concupiscibilis, qualis est delectatio, seu voluptas, siue irascibilis, vt timor, non ex integro emanãt voluntario. Quippe, etsi voluptas, videatur augere voluntarium, cæterum, quia quodammodo videtur, trahere ad se voluntatem peccantis, & videtur sine coactione, quodammodo cogere voluntatem, & impellere ad peccandum, ideo videtur diminuere de voluntario deliberato: etsi naturale voluntarium augeat. Vnde quoque confessum est Theologis, coeuntem fœminam pulchram, peccare leuius, quam qui turpem coit, etsi vterque crimen admittat. Et ratio est, quia ille peccat ex maiori voluptate illectus. Pulchrum enim magis attrahit quam fœdum obiectum. Timor vero item diminuit voluntarium, & multo amplius, quam voluptas. Vnde magis peccat, cæteris paribus, qui ex voluptate, quam qui ex timore peccat. ¶Adde istis quod peccans ex malitia nõ habet vnde coloret, suam culpam, aut vi de eam vtcunque excuset, siquidem nihil habet, quod aliqua ratione diminuat suam culpam, imo habet vnde vehementius sit deferendus, nempe quia ex malitia, & ex studio peccandi, peccat. Et qui demũ peccat ex ignorantia, cessante ignorantia, culpã declinabit, & qui ex passione animi peccat, si tranquillum obtinuerit animum, à peccato cessabit. At vero, qui ex malitia, non habet, vnde desistatà peccato: quando quidem ex studio peccandi, peccatum admittit. *Quia igitur Israelitæ, non solum palam peccabant, sed* etiam ex malitia peccabant ideo volenti eos sanare, à morbis animi sui, ipsi obstabant, Deo ne sanarentur. At culpa non sanata, per gratiã Dei, est punienda. Secundum Dei iustitiam, ideo isti sunt à Deo acerbè puniti. *Operati sunt mendacium*, Omnia crimina, aptè appellantur mendacia quia, sicut sancta opera, dicuntur veritas vitæ, ita & peccata mendacia. Sunt nanque contra vitæ veritatem, est autem vitæ veritas operari, secundum legem Dei, & vitæ falsitas, illam violare. Sumitur enim vita, quando sic loquimur, non pro actu vitali, sed pro operatione recta, secundum legem. Et hæc est illa veritas, cuius Ephes. 4. meminit dicens, Veritatem autem facientes, in veritate crescamus. Et cap. 5. fructus lucis est, in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Israelitæ igitur ob hoc à vate, dicuntur operari mendacium, quia magni peccatores erãt, & alieni erãt à vitæ veritate, quæ est vita secundũ Dei volũtatẽ. Vnde, pfluxit illa iuris celebris regula vtilius scandalũ nasci permittitur, quã quod veritas vitæ relinquatur vt eũ aurichalcum, dicitur aurum falsum, quia veram non continet naturam auri, ita &

Peccata elancularia, aliquãdo sũt grauiora quã manifesta via.

Peccata quæ sunt ex malitia plenè sunt volũtaria & simpliciter & sẽcũdũ quid.

opera dicuntur mendacia, quæ non continent diuinæ legis verum testimonium. *Et fur ingressus est, spolians, latrunculus foris.* Hoc est turma latronum grassata est in eos. Quia non solum in vrbe, sed in itinere latrones grassabantur significat, omnia esse apud Israelitas, latrocinijs & furtis. Aut significat, quod foris, & intus erant latrones. Quia quidam, technis vtentes, & fraudibus spoliabant alios, vt visu venit falsarijs scribis, & mendacibus procuratoribus, & patronis infidelibus, qui aliorum occulta arte fallendi, spoliant bona, clientulorum suorum. *Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum, me recordatum, nunc circundederunt eos adinuentiones suæ; coram facie mea factæ sunt.* Locus hic difficilē se præbet, quippe potius videbatur dicendum, Ne forte dicant in cordibus, me non esse recordatum omnem malitiam eorum, nunc ideſt breui, circundabunt eos, angustiæ, propter prauas adinuentiones eorum quas, me sciente, ipsi patrauerunt. Et translatio Vatabli, ad hanc rationem vertit hūc locum videlicet. Neque cogitant in corde suo, quod ego memor sum omnis malitiæ ipsorum. Et ita est quosdam peccatores, adeo effrænes esse peccando, & præcipitio se dare, in via iniquitatis, quasi putantes Deum nullam rationem habiturum scelerum, hos commemorat Ezechiel. capite. 8. referens eorum verba. Dicunt enim Deus non videt nos. Et apud Iob, eadem fere in eorum persona denarrantur. Cardines, aiunt, cœli perambulat, subaudi Deus, cœlestia tantummodo versat, nec nostra considerat. Et Paulus, quosdam refert viuere sine Deo vitam degere desidem in hoc mundo. Et philosophi quidam vt Protagoras, & alij, itidem dixerunt, Deum negligere humana, & falso quidam idem peruersum dogma Aristoteli, tribuere conantur, cum Aristot. non fuerit inficiatus Dei prouidentiam, vt nos in. 1. libro Disputationū Theologicarum vberius disseruimus.

¶Ideo missa hac disputatione ad textus enarrationem referamus pedē, & quidem vulgata editio difficilior est intellectu quam Vatabli, Nicolaus autem expo suit illam, referens ad peccata antiqua Iudæorum, & Israelitarum & ad præsentia. Sub hac videlicet ratione. *Ne forte dicant in cordibus suis.* Me oblitū fuisse peccatorum antiquorum suorum, scilicet, adorationis vitulorum, quos iussit adorandos Ieroboam, & recentium peccatorum me solum habere memoriam mugentur. Quia priora peccata, non puniui, & hæc punire nunc instituo. Cum alioqui decipiantur; quia & præteritorum, & recentium peccatorum memoriam teneo. Nunc enim, id est, breui temporis spacio, vos ipsi experiemini, ex malis quæ vobis meo nutu accident, me cognoscere vniuersa delicta vestra. Alij vero, aliter exponunt. *Ne forte dicant in cordibus suis me recordatum peccatorum suorum antiquorum,* & præsentium, cum tamen antiqua peccata, non est cur obijciantur, videtur nanq; qui antiqua refricat, ex odio refricasse, vt sit sensus, vos putatis me ex odio agere in vestra delicta, & non ex mētis sinceritate, vos reprehendere. Imo cōtra est, quia prætermisis sceleribus antiquis multa alia peccata vos circumstant, vnde estis grauissime carpendi & puniendi. Siquidē præteritis illis veteribus culpis ex adoratione vitulorum, vos multas alias grauissimas adiecistis, quæ sunt adinuentiones vestræ, quæ sunt præsentes modo, coram facie mea. Et hoc est quod ait. *Circundederunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt.* At vero trāslatio Vatabli, videtur in hoc loco correctior, cui consonat textus sequens. Nam optimè cōueniunt cum verbis istis. *Neque cogitant in cordibus suis, quod ego memor sum malitiæ ipsorum.* Quod subdit, circundederunt eos, &c. ideſt post breue temporis spacium quando ex malis studijs suis, in captiuitatem Assyriacam, abducētur, discent, me habuisse, notitiam suorū scelerum; dissimulasse tamen interim vt eos ex mea misericordia ducerem, ad pœnitentiam suorum delictorum ne in profundum laborum, & calamitatum barathrum adigerentur. *Circundederunt,* pro circundabunt, metaphora est, qui enim circundatus est euadere nequit. Vt ergo significaret, Israelitas, non euasuros mala, ait circundabunt. *Adinuentiones suæ.* Habent iusti adinuentiones bonas, iuxta Isaiæ oraculum, Dicite iusto quoniam bene, fructum adinuentionum suarum comedet. cap. 3. & ibidem, adinuētiones malas commemorans ait, Adinuētiones eorum contra Dominum. Itemque scriptura non formidat tradere, Deū habere adinuētiones. Isai. 12. Notas faciet in populis adinuētiōes suas. Et Psal. 76. in adinuētionibus tuis exercebor sunt sanè adinuētiones diuinæ, operationes diuinæ, per quas homines ad se trahit, quæ equidē admodū mirabiles. An non dignissimæ sunt admiratione adinuētiones illę, ex quibus Deus ad se traxit Hebræorum nationes.

Adinuentiones diuinæ quales.

Quid mirabilius, quā eos cōducere & cōgregare in Ægypto, & ex paucis innumerabiles procreare ibidē? Quādo autē, maxima erat eorū multitudo Pharaonē portētis stupēdis deterrere, vt dimitteret Hebræā nationē: dein mare rubrum diuidere in diuisiones, & illud calcabile Hebræis præbere Ægyptijs in eodē submersis, & dein per vias eremi vastissimas, eos cibo cœlesti alere. 40. annis. & demū eos introducere in terrā Chananæorū subactis tot regibus, & gētibus barbaris, & illis quidē fortissimis. Sed quis poterit has oēs Dei adinuētiones, p dignitate denarrare, quibus vsus est vt Hebræorū genus, ad se traheret, ideſt, ad cultū verū Dei eos cōduceret, qū orbis totꝰ feruebat pessima idolorū religione? ¶At vero, si huiusmodi adinuētiones Dei mirādę sunt, quas meditabatur regiꝰ ille vates, lōge sunt mirabiliores adinuētiones qbus est vsus Dns, vt faceret sibi populū acceptabilē, & sectatorē bonorū operū: vt scilicet, nouā sibi cōderet ecclesiā. Siquidē, hæc est maxima omniū adinuētionū, quod verbū caro fieret. Et in carne hominibus, apparēs Deus, homines doceret euāgeliū salutis, & crudelē mortē pateretur, vt nos à crudeliori gehennæ morte tolleret, & tertio die gloriosus surgens ex mortuis. 40 die, triūphator ascenderet supra æthera, & carnē humanā quā ex nobis acceperat, ad dexteram Dei patris collocaret. Quod si veteres Dei adinuētiones, dignissimæ sunt, quæ meditentur à nobis, vt inde nota fit nobis Dei erga homines benignitas multo excellētius nouæ istæ Dei adinuētiones, sunt dignio res, quæ à nobis meditētur, ex istis enim, lōge vberius apparet benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, erudiens nos, vt abnegātes impietatē, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè, viuamus in hoc seculo. Ad Tit. 2. ¶Porro autē, adinuētiones iustorum, sunt etiā eorū operationes sanctæ & iustæ, quibus nituntur, diaboli vires confringere: & Deū sibi placabilē reddere vnde alij pollēt orationibus, alij eleemosynis nitent, alij lectioni sacræ incūbūt, alij peregrinatione fatigantur, alij ieiunijs macerātur &c. Quæ vniuersa dixeris esse adinuentiones sanctas. ¶Verū impij pro sua impietate habēt adinuētiones, vt nostro seculo Lutherus, adinuētiones habuit sceleſtissimas, adinuenit eīn solā fidē sat esse, assequēdæ saluti æternę. Adinuenit opera bona nō esse necessaria, nisi ad bonū fideliū exemplū, at meritorium habere nihil. Et hoc genus sunt alia pleraq; multa, de quibus rectè dixit Dauid, adinuentiones eorum contra Dominum. Aduersus has adinuentiones nos disputauimus in disputationibus nostris Theologicis, ideo ampliori disputationi supersedemus. ¶Adinuentiones igitur diuinæ Dei sunt magnæ misericordiæ, quibus humanæ miseretur naturæ. Adinuentiones iustorum, cibus sunt sanctorum, quibus pascuntur ad vitam æternā vt dixerit Isaias. Adinuentiones deniq; impiorū, non sunt cibus, imo venenū sunt ipsorū, ex quo pereūt in perditionē sempiternā, tales erant adinuentiones horū Israelitarū quarū hactenꝰ meminit vates. *In malitia sua lætificauerūt regē, & in mēdacijs eius principes.* De quibusdā dixit diuina scriptura lætātur cū malè fecerint, & exultāt in rebus pessimis. Pro. 2. Obstinati enim in peccato animi indiciū est, quod ex patrato scere exultet, vt signū cōciliatæ virtutis, autore Arist. est ex actione studiosa voluptas. ¶Vates igitur falsi, qui apud Israelitas erāt, lætificabāt reges illos idololatras, docentes, eis fas esse colere vitulos aureos, & deos vanos gentiū adorare cōfingebāt nāq; mēdacia, astruētes se esse Dei prophetas, sicut & pseudoapostoli profitebātur, esse se veros Dei Apostolos, & hæretici, se esse Catholicos profitētur: enimvero malū, cū sit priuatio boni, nihil viriū habet, ad decipiendū simplices, nisi induat laruā veri, & boni. Vt Paul. cōmorat, ipsum Sathanā sese trāsfundere in angelū lucis. Vnde legimus. 3. Reg. 13. quendā vatem senem, cū esset pseudouates, impostuisse vero vati Dei. Qui Dei nomine venerat, ad exprobrandam infidelitatem Ieroboam primi decem tribuum regis. In cuius conspectu idolo consecratum altare, ipse diuina virtute subito dissipauit; & cineres effudit. Et arefecit manum Ieroboam, qua restituta, cum recessisset in locum suum, obuium habet

Adinuentiones iustorum.

Adinuentiones impiorum.

Lutherus refellitur.

2. Cor. 11.

falsum illum vatem, cuius dudum memineram. Et quia verus vates, habuerat in diuinis mandatis, ne vesceretur in loco illo, aut biberet, occurrens ei senex pseudo uates, dixit sibi quoque locutum fuisse Angelum Domini, ex cuius sermone acceperat, fas esse vero vati conuesci, & cõbibere cum illo. Cui obtemperans verus Dei vates, fuit senis conuiua: at discedens ab eo dilaceratus à leone perijt. Id quod vero vati accidit, in pœnam inobedientiæ ad diuinum sermonem. Et credibile est, quod huius rei rumor peruagatus est apud Israelitas, & quod Ieroboam patefactus est, vnde ipse cum suis primoribus fuit exhilaratus. Cum credidissent, leonem vltum fuisse iniuriã irrogatam suo profano altari. Et demum siue hic vates, siue alij pseudouates hoc habebant studij suis commentationibus & falsis vaticinijs lætificare reges Israelitarum, & principes. Hoc enim vehementer amant peccatores, habere patronos suorum peccatorum. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Clibanus paulatim succenditur à furnario, & peccata sensim irruunt in hominem. Nemo enim repente fit optimus, neque repẽte fit pessimus. Habet enim virtus gradus, per quos tanquam per gradus scalæ, advirtutis apicem, prouehimur: habet itẽ & peccatum suos gradus; per quos gradatim in profundum malorum homo deijcitur. Hic locus si de adulterio carnali intelligatur verus est, quia adulteri succenduntur à libidine sicut clibanus. Cõcupiscentia enim carnis sicut ignis exardescit, verum si ad adulterium spirituale referas, vt ad literam videtur referendus, Israelitæ, non de repente prolapsi sunt in immane scelus quale est idololatria. Neque enim Ieroboam, hoc potuit de repẽte facere, sed paulatim, beneficijs propositis, & minis fulminatis. Et ideo ait. *Omnes adulterantes*, id est, idololatras vt clibanus fuisse succensos. Succendit enim illos primus Ieroboam, & dein successores, itemque succensi sunt à falsis vatibus suadentibus idem, quod reges & principes amabant suadendum. *Quieuit paulum ciuitas à commistione fermenti.* Dominus in Euangelio inquit, cauete â fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Et Paulus, scripsit, Christianis esse expurgandum, non in fermento veteri malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Tale erat fermentum Israelitarum, tunc fermentum malitiæ, de qua supra dixerat lætificauerunt regem, id est, reges singulare pro plurali, in sua malitia. Doctrina enim pseudouatum erat fermentum malitiæ, & nequitiæ, docebant enim fas esse adorare vitulos aureos, quos patres eorum coluerant in Ægypto. Hoc autem fermentum non corrupit repente decem tribus, sed solum maiores, & primores, ideo ait, quieuit paululum ciuitas. Item Ieroboam, non continuo, respuentes, idola pœnis torquebat, imo muneribus alliciebat, vt adorarent. *Donec fermentaretur totum*, id est, donec maxima pars decem tribuum, acquieuit regis imperio, & pseudouatum pessimę doctrinæ. Orandus igitur semper est Dominus, vt Catholicos principes, catholicosque doctores, ecclesiæ suæ donet. Siquidem salus ecclesiæ ab istis pendet. Nam plebecula, vt iumentum est, eò enim properat, quò à maioribus ducitur, vt videre licet in decem tribubus istis, quæ ex leui occasione, à Ieroboam, & pseudouatibus abducti sunt à fide vnius Dei, & lege Moysi, quam professi erant, ipsi & maiores eorum & in teterrimum idololatriæ scelus sunt demersi. Et Germania quoque huius rei testimonium euidens fert, quod vtinam non tulisset. Quæ ab vno lurido monacho, autoritate Germanorum principum fulto, quasi à modico iniquitatis fermento, tota est fermentata, & corruptionis fermentum huc vsque seruet cum salutis suæ summo dispendio. *Dies regis nostri, cœperunt principes furere à vino extendit manum suam cum illusoribus.* Hebraicè, *die*, & significat diem natalitium regis, vel diem coronationis suæ, quando coronatus est, à proceribus regni in regnum Ieroboam, vel alij reges Israel, vt sit singularis pro plurali. Et hoc sermone inuehitur vates, in ebrietatem, principum illorum. Et istud ebrietatis vitium accidere semper solet in diebus valde festiuis. Tunc nanque plurimum indulgetur Bacho. Notantur autem isti nunc à vate, non solum de ebrietate. Sed de facinoribus sequentibus ebrietatem. Ideo ait. *Cœperunt principes furere à vino*, ideſt, correpti sunt furore, ad perpetrandum mala in conciues.

Veri vates aliquã do decepti à falsis vatib⁹ vt Catholici ab hæreticis.

Ecclꝰ.9.

Mat. 16.
1.Cor. 5.

Salus ecclesiæ pendet à maioribus.

Lutherus sicut modicũ fermentum Germaniã corrupit.

Quare

Quare dixit Aristoteles, ebrios duplici pœna esse mulctandos, & quia se ingurgitant vino, & quia furibundi à vino, in multa noxia prolabantur, instar furiosorum hominum. *Extendit* Hebraicè *iunxit* Ieroboam, auersus à Deo, iniuit pactum, cum nugacibus hominibus, scilicet cum auaris, adulteris, falsarijs, pseudo prophetis. Aut extendit manum suam, id est dedit operam, cum illusoribus, id est nugas est operatus. Nam mendacijs intendebat, vnde populum Dei posset fallere. Hoc idem est intentum hæreticorũ, manus suas extendere, cum illusoribus, siue enim scriptis, siue verbis, istud vnicè spectant illudere, scilicet populo Dei, Et nugas, fallaces amant & nugas libris suis spargunt, & veritatem Dei contemnunt, *cum illusoribus*, Græcè cum pestilentibus verè hæretici sunt pestilentes, quia nulla pestis maior hæresi, nam ecclesiã Dei maximè conturbat, *Quia applicauerunt quasi clibanũ cor suum, cum insidiaretur eis.* Quia notauerat principes illos idololatras, de idololatria, de adulterio, de ebrietate, de furore, de nugacitate, nunc de insidijs eos notat: dicens applicauerunt cor suum, id est corda & animos suos ad hoc instituebant, vt conciuibus pararent insidias, vnde possent eis nocere. Parabant autem insidias nõ segniter, aut desidiosè, sed feruẽti studio, & ardentibus votis. Flagrabant enim, ad istud facinus, instar clibani succensi. Mira exaggeratio, vt ex sensibili ardore furni, qui vehementissimus est, quãdo panes sibi iniectos decoquit, manifestum faceret insatiabile desiderium Israelitarum ad nocendum alijs, vt *insidiaretur eis*, Hebraicè, in insidijs suis: & est apertior sensus, videlicet quod principes Israelitæ accommodauerũt animos suos, ardentissimos vt fornacem, vt insidiarentur popularibus. Vt verbum *insidiaretur*, vsurpetur pro nomine, *In insidijs*, suis. Tota equidem pernicies populorũ hæc est, principes technis vti, & astutijs, quæ vocantur modo insidiæ, ad spoliandum plebes sibi subiectas. Siquidem, si Rex nocere cupit nulla potentior, vt noceat, & nullus nocentior quando nocet. Vnde Psalm. 9. Insidiatur, vt leo in spelunca sua. Siquidem principes, propter suas vires conferuntur leonibus, fortissimis animalibus. Leonis igitur instar, principes tyranni, erant isti Israelitæ, sedebant in occultis, vt interficerent innocentes. Eatenus autem sedebant in occultis, quatenus (vt aiebam) technas fabricabant taciti apud se, quibus possent expilare facultates popularium. Horum sunt imitatores oẽs, qui tyrannidẽ exercent in sibi subditos: & qui vijs excogitatis curãt eorum deuorare bona exactionib⁹, tributis vectigalibus, & alijs hoc genus impositionibus. Nã & si fas sit, tributa exigere, & vectigalia &c. vt Paul. docet Rom. 13. at vero nouas quotidie excogitare impositiones, nouaq; grauamina super ceruices populorũ imponere, vnde ipsi depauperẽtur, & eorũ facultates deuoluãtur ad principes, non licet. Imo qui talia meditãtur similes sunt istis Israelitis: qui accensa vt fornax ardentissima sua habebant desiderio, ad deuorandum suis fraudulentijs, quæ hoc loco vocantur insidiæ subiectas plebes. At vero audiant isti quid diuinus enũciet sermo Prouerbiorum vndecimo. Insidijs suis capientur iniqui. *Tota nocte dormiuit coquens eos, mane ipse succensus, quasi ignis flammæ.* Prosequitur vates, quod cæperat de insidiatoribus dicere: & ait, quod illi insidiatores nocte dormiebant, id est in lecto quiescebant, & tunc excogitabant, & moliebantur fraudes, ex quibus deciperent populares: vt eos spoliarent bonis suis. *Coquens eos*, id est affectabant ardenter populum expilare instar clibani accensi à furnario, vel vocat concoctionem, meditationem feruentem, ad nocendum. Nanque mens secum multa deliberans, dicitur ea concoquere, ex vulgato modo dicendi. *Mane ipse* pro ipsi, id est postquam noctu apud se deliberauerunt, qua arte essent vsuri, ad lædendum, mane surgebant prompti, vt quæ feruenti animo deliberauerãt, citissimè complerent. Et quia ignis citam & vehementem habet actionem, ideo cõferuntur isti tyranni, ignis flamma emittenti, qui vehementior est, quã ignis, non flammans, *Omnes calefacti sunt tanquam clibanus & deuorauerunt iudices suos*, significat vates sub statu idololatriæ factiones accidisse in Israel, vt traditur lib. Regũ. 3. cap. 15. Vbi referuntur coniurationes, & conspirationes factas contra reges Israel, qui erant iudices illius regni, vt Phace filius Romeliç coniurauit contra Phaceia filium Manahen, Osee filius Ela, item cõspirauit contra Phaceia filium Romeliæ,

Tyrannorũ mores.

eum occidens, vt fecerat ipſe occidendo Phacefilium Manahē. Et alias eſt credibile fuiſſe pleraſque multas ſeditiones factiones, conſpirationes in regno illo. Nanque læſa ſinceritate religionis, omnia ſus deque peruertuntur, & adminiſtratio rei publicæ cōfunditur, vt accidit Germanis vt fertur, poſtquam ſe ab obedientia catholicæ Eccleſiæ ſubduxerunt. Iſtud eſt quod ait, & deuorauerūt iudices ſuos, nam quando factiones vexant populum mutuis cædibus ſe cōcidunt, & latrocinijs patent omnia & iudices & proceres, non ſunt tuti, imo in ipſos ſæuit etiam factioſa rabies ſiquidem ex libidine dominandi, veteres deijciuntur, & noui creātur rectores. *Omnes calefacti*, vel ſunt calefacti, ex nimia potatione vini, cuius dudum meminerat. Et calefacti à vino furentes erāt vnde factionibus turbabāt vniuerſa, tāquam ebrij, vel calefacti ab ira, ira enim etiam eſt velut vinum inebrians, vnde ira tum valde ebrium eſſe dicimus. Ira enim Dei iuſtitiam non operatur. *Omnes reges eorum ceciderunt.* Iſraelitæ Reges ceciderunt, quia diuino iudicio tandem regnū Iſraeliticum fuit collapſum, & in perpetuam miſeriam fuerunt abacti. Et quanuis multi fuerunt Reges, at nullus eorum habuit perpetuos ſucceſſores, ſed extincta fuit cito regni ſucceſsio ex ſtirpe vna. Vt eſt videre in ſucceſsione Ieroboam, regis primi, & in ſucceſsione Iehu, & aliorum regum Iſrael. *Et non eſt qui clamet ad me.* Hæc diuina eſt benignitas, cupiens, homines, quātūlibet impios ad ſe trahere, ideo cum impijs Iſraelitis expoſtulat modo dicens, & non eſt qui clamet ad me. Non enim confugiebant ad dominum Deum verum, vt eriperentur, à malis quæ prædicebant vates Dei, illis euentura, ſed cōfugiebāt ad ſuos vitulos, de quibus quondam tantiſperdum vagarentur in deſerto dixerāt, iſti ſunt dij tui Iſrael, qui eduxerūt te de terra Ægypti, & ad alios deos gētium. Deus autem vult, vt ad ipſum confugiamus, vt ipſum inuocemus, in neceſsitatibus, & periculis noſtris. At ea eſt noſtra calamitas, vt ſæpè relicto Deo, ad vana præſidia confugiamus, vt fecit Saul, qui abijt conſulturus Pythoniſſam ſuper negotio belli aduerſus Philiſtæos. Et Ochozias, qui iuſsit ſuis, vt conſulerent Deum Acaron, ſuper morbo, quo premebatur, an eſſet ab illo eruēdus, an non? Quibus obuium ſe fecit Elias Dei vates, eos carpens his verbis. Nunquid, dicens, non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Acaron? 4. Reg. 1. Id quod accidit etiam malis fidelibus, qui item vadūt, pro ſuis gerendis negotijs conſulturi maleficos, & maleficas, & relinquunt Dei veri inuocationem, precibus & altaris ſacrificio, vt verè contra eos verba prophetæ huius, ſint dicta. *Non eſt in eis, qui clamet ad me, Ephraim in populis ipſe commiſcebatur: Ephraim factus eſt ſubcinericius panis, qui non reuerſatur.* Declarat vates mala, quæ ſequuta ſunt Iſraelitas, quia non erat in eis, qui clamaret ad dominum, fuerūt autem mala captiuitas perpetua, qua vſque modo premuntur. Et hoc eſt, quod ait, Ephraim, ſub Ephraim decem tribus ſub intelligens, commiſcebatur, pro commiſcebatur in populis, id eſt, gentibus alienis, ſcilicet Aſsyrijs. Et ideo Iſraelitas comparat placentę, quæ immiſcetur prunis, vt coquatur, quæ ſi nō reuerſatur ſeu reuoluitur, tota deuritur, & in carbones conuertitur. Sic igitur Iſraelitæ immiſsi ſunt ex diuino nutu in ignē, per ignē tribulationē captiuitatis, & aliarū calamitatū aduerſitatē ſubaudi, more cōſueto ſcripturæ: at vero coniecti, in huiuſmodi ignem, ſicut placenta, Hiſpanè halullo, nunquam fuit reuoluta placēta hæc, quia perpetuæ captiuitati ſunt addicti, ideo conuerſi ſunt in carbones, ſiquidem facti ſunt miſerrimi, & contemptiſsimi inter nationes. *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit, & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit.* Adhuc quod ſub ænigmate dixerat, placentæ, apertiore ſermone exponit. Vocās alienos Aſsyrios, & alias barbaras nationes. Et iſti comederunt robur Ephraim, id eſt facultates, & opes ingentes Iſraelitarum, ſpoliauerunt. Vt accidit ijs, qui in captiuitatem ducuntur. Perſonis enim redactis in ſeruitutem, cuncta, quæ poſsident, ſubduntur captiuantium dominio. *Et ipſe neſciuit,* Sanè neſciuit, non ex defectu magiſtrorum, ſiquidem Dominus, per Hoſæam, & alios vates prænuntiauit eis futurum exitium, at vero ipſi, auerterunt auditū à veridicis vatibus: & ad fabulas pſeudoautum ſunt conuerſi. Ideo ait. Neſciuit, quia noluit ſcire, vt regius vates ait, Noluit intelligere, vt benè ageret. At Paulus.

2. Reg. 18.

Pſal. 35.

1. Corin.

1. Cor. 14. Ignorans ignorabitur. *Et cani.* exaggerat ignorātiam Iſraelitarum in rebus diuinis. Enim vero quod iuuenes ſint ignorantes, miratur nemo, quia ætas hoc ſecum fert iuuenilis. Quippe quæ cum non ſit experta multa, ob ætatis paucitatem, diſcere non potuit, multa experientia enim eſt, quæ homines facit prudentes. At vero ſenes, quippe qui prouectam ætatem habent, & in multis iam ſunt verſati, eos multa ſcire, conſentaneum eſt. Quam ob rem, cum Iſraelitæ ſupra ducentos annos, fuerunt abalienati, à vero Dei cultu, & nihilominus fuerunt admoniti per ſanctos Dei vates, operæpretiū feciſſent, ſi poſt tam longam in peccatis ſenectutem, reſipiſcerent à ſuis erratis: at vero, qui etiam num, repugnarunt diuinis mandatis. Id circo ait, *Cani effuſi ſunt.* Per canos intelligens, in peccatis diuturnam permanſionem. Sed reuera, difficilem habent curam peccata, quæ ex multa ætate ſenuerunt. Vt dixit ille ſero medicina paratur, cū longa ſ mala obtinuere moras. Conſuetudo enim autore Ariſtotele, eſt altera natura. Quod ſi bona eſt conſuetudo, bona eſt natura, ſi vero mala, mala. Quo fit, vt ſicut natura promptā habet ſuam operationem, & difficile eſt admodum, naturā abſtrahere à ſua actione, vt prouerbio dicitur. Quod natura dat, nemo negare poteſt: ita quoque virtus cum iam abijt in longam conſuetudinem radicatur adeò in hominis anima, vt operoſiſsimū, eam ſit euellere. Et itidem peccatū, ſi radices ex multa mora in corde hominis egerit, multi negotij erit, illud eradicare. ¶ Hoc eſt quod docetur apud Ieremiā, Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum? Neque vatis verba huius intelligas, tam impoſsibile eſſe hominem aſſuetum peccatis, corrigi, & melius ſapere, quam impoſsibile eſt Æthiopi, mutare nigrorem pellis ſuæ, aut Pardo, mutare varietates, quibus eius pellis, eſt variegata. Etenim illud eſt impoſsibile per naturam prorſus, verum hoc non eſt impoſsibile. Siquidem conſuetudo firmata ex multis actis, non cogit hominē, ad officia, vel peccata, ſi nanque cogeret, neque ſtudioſus benè ageret, neque vicioſus turpiter operaretur. Quandoquidem vtrique, neceſſario operantur. Et quando neceſsitas cogit, neque laus eſt operi bono, neque reprehenſio operi malo. Quo circa Ieremiæ verba ſunt audienda, iuxta phraſim phyſicam, & vulgatam. Etenim ea philoſophi & vulgares homines, vociſant impoſsibilia, quæ ſunt valde factu difficilia. Vnde cum conſuetudo peccandi, ſic figat hominem in fæcibus peccatorum, vt operoſum ſit valde, eum abſtrahere, vel reuocare ab hac conſuetudine, ideo Ieremias contulit correctionem malæ conſuetudinis peccandi, rebus impoſsibilibus. Eſt enim diuinis literis familiaris loquendi tropus, qui eſt hyperbole, ex quo ad exaggerandū quod dicitur, non adequato ſermone vtitur, ſed exceſsiuo, vt, erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, & ſicut arenæ maris. Vtique non eſt adæquatio ſermonis cum re ipſa: quia nulla comparatio inter multitudinem arenarum, & multitudinem Iudæorum, cum multis illę excedant numero, omnes Hebræos. Cæterum non ſic dicitur, vt credamus eſſe comparabiles numero, ſed vt ex exceſſu ſermonis, magnitudo prolis Iudaicæ ſubdenotetur: & ita aliàs ſæpiſsimè in diuino eloquio. ¶ Ita in præſentia, dicitur Ieremiam exaggeraſſe, difficultatē corrigendi peſsimam cōſuetudinem, conferendo illam, rebus ex natura impoſsibilibus. Vnde dominus Ioan. 11. Excitaturus Lazarum à morte quatriduana, maiori negotio eſt vſus, quā ſuſcitans vel puellam archiſynagogi filiā, vel ſuſcitans adoleſcentem viduæ filium. ¶ Enim vero Lazarus, quatriduanus, & iam lapide ſepulchri obductus, haud dubium peccatorem obfirmatum in peccato ſubindicat, quē lapis obdurationis detinet, ne à peccato ſe aſſerat. Hunc igitur peccatorem fœtentem ex longa peccandi conſuetudine, & obduratum inſtar lapidis, ex ſua obſtinatione, non vulgaria Dei ad reuocandum eū præſidia ſunt neceſſaria: ſed ſingulari bus Dei auxilijs cū illo agendū eſt. Maxima voce eſt illi inclamādū, vt Lazarū vocans, Chriſtus magna voce clamauit, dicens, Lazare veni foras. At poſtquam Dei gratia fuerit rediuiuus, adhuc ligatus faſcijs & mortalibus extat. Sunt autem hęc ligamina mortalia, priſtinæ prauæ conſuetudinis inclinationes, quæ iam iuſtificatum hominem etiam ligant. Quæris forſan vt ligant? dicam tibi, ſanè ligant, quia non ſtatim à iuſtificatione, homo ſe aſſerit,

Fugienda valde eſt longa in peccato cō ſuetudo.

Capit. 13.

Hyperbole eſt valde familiaris ſcriptis sā ctis.

Veterani peccatorē multo Dei præſidio egere ad iuſtificationem ſuam.

asserit, ab inclinationibus istis pessimis, quæ sunt reliquiæ peccatorum priorum. Nã iustificatus istiusmodi, illas patitur, velit, nolit & hoc est ligamen earum. Verumtamen si diuina opitulante gratia, nõ iustificatus, illis repugnauerit, hæc ligamina non nocebunt. *Et humiliabitur superbia Israel, in facie eius, nec reuersi sunt ad dominum Deum suum, & non quæsierũt eum in omnibus his.* Mira est obstinatio peccatorum quorundam, quod etiam afflicti à Deo propter sua peccata, & vehementer depressi, neque tamen, sic mollescunt, vt ad Deum conuertantur. Qui equidem sunt lapide duriores, lapis enim ictibus frangitur: at vero isti diuinis ictibus concussi conteruntur. Tales erant isti Israelitæ, doquib⁹ psalmographus cecinit, Dissipati sunt & non sunt compũcti. Et Ezechiel docet, eos habuisse cor lapideum. *Psal.34. Capit.36.*

Hoc est igitur quod ait, *Humiliabitur*, id est, deprimetur eleuatum Israelitarum, quod factum est, cum abduxit eos Rex Assyrius Salmanasar. Quia etiam si Teglathphaassar, & Phul reges Assyrij, eos depressserint, non tamen prorsus depresse runt, vt sub Salmanasar, quemadmodum ex superioribus discere poteris. *Humiliabitur*, Christus docuit, *Qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur*, idem habetur Isaiæ 2. ¶ *Isti Israelitæ* igitur, se exaltarunt contra Deum, quippe legem Dei, & cultum Dei spreuerunt, ob eã causam Deus depressit eos. Et eorum depressionem modo videmus, quia Christum neglexerũt. Et hucusque persistit eorum contumax superbia, contra Christum dominum, & ideo perseuerat etiam eorum depressio, & abiectio *in facie eius*. Iudæi clarè vident se esse abiectos inter nationes omnes, & nihilominus obstinati etiam num persistunt. *Et factus est Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor.* Sæpè refricat hic vates, ignorantiam Israelitarum, vt supra dixerat eos non habuisse scientiam Dei. Et Isaias, concinit, Propterea dicens captiuus ductus est populus, quia non habuit scientiam: vt superior sermo demõstrauit. Hoc idem replicat nunc dicens, Israelitas, factos esse instar columbæ stolidæ, quæ rectibus aucupis capitur *factus est*, præteritum pro futuro, quia Israelitæ, tunc nondũ erant irretiti retibus Salmanasar Assyrij regis. Quia etsi Teglathphaassar, duas tribus cum dimidia iam abegerat, non tamen omnes. Meminit autem columbæ, quia est auis simplicissima. Cuius simplicitatẽ euangelica oracula, non tacuerunt. Estote, inquit, prudẽtes sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ, *non habens cor*, id est carens astutia, & prudentia ad cauendum pericula vitæ, sibi imminentia, quam tamen alijs volucribus experimur adesse. *Ægyptum inuocabant, ad Assyrios obierunt. Et cum profecti fuerint expandam super eos rete meum.* Legimus in libro 4. Reg. 15. Israelitas, pependisse tributa Phul, Assyrio regi, ne illis noceret. Et capit. 17. traditur, quod Oseas rex tribuum Israeliticarũ pendebat tributa Salmanasar regi Assyrio. At fastidiens Oseas, hic huiusmodi seruitutẽ, confugit ad opem Sua, regis Ægypti, contra præfatum Salmanasar implorandam. Quod tamen, vt resciuit Salmanasar, reliquas tribus octo, scilicet cum dimidia, quæ superfuerant, ex prima captiuitate facta, per Teglath phaasar, abegit è terra Israelitarum, & transtulit in Assyrios. Et istud est, quod modo ait, Ægyptum inuocabant, id est, regis Ægypti sua auxilia implorabant, siue implorabunt. *Ad Assyrios abierunt*, sub Phul rege Assyrio, & istud primum fuit, etsi referatur posterius. At hac ratione ordinem gestorum inuertere, cõsuetum est prophetis. Gesta enim non ordine quo sunt gesta denarrant, sed sæpè ordine inuerso: siquidẽ, aliud est prophetare, aliud historiam texere. Habes huius rei exempla prompta in Ieremia, & Ezechiele. *Et cum profecta*, siquidem implorato auxilio Ægyptiaco, continuo fuerunt obsessi Israelitæ à Salmanasar, & destituti ope Ægyptiaca, fuerunt captiuati. Et istud est quod ait, *Expandam super illos rete meum*, vocat captiuitatem illam rete suũ Deus, quia Deo permittente, in supplicium tantorum flagitiorum, quanta Israelitas fecisse, retulimus supra fuerunt irretiti miserabili, illa captiuitate. *Et quasi volucrem cœli detrahã eos.* Singulare pro plurali, quasi volucres cœli: contulerat eos columbæ, paulò antè; vt eorum imprudentiam notaret, nunc volucribus cæli, quæ sublimia petunt, quia sublime volãt, eos rursus comparat: vt eorum superbiã subnotet: quanuis supra, eorum superbiam deijciendam clarè dixerat. ¶ Vt igitur aucupes aues, sublime volantes sagittis

Lucæ 14. Lucæ.18.

4.Reg.15.

Matth.10

Sacri Dei vates non semper in narrandis gestis historiæ ordinẽ obseruant.

sursum iactis, aut rotundis spherulis terreis ex arcubus sursum proiectis, aut catapultis, siue alijs machinis ab aucupib⁹ excogitatis, illas impetunt, & vulnerant, & vulneratas, ex alto in terram deijciunt, sic ait Deus, superbos Israelitas, ex altitudine suæ superbiæ, esse præcipitandos. Et idem versat Isaias cap. 2. dicens, Dies domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur. *Et cædam eos, secundum auditionem cœtus eorum.* Idest affligam eos, iuxta id quod ipsi audierunt me docente eos, & congregatione ipsorum annuente & approbante in Ægypti deserto. Nanque vt patet ex Deuter. & Leuitico, Dominus benedictiones multas exposuit, colentibus ipsum, & maledictiones item, renuentibus, & ipsis congregatis sunt expositæ clarè à Moyse Leuit. 26. *Væ eis, quia recesserunt à me: vastabuntur, quia recesserunt à me.* Væ in scripturis ingens minatur malum imo exitium sempiternum. Vnde dominus, istud inge minat væ scribis, & Pharisæis, & Corozaim & Bethsaidæ. Vnde cap. 10. Isaias, Væ qui condunt leges iniquas, & scriben tes iniustitiam scripserunt. Et cap. 5. plu ries repetit hoc væ contra auaros, contra ebrios, contra iudices malos peruertẽtes iusta iudicia contraque superbos: vt nos latè disseruimus, in dilucidationibus ad Isaiam. *Et ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Redemit eos Deus, quia Hebræam nationem, oppressam à Pharaone, & grauiter vexatam, dominus per Mosem liberauit, & hanc liberationẽ vocat redemptionem. At vero ingrati Hebræi non considerantes tam præclara Dei beneficia collata maioribus suis, locuti sunt contra Deum mendacia. Maximum enim fuit mẽdaciũ, cõtra Deũ vitulis aureis dicere, isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra AEgypti. *Et non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis: super triticum, & vinum, ruminabant, recesserunt à me.* Est clamor voce formatus, & hic sensibilis est, & est clamor in corde, & hic intelligibilis est à solo Deo, qui nouit cordis nostri arcana.

¶ Prodest autem nihil ore clamare, & non corde: qui est clamor in spiritu, vel mentalis clamor. Vnde Paulus, Orabo ait, Spiritu, orabo & mente; Quãuis enim oratio voce prolata, sit necessaria, si quidem Dominus, in horto vocalem protulit orationem, dicens, Pater si possibile est transeat à me calix iste. Itemque domino iubente, vt Patrem cælestem oremus, his verbis, Pater noster qui est in cælis, non exclusit vocalem, imo vocalẽ orationem præcepit. Cæterum, quia voces sunt ſſgna conceptuum. 1. Periher. ideo, Si mens vacua est ab orationis religione, vocalis oratio infructuosa erit. Isti igitur Israelitæ, quia miscebant Dei cultum, cũ immundo cultu dæmoniorum, etiam clamabãt ad Dominũ, at quia in mente ipsorum, non erat veri numinis religio syncera, sed corruptissima: significat autem clamare in scriptura, vehementiam orationis. Vnde illud ad Dominũ cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Id est cum premeret me tribulatio, vehementer clamaui ad Deum vt me eriperet ab ea. Et illud clamauit ad me, & ego exaudiã eum, cum ipso sum in tribulatione, &c. Aut significat ardentem, & assiduam admonitionem vt dominus Isaiæ, ait, clama, ne cesses, exalta sicut tuba vocem tuam, vt annunties populo meo, scelera eorum, aut significat immanitatem & publicitatem, sceleris, quale est illud, clamor Sodomorum venit ad me. ¶ Hoc vero loco, mentalem orationem vehementem, vnde resultat vocalis oratio, clamare in cor de significat, id quod quia alienum erat ab Israelitis, illis vitio datur. ¶ Porro autem forsan opponet quispiam, dicens nõ esse necessariam ad Deum placãdum, vel ad impetrandum beneficia ab ipso vocalem orationem. Siquidem Deus est cordis inspector, & antequam oremus ipse nouit: quid oraturi sumus, quorsum igitur voce est agendum coram Deo, cui notus est noster spiritus, & quid in eo agitur, illi est manifestissimum? Et istud est, quod argutantur quidam Neotherici hæretici, inficiãtes vocales preces, esse Deo necessarias. Quod si admittimus dogma, hoc sacramẽta omnia pessum eunt. Quia item dicerem tibi, sat esse baptizare, mentaliter cõcipiendo formam, Ego te baptizo, &c. Et perit sacrum Missæ officium, quia dicerem tibi, sat esse conceptam tenere consecrandi formam, at vero dominus vocaliter, dixit, Hoc est corpus meũ, &c. & vocaliter iubet proferre sacramentorum formas: fateor sanè coram Deo, nõ esse necessariam vocalem orationem pro

Bodoques Hispane.

Væ in scriptura grande malum minatur obstinatis in peccatis.

3.Reg.12

1.Cor.14.

Lucæ.22. Lucæ.11. Matth.6.

Psal.119 Psal. 90.

1.Reg.16

Cap.58.

Gene.18.

Oratio vocalis est necessaria.

pter

pter ipsum Deum solum. At est sanè necessaria coram Deo, non propter ipsum Deum, sed propter nos. Siquidem, laudare oportet Deum, & voce, & corde. Nimirum quia cōstat homo ex corpore, & anima, ideo corporalia nostra sunt exhibenda, Deo, & spiritualia. Nam quid est illud, quod musæ sacrę docent Deum esse, amandum, & tota mente, & totis viribus vtique per vires, corporis vires, subdenotant. Quicquid oratio mentalis non ædificat proximos, vt vocalis: quippe mentalis, non percipitur ab alijs, præterquā ab orante. ¶ Rursus per vocalem orationem, magis inflammatur mens, & accenditur in Deum. Nanque sensibilia, valde nos incitant, vel ad bonum, vel ad malū. Vnde cum sensibilem proferimus orationē, & ad Deum eam fundimus, mens ipsa magis excitatur, ad diuina, & promptiores, & feruentiores Deo offerimus preces. At Israelitæ, quia non clamabant corde, ideo neque ore suò clamabant ad dominum. Sed *vlulabant*. Aduertendū est hūc locum, ex alio esse interpretandum. Scribitur eñ in Baruch epistola de sacerdotibus idolorum. Rugiunt autē clamātes, cōtra deos suos. Sicut in cœna mortui. Erat porrò consuetudo vetus in exequijs celebrandis mortuorum, cœnas & conuiuia facere, quæ Hispanis dicuntur, *charidades*, quia etiam apud Hispanos hic mos erat & nondum prorsus est abolitus, mortuorum, scilicet, funera quibusdam conuiuijs ex pane & vino, & caseo celebrare, & canticis lugubribus, postea, mortuum deflere, quæ dicuntur Hispanè, *Endechas*. & Indis, idem mos seruatur. Hunc quoque ritum seruabant idolorum cultores, ex sacrificijs enim & oblationibus, idolis consecratis, lautè, vescebantur, & potabātur, & postmodum clamoribus lugubribus, & tristibus vlulatibus, deflebant peccata offerentium: quibus vlulatibus faciebant satis (suo arbitratu) pro peccatis offerentium. Ad eandem rationē intelligas oportet hos Israelitas, *in cubilibus*, vocat cubiliade lubra, vbi dijs immolabant, vlulatibus quibusdam, & eiulatibus, à suis dijs contendere, vt obtinerent copiam frumētorum, & biini. Hebraicè, non vinum, sed mustum legitur. *Ruminabant*, Græca habent concidebantur & concinna est lectio, priori scire nanque oportet idololatris, fuisse commune cum instanter obtinere quędam cupiebant à suis dijs, non solum clamoribus, & vlulatibus vsos fuisse, sed etiam lanceolis quibusdam se pungebant, & cōcidebant brachia sua, vt lib. 3. Regum. 18. meminit. isti ergo Israelitæ, eundem ritum seruabant, postulantes à dijs suis frumenta & vinum. Translatio Vatabli, non legit Ruminabant. *Sed propter frumentum, & mustum congregati sunt.* Et sensus est congregati sunt in plateis, tempore inopiæ ad emendum frumenta, & vina, non Deo tribuentes gloriam qui suppeditat vniuersa bona: sed potius acceptum ferebant fortunæ. Mihi prior lectio magis arridet quæ est nostra vulgata lectio, etsi latentem habeat sensum. *Receſſerunt.* Patet ex prioribus. *Ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitia.* Ingratitudinē illis exprobrat Deus. Erudiuit enim Israelitas cōferēs eis legem diuinam in deserto, & confortauit eos accingens eos armis cælestibus aduersus hostes: quos superauerunt ex diuino miraculo, vt cecinit psaltes Psalmus. 43. Brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Id est fauor, & gratia tua, hæc fuerunt in causa, vt dominarentur hostium suorum, & possiderent terram: non arcus & gladius ipsorum, per quæ duo, vniuersum armorum genus negatur à psalte causam fuisse, q' victores fuissent Israelitæ in hostes suos, alioqui potentissimos, quibus Israelitæ collati, videbantur instar locustarū esse Numer. 13. Quid sit peccare ex malitia, supra docuimus, & item quæ fuerit hæc malitia Israelitarum in Deum, supra traditum est. *Reuersi sunt vt essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus*, à via iusta, & sancta, eis ostensa per Mosis legem, ipsi sunt reuersi, colendo vanos deos, & facinoribus etiam alijs incumbentes. Reuersi sunt retrorsum, abierunt facti sunt absq; iugo diuinæ legis. Sanè iugum Domini portare ab adolescētia sanctū est Thre. 3. At vero illud relinquere in quacunq; ætate pessimum est: isti autem proiecerunt iugum Domini creantes in Regem Ieroboam pessimum idololatram, & vitulos ab eo constitutos pro dijs venerantes. Instar horum Israelitarū sunt hæretici omnes, & præcipuè, lutherani, qui iugum ecclesiæ Romanæ à se excusserunt. Quod iugum alioqui esse à Deo probatū, cum

Lucæ 10. Matt. 22.

Mos antiquus in celebrandis exequijs mortuorū.

Idololatrarum mos ad obtinēdum quædam à fallis dijs.

Israelitæ ingratissimi in deū.

ex alijs, tum ex subdendis constat: cum enim Dominus dixit Petro, quodcunq; solueris super terram, erit solutum, &c. Et rursus, Pasce agnos meos, & iterum pasce agnos meos, pasce denique oues meas Ioan. 21. Et ex illo, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, vtique Petro, & successoribus iurisdictionem spiritualem in totam ecclesiam concessit: vt fideles omnes iugo sancto, id est legibus sanctis, possent eos continere in officio diuinæ seruitutis. ¶ At vero isti hæretici fregerunt istud iugum, fecerunt enim se sine iugo, non maiori quidem autoritate, quā Israelitæ: qui nulla Dei autoritate, sed propria desipientes libidine, se subduxerunt à Dei iugo, & submiserunt se diabolico iugo. ¶ Similes sunt illis quorum meminit Psalm. 2. Qui aiebant proijciamus à nobis iugum ipsorum, Dirumpamus vincula eorum: sed nunquid iugū confitendi vocaliter semel in anno suo confessurio propria errata, nunquid vincula censurarum, & pœnarum ecclesiasticarū, & alia hoc genus vincula, quæ ecclesia Dei, ad legitimam gubernationē fidelium sanciuit, auderet ecclesia imponere, nisi ficta esset Dei autoritate sibi cō cessa, ad vindictam malorum laudem vero bonorum? Respublica nanque seculari habet gladium, Paulo tradente, & approbante, ad rectam administrationem illius. Nanque submoue hoc gladium, & quis obsecro domi suæ conclusus tutus esset? Sed quid num consentaneum videtur Luthero, & suis assecls, quod respublica prophana habeat vnde impios, & facinorosos, occidere possit, vel exilio damnarè, aut carceribus includere, aut aliàs eos torquere, vt cæteri timorem habeant, vt respublica tranquillo statu suo lætetur, & quod respublica spiritualis, qualis est ecclesiastica orbata sit armis spiritualibus, aduersus sibi contumaces fideles, nolentes obtemperare ecclesiæ mādatis, aut aduersus eos qui ecclesiam Dei & dogmata eius contemnunt, vt sunt hæretici. Vtique malè esset ecclesiasticæ cōsultum reipublicæ, si hoc genere armorū inermis esset, quia insufficiens esset. Sed equidem plusquā phreneticus esset, qui dignissimam rempublicam ecclesiasticam, quam Dominus fundauit super se ipso, vt firmissima petra, & super Petro, cui dixit, Tu es Petrus, & super te ædificabo ecclesiam meā, crederet esse insufficientiorem, quam respublica sit secularis, quæ longè est indignior. Si ergo sufficientissima sibi est ecclesiastica respublica, habet vtique arma sibi congruentia contra aduersarios suos: id est contra contumaces fideles, & hæreticos infideles. Sunt autem arma ista ecclesiasticæ censuræ, vt est excommunicatio, interdictum, cessatio à diuinis, & pœnæ ecclesiasticæ: vt sunt suspensio, degradatio, depositio, & hoc genus alia, rursus est sibi sufficiēs, ad dirigendum suos fideles in viam pacis, ideo habet euangelia & sacramenta à Christo instituta, vt vocalem confessionem, quæ etsi quoad tempus præscriptū confitendi sit de iure humano, tamē quo ad substantiam confessionis est de iure diuino, sicut & cætera sunt sacramenta, quę Christus instituit, ad dirigēdos pedes nostros, vt dudum dicebam in viam pacis. Ideoque diuina scriptura ecclesiam Christi, iam confert turri Dauidis ædificatæ cum propugnaculis multis, ex qua pendebant mille clypei, iam aciei castrorum optimè ordinatæ, &c. Vt per huiusmodi sensibiles comparationes nos doceret Spiritus sanctus ecclesiam Iesu Christi, esse singulariter à Christo constitutam, ex optimis spiritualibusq; munitionibus, diuinisq; maximè suffultam præsidijs, contra hostes suos. Inter quæ præsidia, diuinam scripturam collocabis, siquidem verbum Dei fideles contra diaboli versutias instruit aduersus carnem, & sanguinem, & aduersus seculi sapientiam, & hæreticorum arrogantiam, & demum contra huiusmodi reijcientes Dei, & ecclesiæ iugum diuinus intonat sermo dicens, Qui habitat in cælo irridebit eos, & Dñs subsannabit eos irridet Lutherus, & subsannat ecclesiastica iuga. At vero à Deo irridetur, modo & subsannatur, *facti sunt quasi arcus dolosus.* Fallaces ostendit fuisse Israelitas, contra alios instar arcus dolosi. Qui arcus cū videatur sagittā iacere in partē vnam, tendit in alteram, Tales sunt fallaciſsimi homines, qui verbis aliud spondent, quam factis præstēt. Hæc autem fallacia, si sit in contractibus noxia est, aduersus quam Paulus scripsit, dicens, Ne quis in negotio circumueniat fratrem suum. Si vero sit in religione, est hypocrisis: & aduersus eam euangelica tuba, nunquam non sonat, eam valde reprehen-

Iugum ecclesiasticarum legū est quasi iugū à Deo impositū.

Matt. 16. Lucæ. 10.

Ad Rom. 13.

Res publica ecclesiastica habet arma spiritualia.

Cantic. 4. Cantic. 6.

prehendens: nos ſupra multa de hypocriſi diſſeruimus. Græcè vero, ſic habetur pericope, prædicta, *Converſi ſunt in vanum facti ſunt quaſi arcus extentus.* Notabis autem hoc loco pro Latina voce iugo, Hebraicè habetur Hal, & Hal ſignificat altiſsimum. Vnde tranſlatio Vatabli, non habet iugo. Sed altiſsimum *Reuerſi ſunt, & non ad, altiſsimum.* Etſi inter virgulas hãc vocem conſtituit. Cæterum, quia Aol, ſignificat iugum, ideo noſtra tranſlatio habet iugum. Tametſi hic & infra 11. Hebræus textus, non Aol, ſed Al per Aim, habet, at facilis eſt mutatio ab Al, in Aol. *Cadent in gladio principes eorum, à furore linguæ ſuæ furore* Hebraicè, deteſtatione, vel indignatione legitur. Et eſt ſenſus, principes Iſraelitarum, occidendos eſſe ab Aſsyrijs, quia Deus deteſtabatur linguam eorum, vel linguæ eorum, aut contra linguam eorum Deus indignatus erat. Lingua vſurpatur pro linguis, & lingua pro verbo prolato per linguam per metonymiam, cauſam pro effectu. Sæpè hoc repetit contra hos Iſraelitas, Dei ſermo dixerat enim dudum, *Locuti ſunt contra me verba mendacij.* Hæc autem verba ſunt conuitia, ſeu blaſphemiæ in Deum. Quales erant, quas iactabant contra Deum, & aſſerendo vitulos aureos eſſe deos, & affirmando, non opa diuina, ſed humana eos eſſe eripiendos à poteſtate Aſsyriaca, & fortunæ potius eſſe deputandos ſuos caſus, quam diuinæ prouidentiæ. Vt ex ſubiunctis patebit, & ſupra patuit. ¶ Hinc diſcant blaſphemi, ceſſare à blaſphemijs, Deus enim deteſtatur linguam blaſphemam. Et hic traditur principes caſuros gladio, id eſt, fore interficiendos ab hoſtibus, propter indignationem diuinam contra linguas eorum. Et Paulus. 1. Timotheum. 1. Tradidit blaſphemos Satanæ, vt diſcerent non blaſphemare. Et ad Epheſios. 4. Omnis ait, Blaſphemia tollatur à vobis: vtique ſicuti, is qui odit Deum, qui alioqui eſt ſummè amandus grauiſsimum admittit crimen, ita qui dehoneſtat, ſummè honorandum Deum, peſsimè delinquit. Quod ſi contumelia afficere proximum tanti fit apud Deum, vt euangelicus ſermo doceat. Qui dixerit ait fratri ſuo, fatue, dignus eſt gehenna ignis. Quanti obſecro erit apud Deum ad puniendum eam ſua contumelia? Si homuncionis contumelia ignis æterna gehenna digna eſt, ſummi numinis conuicium nunquid immune erit? Deteſtanda equidem eſt blaſphemorum peruerſitas, & audaciſsima petulantia, quandoquidem, coram ſummo Deo columnæ cœli contremiſcunt & pauent maximè, at ipſi cum ſint putidi vermiculi, non pauent tantum numen inhonorare, conuicia in Deum iactando. ¶ Vnde Leuitic. 24. Maledicens Deo, aut blaſphemans nomen Domini, interficiendus erat, & lapidibus obruendus. Quod ſi pueri conuiciantes Eliſeo Dei vati, in hæc verba, Aſcende calue, raſe, &c. diuino nutu, fuerunt à leonibus, dilaniati, qui conuiciauerit, Deo optimo & maximo, quanto tu putas ſupplicio erit torquendus? Sanè ex omnibus peccatis, quæ homines committunt contra Dei, & proximos delectatur ſuo modo Satanas. At vero ex peccato blaſphemiæ ſingularius reficitur voluptate. Nanque cum Deus ſit Satanæ infenſiſsimus, & Dei hoſtis deterrimus, nihil tam delectat hoſtem, quam conuicia in hoſtem ſuum iecta vt contra, nihil tam Satanam contriſtat, quam quod Deum laudibus dignis celebremus. Neque quia Deus continuo non vibrat, arcum ſuæ vindictæ in blaſphemos, ideo non eſt formidandum blaſphemare nomen Domini, imo ex eo eſt formidabilius, quia maiora ſunt quæ manent ſupplicia blaſphemos quam quę in præſenti poſſent eos torquere: quia hæc tandem ſoluentur. Illa vero nunquã *Iſta ſubſannatio eorũ in terra Ægypti.* Ridebant, & ſubſannabãt Ægyptij Iſraelitas, quia videbant eos ob ſuas in Deum blaſphemias, calamitatibus obrutos, vel aliter expones, Quia dixerat eos blaſphemos contra Deum, ſubdit hanc diuinorũ blaſphemiã, ſeu ſubſannationem, Iſraelitas didiciſſe in terra Ægypti. Nam cum verſarentur inter Ægyptios idololatras, cæleſte Dei numen contemnentes, nihili ducebãt, Deum ſubſannare: vnde Iſraelitæ, eodem grauati fuerunt more: itaque ſenſus eſt iſta ſubſannatio diuinorum, ex qua memini Iſraelitas fuiſſe affectos, antiquum eſt Iſraelitarum vitium, ideo deteſtandũ vehementius, enim vero ab Ægyptijs dicerunt.

In Biblijs Hiſpanie. Al, legitur.

Contra blaſphemos.

Matth. 5.

Ioel. 26.

4. Reg. 2.

EXPLA-

EXPLANATIO
IN CAP. VIII. OSEE.

IN gutture tuo ſit tuba, quaſi aquila ſuper domum Domini: pro eo quod tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam præuaricati ſunt. Idẽ quod ſuperioribus capitibus admonuerat, & modo admonet: etſi inſtantiori ſermone. Ideo ait Deus vati. *In gutture tuo, ſit tuba,* id eſt admoue ori tuo buccinã, quia hoſtes domus meæ aduentãt, ideo clãgore buccinę populus eſt parãdus, & excitãdus ad congreſſum eum hoſtibus: incautus pereat. Quo ſermone inſinuatur, Nabuchodonoſoris inſtare aduẽtũ, qui erat euerſurus tẽplũ Dñi ſub Sedechia Rege Iuda, vt ſupra ſatis eſt oſtẽſum. Ideo Prophetæ ait Dñs cane buccinis, reſonet claſsica tuba, excita oẽs, ad bellũ, en adeſt hoſtis in foribus. ¶ Obijcies, cur ad buccinam claſsicã, reſonandam cõtra Nabuchodonoſor, vates à Deo admonetur, cũ tamen Ieremias cap. 37. diuerſum ex Domini præcepto ſuaſerit Sedechiæ, & Ieroſolymitis ne repugnarent Babylonijs, ſed illis cederẽt, ſi volebant pacificã ducere vitam? Subijcite ait colla veſtra ſub iugo Regis Babylonis, & ſeruite ei, & populo eius & viuetis. Dicito, quod hæc verba, ad ironiam ſunt legenda, vt patet ex ſubiunctis. *Quaſi aquila ſuper domũ Dñi,* vocat aquilã Nabuchodonoſorẽ: qa aquila eſt auis rapaciſsima, & Nabuchodonoſor ſua rapacitate, & tyrannide multũ auxerat ſuũ imperiũ. At Deute. 28. Hoſtes Iſraelis vocãtur aquila volãs & nõ ſolũ Nabuchodonoſor. Alij putat, in vexillo aquilam habuiſſe depictam, quæ erat inſigne ſui imperij. Porro autem ſolus Nabuchodonoſor Ezechie. 13. Vocatur aquila magnarũ alarum, quæ tulit medullã cedri, ſiquidẽ ſpoliauerat templũ Salomonicũ, cuius contignatio erat cedrina. Et Iere. 4. equos exercitus Babylonici velociores eſſe aquilis traditur, & quod ſicut aquila volabit. Ironicos ergo verba hæc ſume. *In gutture tuo ſit tuba.* Qua ſi dixiſſet, perit tibi nihil, ſi buccinis cõcrepãtibus animos tuorũ cõciuiũ, excites ad bellũ, quippe hoſtis tuus, tibi iã impẽdit, & rapaciſsimus eſt inſtar aquilæ & auidiſsimus prædæ, cui nõ poteris obſiſtere. Cur autẽ non poterit obſiſtere Ieroſolyma Nabuchodonoſori ſubdit cauſã. *Pro eo q tranſgreſſi ſunt fœdus meũ.* Quã cauſam ſæpè refricat vates, hic & cæteri vates, Iudæos nõ potuiſſe, repugnare ſuis hoſtibus, quia erãt præuaricatores diuinę legis. Et idẽ tradit à Moſe, Deut. 28. & 32. ca. eũ 28. Maledictiões diuinas, Iſraelitas ex eo ſubituros prædicit Moſes, quia reliquerũt legẽ Dñi, & pactũ, quod iniuit cũ patrib⁹ ſuis in terra Ægypti vio lauerũt. *Me inuocabũt, Deus meus, cognouimus te Iſrael,* Ideſt Iſraelitæ preſsi cũ fuerint, anguſtijs inuocabũt me, dicẽtes Deꝰ meus, ideſt Deus noſter, nos Iſraelitæ cognoſcimus te, ideſt fidẽ tuã, & religionẽ, aliquãdo, pfeſsi ſumus, & maiores noſtri eã pfitebant. Quibus reſpõdẽs Deus ait, *Proiecit Iſrael bonũ, inimicus perſequetur eũ.* Quaſi dixiſſet apertius & quid prodeſt vobis, meã fidem, & cultũ aliquãdo fuiſſe pfeſſos, quãdoquidẽ, ab ea excidiſtis, & proieciſtis à vobis id quod erat vobis optimum, ſcilicet me amare, & vnicè colere iuſtificationes veſtrorum maiorum, magis vos condemnant, quippe eorum veſtigia non eſtis ſecuti. Sed nouos potius vobis finxiſtis deos, quos maiores veſtri nõ coluerunt, imo eos valde abhorruerunt. An nõ pudet vos, me inuocare, prementibus vos anguſtijs, quẽ tantis & tam acerbis facinoribus læſiſtis, & hactenus nõ reſipuiſtis. Sed præfacto corde in eiſdẽ perſeueratis. Ideo inimicus, id eſt inimici veſtri vos diuexabũt, & perſequẽtur, & tradent in teterrimã captiuitatẽ. Hinc colligę, quod fides, & religio ſyncera maiorũ, nõ proderit poſteris nõ ſequẽtibus maiorũ fidẽ, & religionis puritatẽ. *Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterũt, & non cognoui.* Sermo habetur de rege Ieroboã, & alijs regibus, & magiſtratibus decẽ tribuũ. Iſti enim nõ ſecundũ Dei voluntatẽ in regiã celſitudinẽ fuerunt ſublimati. Sẽ quidẽ adminiſtrabãt rẽpublicã contra diuinas leges, & cultũ. Venerabantur enim idolã, ideo ait, regnauerũt & nõ ex me, id eſt nõ iuxta placitũ meũ regnabant, imo aduerſus meũ placitũ regnũ illud moderabãtur. Porro obijcis forſan huic loco, q ſcribit. 3. Reg. 12. & 2. Paral. 12. Ieroboã, ex Dñi voluntate regnaſſe ſuper decẽ tribus. Nãq; Semeias Dei vates, phibuit, ne tribus Iuda, & Beniamin debellarẽt eos, dicẽs à Dño hoc opus factũ eſt, videlicet: q regnaret Ieroboan, ſuper decẽ tribus. Itẽ 4. Reg. 9. Eliſeus mãdat diſcipulo cuidam

Fides & religio maiorum non proderit poſteris degenerãtibus ab eorum fide & religione.

dã suo, vt vngat Iehu filiũ Nãsi, in Regẽ super decẽ tribus, quid igitur est, qđ hic ait, de regibus istis, ipsi regnauerũt, & nõ ex me? ¶ Respõdetur q̃ sciſsio regni Da uidici, in partes duas fuit ex diuina volũ tate. Hac nãq; ratiõe Deus animaduertit in peccata Salomonis. Vñ si reges Israel vixissent iuxta Dñi legem & nõ fuissent idololatrę, sed Dei cultores veri, non expostularet Deus cum illis, neque dixisset modo propheta, ipsi regnauerũt, sed non ex me: at imo vt ex locis citatis patet fuit diuini cõsilij, quod scinderetur regnũ, & quod Ieroboã in regẽ crearetur decẽ tribuũ: itemq; Iehu. Et quãdo Ieroboã fuit promotus in regnũ huiusmodi, non erat idololatra, aut non constat ipsum talem fuisse. Cæterũ promotus in regnũ, timẽs ne à regno deponeretur, si decem tribus ascenderẽt in templum Dñi, & verũ Deũ colerent, & nõ obseruãs, quod Deus, qui illũ promouerat in regnũ, si cultor eius esset stabiliret item eundẽ in regno, declinauit ad cultũ idolorum, vt deleta in suo regno religione vera Dei, ipse quietius regnaret. Dilexit enim magis gloriã suã, quã veri Dei. Quocirca de promotione particulari Ieroboan, non est sermo hic vatis habendus, sed de pessima regni administratione ex qua ipse corrupit legitima Dei, itemque dices de promotione Iehu. De omnibus igitur regibus Israel, verũ est, ipsos nõ regnasse ex Deo, quia pessimè administrabant rem publicã inducendo eam, ad cultũ vanũ idolorũ, & alia facinora eorũ permittẽtes, de quibus supra vates meminit. Cũ istis quoq; stat, plerosq; ex regibus istis tyrannicè fuisse promotos. Vt ex lib. 4. Reg. & 3. apertũ est, de quibus etiam verũ est ipsos nõ regnasse ex Deo, nõ solũ malè moderando, sed ex mala promotione eorũ. Vel aliter solues nodum istũ, si dixeris, non fuisse per se loquendo diuinæ voluntatis, quod scinderetur regnũ Israeliticũ, sed solũ per accidens. Id quod facile penetrabis si me mineris, id quod Dñs per Ezechielem va
Capit. 18. tem suũ cõmemorat in hæc verba. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dñs Deus, & nõ vt conuertatur à vijs suis pessimis, & viuat? Itaq; sumere pœnas de peccatis nostris, non est diuinæ voluntatis, sed cur ait, non esse diuinæ volũtatis sumere pœnas, cum re vera vult punire pœna æterna impios, & sæpè etiam tẽporali? Nimirũ, quia maluisset Deus (quæ est eius misericordia) non punire: cæterum, quia iustitia diuina exigit rebelles comprimere, vt est eiusdem misericordia subiectis parcere, ideo vult punire Deus. Itaque est diuinæ voluntatis punire, & non est voluntatis diuinæ punire, sanè, non est diuinæ voluntatis, quia maluisset Deus, non punire, si obstinatio humana, iustitiam Dei non excitaret ad sumendas pœnas: est item voluntatis, quia iustum est, peccatoribus obstinatis suorum scelerum rependere pœnam, vt iudex probus & iustus: maluisset non suspendere probatum in suo tribunali furem, at quia lex hoc exigit, vult illum suspendere, & suspendit. ¶ In quem propemodum, Deus maluisset, ne diuideretur Dauidicum regnum, quod illi in perpetuum fuerat concessum, sibi & filijs suis, si tamen custodirent testamentum Dei, & testimonia, quæ illos docuit obseruarent, vt Psal. Dauidicus testatur dicens, Si custodierint filij tui testamẽtum meũ, & testimonia mea hæc quæ docebo eos, sedebunt super sedem tuam, &c. At vero, quia Salomon violauit, testamentum diuinum, ideo hac animaduersione fuit dignus, vt filius eius Roboan maximam regni perderet partẽ. Quamobrem, simul conueniunt, & quæ modo Oseas ait. Ipsi regnauerunt & non ex me, & quæ ex lib. Regum dudũ recensuimus. Nempe, quia maluisset Deus, quod Israelitæ non regnassent, sed quia peccata Salomonis obstiterunt, voluit Deus, quod ipsi regnassent. *Et non cognoui* Deus omnia scit clarissimè, habet enim scientiam infinitam: quapropter cum ait. Non cognoui, intelligas, nõ approbaui, vt supra satis est dissertum. *Aurum suum, & argentum suum fecerunt sibi idola, vt interirent.* Quanuis idololatræ ex omni materia, scilicet, ex ferro, cupro, ligno, lapide constituebant sibi idola, at vero, quæ maiori venerationi erant, aurea & argẽtea erant: ideo grauius peccabant, huiusmodi aurea, & argentea idola colentes, quippe ardentiori ea colebant affectu. Vnde in Psalm. Simulacra eorum argentum, & aurum opera manuum hominum. Etsi enim ex alijs materijs idola constituta colerent, at ex auro conflata, & argento erant præcipua. *Proiectus est vitulus tuus Samaria*, facit mẽtionem metropolis Israelitarũ, quæ erat Samaria ab ipsa nanq; vt à metropoli deriuabatur praua religio vitulorũ, in reliquas Israelitarũ ciuitates. At vero Salmanasar, deleuit hos vitulos *Proiectus*, id est breui proijcietur, quia nõdum cum hæc prædicaret Oseas redacti fuerant in captiuitatẽ, Israelitæ, ideo præteritum vsurpat pro futuro, vt sæpè aliàs. Et vitulum, pro vitulis ex consueto tropo vsurpandi singulare pro plurali, accipitur pro duobus illis vitulis, de quibus nunquã nõ fit mentio. *Iratus est furor meus in eos*, id est detestatus sum vitulos istos, aut vos Israelitas ego propter vitulorũ adorationem detestor. *Vsquequo non poterunt emũdari?* Quo-
Hebr. 11. niã fides est fundamentũ iustificationis, qa sine fide est impossibile placere Deo, ideo nullus potest emũdari, à culpis suis, si fidem syncerã, & purã in Deũ non habeat. Quocirca cum isti Israelitæ, orbati essent fide vnius Dei credendo, esse multos Deos, non poterãt emundari à culpis & sordibus suis. Ideo ait, vsquequo nõ poterunt emũdari? Id est vsquequo laborabunt infidelitate sub qua emũdari nequibunt. Itaque nõ est sensus quod homo facinorosus quoad vixerit, nõ poterit emũdari à culpis suis. Siquidẽ dum homo vitam ducit mortalẽ, poterit mereri, benè vel malè, aliàs non esset viator: sed sensus est hypotheticus, idest vsquequo laborabunt infidelitate idololatriæ, sub qua fieri nequit, vt iustificentur à culpis suis. Simile habes in Ioan. cap. 12. Ipsi autẽ non poterãt credere, quia iterum dixit Isaias,
Lutherus reijcitur. Excæcauit oculos eorũ &c. Quæ verba non colligunt (vt putat Lutherus) liberũ arbitriũ, titulo tenus esse liberũ, cum sit re vera liberũ. Sed secundũ hypothesim sunt habenda, scilicet, ipsi sub sua obstinatione non poterant credere. Vt is qui claudit oculos, etsi alioqui potens est videre, quia poterit eos aperire, verum sub clausura oculorum, videre non poterit. *Quia ex Israel est, & artifex fecit illũ: & nõ est Deus.* Exhibet causam, cur detestetur vitulos cõmemoratos Deus, qa ex Israel, subaudi, vitulus est, idest, Israelitę fabrica uerũt istos vitulos, & qa artifex fecit illos vnde vt ex artificio cõstãt, ita etiã ex arte dissolui possunt. Et nõ solũ arte, sed quia opus sunt humanũ, necessario tandẽ peribũt, igitur, nõ sunt dij, quos opera humana sibi cõstituit in deos, cũ solus sit vnus Deus. Nam etsi homines diuina scriptura vocat deos. Ego, ait, dixi dij estis vos, & filij excelsi omnes. Cæterum istud est nõ veritate naturę, sed participatione diuini officij: Dei enim est gubernare vniuersa quæ condidit, ideo gubernatores, traduntur esse dij. Aut quia amicorũ sunt omnia communia Deus amicis suis cõmunicat suum nomen diuinũ: quippe cũ sint filij Dei, quid mirũ si appellentur dij? *Quia in araneariũ telas erit vitulus Samariæ*, id est, *Rom.* 8. soluẽtur vitulisti, sicut soluẽtur araneariũ telæ, quę sine vlla repugnãtia leui ictu dissoluũtur. Hebraicè insciſilia, idest vituli Samariæ, quos vos colitis in deos arripiẽtur ab Assyrijs hostibus vestris, & qa aurei sunt, ideo, illos soluent aurifices, in laminas aureas & fragmenta, vt inde numismata ad suos vsus cõflent. Quasi dicat videte obsecro quales deos colatis, ò insani Israelitæ, vtiq; quos Assyrij nõ formidabũt proijcere in ignem suũ, & eos soluere in laminas, ad cõflandas pecunias. Et vos nõ puduit hos adorare & pro dijs colere, quibus inimici vestri vtuntur ad pecuniæ vsum. ¶ Porrò Ierosolymitæ nõ vitulos, sed alios fingebãt deos aureos & argẽteos. Et eo procedit iniquitas, si nõ corrigatur in principio, quo illi adorarẽt talpas, & vespertiliones. Vnde Isai. 2. *In die illa*, scilicet in die, quando captiui ducti sunt Iudæi, à Nabuchodonosore, *Proijciet homo, idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret talpas, & vespertiliones.* ¶ *Quia ventum seminabunt & turbinẽ metent.* Neq; ventus est semina bilis, neq; turbo est metendus: verũ hæc accipiẽda sunt dicta ex translatione. Paulus enim simili vtens trãslatione, ait, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet: qui seminat in carne, de carne corruptionẽ metet &c.* Vsurpatur trãslatio ad benè & malè operãtes, à seminãtibus. Enim vero, quale semẽ iecerint, talẽ messem habebũt. Mesis enim *In scriptura semina-re est benè vel malè operari & meteremercedẽ operũ recipere.* correspõdet necessario fato semini. Nãq; si frumẽta seminas, frumẽta colliges, si triticũ, triticũ, si ordeũ, ordeũ, si siliginẽ, siliginẽ, si ficum, ficũ, si nucem, nucẽ, si spinas, spinas, &c. Nã etsi nonnũquã triticũ degeneret in siliginẽ hoc accidit, ex terræ debilitate: vnde nõ hoc est vitiũ seminis, sed terræ cõcipiẽtis semen. Ita propemodũ, opera quæ homo facit, sũt velut semina, & præmia, vel pœnæ, illis respõdentia, sunt velut mesis. Si enim opera sint sancta, & sanctè facta, qa electa sunt

semina, habebũt optimã messem: corona
bũtur nãq; corona sempiterna. Et huiusmodi opera, qui operatur seminat in spiritu. Iuxta Pauli documẽta. Quia quanuis sint opera visibilia vt est eleemosyna, ieiuniũ, prædicatio diuini verbi, &c. Sunt tamẽ spiritualia opera, si ab Spiritu sancto inhabitãte infidelibus per Dei charitatẽ fiant. Qui vero mala exercet opera, aut bona, nõ ab spiritu Dei, id est non ex charitate Dei, sed ad seculi fastũ, vel aliàs iste seminat in carne. Nã carnẽ vocat Paulus, omnia quę propter Deũ nõ fiunt, sed ob quascũq; mũdanas alias causas. Et qualia sunt hæc semina talia erunt & messes. Quia ex pessimo semine, pessima quoq; speratur messis. Ideo dixit Paulus, Qui seminat in carne, de carne metet corruptionẽ. Quod ergo noster ait vates. *Quia ventũ seminabũt, pro seminauerũt, turbinẽ & metent.* Lucidũ eum habet sensum Israelitæ, operibus malis incũbentes, seminauerũt ventũ. Id est opera inutilia, quæ ob eorũ inutilitatẽ cõferuntur vẽto. Vnde pascere ventũ in scriptura, significat incũbere vanis operibus. Qui nititur ait mẽdacijs pascit ventos. Et quia ventus est semẽ, sibi respõdebit eiusdẽ naturæ messis, scilicet turbinis. ¶ *Enim* vero turbo est ventus validissimus, & vorticosus obuia quæq; deturbãs. Vnde Virgil. 1. Aeneid. venti, velut agmine facto, Qua data porta ruũt, & terras turbine perflat: significat igitur, quod qui malè operãtur in sempiternũ deturbabũtur. Vt turbo obuia quæq; detur bat. Rursus turbo per trãslationẽ, hominẽ pacis turbatorẽ denotat. Vnde Cicero ꝓ Dom. sua. Tu procella patriæ, turbo, tempestas, pacis atq; otij. Quia igitur vana erãt opera Israelitarum, vt ventus pro duxerũt, turbinem, id est fuerũt in causa, quod exercitus Chaldęorũ validissimus, & violentissimus irruens in Israelitas primo, & dein in Iudæos, eos deturbaret à suo statu, & in miserandã captiuitatem, dejiceret, Vt solent ventorũ violẽtissimi turbines validissimas etiã arbores, radicitus euellere, & in terram magno impetu eas prosternere. *Culmus stans non est in eo.* Sterilitatẽ magnã præambulã futurã, ad sæuam Israelitarũ calamitatẽ prædicit vates. ¶ Est autẽ culmus calamus in quo sustentatur spica. Nanque id quod à radice productũ est vsq; in spicam, culmus vocatur. Vnde Virgil. 1. Georg. culmũq; leuẽ

Opera q̃ nõ fiũt ex charitate Dei à Paulo caro, ab Hosee ventus vocantur.

Capitur turbo non protrocho, Rhombo, vel Hispanè, tropa, sed proprio violentissimo.

Prou. 10.

stipulasq; volantes. Quod igitur ait vates tale est. *Non erit in eo*, id est in terra Israelitarum, non erit culmus stans, qui à terra nõ proferet herbam ex nimia sterilitate. Et germen non faciet farinã. Siquidem si nullus erit fructus, nulla quoque farina fiet, quia farina ex frumento fit. *Quod etsi fecerit alieni comedẽt illã*, id est si forte alicubi frumẽta nascãtur, ex quibus farina fiet, at vero hæc farina nõ indigenis erit vsui, sed alienigenis, ideſt Assyrijs & Chaldæis. *Denoratus est Israel, nunc factus est in nationibus, quasi vas immundũ.* Repetit quã dixerat miseriã Israelitis obuenturam, vt fortè ex multa repetitione, ad pœnitentiã eos traheret: & ideo ait *Denoratus*, id est cõsumptus est populus Israelitarũ ab hostibus suis: vtiturq; præterito, pro mox futuro, *factus est*. Vasa immũda sunt cõtemptibilia, & ideo vilibus vsibus accõmodãtur. Insinuat igitur Israelitas esse vilissimè tractãdos, ab Assyrijs, à quibus erant abducendi captiui. Vnde Paulus etiã hac trãslatione est vsus, vt doceret quanti sit discriminis, inter electos à Deo, & reprobos: illudq; manifestat discrimen ex sensibilibus nos ducens ad intelligibilia. Vt enim sunt in domo quædã vasa in honorẽ, & illa honestis vsibus aptãtur, & alia sunt in contumeliã, & hæc sordidis deputantur officijs: ita in ecclesia Dei, electi sunt vasa hõoris, quæ Deus ab æterno elegit ad cõmendationẽ suæ misericordiæ. Reprobi vero sunt instar vasorũ in cõtumeliã factorũ. Quoniã huiusmodi reprobauit Deus, ad cõmẽdationẽ suæ iustitiæ. Quam obrem Paulus, hęc vocat vasa iræ, illa vasa misericordiæ. ¶ Sed ais, quale est hoc quod Paulus cõmemorat, siquidẽ videtur sibi ipsi aduersari. Ait nanque ipse Rom. 5. Omnes in Adam protoplasto peccasse, & ad Ephesios oẽs homines vocat filios iræ. Et demũ vniuersalẽ prompsit de omnibus hominibus sententiã. Omnes dicẽs peccauerũt, & egent gloria Dei. Si ergo oẽs peccauerũt, qua ratione fit, vt sint vasa quidam iræ, & alij vasa misericordiæ, quãdoquidẽ, vt videtur oẽs sumus vasa iræ? Respõdetur distinctione esse in re hac opus, ne ab scopo veritatis aberremus, imo cum ipso veritatis scopo collimemus. Alia eñ est ratio naturæ nostræ, alia diuinæ gratiæ. Sanè si naturam consideras, omnes sumus vasa iræ, si gratiã Dei obseruas nõ omnes.

Paulus tortũ trãslatione Oseas.

Ad Romanos 3. Ephes. 2. Collisio apparens in Paulo.

Gratia dei fecit ex vasis iræ vasa misericordiæ.

oẽs. Gratia eñ Dei fecit ex vasis iræ vasa misericordiæ, mundãs quodãmodò absordibus peccatorũ suorũ, per aquã regenerationis, & renouatiõis, & hac amissa, iterũ purgãs delicta ipsorum per pœnitentiã. ¶ Quod si quæsieris, in tanta naturæ vnitate, & in tãta peccati originali æqualitate, siquidẽ omnia originalia æqualia sunt prorsus, cur maximã Deus fecerit differẽtiã in eadẽ natura humana, homines quosdã videlicet, vasa iræ disponens esse, alios vasa misericordiæ? Quæstio hæc magna est, quæ vnico verbo absolui nequit, si velis eam vtcũque solutã cõsule disputationes nostras in 1. Senten. In præsentia autẽ sufficiat dixisse, Deus quodãmodò ab æterno ex gratia sua elegisse in vasa misericordiæ, ideoque eos finaliter emundat à peccatis suis: alios vero, dimittit iacere & permanere perpetuo in peccatis suis, vt videlicet vitã absolutã, vt filij iræ, vel vt sint vasa iræ. Deus equidem neminẽ fecit vas iræ, quia Deus iniquitatẽ odio habet, & abominatus est, sed ex peccato primi hominis genus humanũ totũ in iram Dei est collapsum. Toto igitur genere humano prolapso, Deus misertus est, quorũdam & vasa iræ cõuertit in vasa misericordiæ, alios autẽ reliquit pro sua iustitia sub ira,

Omnia originalia sunt æqualia.

Capit. 1.

quã ipsi cõmeruerũt. Deus enim mortem nõ fecit, neq; lætatur in perditione viuorũ, & vt inquit modo vates facti sunt, vt vas immũdũ, corã Deo. Monet autẽ Sa

Prou. 25.

piens, Tolle rubiginẽ ab argẽto, & egredietur vas mũdissimũ. Quãuis enim sit diuinæ gratiæ hãc rubiginẽ peccatorũ, conferre, at vero nostri itẽ est arbitrij cooperari Deo mundãti rubiginẽ hãc. Ideo ait, Sapien. Aufert rubiginẽ, qa etsi Dei auferre, & nostrũ est, itẽ auferre, Dei quidẽ vt causæ primæ, quia gratiã, & gloriã dabit Dñs, & ipse est qui principaliter iustificat impiũ, nostrũ est autẽ, quia ociosè cõcessum fuisset, nobis concessa libera facultas, nisi Deo cooperaremur iustificãti. Et equidẽ necessaria est hæc cooperatio: si eñ cũ peccauimus liberè cõsensimus, vt peccaremus, sic quoq; quandò iustificamur, cõsensum liberũ Deo oportet præstare, vt iustificemur. *Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi*, ideſt, ascendẽt ad Assyrios, quãdo captiui ducentur, & instar onagrorũ discurrẽt & vagabuntur per nationes barbaras solitarij, id est destituti, mea ope, atq; præsidijs. Onager animal est solitariũ & amans solitudines, qui dicitur asinus syluestris fitis impatiẽtissimus. Mense Martio 15. die fertur rudere duodecies in nocte, & totidẽ in die, indicaturus Aequinoctiũ lege Alber. 22. lib. de anim. hist. cap. de onagro. Vnde de onagro fit mẽtio. Iob 14. Quasi onager in deserto, & Ierem. 2. Onager assuetus in solitudine. Et Iob 39. Inter cætera quæ recẽset Dei mirabilia, & de onagro mirabile addit. Quis dimisit onagrũ liberũ? Quia igitur vagatur Onager per deserta quærens sibi pascua, cõferũtur onagro, Israeli tæ sub sua captiuitate. Siquidẽ vagabantur incerti quærẽtes sibi alimẽta. *Ephraim munera dederunt amatoribus suis, sed & cum mercede cõduxerint nationes, nunc cõgregabo eos, & quiescent paulisper ab onere Regis, & principũ.* Quod dicit tale est Ephraimitæ exhibebãt munera sacerdotibus idolorũ quos hic vocat amatores suos, & mercede cõducebãt eos ex nationibus, finitimis videlicet ex Aegyptijs, Moabitis, Idumæis, Amonitis, vt docerentur ab istis nationibus, ritus colẽdi harũ nationũ idola. Etenim vt supra diximus Israelitæ. Post quã recesserũt à cultu vero Dei, declinauerũt ad varia genera idololatriæ, quæ à gẽtibus didicerunt. *Nunc congregabo*, ideſt, siquidẽ ipsi amãt deos nationũ, & Deum naturalẽ deserunt ego eos aggregabo nationibus, abducẽdo eos in Assyriã. *Et quiescent paulisper.* Ironicè accipe verba hæc. Nõ enim paulisper cessatũ est à tributis, imo hucusq; Israelitæ degũt sub tributis seruiẽtes nationibꝰ. Vt Saracenis, & Turcis, sed quia magna temporũ intercapedine erãt subigẽdi seruitute, ideo ait, paulisper cessabũt ab onere regis, id est Regũ, & principũ. Alia est lectio, *Et dolebũt paululum ob onus Regis, & principũ*, & est sensus tanta erit calamitas captiuitatis, quã patiẽtur Israelitæ, quod dolebũt paululũ propter tributa sibi imposita: quia hęc captiuitatis collatione, exiguæ miserię re putabuntur. Alia lectio est, & cœperunt paululum, subaudi, conqueri, propter tributum regis, & est idem sensus, qui prius modo referebat. Et iuxta nostrã trãslatio nẽ: itẽ exponi poterit. *Et quiescẽt*, scilicet, à dolore habẽdo de tributis, quia hęc exigua mala ducẽtur collata malis alijs, quæ captiui sustinebunt, *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum facta sunt ei aræ in delictũ.* Hebraicè non habetur deli

Mala minora cõparatione maiorum dicuntur esse bona.

ctũ sed peccatũ, vt prius, videlicet, *Fuerũt ei altaria ad peccatum.* At interpres latinus, voluit variare lectionem, cum non èsset varietas. Exhibetur igitur à vate causa Israeliticarum calamitatum, videlicet causam esse, idololatriam multiplicem Israelitarum. Siquidem & vitulos aureos, & alios deos gentium etiam colebant. Per altaria enim ritos colendi idola varia subintelligit.

¶ Altare enim Dei, est ad sanctificationem nostrã, at altare diaboli, est ad damnationem. Et huiusmodi altaria ex diametro opponuntur: vnde qui erigit altare Deo, destruat oportet altare diaboli, Paulo testante, Non potestis mensę Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 1. Corinth. 10. Quia Dominus ait, Non potestis seruire Deo, & mãmonæ. Et nemo potest duobus dominis seruire. Matth. 6. Iussit autem Deus Hebræis, vt vnicum altare erigerent in templo Ierosolymitano, vbi Deo immolarẽt hostias, at isti contra faciebant, multiplicabant altaria ad peccatum idololatriæ augẽdum.

Vnicũ est altare totius Ecclesiæ Catholicæ.

¶ Et quidem si res benè penditur, vnicum habet Deus altare in tota ecclesia catholica. Quanquam enim multa sint altaria toto orbe Christiano diffusa materialiter sanè sunt plura, at vero formaliter vnicũ est altare, quia in omnib⁹ altaribus catholicæ ecclesiæ soli Deo, trino & vno sacrificatur, vnicumque corporis & sanguinis Domini sacrificium Deo offertur: id quod in vnitate catholicæ fidei offertur, & charitatis vnione celebratur. Hæretici autem multiplicant sibi altaria. Si quidem altare eorum diuisum ab altari ecclesiæ catholicæ. Præsertim hæreticorum huius æui, qui lutheranas ducũt partes. Negant enim quidã eorum vt Oecolampadius, & Carolstadius veritatem diuini sacramenti, contendunt enim non esse verum Christi corpus in Sacramento Eucharistico, verumque sanguinem Christi ibidem non latere: sed solum ibi esse tanquam in symbolo, aut in sacro signo. ¶ Lutherus autem, confessus est, ibi condi verum corpus verumque Christi sanguinem: at vero diffitetur, trãssubstãtiationem panis in Domini corpus, & vini in sanguinem. Et omnibus istis conuentum est, Eucharistiam non esse sacrificium: vt nos in 4. libr. Sententiarum abundè disseruimus, pro captu nostro.

Quo circa hæreticorum altare, diuisum est ab altari ecclesiæ catholicæ. Vnde rectè dictum puta, hæreticos hosce multiplicare sibi altaria ad peccatum, instar altarium quos multiplicabant Israelitæ discedentes enim à fide orthodoxa, & catholica, non sacrificant in altari ecclesiæ catholicæ: quod solum patet catholicis, & hæreticos, & schismaticos, & apostatas respuit. ¶ At obijcies, hæreticus sacerdos, etsi lutheranus sit, si super debitam materiam proferat verba syncerè, quę catholica ecclesia profert, verè consecrat, igitur altare hæreticorum non est diuisum ab altari catholico.

¶ Respondetur, tantisper dum hæreticus se gerit catholicè, non diuidit altare Domini. Proferendo enim syncerè verba sacramentalia catholicè se gerit, cum ipse alioqui non sit catholicus. Verum ea tenus altare diuidit, quatenus consecrando diuidit fidẽ, non credendo ibi verè esse corpus & sanguinem Christi, aut si ibi adsunt, adsunt simul cum pane, & vino.

¶ Rursus diuidit altare non offerendo Eucharistiam in solamen defunctorum qui in charitate Dei, & ecclesiæ decesserunt, & in præsidium viuorum, vt in altari catholico offertur. ¶ Rursus diuidit lutheranus ritum Catholicum celebrandi missam: nouum enim ritum pro suo arbitratu, introduxit, neglecto catholico. Vnde quo ad hæc schismaticè celebrat, & altare suum diuidit ab altari catholicæ ecclesiæ, vt aptè istis congruit, quod vates ait, Multiplicant sibi altaria ad peccandum. *Scribã ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ cõputatæ sunt.* Hebraicè, pro eo quod nos legimus multiplices, legitur dignissimas leges, vt quidã interpretãtur vnde Vatablus, trãstulit præscripserã eis axiomata legis. Sũt autẽ axiomata dignissima & præcipua legis: verũ vox Hebræa, Rubs, verbo à Rubab descẽdẽs, significat auctus est, & multiplicatus est, vnde Rab, multus, magnus. Itẽ significat magistrum, cuius multæ sunt dignitates, Quo circa translationes variant. Nostra enim translatio, transtulit multiplices, Vatabli axiomata, id est, dignissima legis, vel maximas, & præcipuas leges, & vtraque translatio congrua est. Et hæc causa est, cur tam varient sæpè translationes, quippe voces Hebrææ sunt ambiguæ significantiæ, & alter interpretum

tum accepit, alteram earum, & alter alteram. Vtique diuinæ leges rectè vocantur multiplices & dignissimæ. Sanè multiplices, quia multis præceptionibus onerauit Dominus populum Hebræorum, vt duram eorum ceruicem sibi subderet. Nam bouem lasciuum duro iugo, & grauibus loris oportet subiugare. Vnde Acto. 15. Lex vetus iugum vocatur: Quid tentatis Deũ, ait, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Et sume hæc verba per exaggerationem esse dicta, id est, difficile portauimus. Siquidem lex Domini, si fuisset importabilis fuisset impossibilis: at vero docente Hieronymo Anathema sit, qui dixerit Deũ quenquã obligasse ad impossibile.

Lex vetus & multiplex & dignissima multiplex ob multiplicitatem præceptorũ, dignissima, quia à Deo profecta.

Quapropter, quod ait, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus, explicabis, id est cum difficultate portauimus. Dedit autem Hebræis Deus legẽ difficilem factu, ob causas commemoratas. ¶ Rabbi autem Salomon, tot ait præcepta fuisse Hebræis data quot sunt dies anni, videlicet 365. ideo ait *scribam eis*, id est scripsi eis leges multiplices. Rursus, quia lex diuina est omnium dignissima, quia infallibilis vitæ humanæ regula est, & non est sicut lex humana quæ sæpè fallit, nisi quando consentit cum diuina lege, ideo aptè transfertur *axiomata legis*, id est dignissimam legem dedi eis, vocant autem philosophi, & dialectici, axiomata scientiarum, vel dignitates, propositiones certissimas, quæ sunt fundamẽta sciẽtiarum. *Quæ velut alienæ.* Quanuis erant dignissima Dei præcepta, quæ plurali numero vocantur leges, nihilominus Hebræi eas contempserunt, & perinde acsi non essent leges diuinæ, sed extraneæ leges. *Hostias offerunt immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum.* Homines, quantumlibet impij, premente maxima angustia ad Deũ conuertuntur, vt implorent Dei auxiliũ, vt liberẽtur ab ingruẽte calamitate. Vnde legimus apud Ionã capit. 1, quod cum vrgeret magna maris tempestas, gubernator nauis excitauit Ionam in nauis saburra altè dormientem, vt precaretur Deum, vt liberarẽtur à naufragio ne omnes perirent. Gubernator autem ille erat idololatra, at vero confugit ad auxiliũ Dei quem non colebat implorandum per Ionam. Ad eandem isti Israelitæ rationem, cum cõstringeret eos obsidio Assyriorum, hostias Deo vero sacrificabant, quem ipsi non coluissent, nisi constricti maxima rerum aduersitate. Et hoc est quod ait, *Hostias offerunt*, id est offerent præsens tempus, pro tempore futuro vsurpatur. *Nunc recordabitur*, id est tẽpore calamitoso, quando ipsi confugient ad Deum verum, tunc Deus verus recordabitur iniquitatis eorum: quia tunc deseret eos in manus hostiles, vt per manũ hostilem cõdignas sumat de peccatis eorum pœnas. Et est iusta animaduersio Dei, vt non verè, sed fictè colentes eum, deserat ipse, quando ipsi credunt à Deo maximè iuuandos, *Et visitabit*, in consolando, sed puniendo. *Ipsi in Ægyptum conuertentur.* Deserti à diuina ope, superest, vt multis miserijs inuoluãtur, similes illis, quibus inuoluti sunt dum versarẽtur in Ægypto vbi durissima seruitute sunt pressi. Vnde Deut. 28. Cõuertet in te oẽs afflictiones Ægypti quas timuisti, aut sẽdo reuerteris in Ægyptũ, id quod erat maledictio data à Deo per Mosem contra violantes legem Dei Deuter. 28. Reducet te ait Dominus classibus in Ægyptum: per viam, de qua dixit tibi, vt eam amplius non videres. *Et oblitus est Israel factoris sui & ædificauit delubra.* Repetitio est priorum, quæ sacris vatibus admodum est familiaris, delubrum autem est templum dijs sacratum, alij putant esse fonticulum aquæ, vnde sacrificuli lauabant manus, ante sacrificium. *Iuda multiplicauit vrbes munitas & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit illas.* Conuertit stylum propheticum, contra duas tribus Iuda, & Beniamin. Quæ duæ cum viderent, decem tribus pessumdari ab Assyrijs, sibi vt consulerent, munierunt suas vrbes, & sua præsidia fortificauerunt. At vero temerè hoc fecerunt, quia incassum cecidit conatus eorum. Nabuchodonosor enim ignem immisit, & deuastauit templum, & præsidia ipsorum. Enim vero contra diuinum decretum nullum est præsidium, neque humana prudentia, aut vrbium vel castellorum, aut armorum multitudo, aut munitio quicquam valere potest. Decreuerat autem Deus Israelitas perdere, & Iudæos: ideo frustra conabantur, diuino decreto, repugnare.

EXPLANATIO
IN CAP. IX. OSEE.

NOLI *lætari Iſrael, noli exultare, ſicut populi.* Ij quibus imminent ſumma mala, ſi ex ignorantia eorũ quæ ſibi ſuperuentura ſunt de proximo mala, lætantur, & exultant aptè, is qui nouit ea illis inſtare, mouere poterit ne lætentur, neve exultent, ſed potius triſtentur, & doleant, propter grandia, quæ illis impendunt mala. ¶Et rurſus, qui grauia in Deũ patrauerunt peccata, & horum nulla habita ratione gaudent, & feſtiui ſunt, rectè dicitur ne exultent atque lætentur, ſed potius grauiter lamententur propter peccata ex quibus iratum ſibi habet cæleſte numen. Ob has igitur duas cauſas Iſraelitas monet nunc propheta ne lętentur animo, neque exultent tripudijs corpore, & inſinuat potius eos triſtitia, & mœrore affici oportere ad ſuam ſalutem parandam. Nam triſtitia quæ ſecũdum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutẽ operatur. 2. Cotinth. 7. Et quanuis ſolam ſecundam cauſam exprimat dicens, *quia fornicatus es à Deo tuo*, ideſt te ſeparaſti à cultu veri tui Dei, per idololatriam, cæterũ, in cauſa hac poſteriore, continetur prior. Imo re vera, ſecundum rei naturam, hæc eſt prior cauſa ſi quidem, mala quæ patimur, peccata noſtra commeruerunt: Vnde ex eó Iſraelitæ, abacti ſunt in miſerabilem captiuitatem, quia fornicati ſunt à Deo ſuo, vt ſupra ſatis docuerat vates. Veruntamen Iſraelitę non credentes ſanctis vatibus præmonentibus eorum excidiũ lætabantur, & exultabant improuidi. Ideo ait modo, *Noli lætari ſicut populi*, id eſt ſicut gentes, Minus enim imputandũ erat gentibus, quod lætarentur, & exultarent quam Iſraelitis. Gentes enim orbatę erant prophetica præmonitione de malis venturis. Et minus peccabant idola colendo quam Iſraelitæ, quia lege Dei non fuerant donati. *Dilexiſti mercedem ſuper omnes aras tritici*, capit. 2. dixerat. Et corrumpã vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit mercedes hæ meæ ſunt, quas dederũt mihi amatores mei. Peruerſitas horum Iſraelitarum maxima erat, & in magnam contumeliam diuinitatis. Enim vero abundantiam frugum eis prouenientẽ ex cultu frequenti idolorum ſibi prouenire reputabant. Ideo vocabant, illam frugum, & frumentorum copiam, pręmium eſſe ſuæ ſuperſtitiõis. Et vates vocat mercedem amatoriam, id eſt meretritiã. Vnde vt videtur iſti ſuper areis frumentorũ dijs immolabant ſuis, ſperantes ob hoc prouenturam maiorem copiam frumentorum in præmium ſuarum immolationum. Et hoc eſt quod ait, *dilexiſti*, id eſt ſperaſti mercedes, ſeu frumentitia præmia à tuis idolis immolans eis, ſuper omnes areas tritici. Et aptè hoc adiũxit priori ſermoni. Dixerat enim *fornicatus es à Deo tuo*. Subdit deinde, qua ratione fuerit fornicatus, videtur diligendo mercedes, hoc eſt ſperando præmia à ſuis idolis, ob cultum ipſorum. Et quidem veriſsima eſt ſententia, qui in principio diſcedit à veritate, in fine. Longiſsimè erit ab ea, vt contingit iter facientibus. Qui ergo diſcedit à cultu veri Dei, & alios ſibi coaptat deos neceſsũ eſt, vt ab iſtis falſis dijs bona cũcta ſperet, & in plurimos prolabatur errores, vt iſti Iſraelitæ fecerunt. *Area & torcular non poſcat eos, & vinum mentietur eis.* Quod dicit tale eſt vos Iſraelitæ colebatis veſtros inanes deos, operãtes ex cultu, quod ipſi præſtare nequibant ſolus nanque Deus verus, eſt creator omnium, & conſeruator, à quo ſolum modo ſperanda vbertas frugum, & non ab impuris ſpiritibus. Angeli enim ſiue puri, vt beati, ſiue impuri, vt qui damnatione cruciantur æterna, nõ poſſunt creare quicquam, neque vel culicem vnum, aut herbulam minimam. Vnde magi Pharaonis, ſi ex virgis fecerunt ſerpentes, nõ fuit quia ipſi erant creatores, aut dæmones quorum induſtria illa mirabilia edebant: ſed potius applicabant materiã ſerpentibus accommodatam, influẽtiæ, & aſpectui cæleſti, & ideo fecerunt ſigna illaque ediderunt. Sicut agricola infundẽs ſemen terræ, non generat olera, aut frumenta, ſed ſolum eſt cauſa ſine qua non frumenta non generarentur, eſt cauſa ſine qua non, nõ eſt efficiens cauſa: nã hæc tranſmutat materiam, & inducit formam materiæ tranſmutatæ conuenientem, id quod agricola facere nequit, vt neq; qui applicat ligna igni, genitor eſt ignis ob eandem cauſam. Tales autem ſunt angeli omnes, niſi quod angeli ob excellentiam ſuæ naturæ velocius, applicant materiam

teriam ſuis efficientibus, ei ex ſubtilitate ſui ingenij, perſpicacius nouerunt, vt ſit applicanda hæc materia, & quando, & vbi &c. Angeli autem ſancti, diuina virtute edere miracula poſſunt: & ſæpè illa ediderunt: ſicut & ſancti Apoſtoli, & alij ſancti. Vnde diuina cooperante virtute poſſent tranſmutare materiã, vt inducere tur ſua forma. ¶Etſi creare ex nihilo aliquid multis Theologis eſt in confeſſo, angelos non poſſe, etiam Deo opitulante: de qua re nos in. 2. ſenten. copioſè, diſputauimus. Quo fit vaniſsimos fuiſſe Iſraelitas ſperantes à creaturis immũdis, quod à ſolo Deo fuiſſet ſperandum. Et demum erratũ Platonicũ hoc fuit, angelos fuiſſe cooperarios Dei in creando orbe. Et quidem, cum natura ſit determinata in ſuo opere, ſuum terminum tranſgredi nõ poterit. Vnde oliua, ab oliua, equus ab equo, homo ab homine, ignis ab igne ſolũ generantur, &c. Angelus igitur non poteſt, naturalia generare corpora, aut phyſicas qualitates, cum ipſe non ſit ens phyſicum, cum neque ſit elementum, neque mixtum, neque celeſte corpus, quod mediantibus phyſicis corporibus phyſicas exercet operationes. Cum ergo ſit angelus, & ideo tranſcendens phyſicam naturam, non poterit efficere phyſicas actiones, niſi ad ſenſum dudum præſcriptum. Quo efficitur, quod ſi quid potuiſſet, oportebat poſſe alterum angelum ſibi ſimilem producere: at neque hoc poteſt: quia cum angelus ſit ſubſtantia ſpiritualis, & expers materiæ, ſi produceret aliũ angelum produceret ex nihilo hoc autem cũ ſit infinitæ virtutis ex nihilo aliquid faceret. Vnde 1. Phyſico. perterruit omnes philoſophantes, huiuſmodi actio, ex nihilo aliquid facere, ſolus hoc præſtit, creando orbem, & præſtare poterit cũ voluerit Deus: quia infinitæ eſt potentiæ. ¶An vero ex abſoluta potentia, hãc actionem cõmunicare poterit Deus creaturæ, profundior eſt diſputatio, quam ſit hoc loco diſſerenda, ſi voles iam prodidi locum vbi, diſſertam videbis. *Area & torcular* digniſsima, eſt retributio, vt is qui in vanitate collocat ſpem ſuam, vana quoque ſperata reſultent: iſti igitur, quia in dæmonibus impuriſsimis, nõ potentibus frumenta aut ſegetes conferre, collocabant ſpem habẽdi frumẽta fruſtrati ſunt ſpe ſua. Ideo area frumentorum, ſcilicet, non paſcet eos, & torcular vini, mentietur: vel fallet eos. Quia vt ſupra tradebamus fame, & ſiti ſunt afflicti Iſraelitæ & Iudæi ante captiuitatem, vt hoc loco etiã docemur. *Mentietur*, id eſt ſpes colligendi copiam vini fallet eos. Simile in Abac. 3. Mentietur opus oliuæ, Hoc idem illis euẽturum Deus per Moſem Deuter. 28. prædixerat. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locuſtæ deuorabunt omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, neq; colliges ex ea quippiam. Digna ſanè culpæ recompenſatio, vt qui fidunt mendacijs, colentes mendaces deos etiã ex mendacio lędantur. Videlicet, quòd frumenta & vina & fruges, eos fallant, follunt autem quando ſperãtes colligere multa ex ſemente copioſa, & multis labore colendis agris impenſo fruſtrantur ſpe ſua & vniuerſa eis mentiuntur: Deo igitur maximè fidendum, qui cum ſit ſumma veritas fallere nõ poteſt. Vnde illud Pſal. 24. Qui ſuſtinent te non confundentur, & quanuis non ſit culpa in homine confidere. 2. ad Teſſal. 3. Confidimus de vobis, at oportet confidere, non primario, ſed ſecundario. *Non habitabunt in terra Domini, reuerſus eſt Ephraim in Ægyptum. & in Aſyrijs pollutum comedit.* Obſerum quanta copia verborum vates prædemonſtrat, captiuitatem Iſraelitis impendentẽ. Et forſitan à me quæris, cur ita? Dixerim quia increduli erant, ideo ſæpiſsimè erant prænonendi, vti Dominus quoque ſæpè repetebat coram Phariſæis eſſe ſe verum Meſsiam, etſi alioqui Domino compertiſsimum erat ſe coram ſurdis canere. Verum ad firmandum ſui aduentus, idem & ad maiorem incredulorum damnationẽ, replicabat de ſuo aduentu ſermonem. Ita in propoſito ſancti vates, vt certos facerent, nos, nunc, & Iſraelitas tunc, non caſu, illis obueniſſe deuaſtationẽ; & exitiũ quod paſsi ſunt, ſed ex diuino nutu, & ad cumulationem damnationem incredulorum: idcirco toties repetunt captiuitatis miſeriam, & idololatriæ immunditiẽ, & abominationem, Iſraelitis imponunt. *In terra* intelligit terram promiſsionis, quæ à pſalte, Pſalm. 26. Vocatur terra viuentium, ibi enim ſolummodo Deus viuens colebatur, & Dominus omnium cognoſcebatur, *Reuerſus* pro *reuertetur* in Ægyptum. Id quod duplicem capit intelligẽtiam,

Qui mẽdacio fidunt ex mendacio non iuuabuntur.

tiam,vel quod Iſraelitæ,erant paſſuri rurſus diuexationes, & miſerias, quas apud Ægyptios, eorum maiores paſsi fuerant. Aut erant reuerſuri in AEgyptum, id quod quõdam prætiderat Moſes Deuteron.28. vt ſupra annotabamus. *Et in Aſſyrijs* captiui, non poſſunt obſeruare legitima,ſiquidem, cum apud dominos ſuos agant,non ſunt ſui iuris,ſed alieni. Vt eſt videre modo in Græcis, qui Turcarum principi ſeruiũt:quibus fidem Ieſu Chriſti & eccleſiæ leges ſeruare non eſt integrum,ita Iſraelitæ,& Iudæi agentes apud Aſsyrios, & Babylonios captiui, etſi volent, abſtinere ab idolothitis, & à carnibus ſuillis & ab alijs lege ꝓhibitis alimẽtis eis non dabatur. Quippe non erat ſuũ eligere cibos, quibus veſcerentur, ſolum enim ijs veſci poterant quæ à dominis cõcedebantur eis ad veſcendum. ¶ Et equidem iuſtus eſt Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Græci eñ, ſæpè admoniti ſunt à ſede Romana, ne eſſent inquieti ſchiſmata meditantes, at ipſi recalcitrarũt contra matrem ſuam Romanam eccleſiam, & ideo,ſiquidem cum potuerant obedire eccleſiæ Romanæ:noluerunt, nunc ſi velint nõ poſſunt. In quem modum Iſraelitæ, cum potuiſſent obedire Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, vbi erat caput regni, & Pontificalis ſedes,& ideo velut mater erat eorum,illi tamen repugnarunt ſe ſcindentes à Dauidico imperio,quare cum eſſent diuiſi, agebant apud exteras nationes ſub miſerijs varijs,ideo etſi voluiſſent,obtemperare legi Dei, fuiſſet eis negatum, vt fuit negatum,& ideo ait, *In Aſſyrijs pollutum comedent*, & vtinam Germanis,hoc idem non accidat aliquando,quod Iſraelitis,& Græcis. *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei,ſacrificia eorum,quaſi panis lugentium omnes qui comedunt eum contaminabuntur.* Sanè poſtquã aũulſi ſunt à Dei cultu Iſraelitæ, non libabant domino vinum, ſed idolis, ſacerdotes eorum libabant illud: & ideo, huiuſmodi libamen Deo ingratum erant, vt etiam ſacrificia eorum, Deo ingrata erãt. Et contaminabantur offerentes, & comedentes ex carnibus, aut panibus dijs vanis immolatis. Ideo ait, *Quaſi panis lugentium*, vocat panẽ lugentium, panem quem comedebant, qui funeribus mortuorũ aſsiſtebant. Quẽ panem vt ſupra diximus,hucuſque eſt in vſu quorũdam, comedere quem vocant, *las charidades*,& per panem intellige,omnem cibum ex phraſi Hebraica. Nam cũ panis ſit digniſsimus ciborum, ex dignio ri,cætera alimenta ſubintelligũtur. Qui ergo ex huiuſmodi cibis comedebant, reputabantur contaminati, ſicut qui tangebat mortuum. Legimus autem in Ezechiele cap. 24. ne ſub morte ſuæ vxoris, Deus præcepit lugubria exerceret, & itẽ ne pane veſceretur lugentium. *Quia panis eorum animæ ipſorum,non intrabit in domum Domini*, quod dicit hoc eſt, panis ex quo eorum vita ſuſtentatur non intrabit in tẽplum Dei. Per panem vt dicebam,omnia alimenta ſubintelligit,& per animam, vitam corporalem. Vnde eadem locutionis figura,in euangelicis literis, vita corporalis anima vocatur ex metonymia: ſi quidem anima eſt principium vitæ, qua ſubmota, corpus ruit mortuũ, ideo vſurpatur cauſa pro ſuo effectu. Vnde ait Dominus,quam commutationem dabit homo pro anima ſua?quaſi dicat nullam. Si quidem vita corporalis excellit vniuerſa bona temporalia. Vnde Iob. 1. Pellem pro pelle,& cuncta quæ habet homo, dabit ꝓ anima ſua,id eſt pro vita redimẽda, cuncta nihili fiunt. Et rurſus Dominus, quia amat animam ſuam in hoc mundo perdet eam. Nam amare animam in hoc mundo,eſt pluris facere vitam temporalem,& illi annexa quã vitam æternam. ¶ Aut aliter poſſumus exponere, accipiẽdo animam pro voluntate, nanque item vſurpatur anima pro voluntate, & bene placito, vt non placebit animæ meæ, id eſt voluntati meæ. Vnde Iſaiæ 1. Kalendas veſtras,& ſolennitates veſtras odiuit anima mea, id eſt voluntati meæ erant ingrata & ſæpè alias. Vnde ſenſus erit,quia panis voluntatis ipſorum quem ſcilicet, pro ſuo placito,ſubaudi, pro ſuis peccatis offerunt non introibit in domũ meã, id eſt,non erit mihi gratus. Hoc enim eſt, non introire in domum Domini,ideo diſplicere. Et ſermo hic propheticus, eſt idem atque prior, quem dixerat capit. 8. Hoſtias offerent immolabunt carnes, & comedẽt,& Dominus non ſuſcipiet eas. Eſt eñ familiariſsima repetitio ſacris ſcriptis,idem ſæpiſsimè repetere, ſub alia tamen forma verborũ,ne faſtidio ſit eiuſdẽ rei repetitio, ſub eadem forma. *Quod facies in die ſolẽni, in diem feſtiuitatis Domini?*

Quod

Græcis idẽ accidit, qđ Iſraelitis, quia vtrique ſe diui ſerũt à matre ſpirituali ſua.

Panis lugentiũ, de quo ſupra meminimus.

Matt.16.

Ioan. 12.

Animam pro vitã temporali interdũ pro voluntate.

Quod dicit tale eſt,vobis non licebit,dies feſtos & ſolennes Deo celebrare,vt ex lege tenebamini. Et ſubdit cauſam, *Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate.* Etenim trãſmigrandum vobis erit in barbaras nationes, apud quas non licebit vobis dies ſolennitatis & feſtiuitatis à lege præſcriptos celebrare. Et eſt declaratio priorum, videlicet. *Non libabunt vinum Domino &c. Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos, deſiderabile argentum eorum vrtica hæreditabit*, declarat clauſulam priorem. *Profecti ſunt à vaſtitate*, dicens eos commigraturos in Ægyptum,& in Memphim vrbem antiquiſsimam & nobiliſsimam Ægypti, vnde appellabantur Memphitici vates. Hebraicè vocatur Moph, cuius fit mentio Iſaiæ 19.& Ierem.44. & 46. & Ezechielis 30. Significat vates hoc ſermone decem tribus diſpergendas in varias orbis partes,& quod bona pars, ipſarũ erat commigratura in Ægyptum, & Memphim,quod ſi obieceris ſcripturam tradere Iſraelitas,in Medos, & Aſsyrios fuiſſe tranſlatos, quomodo ergo ait, modo in Ægyptum commigraſſe? Reſpondebis, quod vtrumque verum eſt, nam aliqui eorum tranſfugerunt in AEgyptum, & in Memphim, etſi maxima pars eorum in Medos, & Aſsyrios. Dicit autem Petrus Comeſtor libr.2. hiſtor. Alexandrũ acceſsiſſe aliquando, ad montes Caſpios, vbi decem tribus tenebantur incluſæ, & petiſſe,ab Alexandro Macedonio, vt ſoluiſſet earum captiuitatem, qui explorãs cauſam captiuitatis fuiſſe, quod dominũ Deum patrum ſuorum contempſiſſent, iuſsit eos arctius includendos, quam arctiorem clauſuram cum tentaſſet, & vidiſſet,quòd tentarat,operam ſuperare humanam,oraſſe Deum Iſraelis, vt conatus eius adiuuaret. Et ideo illi annuente, præruptis montium, fuiſſe arctiſsimè incluſos Iſraelitas, vbi vſque in diem iudicij, reſeruantur tanquam carcere quodam detenti:at ſub Og, & Magog,tũc recludentur, id eſt, ſub tempore Antichriſti. Quantæ autem fidei ſit hæc hiſtoria, penes alios eſto iudicium. Cæterum, quod inconcuſſæ veritatis eſt, vt tradidit Sacra ſcriptura Iſraelitas, videlicet, in AEgyptum,in Medos,atque Aſsyrios commigraſſe,hanc autem incluſionem in montibus Caſpijs,in diuinis literis nõ lego. Etſi vulgatum ſatis eſt, decem has tribus eſſe inibi incluſas, reſerandas autem ad diem iudicij,ſub aduentum Antichriſti, cui hærebunt,vt ſuo Meſsiæ. *Deſiderabile argentum*, phraſis Hebræa deſiderabile vocat, quod in ſummo pretio habetur. At Hebraicum verbum quod hic habetur, *hæreditabit,poſſidebit*, vel occupabit ſignificat vt ſit litera,poſsidebit vrtica.

Ezechielis 38.

¶ At ſignificatur hoc ſermone, quod quando erant Iſraelitæ redigendi in captiuitatem, omnia prætioſiſsima eorum erant deuaſtanda, videlicet, domus ſpecioſiſsimæ, inauratæ, & deargentatæ, erant hoſtiliter diſsipandæ, adeò vt reddẽrentur inhabitabiles, & incultæ, vt eſſet in eis locus vrticæ,& paliuro, quorũ natiuitas inculta amat loca. Vrtica enim, ſine cultura naſcitur,vbilibet. At vero pro lapa,alia tranſlatio legit, paliurus.

Paliurus lapa.

¶ Eſt autem paliurus, quod Hiſpanè vocatur, *Azebo* ſpinoſa arbor. Lapa autem, cuius meminit tranſlatio noſtra, amat inculta loca, quæ & duplex ſcribitur,& maior,& minor. Quarum mentionem facit Theophraſtus,lib. 3. de hiſtor. plan.cap. 17.& Dioſcorid.lib.4. & Galenus de facultatibus ſimplicium medicamentorum lib.8. Et ego hanc arborem vidi,folia habentem lauri, latiora tamen,& rubrum fructum & fertur naſci in viculo, eiuſdem cognominationis, *El Azebo*, veram huius fruticis texere hiſtoriam, nihil conducit noſtro inſtituto, vt neque lapæ,quæ Hiſpanè appellatur, *Lampazo*. ¶ Sunt tamen qui putant lapam,& paliurum nomine tenus diſcrepare:at vero, toto cœlo errant,vt patere poterit diligenter ſcrutanti plantarum hiſtorias. Hebraicè, vocatur Huah, & hoc loco habetur hæc dictio,& eadem.2.Regum.14. In parabola illa,de carduo,carduus, videlicet, Libani, quæ eſt in Libano miſit ad Cedrum. Vbi pro carduo legitur Huah. Hoc autem argumentũ efficit nihil: poſſem enim dicere, quod tranſlator congruè nũc poſſet transferre carduum ſi voluiſſet, & non lapam. Eſt autem carduus alter ſylueſtris,alter hortenſis,hic eget cultura, quia edulium eſt,ille vero nulla cultura ſatus, ſponte naſcitur locis incultis. Et ſatis cõgruebat lectio, ſiquidem intentum vatis eſt oſtendere terram Iſraelitarum, eſſe redigendam in ſolitudinem,& ideo opplendam vrticis, & alijs herbis,aut fruticibus ſpinoſis, vt eſt carduus, & alia huiuſmodi. Vnde

di. Vnde lectio ſeptuaginta quæ Græca eſt, ſic habet, *Argentum eorum interitus hæreditabit: & ſpinæ in tabernaculis eorum.* Hoc eſt naſcentur ſpinoſæ herbæ in tabernaculis eorum, poſtquã ſub captiuitate deferentur, ab habitatoribus. Et ideo ſiue tranſlatio vulgata, quæ habet lapam ſiue tranſlatio Vatabli, quæ habet paliurum, ſenſum nõ mutat vatis. *Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis:* ideſt, cito aderunt dies vindictæ, contra veſtra ò Iſraelitæ ſcelera. Et eſt repetitio eiuſdem rei, per varia verba. Nam viſitatio hoc loco vſurpatur in malum, pro viſitatione ad ſupplicium. Vt nonnunquam apud nos iudices viſitant carceres, ad punitionem facinoroſorum. Retributio autẽ hoc loco item vſurpatur in malum, pro retributione punitiua ſceleris. Et ſi vſurpetur etiam frequenter in bonum. Iuxta illud: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem. Et Lucæ 14. Retribuetur tibi in reſurrectione mortuorum, & ſæpè aliàs. *Scitote Iſrael ſtultum prophetam, inſanum virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Varia lectio huius loci, vt altera eſt, vt ſcitote, ſit imperatiui modi pluralis numeri, & Iſrael in vocatiuo, vt ſit ſenſus ò Iſraelitæ ſcitote, vel cognoſcite iam ſtultum prophetam &c. Alia lectio, vt ſit imperatiuum, ſingularis numeri ſcito, te. Verum prior lectio, eſt voca lectio. Et hunc ſenſum habet ò Iſraelitæ, iam adſunt dies, id eſt tempus, quando Deus ſumet vindictam de veſtris facinoribus, & tunc ſcietis *prophetam* pro *prophetis* ſingulare, pro plurali ſcietis inquã vates veſtros quos magni faciebatis, ceu ſpiritu Dei plenos, non fuiſſe plenos Sancto ſpiritu, ſed potius phanatico ſpiritu fuiſſe imbutos, & arreptitios fuiſſe à Satana. Nam huiuſmodi arreptitios vocat ſpirituales: vnde ſpirituale, vſurpatur nonnunquam in malum. Vt etiam apud Paulum ad Ephe. 6. Aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Quia igitur, abducti in miſeram captiuitatem Iſraelitæ, nouerunt experientia demonſtrante, deceptos fuiſſe à ſuis pſeudouatibus, & hos fuiſſe non veros, ſed falſos vates, ideo ait *Scitote, Iſrael*, pro *ſcietis* Iſraelitæ, experientia diſcetis veſtros prophetas fuiſſe ſtultos ſeu phanaticos, & fuiſſe arreptos à malo, & mendaci ſpiritu. Quippequi deceperunt vos promittentes felicitatem, contra miſeriã quam ego vobis comminabar per veridicos meos vates. Ego autem, permiſi vos decipi, & falli, à falſis iſtis vatibus propter multitudinem veſtræ iniquitatis. *Et multitudinem amentiæ.* Amentes eos vocat, nam quæ maior amentia, quam colere aurum, & argentũ pro Deo viuo? Stultus igitur vates, & inſanus, reddit plebẽ quam docet, ſtultam, & inſanam: vt accidit iſtis Iſraelitis. Et quod accidit iſtis, accidit item Germanis habuerunt in prophetam Lutherum, & hic inſanus fuit vates, id eſt ſtultiſsimus doctor, nam & doctores computantur in prophetarum numero, quippe qui prophetica enucleant ſenſa rudibus plebibus. Vnde doctor falſus eſt propheta falſus. Quia igitur Germania, & Anglia, etſi quæ ſunt aliæ prouinciæ, quibus cordi fuit, aut eſt Lutheri doctrina, ſuſceperunt in vatem inſanum, & amentem, Lutherum, ideo ipſæ laborant multitudine amentiæ, vt earum magiſter. ¶ Et quæ obſecro, amentia maior, quam hæc qua Lutheri ſectarij arripiuntur, videlicet, ſpretis Concilijs ſanctorũ patrum, & poſthabitis decretis ſanctorũ pontificum, & doctrinis ſanctorum conculcatis doctorum, & vulgata deniq; doctrina eccleſiæ neglecta, adhærere decretis & opinioni vnius apoſtatæ à regula D. Auguſtini monachi Lutheri? an non incomparabilis eſt ſtultitiæ hunc credere eſſe ſapientiorem, & ſanctiorem cunctis doctoribus catholicæ eccleſiæ, id qđ ſectarij iſti credunt? Ita ne hæc eſt maxima ſapientia, hæc eſt maxima huius monachi ſanctitas, vota quæ ſub regulari obſeruantia Deo nũcupauit, violare, & pro nihilo ducere? Et clauſtra monaſterij contemnere, vt ad nouas & inſolitas nuptias monachus accederet. Si euangelia ſolũ amat audire, & verbo Dei ſe iactat ſolum adhæſurum oſtendat mihi ſi poterit, vbi in verbo Dei expreſſo (vt ipſe loquitur) reperiet monachum profeſſum, & iam diu profeſſum, vt ipſe erat (viginti ſex annos enim duxit monaſticam vitam) poſsit nullo diſpenſante vxorem ducere: ego lego in verbo Dei expreſſo vota mea domino reddam coram omni populo eius, iſte autem monachus ſua vota violauit, coram omni eccleſia: ſanè antequã vouiſſet liberum ſibi erat non vouere, at poſtquam vouit, & rectè vouit forſitan, occinent

Viſitatio retributio in bonum & in malum in arcanis vſurpatur literis.

Spirituale in bonum & in malum.

Lutherus reijcitur.

occinent Lutherani imo non rectè vouit, quia ſe conſtrinxit ſeruitute votorum, at lex Chriſti libera eſt à iugo ſeruitutis, ſed quid, qui vouet caſtimoniam, qui vouet obedientiã ſuperiori in licitis & honeſtis, qui vouet paupertatem, nõ rectè vouit? & quid clamãt diuina expreſſaq; oracula, niſi huiuſmodi eſſe præclariſsimas virtutes, Deoq; quã gratiſsimas? & equidẽ Chriſti euangeliſi, nõ te Luthere obligabat, ad huiuſmodi emittẽda vota, nulla horum nuncupandorum votorum te premebat ſeruitute, vt deſinas nobis obijcere euangelicam libertatem, tu ſponte te coniecisti in hanc ſeruitutem, quãdo profeſſus es monaſticam, & eremiticam Diui Auguſtini regulam; at poſtquam tu te coniecisti in hanc ſeruitutem euangelium Chriſti tibi iubebat, vt in ea permaneres neque tibi erat iam facultas, ab hac te aſſerere ſeruitute docẽte Pſal. vouete, & reddite. Pſal. 75. Et quidem beata eſt ſeruitus, quæ te hominem adigit non ad facinora committenda ſed ad illuſtriora merita comparanda. Ab hac beata ſeruitute ſe exemit ſua autoritate Lutherus vt in infælicem diaboli ſe traderet ſeruitutem. *Speculator Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius inſania in domo Dei.* Dudum dicebamus doctores vocari in ſcripturis Prophetas, quod ſi docent fidem veram, & doctrinam ſanam, ſunt veri Prophetæ, ſin vero doctrinam peſtilentem, ſunt pſeudouates. Hos igitur vocat ſpeculatores nunc Oſeas, ſicut & Ezechiel ante ipſum prophetas Dei & ſanctos doctores, vocauit ſpeculatores. Speculantur enim, quæ opportuna ſunt factu à fidelibus, vt eripiantur à Satana eademque appellatione, & pſeudouates, dicũtur ſpeculatores. Siquidem, quanquam reuera non ſint ſpeculatores, quia cæci ſunt & duces cæcorum, at vero ſcriptura, nominibus vulgatis vtitur, vt vocat etiam idolorum ſacerdotes, ſacerdotes, cum tamen reuerã, non ſint ſacerdotes: & item pſeudouates, appellat vates, ex appellatione, qua nominantur apud ſuos cum reuera non ſint Prophetæ, ſed impoſtores; ita in propoſito, ſpeculatores vocat falſos vates, quia apud ſuos erant ſpeculatores, eis enim obtemperabant, vt veris doctoribus.

¶ Iſti porro ſpeculatores docebant Iſraelitas, colendum eſſe vnum Deum verum, ſed nihilominus licere, & falſos ſimul venerari deos. Et hoc eſt quod ait, ſpeculator Ephraim, ideſt, ipſi Ephraim, ſiue Iſraelitis, ideſt, quem Iſraelitæ habent in doctorem, cum Deo meo, id eſt, docet colendum eſſe Deum meum ſunt verba Prophetæ. Et quod *ſubdit Propheta laqueus, &c.* Hoc eſt ſpeculator Iſraelitarum, qui eſt propheta ipſorum, eſt inſtar laquei aucupis, qui occultè auiculis capiendis, parat inſidias, ad earum perditionem. Tales ſunt omnes hæretici, vt laqueus ſunt aucupis quippe, per dulces ſermones, per verba picturata, promittẽtes quæ Deus non promittit, & docentes quæ neque Deus neque Eccleſia docet irretiunt tendiculis iſtis, & captionibus, ſimplicium mentes, vt eas præcipitẽt ad tartara, vt Lutherus fidem ſolam perſuaſit ſuis ſat eſſe ſaluti conſequendæ, & bona opera vacua eſſe à meriti ratione, & alia multa quæ ſupra retulimus. Ideo verè factus eſt Germanis, & alijs nationibus vt laqueus ruinæ ſiue vt Hebræa lectio habet, factus eſt, vt venans, vel capiens, ſubaudi ſimplices auiculas & ſecuras. Siquidem omnia corrupit & violauit, quæ erãt ad ſalutem neceſſaria Græcè, *laqueus tortuoſus*, & verè ſunt tortuoſi laquei, id eſt occulti ſunt hæretici, quia ſuæ prauitatis venena, hæretici huius æui occultãt dicentes, ſolum eſſe credenda, & facienda quæ docet expreſſum Dei verbum. At reuera tortuoſitas iſta confingitur, ſiquidẽ paris autoritatis ſunt quæ colligũtur ex Dei verbo cum ipſo Dei verbo. Nam ex regula dialectica ex vero non niſi verum, ex falſo quandoque verum, quandoque falſum, cum igitur Dei verbum ſit infallibile, quæ ex ipſo ſequuntur ſunt etiam infallibilia. Et rurſus, quæ eidem ſunt conſona vera ſunt: quia verum vero conſonat. Eccleſiaſticæ autem traditiones, ſi diuinæ non ſunt, ſaltem diuinis conſonant: igitur verę ſunt, ſi veræ, cur illis refragantur hæretici iſti? vtique refragantur quia hoſtes ſunt veritatis, ſanè nullum eſt Dei expreſſum verbum, docens Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, eſſe tres perſonas, & vnam eſſe diuinam naturam; at iſtud credere eſt fidei articulus, quẽ ipſe non inficiatur; & alia innumera ſunt huius generis, quæ ſcienter prętermitto hucvocare, quia multa de iſtis egimus in diſputationibus noſtris Theologicis. *Inſania*

Euangeliũ non obligat ad nuncupanda Deo religionis vota at nũcupatis votis obligat ad eorum obſeruãtiam.

Scriptura vtitur nominibus vulgatis.

nia in domo Dei ei. Dixerat supra Israelitarum vates esse insanos, & stultos, & ipsos fuisse amentes Israelitas, nunc idem ostēdit, alia sermonis oratiõe, *Insania*, siue stultitia *in domo Dei ei*, id est, quod est in templis vestris sunt idola, quibus nihil stultius, vocatque idola stulta & insana, vel in abstracto insaniam, vt significantius, doceat ea adorare esse stultissimum. Et quia cultus eorum erat insanissimus, ideo ab effectu, vocat idola insaniã, vt vocantur vanitas, & mendacium, ob eandē causam, quia homines vanissimos & mendaces in diuinitatis causa reddebat. *Profundè peccauerunt.* Profundum peccatum vocat, quod callidissimo vaframento excogitatur, vt fallat, & credatur esse iustum opus, quod alioqui est nefandum scelus. Vt vsurarijs est commune, multas & subtilissimas excogitare argutias, vt vsuram suam pallient, & videatur esse iusta vsura, & non iniusta. Vt est illa argutia, pecunia præsens, pluris fit, quam futura, igitur si mutuo do pecuniam meam præsentem, pro futura soluenda, fas erit, nonnihil amplius reportare lucri. Quæ argutia diluitur, pecuniam præsentem, & futurã eiusdem esse valoris: nam numus argenteus, qui modo adest, & qui aderit cras, idem valent, vnde si ratio sola habeatur temporis præsentis & futuri, neutiquam ex hac sola ratiõe, poterit sine labe vsurę quippiã ex mutuo reportari lucri. At vero sunt aliæ ratiões vnde pecunia presens pluris fit quam futura. Quando videlicet ex præsenti quis negotiatur, & parat sibi probabile lucrum, aut ex ea euadit notabile damnum, vt si soluēdo creditori suo debitum in carcerem non conijcitur, id quod ex futura facere nequibit, vel ob alias causas, quas nunc non est opus recensere: qui volet legat librum nostrum de contractibus & restitutionibus, & in didem hauriet. ¶ Israelitæ igitur profunda excogitata tendicula à falsis vatibus fuerunt irretiti in idololatriam. Docebãt nanque falsi vates, adorando vitulos aureos Israelitas, quod Deum verum adorabant, si tamen vitulos adorabant in honorem Dei veri: id quod insipientium erat subtilis decipula. ¶ At quam insana erat ratio hęc, promptum est videre, quia perinde dictu est, ac si dixissent, si adorando dæmonem, vos adoratis eum in gratiam Dei, fas est adorare dæmonem. Cum autem sint Deus verus, & dæmon inuicem maximè contrarij, ex adoratione vera Dei, expellitur prorsus adoratio diaboli: & ex adoratione diaboli, expellitur penitus veri numinis adoratio. Vnde Paulus 1. Corinth. 9. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorũ: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Nulla enim societas luci, ad tenebras, nullaq; conuentio Christi ad Belial. 2. Corinth. 6. ¶ Vnde fieri nequit, quod quis venerando dæmonem, Deum colat, quia ipsa dæmonis honoratio, est directè contra honorem Dei. ¶ Fuerunt tamen hæretici qui dæmonis cultũ probabant, ea sola ratione, quia excellentia suæ naturæ, Deum repræsentat: & ideo quatenus Deum repræsentat venerabilis ab eis ducebatur. ¶ At vero quum omnes creaturæ, Deum repræsentent, nam cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Vtique si isti vera narrarent, fas esset omnes adorare creaturas: quatenus repræsentant diuinum numen. Nam inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; virtus & diuinitas Rom. 1. Vnde pateret via amplissima, idololatriæ, si vera esset hæc opinio. Propterea scito, quod repræsentare diuinũ numen bifariam accidere potest, aut ex natura rei, aut ex institutione. Primo modo vniuersa creata, diuinitatem repræsentant, secundo vero modo, imagines, quas ecclesia instituit ad rememoranda diuinitatis sacramenta, vt pote imago Iesu Christi, aut sanctę Triadis: sub ijs formis, quas expræsit diuina scriptura. Vt verbi gratia, patrem sub forma antiqui dierum, filium sub hominis figura, & Spiritum sanctum, sub figura columbæ, *nam* aliã Trinitatis inducere formam, qualis est monstrifera illa tricipitis in vno corpora forma. Hæc nanque non est adoranda, sed potius abolenda: quia inducit simplices in errorem cogitãdi sanctam Triadem, esse aliquid monstruosum. Similiter est de alijs formis, quas insipientes pro suo cerebro fingunt sine fundamento diuinarum scripturarũ. Vt quando pingunt mundi creationem, pingunt quoddam chaos, ex quo Deus cuncta creat. Id quod non catholicum, sed Platonicum est figmentum. Crucis autem Christi & sanctorum ecclesia instituit

Vsura semper cõmittitur si sola tẽporis futuri habeatur ratio ad lucri incrementũ.

Dei, & dæmonis cultus inuicẽ prorsus repugnant.

Hæreticorũ, & magicorum error.

Repræsentare Deum bifariã cõtingit.

stituit imagines, quæ quidem sunt adorãdæ, vnaquæque pro sua institutione, imaginem enim crucis, quia Christum Dominum repræsentat fidelibus, adoramus latriæ cultu. At vero imaginem Deiparæ non latriæ cultu, qui solus exhibẽdus est diuinitati, sed aliquo maiori cultu eã prosequimur, quam imagines sanctorũ aliorum; quem cultum hyperduliam vocitãt, vt Diuorum aliorum dulia, quippe virgo mater post Christum, omnes excellit diuos, atque diuas. ¶ At dices excellẽtior est homo & angelus, quã imagines istæ, igitur, meliori ratione essent colendi cultu latriæ, quam imago Iesu Christi, aut crucis Christi, &c. Respondebis, considerata natura dubio procul, digniores angeli siue boni siue mali sunt, quam imagines istæ, verum in exhibendo cultu, non rei natura obseruatur sed institutio ad repræsentandum. Et quia Angeli non ad hoc sunt instituti, vt Deum repræsentent, neque itẽ homo, propterea incapaces sunt diuini cultus. Etsi illis exhiberetur, non repræsentationi, sed naturæ eorũ tribueretur. ¶ At vero, quando imagini exhibetur, perspicuum est, quòd repræsentationi tribuitur, non naturæ vel arti: quippe natura inanimata est, vtpote, vel ligni, vel lapidis, vel metalli, &c. Ars autẽ accidens est: ideoque non est fidelibns in veneratione imaginum idololatriæ periculum. Nisi apud fideles rudes, qui putant imaginem nonnihil habere numinis, vnde & eam adorant, vt numine imbutã. Et non referunt adorationem suam ad prototypon, ideſt, ad rem significatam, in cœlis habitãtem videlicet vel ad Deum, vel ad diuos, vel diuas. Quare isti sunt erudiẽdi, ne figant animos in imagine, vbi defixos tenent oculos, sed sursum erigant animos, ad cœlestes accolas, quos imagines referunt. *Profunde peccauerunt* scriplit Sapiens. Impius cum in profundum venerit contemnit. Igitur vates insinuat Israelitas, iam venisse in contemptum diuinorum, quia profundas egerant radices in peccatis. Et quanta fuerit Israelitarũ peccatorum fæditas, declarat ex subiunctis dicens, *Sicut in diebus Gabaa:* Dies pro tẽpore, id est, tales sunt præsentes Israelitæ, qui hoc æuo extant; quales fuerunt olim, referente scriptura Iudicũ. 19. Vbi refertur Ephraimitas fuisse pessimos filiosque fuisse Belial, id est, sine iugo legis, quia legem Dei violabant: & erãt Sodomitæ, peccantes cõtra naturam, vt ibi traditur. Nam vim fecerunt seni cuidam Gabaitæ, vt adolescentem leuitam, qui duxerat puellam Bethlehemitem, vt proferret adolescentem illum abusuri videlicet eo. Et violentia pressus senex, protulit Gabaitis illis, puellam sponsam, adolescentis leuitæ, qua cum abuterentur immanissimè, puella ex violẽtissimo, & frequentissimo coitu perijt. Tales erant mores istorum Israelitarum, qui degebant in Gabaa, & hos mores corruptissimos, referebant Israelitæ, ad quos Hoseas, suum demittebat Prophetieum sermonẽ. Quid sit Gabaa, supra docuimus, cap. 5. *Recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.* Claret sensus ex prioribus. *Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius.* Qui susceptis multis beneficijs, offendit benefactorem grauius delinquit ex graniore ingratitudine, quam is, qui offendit non tot susceptis offendit. Israelitas igitur ostẽdit modo vates grauissimè læsisse diuinũ numẽ, ex maximis à Deo susceptis beneficijs, quibus non obstantibus, ipsi grauissimè peccauerunt vt dixerat supra, *Profunde peccauerunt.* Vnde clausula hæc exponit, qua ratione profundè peccauerint ex maxima ingratitudine. Vnde & Theologi tradunt ex Matth. ca. 18. Peccata ingrauescere, ex iterato lapsu in peccatũ propter ingratitudinem. Enim vero vt fuit diuinæ propitiationis donare peccata, ita est humanæ ingratitudinis donatione obtenta, labi rursus in culpam: vnde dicunt peccata dimissa redire in recidiuante. Id quod verum solummodo est, redire, quo ad gratuitatem, id est, ingrauescere vehementius ob ingratitudinem, ad Dei largitatem in donãdis peccatis. Hoc est, quod huiusmodi peccator grauius punietur si decesserit sine pœnitentiæ nouo solatio, quam si ante dimisionem peccatorũ decessisset. Non quod peccata à Deo donata semel, amplius recurrant, si amplius nõ iterentur, sed quia adest modo post donata peccata, si relapsus contingat, ingratitudo ad Dei munera; & quia hæc ingratitudo punietur, ideo confitentur peccata in recidiuante reditum habere. Israelitarum igitur modo vates ingratitudinem demonstrare intendit, vt inde fædissimè eos fuisse culpandos certum faciat. Ait igitur

Platonis fuit figmẽtum Deũ cuncta creasse ex chao rudi scilicet in digestaque molle.

Repræsentationis est habẽda ratio quãdo imaginem adoramus.

Imaginũ adoratio non naturæ ipsarũ, aut arti, sed repræsentationi tribuenda.

Peccata redeunt in recidiuante.

Ingratitudo est circunstantia aggrauans peccata.

igitur. *Quasi vuas &c.* Vtique deserta loca, quippe quæ inculta sunt, fructibus, orbantur, vnde possint solari iter facientes. Quod si forte contingat viantibus, vuas offendere gratissimum habent iuidem, & primi fructus arborum placidi sunt hominibus siquidem noui cum sint, natiuũ est nobis nouis gaudere bonis quia omnia noua placent. Et hæc duo proposuit vates, quæ sunt valde grata hominibus, vt ostendat instar horũ fuisse olim Israelitarũ maiores Deo gratos, & valde plausibiles; quia Deo erant valde morigeri. Et maiorum sanctitatem, & obedientiam ad Dei mandata exponit, vt inde redarguat iniquitatem filiorum qui maiorum vestigia non sunt secuti, & item ingratitudinem ad diuinam munificentiam. Magni enim muneris est optimis donari maioribus, vnde filij & honore illustrentur, & optimo vitæ exemplo instruantur. *Quasi prima poma*, ideſt, primos fructus ficus & sub ficu aliarum arborum noua intelligito poma. *Vidi patres*, id est, approbaui maiores vestros, & dilexi eos alioqui Deus omnia videt, & bonos & malos, at dicitur videre patres Israelitarum, quia vidēdo complacebat in eis. *Ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor & abalienati sunt in confusionẽ*: Et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ *dilexerunt*, commendatis maioribus, scilicet Abraham, Iacob, & Isaac, & cæteris patribus sanctis ex commendatione maiorum, facit sibi gradum, vt fædior videatur posterorum iniquitas, & ingratitudo. Ideo subdit *ipsi autem*, id est, posteriores qui deducebant genus à sanctis maioribus, neglecta sanctitate maiorum, ingressi sunt ad adorãdum Beelphegor. Vt patet Nume. 25. Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, & paulo post & initratus est Israel Beelphegor, Beelphegor autẽ, est idolũ quod alia appellatione appellabatur Beelzebub quod interpretatur idolum muscæ, eratque Deus Beelphegor Moabitarum, & interpretatur apud gentes Deus tentiginis, aut Priapus. Qui traditur fuisse adolescens quidam ex Helesponto, qui monstrosa magnitudine pudenda habebat. Vnde exprobratur petulantia horum Israelitarum, & meritissimè, quia relicto vero Deo, ad Deum gentium pudendæ formæ ingrederẽtur hoc est quod ait, *Abalienati sunt in confusionem suam*, res enim dignissima vnde ipsi pudefierent erat, quod Priapum pudendum Deum colerent, & Deum verum neglige rent, ideo subdit. *Et facti sunt abominabiles*, coram Deo, sicut idola quæ dilexerunt suprà Deum, lege Theodoretum in lib. de curãdis Græcanicis affectionibus vbi tradidit, de huiusmodi Deo, vano & alijs dijs inanibus gentium, multa ad gentium vanitatem elidendam. *Ephraim, quasi auis auolauit gloria eorum, à partu, ab vtero, à conceptu* Ephraim, id est, Israelitarum auolauit, sine euanuit iam gloria, vel ab Israelitis auolauit quasi auis gloria, sicut igitur auis cum auolat cito recedit à loco vnde auolat, ita recedet à vobis cito gloria vestra. Habebant grandem gloriam Israelitæ, id est, valde gaudebant, quod vxores eorum facilè pariebant, & facilè impugnabantur, & facilis erant conceptus. Vnde ex hac fæcunditate, numerosa proles illis obtingebat. At vero ex omnibus illis ait vates in quibus gloriamini, inuenietis mœroris causam. Quippe, quæ facilè concipiebant; nõ retinebũt, sed cito exalabunt semen conceptum, & quæ facile fæcundabantur, facile abortient, & quæ facilem & copiosum partum habebãt, prolem emissam extinctam lamentabuntur.

¶ Neq; mireris quod ordine inuerso hæc proposuerit vates, videlicet incipiẽs à postremo, videlicet à partu, & dein ab vtero, tandem desinens in conceptu, cum tamen ordine naturæ prima est conceptio, secunda est fæcundatio, tandem sequitur partus. Verum vt non semel diximus, sanctis vatibus non istud studium fuit, res proprio digerere ordine, sed prædicere mala vel bona ventura ijs quibus vaticinia edebant. ¶ Veruntamen hoc addere non pigebit, quod etsi partus sit postremus secundum naturæ ordinem, est tamen primum, quoad notitiam nostram. Siquidẽ partus est, qui primo nobis innotescit. Ex solo enim partu nobis noto, cætera nobis innotescunt: & fæcunditas, & conceptio. Vnde quæ sunt posteriora secundum naturam vt Aristoteles est autor sunt priora quo ad nos. Dices forsan. imo prior quo ad nos est impręgnatio, quàm partus, siquidem primo videmus mulierem prægnantem, quam partum, est sanè verum, at ex imprægnatione, nõ possumus certo colligere partum, quia sæpè abortiunt fœtus suos prægnantes, & abor-

Priora quo ad nos sunt posteriora quo ad naturã 5. Metap. tex. cõ. 17

& aborsus non est naturalis partus, sed violentus. At ex partu certissimè colligimus imprægnationem, & conceptionem. Itaque vates, partum primo loco posuit, quia partus prior est quoad nos, & ita eodem modo de cæteris omnibus ab eo recensitis dicendum erit.

¶ En tibi vt benedictio Dei ad se colentes, vertitur in maledictionem non colentium. Deus igitur Israelitis veris cultoribus diuinitatis fœcunditatem ventris fœminei, & numerosam prolem pollicitus est Deute. 28. & Leuit. 26. Et ibidem cultoribus non veris, sed corruptis, sterilitatem vxorum & paucitatem prolis est comminatus.

¶ Quocirca cum isti Israelitæ corrupissent verum Dei cultum, & gloriam Dei veri commutassent, in idola sterilitas illis prædicitur, & infœcunditas vxorum vnde subditur. *Etsi enutrierint filios suos absque liberis eos faciam in hominibus.* Ideſt si fortasse, prolem enutrierint, non inde iam sibi in prole susceptа gratulentur, quia proles illa extinguetur.

¶ *Sed væ eis cum recessero ab eis.* Græca lectio ex septuaginta. Sic habet quia væ eis est, *Caro mea ex eis.* Id quod incarnationis diuinæ testimonium esse credit Theodoretus, & Theophilactus qui Græcanicam sequuntur literam septuaginta interpretum. Itaque Oseas prædixit hoc loco Deum incarnandum, & Dei verbum assumpturum carnem, id est, humanam naturam ex genere Iudaico vt patet Matthæi. 1. Et ad Hebræos. 1. & ad Roman. 1. & sæpè in Scripturis sanctis hæc proclamatur veritas, Christum esse ex semine Dauid secundum naturam, assumpturum humanam. Sensus igitur væ eis est, id est Iudæis, & Israelitis væ est, ideſt, calamitatem maximam pronuntio venturam eis, quia accepturus sum ex eis carnem, & carne indutus, ero eis lapis offensionis, & petra scandali, quia non credent in me, sed me cruci affigent, at vero surgam ex mortuis, & vindictam sumam ex ipsis. Nam per Romanas vires, ego eos dissipabo fame, & gladio. Et Nicolaus Lyranus hanc eandem contendit ex autoritate fratris Raymundi quem ipse citat Hebræam esse literam, videlicet, *Væ eis, quia incarnatio mea ex eis.* Etenim pro eo quod nos legimus, *cum recessero*, Hebraicè habetur *Besuri, Besuri* autem, scribitur Hebræis bifariam aut cum Sin, aut cum Samech. Si hoc secundo, significat recessum, si primo modo incarnationem. In hoc autem loco scribitur per Sin, בְּשׁוּרִי. Et quidem verbum hoc habet in radice בָּשַׂר Basar, quæ vox Hebræis in constructione profertur בְּשַׂר Besar, id est caro, & Besuri, significabit carnem meam vel caro mea vnde Hebræis in plurali. Besurim, significat carnes vnde non ab re Raymundus, & Nicolaus hunc locum credunt deprauatum ab Hebræis, quia expressus erat, qui prædiceret Deum incarnandum, ex genere vè Iudaico accepturũ humanam naturam. Nam Deus ex sua natura carnem non habet, quia spiritus est Ioan. 4. Quocirca cum ait, *Caro mea ex eis*, incarnationis Dominicæ mysterium, clarè prophetatur. Quod vero ait, *Væ eis, quia caro mea ex eis.* Significat Israelitarum perfidiam, ex qua rebelles fuerunt micantissimæ luci Euangelicæ & ob suam in Euangelium perfidiam, Dominus, tradidit eos in Romanorum ditionem, qui multo peius eos tractauerunt, quam Assyrij & Chaldæi, quia innumerabiles Iudæos interfecerunt, vt ex libris Iosephi poteris discere, propterea ait, *Væ eis, quia caro mea ex eis.* Non quod Christi incarnatio ex se noxia fuerit eis, quippe de se saluberrima fuit toti orbi, sed per accidens vt Paulus loquitur de indigne sumentibus Christi carnem. Qui manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit indicat autem Nicolaus Rabbi Solomonem, euadentem hoc testimonium, ex punctuatione. Ait enim, quod quando ש sin litera punctuatur ad sinistram, tunc valet quod ס Samech, & tunc significat recessum, si autem in dextera, carnem. Nunc autem hoc loco, in sinistra habet punctuationem. At vero, punctum si in sinistra collocatur, valet. S. acutum, si verò in dextra, valet Sch, vt שׁ Schem, cum puncto vero sinistro שׂ quod vocatur smol, valet. S. subtile, quale solum Ephraitæ proferre poterant sibolet, & non schebolet, vt traditur in Grãmatica Hebræa, sed reuera vt liquet ex lexico Eliæ Hebræi, etiã quãdo litera sin, habet

Testimoniũ apertum incarnationis diuini verbi.

Lib. 7. de bello Iudaico.

Diuersa punctuatio in vna eademq; litera diuersum sonum facit. Rabbi Solomon eli ditur.

punctum in siniſtra, vt habet modo apud vatem, in conſtructione carnem ſignificat. Ideo videtur euaſio Rabbi Salomonis inualida. Et hoc argumentum eſt potentius contra hunc Rabbinum, quã illud quo ipſum impetit Nicolaus. Porro autem, quia tranſlatio Latina habet, *Væ eis, cum receſſero ab eis.* Oportebit, hanc exponere, quoniã hanc probat eccleſia & habet apertum ſenſum ex priori bus. Deus autem non recedit à quoquam loco, ſed ſubtractione præſidij, & fauoris, recedere eſt intelligendus, receſsit igitur ab Iſraelitis, ſinens eos captiuari ab Aſſyrijs, & ſub perpetua gemere captiuitate vſque modo. *Ephraim (vt vidit) Tyrus erat fundata in pulchritudine.* Explicat qđ dixerat, *Væ eis, cum receſſero ab eis.* Et curat oſtendere, maledictionem Dei ventu ram ſuper Iſraelitas, quam inſinuarat, dicens, *væ eis*, Et ideo ait Iſraelitas ſimiles fuiſſe Tyrijs. Fuit autem Tyrus vrbs quõ dam nobiliſsima Phœnices. Olim inſula Paleſtinæ, ſed Alexandri opera coniũcta eſt continenti. De qua Plinius lib. 5. cap. 19. Tyrus, ait, quondam inſula prælto mari ſeptingentis paſsibus diuiſa. Olim portu clara gentilis Lepti, Vtica, & illa Romani Imperij æmula Carthagine. Hius quõdã fœliciſsimę vrbis meminit Iſai. 23. dicens, Tyrum gloriari à diebus priſtinis in antiquitate ſua. Et rurſus eam tanquam reginam vrbium ait quondã fuiſſe coronatam. Et diſsipationem eiuſdẽ meminit Ieremias, diſsipabitur ait Tytus cũ omnibus auxilijs ſuis. 47. Inſinuans, multo præſidio fuiſſe munitam, & florentiſsimam, & habentem nobiles filias. Ezech. 26. erant autem filiæ eius, quas colonias latini vocant videlicet, Lepti, Vtica, Carthago, &c. quas dudum recenſuerat Plinius, & eiuſdem meminit Virgili. dicens Vrbs antiqua fuit, &c. Hanc ex Ezech. loco prænotato didicimus fuiſſe à Nabuchodonoſore euerſam. Quod igitur ait modo Oſeas tale eſt, vos Iſraelitæ ſimiles eritis Tyrijs, qui cum eſſent in orbe florẽtiſsimi opulentijs, & ſæculi omnibus delicijs oppleti, ob eorum tamen crimina fuerunt deleti ita & vos, &c. *Vt vidit*, Exẽplaria latina correctiora habet, *vt vidi*, in prima perſona, & ſunt verba vatis dicentis, ſe vidiſſe ſpiritu prophetico, euerſionem Iſraelitarum ſimilẽ futuram Tyriorum vaſtationi, & internecioni, *Et Ephraim educet ad interfectorem filios ſuos.* Ideſt proferet regnum Iſrael, ad bellum milites Iſraelitas, congreſſuros cum Aſſyrijs, & iſti illos interficient, vt auelet cito gloriatio eorũ ex multitudine prolis, & facilitate partus, conceptus promptitudine, & impręgnationis ſecuritate. *Da eis Domine, quid dabis eis? Da eis vuluam ſine liberis & vbera arentia.* Summè indignatus vates, contra Iſraelitarum facinora Deum precatur, vt vuluæ fœminarum non concipiant fœtus, aut ſi cõceperint, eos nutrire nequeant.

Deus non recedit loco ſed fauore.

Tyrus clariſſima & florentiſſima quondam Palæſtinæ inſula.

¶ Verba autem hæc duplicem habent ſenſum, aut quod vſurpetur tempus, pro tempore vt. *Da eis*, non ſit oratio imprecantis malum, ſed ſit prophetia venturæ in fœminis ſterilitatis. Vt ſit repetitio eiuſdem ſententiæ ſupradictæ. *Aridauit ſicut anis gloria eorum à partu, ab vtero, à conceptu.* Et eſt ſimile illud Iſaiæ. 6. Excœca cor populi huius, & aures eius aggraua, ideſt, excæcabis, aggrauabis. Et in Pſal. fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & fiat menſa eorum corã ipſis in laqueũ, &c. Ideſt fient, & fiet. Et eſt vſitatiſsima diuinis ſcripturis loquendi conſuetudo. Aut ſi ſecundam amas expoſitionem, aduertere eſt neceſſarium, non eſſe contra, ſed ſecundum charitatem mala corporis precari proximo, vt ſaluti ſpiritus ex huiuſmodi corporali læſione conſulatur. Nam ſi licuit Paulo tradere illum inceſtuoſum, qui cum nouerca qua ſe commiſcuerat Satanę, vt ſpiritus eius ſaluus eaderet in die Domini, vtique ſi facere licuit, optare cur non licuiſſet? Si igitur hominem videmus, obſtinatum, & cuius deſperata eſt ſalus, & occaſionem credimus obſtinationis, quia ſe florentem, & vigẽtẽ aduertit in peccatis ſuis, an nõ licebit precari Deum, vt ille à florido ſtatu deponatur, vt ſic tãdem Deum reuereatur? ſanè licebit propter bona ſpiritualia, precari mala temporalia. Oſeas igitur aduertens Iſraelitas, obſtinatiſsimos eſſe in turpiſsimis delictis, ne multiplicata Iſraelitarum prole, multiplicaretur item iniquitas, id quod erat ad maiorem Iſraelitarum ſpiritus perniciem precatur Deũ, vt vuluas, c&. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exoſos habui eos, propter malitiam adinuentionum eorum, de domo mea eijciam eos: non addam vt diligam eos.* Quid ſit Galgal, ſupra diximus fuiſſe

Pſal. 34. Pſal. 68.

1. Cor. 5.

Licet optare mala temporalia proximis propter ſalutẽ ſpiritus.

Galgal ſen Galgalis vnde aſcẽdit angelus Domini.

Iud. 2.

locum

locum vbi circunciſus eſt populus nouus, qui in vaſta illa Arabum ſolitudine natus fuerat. Vbique arca Domini ſubſtitit pauliſper & inde tranſlata in Silo vbi celebratum eſt phaſe primo ab Hebræis tranſmiſſo Iordane. Quem locum cõtaminauit Eglon rex Moab idolis Iudi. 3. ¶ Vnde Iſraelitæ contendebant Gálgalã eſſe ſanctiorem locũ tẽplo Salomonico. Ibidẽque Ieroboã fuit promotus ad regnum Iſraeliticum moderandum ſub quo idola cœperunt ibidẽ coli. Igitur ex Galgal omnia quæ peſsima Iſraelitæ poſtmodum patrauerunt habuerunt exordium, vnde ait, de domo mea eijciam eos, ideſt, ex priuſi Hebraica iam non erunt mihi grati: id quod declarat quod ſequitur. *Non addam vt diligat eos.* Quæ verba intellige, quantum ad ſublimitatem honoris quo erant ſublimati Iſraelitæ, quia ad hanc nunquam amplius fuerunt promoti, verum quantũ ad bona ſpiritualia qui ex ipſis pœnituerunt de malefactis, Dñs dilexit eos. ¶ Eſt enim dilectio Dei quo ad temporalium bonorũ exhibitionem, & quantum ad ſpiritualium bonorũ elargitionem. Hanc dilectionem, Deus nunquam ſubtrahet, ſi pœnitẽtiam legitimã de peccatis noſtris illi offeramus. Verum priorem dilectionem, ſubtrahit aliquando pẽ petuò, ob mala merita noſtra. Præſertim quando peccata ſunt totius regni aut ciuitatis, orbat ſæpè reges regni autoritate, & ſubditos honorum aliorum promotione perpetua punit. *Omnes principes eorum recedentes.* Peccati principum Iſraelitarum meminit: nam ab iſtis deriuatur vel virtutis officium, aut iniquitatis operatio, in plebes ſubiectas. Vt ex capite in membra, motus, & ſenſus in membra naturalia diffunditur. ¶ Omnes igitur principes Iſraelitarum receſſerunt à Deo per idololotriam. Vnde ſi principes Germanĩ non fauiſſent Luthero, Lutheri loquacitas, non in tantas ſe prouexiſſet vires vt perueneret egregiam Chriſtianiſmi portionem, ſcilicet, Germaniã. Ideo Paulus monet vt pro regibus, & principibus preces Deo fundamus, & eccleſia monitorũ Apoſtolicorum non oblita quotidie, has in ſacro miſſæ officio, Deo porrigit vt fides Ieſu Chriſti, & eccleſiæ ſtatus in pace Dei perſeueret. *Percuſſus eſt Ephraim radix eorum exiccata eſt: fructum nequaquam facient.* Præteritum pro futuro, quia breui tempore, fuerunt abacti Iſraelitę in captiuitatem Aſſyriaca m poſtquam hæc vaticinabatur Oſeas, confert regnum Iſraeliticũ arbori, cuius radix ſi exiccetur, tota areſcit continuo. Vt igitur arbor radicitus euulſa, neceſſario exiccabitur, ita & decẽ auulſę ſunt radicitus, à terra promiſſionis. Nam Salmanaſar Aſſyrius, omnes Iſraelitas auulſit, à terra maiorum ſuorũ: quando eos omnes captiuos duxit. Ideo ait, *Radix eius exiccata eſt fructum nequaquã facient.* Captiui enim cum ſint ſerui operibus ciuilibus obeundis ſunt inhabiles. Vnde neque teſtari neq; teſtificari poſſunt, neque rempublicam adminiſtrare, aut quibuſuis honorificis functionibus vti, ideo ait fructum nequaquam facient: aut intelligit per radicem ipſam vuluam, quam ait exiccatã, quia ſteriles erant futuræ Iſraelitarum fœminæ quod dudum petierat à Deo. Da eis dicẽs vuluam, ſine liberis. ¶ Si tropologiam amas, ſcito fidẽ Catholicam eſſe radicem omnium meritorum bonorum. Nã ſublata fide vniuerſa merita ſi quæ fuerunt vt in hæreticis, pereunt. Et enim ſine hac radice fieri non poteſt vt Deo placeamus. Et ideo ſæpè Paulus videtur fidei tribuere iuſtificationem, non quod ſola fides inſtificet, vt Luthero malè placuit, ſed quia fides eſt radix, vnde vt à principio petenda eſt hominis iuſtificatio. ¶ Porro quod fides iuſtificationis ſit radix, geminum habet ſenſum, vel quod ab ipſa ſola germinetur iuſtificatio, vt accidit radicibus naturalibus quæ ſolæ germinant ſua germina, & hic ſenſus eſt hæreticus. Quoniã ſi ad hanc rationem eſſet fides radix, non eſſet nobis neceſſaria, alia virtus, ſi fidei copia datur. At Paulus clamat fidem citra charitatem non ſufficere vitæ æternæ conſequendæ. Si habuero ait, omnẽ fidem &c. 1. Cor. 13 Quod ſi dixeris, nõ ibi Paulum locutum fuiſſe de fide virtute Theologica, ſed de confidentia in Deum, ad operandũ miracula, opponam tibi, Paulũ dixiſſe ibidẽ. Nunc manẽt Fides, Spes, & Charitas, tria hæc ſed maior harum charitas. At vero certum eſt, fidem quam modo refert Paulus: Virtutẽ eſſe Theologicã, quia eã annumerat inter virtutes Theologicas. At vero, ſi ſola fides iuſtificat, eſſet ſanè maior charitate, vnde & maxima poſſet virtutũ. Siquidẽ ſola ipſa iuſtificat, qđ alijs ſecũdum hoc dogma negatur virtutibus.

Principũ Germanorum fauor hæreſim auxit Lutheranam.

Tropologicus ſenſus.

Fides qua ratione aptè dicitur quod eſt radix virtutũ.

Iustificatio, quia est maximũ opus maximæ virtuti est tribuenda.

Porrò Paulus apertè docet charitatem, esse maximam virtutũ, igitur maximum opus, quod est iustificationis opus eidem est tribuendũ. Est igitur fides radix, iustificationis, nõ quia sola sufficit homini iustificãdo, sed quia ea euulsa, homo nõ potest iustificari. Charitas autem vtroq; modo radix dicetur sanctorum operũ: quippe ea subtracta nihil cõciliatur nobis boni meriti apud Deũ; & rursus ea cõstituta, sancta opera ab ea prodeuntia, adeo prouehuntur, vt regna cœlestia illis pateant. At sola fides non est tantarũ viriũ, nisi charitatis consortio potiatur. *Quòd & si genuerint, interficiam vteri eorum.* Superat omnem dolorẽ amantissimos filios interfectos videre. Nanq; etsi natiuum sit parẽtes suas amare proles, cæterum accidit liberorũ alios, alijs esse dilectos magis. Vnde etsi filiorum orbitas dolori est non mediocri parentibus, cæterũ cũ dilectissimis orbantur, supremis angũtur mœroribus. *Abijciet eos Dominus Deus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Deus abiecit Israelitas, quia non obedierunt diuinæ legi. Et quidẽ nullum tantum malũ poterit homini accidere, quãtũ est abijci à Deo. Refert enim nihil, quod apud homines sit homo gloriosus, si apud Deũ sit abiectus. Vnde legimus in lib. Sap. ca. 9.

Abijci à Deo est summum malum.

Si quis erit cõsummatus inter filios hominũ, si ab eo abfuerit sapientia tua, in nihilũ cõputabitur. Tales fuerunt clarissimi istius orbis imperatores, illustrissimi reges atq; duces, celeberrimi toto orbe philosophi, alijq; sæculi proceres, & magnates, qui erant in oculis totius orbis. Cæterũ etsi cõsummatissimi reputabantur in humana opinione, quia abiecti erant à Deo, in nihilũ cõputati sunt à Deo. Fuerunt autem abiecti à Deo, quia nõ erat in illis vera Dei sapientia, ideſt, syncera diuinitatis notio, diuiniq; amoris flãmans dilectio. *Vagi erunt.* Captiuitatem insinuat, de qua suprà frequens facta fuit mentio.

Hæretici vaga & non fixa habẽt dogmata.

¶ Et quidem hæretici abiecti sunt à Dño, quia Deo nõ obtemperãt, ideo vagi sunt in nationib⁹. Vtiq; vagi, quia vnusquisq; in hæresim suam declinat. Lutherus fuit Hereſiarcha, discipulos suæ insipiẽtiæ genuit nõ paucos, at vero discipuli eius, nõ acquieuerunt magistri dogmati sed Philippus Melanthõ, aliter de iustificatione quã Lutherus Oecolãpadius, aliter de sancta Eucharistia, quam suus doctor Lutherus, Carolstadius, Bucerus, Zuinglius Caluinus, & cæteri omnes quos esset prolixæ enarrationis recensere, in propria dogmata declinarunt vt verè dixit vagi erunt in nationibus, ideſt, in dogmatibus suis. ¶ Vnitas nanq; est indiuisibilis, multitudo, est vnitatis diuisio. Quamobrem simulatq; discreditur ab vnitate fidei quã docet magistra ecclesiarũ sancta Romana ecclesia, prolabi est necesse in multitudinẽ, & diuersitatem dogmatũ contra fidei vnitatem, quæ est Catholicæ ecclesię vnitas. Vnde Lutherani diuidũt Christum, seiungentes se ab hac ecclesię veritate, siquidem nõ credunt in Christum, vt ecclesia Romana docet, & sunt similes illis Corinthijs, quos Paulus defert, quia aliter ad ministrabant baptismi Sacramentũ, quã Apostoli constituebant administrare. Id quod si de baptismo non tentant, Lutheri amatores, vtique, in celebrãda missa idem audent, & in plerisque alijs dogmatibus ideo illis occinere possumus; quod Paulus suis occinebat Corinthijs, nũquid diuisus est Christus? qui autem diuidunt Christum, abiecti sunt à Christo vnde sectatores Lutherani dogmatis, quantũcunque factent Christum diuisi sunt à Christo, expulsi sunt à Christo.

Lutherus eliditur.

EXPLANATIO
IN CAP. X. OSEE.

VITIS frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundũ multitudinem fructus sui, multiplicauit altaria. Persistit vates, referendo Dei beneficia, quibus affecerat Israelitas, vt inde vehementior ingratitudinis ipsorum increpatio resultet. ¶ Ostendit igitur Israelitis à Deo fuisse concessam terrã, vberrimam, vnde processit, quod Israelitæ, essent potentes diuitijs, & affluentes delicijs. Et hoc est, quod ait, *Vitis frondosa.* Vt enim vitis frõdosa extẽdit lõgè lateq; palmites suos, ex vbertate, enim soli, vbi locãtur, vites luxuriãt: ita & Israelitæ. Hac metaphora vsus est Isai. c. 5. Vocans populũ Israeliticũ, vineã, & euangelica oracula eadẽ parabola vtuntur in parabola illa, vineam pastinauit homo &c. Mat. 12. Et Christus Dñs, se cõtulit etiam viti, & fideles suos palmitibus dicẽs. Ioan. 10. Ego sum vitis vera, vos autẽ palmites. At vero Israelitas vocat

Matt. 20.

vocat nõ vitem verã, sed frõdosam. Vera enim vitis solus Christus est, Israelitæ autẽ etsi frondosa vitis, nõ vera vitis erant, sed mendax, quia mendacia operabantur vt supra Hoseas demõstrauit. Imo quia mendaces sunt omnes homines, siquidem omnis homo mendax solus Deus est verax, ideo nos omnes sumus mendaces vites, quãtũlibet affluamus sapiẽtia & opibus, & simus frondosi ex copia rerũ corporaliũ. Quia autẽ Christus est Deus & ideo veritas, ideo solus est vera vitis, quia est vitis sine vitio, quippe peccatum non fecit, & nõ est inuentus dolus in ore eius. Est vitis vera, quia ab ipso deriuatur veritas, in fideles omnes. Neque enim dicitur vera vitis, quia est naturalis vitis, cũ nõ sit naturalis vitis, sed vitis secundũ trãslationem. Sed dicitur eatenus vera vitis, quia ipse est veritas, & ab ipso deriuatur veritas infideles suos & quia ipse vita est, ab hac vite deriuatur vita in sua mẽbra, non tẽporanea hæc, & caduca vita, qua & iumenta, & plantæ, & herbæ gaudent, sed vita illa æterna qua solũ palmites huius vitis frui possunt. ¶ Tantisperdũ agebat apud nos Christus non erat frondosa vitis, quia cũ esset diues pro nobis egenus factus est. Nõ enim põpa sæculi nitebat Christus, quando apud homines cõuersabatur, imo põpam sæculi suo euangelio, dejciebat. Ideo nõ frondosa vitis erat, at nihilominus vera vitis erat. Ad hoc enim natus fuit in mundo, vt testimoniũ perhiberet veritati, dicens se esse verè filium Dei, & lucẽ mundi, & reseratorem cælestis regni, & sanguine suo donantẽ peccata. Et fundantem ecclesiã, nõ habentẽ macũlã, neq; rugam. Venit igitur vt frondositatẽ nostram, ipse resecaret, docendo humilitatẽ, & paupertatem, & veritatem suam nobis communicaret vitis frondosa Hebraicè *vitis vacua.* Etenim vox Hebræa Bokek deriuatur à radice Bakak, ideſt, euacuauit vnde Bokok significat vacuam, etsi Kimhi exponit vitem solitariã & sensus est vt quidã exponit Israelitas esse vacuos ex humore diuinæ gratiæ siquidem infideles erãt & Apostatę ab Hebræa religione quã Deus illis obseruãdã iniũxerat. At vero hic sensus tropologiã sapit. ¶ Interpres autẽ latinus, quia aduertebat, quod si trãstulisset *vitis vacua*, non cohærebãt sequẽtia, scilicet, fructus adæquatus est ei, quia si vacua est vitis quomodo fructũ habet? ideo trãstulit *vitis frondosa.* Verũ dicere oportebit hæc duo sibi cohærere, quod *sit vitis vacua*, & quod sit fructus adæquatus ei. Quia vacuitas referenda est ad tempus captiuitatis, quod præuidit Hoseas dicens *vitis vacua est Israel.* At vero, fructũ oportebit referre ad id quod erat Israel, sub tẽpore huius prophetiæ, antequã redigeretur in captiuitatẽ. *Fructus adæquatus* Vatablus legit interrogatiuè fructũ ęstimauerit ei quispiam? ideſt si sub tẽpore captiuitatis vacuandus est populus Israeliticus quæ nũ. ratio est habenda fructus numerosissimi quẽ modo habet? Quasi dicat nulla est habenda ratio quod florẽt nunc Israelitæ regno & abundãt diuitijs, & delitijs, quia ista breui sunt absumenda: etsi modo grãdi copia rerũ temporaliũ exundat, siquidem ingratissimo animo se gessit in Deũ, qui dedit eis affluentissimè vniuersa bona. *Nam secundum multitudinem fructus sui, multiplicauit altaria,* id est, quod incitare Israelitas debuisset, ad vberiorem cultũ Deo largitori bonorum impendendũ, incitauit ad maiorem diuini numinis offensam. Quia ex abũdantia bonorũ lasciuiens Israel, nõ cõtentus adoratione vitulorũ, alios item multiplicauit sibi deos quos coleret falsos. Ideo supra. 4. cõtulit Israelitas vaccæ lasciuienti, quæ multo vegetata pabulo, vincula soluit, & diuertit quò libuerit. Et Amos. 4. Hoc idem insinuatur cũ ait, Audite verbũ hoc, vaccæ pingues. Vnde Ezechi. 16. Legimus hæc fuit iniquitas, id est, occasio Sodomiticæ prauitatis, Sodomæ sororis tuæ, superbia saturitas panis, & abundantia, & otiũ ipsius & filiarũ eius. Et hoc idem ait modo Hoseas, de Israelitis, dicens, *Iuxta vbertatẽ terræ suæ, exuberauit simulacris.* Ideo rectè dixit Arist. 1. Ethi. ca. 8. Bona tẽporalia esse instrumenta ambigua. Etenim studiosis sunt virtutis instrumenta, at vero iniquis sunt iniquitatis instrumenta: vt fuit vbertas temporalium bonorũ istis Israelitis, instrumẽtũ, ad multiplicãdam idololatriã, & alia facinora. Quamobrem Salomon precabatur Deum, mendicitatẽ, & diuitias ne dederis mihi: tribue tãtũ victui meo necessaria. Ne forte satiatus illiciar ad negãdum, & dicam quis est Dominus? Aut egestate cõpulsus furer & periurem nomen Dei mei. ¶ Isti igitur Israelitæ diuitijs affluentes pellecti sunt ad negãdum nomen Domini

Vbertas tẽporalium bonis bona, malis noxia at mala tẽporalia bonis sunt bona & malis mala.

7. Politi. cap. 13. 4. Ethico. cap. 1.

Cap. 30.

mini vt concinnè ad Salomonem, ait modo Hoseas. At dicet aliquis, cur Dominus Salomoni non secundum preces eius fecit, imo contrarium exhibuit? immẽsam enim vim auri & argenti illi dedit, vt liquet ex. 3. lib. Reg. 10. vbi traditur ætate Salomonis, aurum & argentum, fuisse Ierosolymis, in tanta copia, quanta est lapidum. ¶ Cur item Israelitis, tantã vim diuitiarum exhibuit, vt illecti fuissent ad negandũ Dominum? Respondetur, primo iudicia Dei esse abyssum profundissimã magnificata enim sunt opera eius, & nimis profundæ factæ sunt cogitationes eius. Secundo respondetur, quod vt dicebamus ex Arist. Ethi. 1. Diuitiæ sunt instrumentum, ad multa præclara faciẽda. Et. 4. Ethi. cap. 1. Vir liberalis optimè vtetur diuitijs. Quippe largietur eas indigentibus, & pro opportunitate temporis, & loci, eas dispensabit. Vnde eximij muneris est, quod Deus hominem locupletem faciat: vnde ipse sibi, & alijs possit prodesse. Si vero quispiam abutitur eis non est culpa diuinæ largitatis, sed humanæ prauitatis. Nam etiã oculis, auribus, & alijs membris multi abutuntur, ad offensam Dei, sed nunquid abusus horum, vituperabit Dei alioqui excellens beneficium? subministrauit igitur Deus Salomoni magnam vim diuitiarum, vt esset potentissimus regũ, & ab omnibus timeretur, & in pace tranquillã sine strepitu bellorum vitam duceret, id quod fortè nõ accideret, si mediocris substantiæ Regem eum esse viderent, cõfines reges: idem de Israelitis dicito. Sicut etiam cõtra aliquibus probis viris mendicitatem tribuit, vt eorum virtus & patientia probetur, & corã Deo illustriorẽ coronã accipiet, & retributionem ampliorem. ¶ Vnde Aristo. 7. Poli. cap. 13. Dixit hominem probum paupertate, morbo, & fortunæ aduersis flatibus bene vsurũ. Et ipse loquebatur, de homine, qui secundum legem naturæ dirigit mores suos, & multo verius dixisset hæc, si gratiã Dei cognouisset, quę adiuuat infirmitatem nostram. ¶ Vnde vir iustus, aduersis proficit, & iniustus prosperis deficit, quales erant isti Israelitæ, qui defecerunt à Deo allecti exuberãtia rerũ temporaliũ, quibus fruebantur. *Diuisum est cor eorum nũc interibunt*, idest, cor eorũ se diuisit à Deo suo, & iunxit se dijs non suis, ideo interibũt, & fame premente, & gladio furente, ipse *confringet simulachra eorũ, & de populabitur aras eorum.* Scripsit regius psaltes, desiderium peccatorũ peribit, quoniã quæ ipsi in oculis habent, & magni faciunt, ob quæ non formidauerũt, se à Deo diuidere, hęc Dei nutu peribunt, id quod modo ait Hoseas ipse subaudi Deus, demolietur idola, & aras sordidas vestras, quæ vobis erant diuina, ipse pessundabit. Subaudi Deũ facturum tũc per Assyrios reges vt sæpè traditum est. *Quia nunc dicent non est rex nobis, nõ enim timemus Dominum, & rex, quid faciet nobis?* Proditum est Isaiæ. 28. Sola vexatio intellectum dabit. Isti ergo Israelitæ, qui fiduciam suam repositam in suis profanis dijs habebãt cũ aduerterent, se vexari ab Assyrijs regibus, & quod à suis idolis, nõ poterant iuuari, tunc intellexerunt orbatos fuisse diuinis auxilijs, quia Dominũ non timebant. *Non est rex nobis* subaudi, qui possit nos eripere ab ingruente acie hostium, & ideo rex noster, nihil poterit nobis operæ præstare, quia regem regum habemus nobis iratum. *Loquimini verba visionis inutilis*, & ferietis, *Fœdus & germinabit, quasi amaritudo iudicium.* Aduertetis, paulo post hęc vestros vatidicos, locutus fuisse vobis verba mendacia applaudentes vobis, pollicendo securitatem, & pacem vobis, cũ nulla sit pax, sed belli syria ci tempestas vobis impendat iniuistis sæ tes, loquidus, & vos deieraſtis, obsecuturos idolis, tur ad illi deserto Domino. At hæc conspiratio ger dinem aminabit, sicut amaritudo iudiciũ, Hebrai dientiũ sè sicut absinthium. Vel per amaritudinẽ uendam. intellige herbam amarã vel vt nenosam, qualis est coloquintida, vel scamonæa, quæ si comedantur. Continuo germinãt mortem, ita ait, iudiciũ Dei erit vobis exitiale, *sicut amaritudo*, sicut herbæ illæ venenosæ, in sulcis agri velociter germinant, ita quoque iudicium Dei velociter vos opprimet propter vestras iniquitates, de quibus hactenus non pœnituistis. *Vaccas Bethauen coluerũt habitatores Samariæ, quia luxit super eum populus eius, & æditui eius super eũ exultauerũt in gloria eius, quia migrauit ab eo.* Interlinealis glossa, credit Israelitas primo coluisse vitulos de increscẽte superstitione coluisse vaccas, at vero, quod locus hic sit intelligẽdus de vitulo aureo, quẽ cõstituit adorandũ Ieroboan, in Bethel, litera hæc manifestat, quia continuo adiecit, & luxit super eũ populus. Quas dixerat

Abusus diuinorum beneficiorum non succensendus est Deo, sed abutentibus.

Pſal. 111.

Falsi vates, loquidus, & vos deieraſtis, obsecuturos idolis, tur ad illi deserto Domino. At hæc conspiratio ger dinem aminabit, sicut amaritudo iudiciũ, Hebrai dientiũ sè sicut absinthium. Vel per amaritudinẽ uendam.

dixerat vaccas, subiecit esse vitulum & equidem, vocauit vitulum vaccas, ad irrisionem cultus superstitiosi illius vituli. Et plurale vsurpatur sæpè pro singulari, vt Hebræi vitulum in deserto adorantes, dixerũt isti sunt dij tui Israel, &c. Aduertendum igitur ex. 4. lib. Regũ. 15. Quod Manahẽ, Phul regi Assyrio, pendisse tributa argenti, multi, vt illi ferret opem cõtra hostes suos, etsi ibidem nulla fiat mẽtio de vitulo aureo tamen ex loco hoc videtur, quod vitulus abreus, qui erat in Bethel, qui erat pretiosior, quã ille qui erat in Dan, oblatus fuerit regi Assyrio. Siquidem infra ait vates, loquens de vitulo, & ipse in Assur delatus est munus regi vltori. Etsi non liquet, si fuit delatus Phul aut alij regi Assyrio. Etsi videatur quod fuerit delatus regi Phul, quia hinc pendebãtur argenti tributa, & fuit non longe à captiuitate, facta per Salmanassar.

¶ Est ergo sensus huius literæ, habitatores Samariæ, coluisse superstitiose idolũ qui erat in Bethel, & per hos habitatores Samariæ. quia erant Metropolitani, subintelligit Israelitas, qui vitulum qui erat in Bethel, quod vocat Bethauen Iosue. 8. Colebant impensissimè: quia erat pretiosior quam vitulus alter in Dan constitutus. Et sacerdotes quoq; , quos vocat ædituos, quia sua sacra custodiebant, sacristę enim erant, coluisse quoque ait, gaudenter huiusmodi vitulum, quia magnam ex cultu reportabant alimoniæ inercedem. At vero rex Assyrius vertit populorum, & sacerdotum gaudium, in colendo suo vitulo in mœrorem, quia transtulit vitulum in Assyriam. Nam oblatus est illi vitulus, vt fœdera cũ Israelitis pacis firmaret. Enim vero quia vitulus erat magnus, & totus ex auro, illectus est rex vituli preciositate, & exegit eum pro pacefirmanda cum Israelitis. Translato autem vitulo, luxit populus, quia Deum suum, Assyrius possidebat, vt illum dissolueret, ad pecuniam cudendam ex eo. Luxerunt ipsi sacerdotes, qui solebãt exultare super vitulum, propter oblationes, & obuentiones, illis prouenientes, sacrificuli igitur, & populares omnes isti lugebant, vituli huius commigrationem in Assyrios. *Vaccas* alia Vatabli trãslatio sic habet ad vitulas Bethauen, concurrent vicini qui habitant Samariam, quoniam luxit propter eũ populus eius, id est, ablato vitulo à rege Iair, & translato in Assyrios, Metropolim Samariã habitantes, id est, Israelitæ congregabuntur ad cultum pristinum sui vituli, & cum aduerterint esse sublatum lugebunt ipsi, & sacerdotes, qui exultabant in gloria illius vituli, id est, qui honorabatur valde à populo, & ideo multus populus cõuenichat adoratum eum vnde reportabant sacerdotes copiosum prouentum, vnde valde exultabant: quarẽ lugebunt cum populo ob eandem causam supra cap. 8. Hanc vituli istius comminutionem expositerat, dicens quod dissoluendus erat vt telæ aranearum, vt ibidem fuit expositum. *Munus regi vltori* Græca habent regi Iarib, Hebræa Lemelec Iareb pro quo nos habemus regi vltori vel vindici. Vnde videtur apud septuaginta fuisse nomen Iarib, proprium regis, de quo tamen non constat in libris Regum, ideo nostri translatores appellatiuum esse nomen censuerunt. Nisi forte Phul de quo supra *coluerunt* pro quo Hebraicè Iagoru à verbo Gur, hoc autem verbum multa significat Hebræis, inter alia hæc duo, videlicet, timere, & congregare. Vnde alia translatio, habet ad vaccas Bethauẽ timuerũt, id est, cum viderunt Samaritæ se orbatos vitulo, timuerunt sibi ventura mala, quia destituti erant suo Deo. Noster autem interpres, quia sæpe in scripturis, timere significat colere, vt à signis cæli, nolite timere, idest, ne collatis astra tanquam deos, ideo, transtulit coluerunt, alius translator concurrẽt, seu congregabuntur: propter aliam significationem verbi, vt prædicebam cæterum, quia Hebręa litera habet לְ le, quæ est præpositio latinis, ad, videtur quod erat transferendũ ad vaccas, vel vitulas. Quia vox hebræa, עֶגְלַת vitulam, vel vaccã significat. Quod si לְ le præpositio, ad, transfertur, oportet transferre, timuerunt, vel concurrent, vt Vatablus trãstulit. *Quia* hæc causalis, videtur deserta ideo oportebit, vel aliquid subaudire, hoc modo vaccas Bethauẽ coluerunt, & quia eas iã non colunt luxit super hoc populus Israelitarum; qui solebat vitulum colere aut referenda est causalis ad id quod postremo à vate refertur, *Quia migrauit scilicet vitulus ab eo, ideo luxit Bethauen*, quid sit Bethauen capite quarto. expressimus. *Confusio Ephraim capiet, & confundetur Israel in voluntate*, confundentur

Collatio translationum.

Israelitæ seu pudore afficientur, cum experimẽto didicerint se inualidos Deos adorasse deserto Deo omnipotẽti. *Ephraim* id est, Israelitas capiet pudor lege in casu accusandi *Ephraim*. Et ad idem pertinet, sententia posterior, est enim repetitio prioris. Alia litera habet pro voluntate, consilium, & est idem sensus, *Transire fecit Samariam regem suum, quasi spuma super faciẽ aquæ*. Hoc est Samaria quæ erat Metropolis Israelitici regni cito trãsit, & similiter rex eius, id est, reges eiꝰ aut regnũ eius euanescet, sicut spuma quæ cito soluitur super aquæ superficiẽ. Spuma enim facile crescit & subito decrescit. Quia igitur regnum erat excidendum, & abolendum quod alioqui valde creuerat, ideo confertur spumæ quæ est in superficie aquæ. Et quia breui istud excidium, erat absoluendum, ideo loquitur tanquam de re iam completa.

¶Sed curtait, quod Samaria fuit causa quod rex perderetur, cum potius Ieroboan fuerit causa perditionis Samariæ, & reges, sequentes eiusdem superstitionem. Respondetur, quod reges fuerunt causa euersionis illius regni, & Samaria Metropolis regni Israelitici. Rex quidẽ quia proposuit cultum idolorum, ab illis obseruandum, & Samaria, quia consensit pessimo consilio. Et magis peccauit regnum consentiendo, quam rex consulendo, cum possit regnum regem deponere, vel occidere, vt tyrannum, & tamen non poterat rex regnum occidere. Ideo tribuitur iactura regni, magis regno seu Metropoli regni quam regi. Et ideo rectè proditum est, Deum facere regnare hypocritam propter peccata populi, & creditu non est difficile, ex eo Deum permisisse Ieroboan regnare in regno illo Israeliti-co, propter peccata totius regni, quod cũ propensum esset valde ad idolorum cultum, tradidit eos Deus voluntati suæ, ideo permisit illis regem, qui deduceret voluntatem eorum in affectum. Quia igitur potentius est regnum, quam rex, si vnquam ea proposuerit, vel facere tentauerit, quę aduersantur religioni syncerę, aut bono reipublicæ. Si regnum consentiat magis peccat regnum consentiendo, quã rex ipse imperando. Et cõsentiendo regnum, sibi nocet, & regi; quia propter eam causam, & regna & reges sæpè subuertuntur, vt Hoseas ait, modo *transire fecit Samariam regem suum*. Quod autem Dominus ait, Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt expedit ei vt suspendatur molla asinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris, satis aptabitur regibus, & principibus, & doctoribus qui ea imperãt vel docent quę lędunt diuinam religionem. Vt Ieroboan imperauit cultum vitulorũ, & principes Germani, qui fauebant dogmatibus Lutheri, & omnes deniq; Hereliarchæ, sunt huiusmodi, qui pessimis doctrinis imbuentes simplices, auerterunt eos, à simplicitate, & synceritate orthodoxæ fidei. ¶Veruntamen, etiam si isti qui sunt primores per quos scandalum venit magis peccent, quã particulares, qui eos sequuntur, nihilominus regnum totũ Israeliticũ, aut tota Germania, &c. Magis peccarunt illud videlicet obediendo nefario Ieroboan, & hoc pudendo Luthero credendo, quam ipse Ieroboã, vel quam ipse Lutherus, quia tota respublica poterat se opponere, istis impostoribus & tenebatur se opponere, sacrilegis eorũ imperijs, & putidis doctrinis, & non eis cõsentire. ¶Et quia si se opposuissent, ea impedimẽto fuissent impuris conatibus illorũ, flãma non serperet in particulares personas, imò extingueretur facilè, ideo huiusmodi respublicæ, magni peccati sunt reæ coram Deo. Et quia non se opposuerũt primores reipublicæ, cum debuissent, ideò ipsi cum suis pessimis magistris, & tota respublica Germaniæ, & Israelitica fuerunt venenatæ venenis supradictis. *Et dissperdentur excelsa idoli peccatum Israel*. Idololatris erat familiare eligere excelsa, & mõtuosa loca, vbi sua idola, quietius adorarent, vocat tamen idololatriã peccatũ Israel per antonomasiã: quia vt supra aiebam, est grauissimum omnium peccatorũ. *Peccatum Israel*, id est, quod est peccatum Israelitarũ appositiue enim legendum est *idoli* Hebraicè *Auẽ*, quid sit auuen cap. 4. tradidimus; *lapa, & tribulus ascẽdent super aras eorum*. Spinosæ herbæ quæ solẽt replere loca inculta, hæc ascendẽt super aras idolorum vestrorũ. Significat vates redigendam terrã in solitudinem, & idola euertenda, & altaria idolorum diruenda. *Et dicent montibus operite nos, & collibus cadite super nos*. Tanta erit vestra calamitas, o Israelitæ, sub Assyrio rege, tanta vestra erit pressura, vt aduertentes vos non

Iob. 34.

Ieroboan permissus est regnare propter Israelitarũ propensionẽ ad idololatriam.

Matth. 18.

Regnũ nũ repugnans regi imperanti aliquid cõtra diuina, magis peccat quam ipse rex.

non posse effugere, Regis Assyrij violentissimum impetum, quod desiderabitis, à montibus tegi, & sub ruinis collium abscondi. Simile est quod in Isai. cap. 2. legimus. Vbi Isaias, vaticinatur mala ingentia ventura duabus tribubus, à rege Chaldæo Nabuchodonosor, & ait, Introibũt in spelũcas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini. Nam Iudæi formidantes Nabuchodonosor truculentam tyrannidem, confugiebant, ad speluncas & ad rimas terræ, vbi se absconderent. Et dominus Lucæ 23. Mulieribus lamentantibus, & flentibus, ex cõpassione ad Domini crucem, quam sine culpa videbant ab eo ferri, dixit eis, Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, &c. Et paulò post. Tunc incipient dicere, montibus cadite super nos, & collibus operite nos. Quibus verbis insinuabat vehementissimam cladem illis venturam à Romano imperio, sub Tito, & Vespasiano. ¶Itaque Isaias vsus est forma loquendi supradicta, ad insinuandam miseriam summam Iudæorum, sub Nabuchodonosor, & Oseas vtitur ferè ijsdem verbis, quoad sensum, ad denotandam Israelitis quam passuri erant deuastationem, & desolationem sub Salmanasar. Et dominus ijsdem verbis, Deuastationem & stragem grandem Iudæorum à Romanis inferendam. At fortè quæret aliquis cur ait, Tunc incipient dicere, quando quidẽ verba prædicta, iam fuerunt dicta in desolatione facta Israelitarum per Assyrios. Respondetur, quod desolatio illata à Romano imperio fuit grauissima, omnium, vt supra diximus, & ideo ait, Tunc incipiẽt subaudi ex fortiori causa, quã prius dixerant dicere, mõtibus cadite super nos, &c. Et obserua quod Dominus, non eodem modo profert verba, quem Oseas. Nam Oseas ait, Tunc dicent, montibus operite nos, & collibus cadite super nos. At vero Dominus ait, Tunc incipient dicere, mõtibus cadite super nos, & collibus operite nos, vbi casum tribuit montibus, quibus operturam tribuit Oseas. Hoc autem esse familiare nouo testamento, loca veteris proferre, integra quoad sensum, nõ mutatis verbis, vt annotauimus in comment. ad Isaiam, & ad Ioannem. Vt etiam modo videmus sensum esse eundem, in verbis Osee, & Domini, etsi mutatio sit verborum. Et demum sensus verborum siue hoc, siue altero modo efferantur, hic est tantam futuram tũc pressuram, vt homines desiderarent sibi mortem, vt manuum hostilium truculentã rabiem euaderent. Vt Ioan. in Apocalypsi capit. 9. Meminit persecutionem Antichristi præsignans, in diebus illis ait, quærent homines mortem: & non inuenient eam, desiderabunt mori & fugiet mors ab eis. *Ex diebus Gabaa, peccauit Israel, ibi steterunt, nõ comprehendit eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis*. Aduertere oportet, vt palam fiat mens vatis hoc in loco, quod sub Othoniele, qui successit Iosue in administratione populi Israelitici Iudic. cap. 3. duo nefanda accidisse in gente illa. Alterum fuit, quod Michas quidam, cõstituit idolum quoddam in domo sua, à se adorandũ Iudic. 17. quod idolum filij Dan subripuerunt, cum suo sacerdote, & transtulerunt in vrbem Lais, quam ipsi ex nomine patris sui vocauerunt Dan, & cæperunt ibi colere illud sculptile Michæ Iudic. 18. & perseuerauit huius idoli vanus cultus in tempora vsque Ieroboan, qui vanam hanc superstitionem commutauit in aliam æqualem vitulorum. ¶Fuerunt autem valde impij Israelitæ, permittentes huiusmodi sculptile coli, & venerari pro Deo. ¶Alterum autem quod accidit fuit nefandum scelus patratum à Beniamitis, in oppido Gabaa. Videlicet, quod vxorem Leuitæ immaniter violarunt, vt supra ex Iudic. 19. & 20. traditum est. At vero filij Israel, postquam nefandum scelus resciuerunt, adornarunt pugnam contra Beniamitas tanti sceleris patraturos. At superati sunt nihilominus, etsi iustam videbantur obtendere belli causam, videlicet, vlcisci tantum nefas à Beniamitis filijs alijs Israel illatum, cæterum fuerunt isti primo & secũdo bello superati à Beniamitis, donec tertia belli congressione vicerunt Israelitæ scelestos Beniamitas, qui pro eo quod debuissent conciues corruptores vxoris Leuitæ, grauissima corripere pœna, non corripuerunt, sed potius patratum scelus quasi iustè factum defenderunt, cũ alioquin fuisset abominabile peccatũ. Traditur autem ex eo fuisse superatos Israelitas à Beniamitis, quia permittebant in Dan, sculptile, & Ephod, & Teraphim

In Dan, fuit exorandũ Iudic. 17. quod idolum filij Dan subripuerunt, cum suo sacerdote, & transtulerunt in vrbem Lais, quam ipsi ex nomine patris sui vocauerunt Dan, & cæperunt ibi colere illud sculptile Michæ Iudic. 18. & perseuerauit huius idoli vanus cultus in tempora vsque Ieroboan, qui vanam hanc superstitionem commutauit in aliam æqualem vitulorum.

Fuerunt autem valde impij Israelitæ, permittentes huiusmodi sculptile coli, & venerari pro Deo.

Alterum autem quod accidit fuit nefandum scelus patratum à Beniamitis, in oppido Gabaa.

At superati sunt nihilominus, etsi iustam videbantur obtendere belli causam, videlicet, vlcisci tantum nefas à Beniamitis filijs alijs Israel illatum, cæterum fuerunt isti primo & secũdo bello superati à Beniamitis, donec tertia belli congressione vicerunt Israelitæ scelestos Beniamitas, qui pro eo quod debuissent conciues corruptores vxoris Leuitæ, grauissima corripere pœna, non corripuerunt, sed potius patratum scelus quasi iustè factum defenderunt, cũ alioquin fuisset abominabile peccatũ. Traditur autem ex eo fuisse superatos Israelitas à Beniamitis, quia permittebant in Dan, sculptile, & Ephod, & Teraphim

phim Michæ verum si hæc Hebræorum ratio est quasi colligeret, aptè, itidē probaret, quod neq; tertio bello essent Israelitæ magna gloria superaturi superarunt aduersarios Beniamitas. Alijs vero alia placet causa, cur iustum bellum ineuntes Israelitæ fuerunt debellati, & deuicti, nimirum, quia confidebant in potentia sua magis quam in diuina. Verum neq; hæc est peremptoria causa: siquidem, videtur Israelitas, de suis non fuisse fretos viribus siquidem vt patet, ex Iudic. cap. 20. Dominum consuluerunt, diffidentes de suis viribus & prudentia, verum de re hac alibi: sufficiat nūc nobis dixisse, multa esse Dei arcana, quæ mentem infirmam nostram superant. Nam autore Paulo quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quod ergo noster vates, ait tale est sub tempore illo quo in Gabaa, accidit nefandum illud piaculum de incredibili libidinosa vexatione illa vxoris Leuitæ, Israelitæ peccauerunt nefandissimo scelere idololatriæ constituendo idolum Michæ in Dan. *Non comprehendit*, id est nō sunt assecuti gloriam Israelitæ, ex *prælio inito contra Beniamitas filios iniquitatis, ideſt pessimos homines* quia semel, atque iterum fuerunt superati, etsi iustissimum obtendissent *prælium* contra illos, oblata prius pace, si sceleris illius autores, Israelitas tradidissent puniē dos ab eis. Hoc autem commemorat vates, vt Israelitarum aggrauet idololatriæ delictum. Quia quo antiquius delictum fuerit, eo grauius est censendum, quia delectabilius fit, cum igitur Israelitæ, multo ante Ieroboan, idololatriam amarent, à tempore, scilicet, Othoniel iudicis, qui fuit coætaneus Iosuæ, nam hoc defuncto, ille Israelis susceptit gubernacula: vetustissimum cœpit Israelis idololatriæ nefandum crimen, & ideo omni censura diuina dignissimum. Vnde aptè subditur *iuxta desiderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi, cū corripientur propter duas iniquitates suas.* Deus vt est propitius peccatis pœnitentiū est vindex impœnitentium, quoscum ex sua longanimitate, diu sustinuerit in multa patientia, expectans saniorem eorū mentem, si semper contumaces eos repererit, iram suam contra eos profert, id quod accidit istis Israelitis, quos cum multo sustinuisset tēpore, ex sua clementia, tandem eos acriter puniuit redigens eos sub captiuitate Assyriaca. Sed quid est, quod ait, *Iuxta desiderium meum corripiam eos.* Siquidē Deus nihil desiderat, desiderium enim est defectus desiderātis, quia non habet quod desiderat, Deo autem nihil deest, neque de esse potest. ¶ Accedit eodem, Deum non desiderare vltionem, quia illi proprium est misereri semper & parcere. Respondetur huiusmodi verba, vt pleraque alia diuinorum eloquiorum per translationem de Deo dicuntur, quod Dei igitur iustitia petit, vocatur desiderium Dei. Iustitia autem Dei exigit vindictam malefactorum. Neque enim quod dicitur Deo esse proprium misereri & parcere, ita accipiē dum est, quod Deo nō sit etiam propriū punire, & non parcere. Vtrumque enim in Deo confiteri oportet, & misereri & parcere subiectis, & animaduertere in rebelles & contumaces, quales sunt in culpis suis obstinati. Verum quia Deo magis est cordi clementer agere, quam punire, seuerè, ideo dicitur illi proprium esse misereri, & parcere. Non enim sæuiret in nos Dei iustitia, nisi peccata nostra illud exigerent. Vnde per vatem ait, Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Salus igitur quæ est misericordiæ diuinæ effectus ex Deo procedit primo, prædestinante electos ad vitā sempiternam. Tametsi, electi Deo cooperantur ad huiusmodi salutis consecutionem. Nam qui prædestinauit electos sine electis, non saluabit electos, sine electis.

¶ Verum iustitia Dei, videlicet punitio peccatorum, à nobis ortum habuit, nō à Deo. Vnde Paulus Rom. 2. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, & capit. 1. Ira Dei reuelatur de cælo, super omnem impietatem, & iniustitiam. *Congregabuntur super eos*, insinuat Assyrios & alias barbaras nationes, esse cōgregandas contra Israelitas, vt supra sæpè dictum est. *Cum corripientur propter duas iniquitates.* Quæ sint istæ duæ iniquitates, non est perspicuū. Siquidem Beniamitarum iniquitatem libidinem atrocissimam fuisse constat, & idololatriam Israelitarum, supra ostendimus, verūm modo, cum Israelitis agit vates, & non cum Beniamitis, Quippe Beniamitæ referuntur, seiuncti ab Israelitis à tempore regni Ieroboan, & connumeran

Consuetudo in peccando aggrauat peccatū, quia ex maiori contemptu procedit.

tur cum tuba Iuda, cuius mentionem faciēt paulò post Oseas seorsum ab decem tribubus. Et glossa interlinealis, multa paria iniquitatum, commemorat Israelitarum, sed omnino videtur, per has duas iniquitates, intelligendos esse duos illos aureos vitulos, quos Israelitæ colebant in Dan, & in Bethel. Et vituli vocantur iniquitates, quia erant obiecta duo summæ iniquitatis, Israelitarum & causa motiua ad idololatriā, ideo causacur appellatur ex nomine effectus per metonymiā. Alia Vatabli, satis diuersa est ab hac vulgata, quæ talis est, & congregabuntur contra eos populi, cum vinxero eos ad vtrunq; oculum, ideſt duæ tribus se iunxerint iugo idololatriæ cum decem tribubus, instar vitularum, quæ ex vno iugo ducuntur, tunc congregabuntur contra eos populi. Quia videlicet Assyrij, & Chaldæi intraserunt eos, & dissipauerunt eos.

¶ *Ephraim vitula docta diligere triturā, & ego trāsiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim.* Ex tritura vitulæ reportant magnum commodum opimi pastus. Quia autore Paulo. Non est alligandum os boui trituranti, vnde quā do triturat ore soluto frumenta & patrata depascit pro libito, vnde resultat earum crassitudo, & impinguatio. Ex aratione autem, non tantum boues referunt vtilitatis, imo plus est quod eis accedit laboris & fatigationis in proscindendis terræ glebulis. Est igitur sensus Israelitas fuisse assuetos optimis pabulis, & ex abū dāti cibo fuisse præpingues. Et per hanc pinguedinem non solum intellige alimētorum exuberantiam, quæ ex terræ nobilitate illis proueniebat, sed etiam opulentiam & potentiam Israelitarum intellige, vt supra meminerat, dicens, *Vitis frā dosa Israel fructus adæquatus est ei.* Et item cum dixerat vitulam esse Israelem lasciuientem. At vero ex pinguedine incrassatus fuit Israel, & recalcitrauit contra Dominum, vt Deuter. liber prædixerat, & Ierem. 5. Incrassati sunt & impinguati, & Neem. 9. Incrassati sunt, & abundauerūt. *Ego transiui super pulchritudinem colli eius.* Ideſt consideraui collum habere pulcherrimum. Vitulis enim & bobus pinguibus colla sunt obesa valde, ideo ex colli pulchritudine, intellectam voluit pinguedinem Israelitarum, & est sermo metaphoricus, vt vides. Vtitur enim vates translatione ex vitula pingui, quæ assueta est, optimis trituræ pabulis ad denotā dum opulentiam Israelitarum. Considerans igitur Deus obesos esse Israelitas & nihilominus ingratissimos Deo ait, Ascē dā super Ephraim, ascēdere dicitur Deus ab effectu, quia ascendere fecit Assyrios, contra eos. Et eodem modo per translationem, dicitur transire, non mutando locum, sed exequendo punitionis iudiciū, quod ante non fuerat executus. *Vitula docta*, Græcè eodem modo habetur δεδιδαγμενη, alius vertit *assueta*, & est idē sensus. *Ascendam super Ephraim* Hebraicè, *feci gestare Ephraim*, id est promoui Israelem ad regiam dignitatē. Sed re vera difficilis est sensus, quid sibi velit feci gestare vel gestare faciā Ephraim, & referre clausulam ad regnum, non est apertum quod aptè referatur nisi dicamus, sensum esse, id est faciam Israelitas non solum ferre iugum, id quod est boum, sed etiam quod gestēt supra dorsum suū sessores, id quod est contra naturam gestare sessorem, sed istud est natiuum iumētis & asinis, & mulis. Quia igitur Israelitæ non solum erant subiugandi tributis, sed etiam erant futuri captiui Assyriorum, ideo ait, gestare faciam Ephraim. *Vitula docta*, alius v vitula *stimulata diligit triturā.* Nā vox ...e bræa כו כיוד à כולכיודת voce Hebræa, videtur deriuari quæ vox stimulū significat quo boues stimulantur, vt inquit Kimhi est virga aculeata, sed interpres noster deduxit in vocē à verbo lamad, quod significat didicit studuit. Si ergo legimus vitula stimulata, hunc sensum accipe, id est vitulæ quantumcunque stimulentur, & abigantur à tritura reuertuntur ad locum trituræ illectæ pabulo. In quem prope modum Israelitæ fuerunt frequentissimè, à Deo flagellati propter idololatriā: & tamen continuo reuertebantur ad idola colenda. Itaque per triturā, intelligit cultum idolorum. Metaphora vtens, vt enim locus trituræ est delectabilis valde bobus, quia ibi est copia sui pabuli, ita & Israelitis erat delectabilis idololatria. *Et ego transiui*, id est calcaui collum eius, ideſt subieci collum eius, iugo seruitutis, & subegi pulchritudinem & potentiam Israelitarum hostibus suis, eos tradens. Sicut is qui calcat pedibus pulchra, dissoluit pulchritudinem calcatorum. *Ascendam*, id est ascendere faciam, hostes Assyrios

1. Cor. 9. Deut. 25. 1. Tim. 5.

Deut. 32. Ierem. 5.

rios ſuper Iſraelitas, calcaturos eos pedibus ſuis, vt iam expoſitum eſt, & hæc expoſitio eſt lucidior prioribus. *Arabit Iudas confringet ſibi ſulcos Iacob.* Conſuetum eſt huic vati poſtquam amplo ſermone proſecutus eſt res Iſraelitarum, interſerere nonnihil de reliquis duabus tribubus, vt eſt videre in capitibus ſuperioribus. Ideo modo vertit ſtylum in Iudam, ſub quo comprehendit Beniamitas. Et obſeruādum eſt, id quod ſuperiori ſermone meminimus arare, & ſeminare in ſcriptura, ſignificare opus hominis, ſeu bonum, ſeu malum: at vero metere, denotare mercedem ſeu felicem, ſeu infelicem. Quia igitur tribus Iuda vidit Iſraelitas ob ſua in Deum facinora, grauiter affligi, ideo ne ſimili afflictione torquerentur decreuerunt, erratorum veterum pœnitentiam agere, vt ex pœnitētia placato Deo, mala Iſraelitarum euaderent. Et iſtud fecerunt ſub Ezechia Rege vt liber Regum. 4. oſtendit Ezechiæ, ſcilicet, opera, diuinorum exactiorem habuiſſe rationem, quam moris illis erat. Et hoc eſt quod ait modo, *Arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos*, id eſt glebas ſulcorum comminuet: & eſt repetitio eiuſdem ſententiæ. Nam qui arat, confringit glebas ſulcorū, & per Iacob, intellexit idem, quod per Iudam, ſcilicet, duas tribus. Et quid velit hac clauſula exponit ex ſubiuncta, *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ*, id eſt, dixi vobis per vates meos vos admonens, vt iuſtitiam faciatis, quæ eſt maxima omnium, vt purgetis animos veſtros à ſordibus peccatorum quibus eſtis polluti, & me verè, & ſyncere colatis, & proximis veſtris, ſi quid nocuiſtis, reſarciatis, & quibus nō nocuiſtis, miſericordiam impendatis. Ideo ſubdit *Innouate vobis nouale.* Et Ieremias adiecit, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Et eſt hoc idem, quod Paulus monet, vt renouemus ſpiritu mentis noſtræ, & quod ſpoliemus veterem hominē, & induamus nouū hominē, qui ſecundū Deū creatus eſt. Sunt qui ſemināt ſuper ſpinas, qui adhuc retenta vetuſtate peccati, bonis operibus incumbunt, eleemoſynis, & orationibus, & alijs hoc genus operibus. At vero, quia nō nouant, vel renouant animam ſuam, per pœnitentiæ lamenta, ideo infructuoſa ſunt quæ operātur. ¶ Vt igitur ſint fructuoſa opera neceſſe eſt primum oratio pœnitentię ſpinas noxiarum cogitationū euellere, & glebas duras peccatorum in ſulcis noſtræ conſcientiæ latitantes per vocalē confeſsionem excutere, & excuſſas per vocalem confeſsionem, per dolorem confringere. ¶ Hoc eſt enim quod in primis exigit à nobis Deus vt illi offeramus cor mundum, iuxta illud fili præbe mihi cor tuum. Et hoc eſt quod petebat regius ille vates dicens, Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis: quia re vera, etſi nos teneamur nos innouare, verum ſi Deus non præſtiterit auxilium, non poterimus vetuſtatem peccati deponere, & gratiæ nouitatem induere. Ideo anxiè poſtulat David hanc innouationem interni hominis à Deo. ¶ At omnibus hoc auxilium præſtare paratus eſt Deus, vt nemo iuſtè poſſit expoſtulare cum Deo, quod hoc ſibi negat auxilium. Iuſtus igitur homo, eſt nouus homo, vt peccator homo eſt vetus homo: etſi ſit infans homo, ſi renouatus non eſt per lauacrum renouationis Spiritus ſancti vetus homo eſt. Mirabile eſt equidem, nōdum natus eſt infans, & iam vetuſtate premitur, iam veterem hominem induit: quia culpa primitiua iam eſt maculatus. Eſt igitur vetus homo, non ſecundum vetuſtatem carnis, quia infans eſt, ſed ſecundū vetuſtatem ſpiritus, quia filius iræ eſt, tantiſperdum non renaſcitur in filium adoptiuum Dei. Rectè ſanè omnes peccatores ſunt veteres homines, quia illum imitantur qui primo creatus eſt, qui vetuſtiſsimus eſt omnium peccatorum, & fuit primus omnium hominū peccatorum: & rectè quoque iuſti omnes ſunt noui homines, quia nouiſsimi hominis, & cæleſtis hominis Chriſti mēbra ſunt. At caput nouum, non poteſt habere membra vetera, eſſet enim monſtroſitas. Chriſtus autem eſt caput nouum omnium iuſtorum. Vnde Paulus 1. Corinth. 15. ait, Primus homo de terra terrenus, nouiſsimus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem cæleſtis. Sicut igitur terra vetuſtate conſumitur, & ſit inepta ſationi, cælum autem ſemper in nouitate & vigore quam conditum eſt, perſeuerat, ita & terreni homines, qui terrena ſapiunt, vt primus ille peccatorum vetuſtatē conſumētur: tur: at vero cæleſtes homines, qui cæleſtibus inhiant nouitate ſemper ſpiritus gaudebunt, vt & Chriſtus, cuius imaginem portant. ¶ Quicquid igitur mundus ſuis pompis, aut caro ſuis illecebris, aut diabolus ſuis vaframentis homini offert, vetuſtatem ſapit peccatorum, etſi rectè ſapimus hæc nouāda ſunt, & in nouitatem ſpiritus commutāda. At contra quicquid offerūt diuina eloquia, aut quicquid præſtant eccleſiæ ſacramenta, ad hanc ſpiritus nouitatem referenda ſunt. Hic eſt ſcopus diuinorum eloquiorū, innouare mentem noſtram, & imaginem Dei, vetuſtate peccatorum obſcuratam, polire, & renouare. Hucque Chriſti ſpectant ſacramenta, plus minuſve. Nanq; nō omnia æqualiter renouant mentem, ſed hæc renouatio in primis, baptiſmo eſt tribuēda, deinſacramentali pœnitentiæ: cætera vero ſacramenta, quia gratiam Dei conferunt diſpoſito eatenus renouare ea dixeris, quatenus nouitatem quā iam in nobis reperiunt, augent, & conſeruant. *Metite* pro metetis in miſericordia, id eſt, ſi ſeminaſtis ad iuſtitiam, metetis mercedem miſericordię: hoc eſt Deus miſerebitur veſtri, & auertet à vobis mala, quæ vobis ventura eſt comminatus. *Arabit*, aliter exponitur, Arabit Iudas, ſubaudi, ſeorſum, *& ſulcos confringet Iacob ſubaudi* ſeorſum. Id eſt ego diuiſi regnum Dauidicum, & dedi Ephraim regiam ſublimitatem, vt vtrunque regnum mihi ſedulo ſeruiret, at vero contrarium accidit, quia vtrunque ſeruiuit idolis. Et huc ſpectat, quod ait, Arabit Inda ſeorſum, id eſt diuiſum eſt regnum Iuda, à regno Iſraelitarum. Et quòd ſubditur *Seminate*, id eſt regno iam diuiſo dixi, per vates meos ſeminate iuſta opera, &c. & metite, id eſt metetis miſericordē mercedem. Et cætera quæ ſequuntur, *innouate vobis*. Sunt aperta ex prædictis, qa vates perſiſtit in ſua tranſlatione ſationis & meſsionis. Verum expoſitio prior planior eſt. *Tempus autem requirendi Dominū, cum venerit, qui docebit vos iuſtitiam.* Id eſt etiam ſi vobis dixi, quod ſeminetis opera iuſta, vos autem aure ſurda, verba mea pertranſiſtis. Erit autem tempus, quando vos audietis & requiretis Dīm, cum venerit, ſcilicet, doctor iuſtitiæ Chriſtus. Nā Ioan. 13. Vos vocatis me magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim. Sūt qui referant verba hæc ad Ezechiæ tempora regis Iuda, qui fuit valde pius erga Deum, & idolorum hoſtis, quia excelſa abſtulit, & ſerpentem æneum confregit, qui idololatriæ Iudæis occaſio erat: at arbitror nō ad Ezechiam, ſed ad Chriſtum referenda. Nam Oſeas, ſub Ezechia vaticinium ſuum edidit, loquitur autem de doctore iuſtitiæ tunc futuro, qui ſolus eſt Chriſtus. ¶ *Araſtis impietatem, & iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij, quia confiſus es in vijs tuis & in multitudine fortium tuorum.* Perſiſtit in ſua quam dicere cæperat tranſlatione, de vitula triturāte, & aratione, ſatione, & meſſe. Monuerat paulò ante, quod ſeminarent opera iuſta, vt meterent Dei mercedem ex diuina miſericordia. Et quod nouarent mentem, ſuam per obedientiam ad diuina mandata, quæ ipſi impudenter violarant: nunc autem demonſtrat Iſraelitarum cōtumaciam, dicens, *Araſtis*, quaſi dixiſſet apertius, quia non obediſtis diuinis mandatis, ideo operati eſtis impietatem, colendo idola, & meſſuiſtis iniquitatem, ideſt iniquitatis mercedem reportabitis, ex perpetua vobis quæ accidet calamitate. Dicebam vobis ſeminate iuſtitiam, vos vero contra ſeminaſtis impietatem, ideo nō metetis miſericordiam, ſed Dei iram vobis metetis. Quocirca comedetis frugem mendacij, ideſt mentientur vobis arua veſtra, quæ etſi ſint abundè culta, non reſpō debunt vobis pro ſua cultura, ſed ex multa ſatione exigua erit vobis meſsis, & cariſsima erit vobis annona. Hoc idem ſupra cap. 9. alijs extulerat verbis. dicens, Area & torcular nō paſcet eos: & vinum mentietur eis. Id quod vocat modo obſcurius, *frugem mendacij*, ſiue frugem fallacem, quia fefellit agricolas credentes, ſe multam collecturos meſſem, & alioqui exigua meſſuerunt. *Quia confiſus es*, Mutatio eſt numeri. Deus valde odio habet ſuperbiam propter illam enim deiecit angelos malos, à cælorum verticibus. Eſt autem ſuperbia animi elatio, nulla autem maior elatio, quam quod homo, qui eſt miſer, & pauper, ſuis viribus, diuinis ſpretis, fidat: cum auxilium diuinum ad omnia ſit nobis neceſſariū. Et hoc idem ethnici philoſophi ſenſerunt, quia Plato aiebat, in omnibus ſeu maximis, ſeu minimis diuinum eſſe implorandum auxiliū, Iſraelitæ autem, ſuæ opulentiæ, & viribus fidebant: ſiquidem ſe opponebant ad

Prouerbiorū 23.

Pſal. 50.

Scopus diuinorū eloquiorū eſt renouare mentē hominis, & ad ſuū reuocare principium, itē q; ſacramētorum.

Deus omnibus hominib⁹ auxiliū ſufficiens impēdit, vt peccati vetuſtatē abijciant, & gratiæ nouitatem in ducant.

Ad Coloſſen. 3.
Ad Epheſios 4.

Nō eſt crimen quod homo homini fidat modo in Deo præcipuam confidentiam reponat.

uersus Deum adorãtes idola. Sanè quod homo homini fidat crimen non est, modo præcipuam confidentiam in Deo reponat. *Surget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana, à domo eius.* Sunt qui hoc referãt ad historiam Iudicum. Vbi legimus cap. 8. quod Gedeon vastauit Zebee, & Salmana Madianitarum principes. Et in Psal. 82. idem cõmemoratur, Pone principes eorũ, sicut Oreb, Zeb, & Zebee & Salmana. Prædicitur igitur à vate, quod sicut isti principes sunt vastati à Gedeone: nã etsi solum memoretur vnius, sub vno Madianita subintelligũtur alij, ita vastandos esse Israelitas. *Surget tumultus*, id est, in vobis erunt ciuiles seditiones, quę sunt pessimę & munitiones & præsidia vestra vastabũtur, quia vos in illis confidentiã, & robur vestrũ collocabatis, *A domo eius*, id est à Gedeone principe Hebræorum. *Qui iudicauit Baal in die prælij.* Idest dãnauit seu destruxit aras Baal, ideo, dictus Ierobaal Iudic. 6. *Matre super filios allisa.* Gedeon occidit Zebee, & Salmana, quia isti occiderunt fratres suos, filios matris suæ: in monte Tabor Iudic. 8. At vero lectio trãslationis Latinæ cõsona est Græcanicæ translationi, & est quidẽ satis obscura. Lectio autẽ Hebraica, aliud habet, videlicet, *Vastabuntur sicut Salmã vastauit Phanum Arbeel in die belli, cum mater cum filijs collideretur.* Vnde quidã intelligũt, locũ hunc referẽdũ ad Salmanasar Assyriũ Regẽ qui anno primo Osee filij Ela regis Israel 4. Reg. 15. hic crudelissimè, debacchatus est in Arbollã quæ est trans Iordanẽ, vastãs eam, & nõ parcẽs fœminis neq; masculis, & matres allidebat petris, cum filijs suis. Et Phanũ quod erat in oppido Arbel, cõminuens. Huius autẽ oppidi fit mentio in lib. 1. Machab. cap. 9. Et istud bellũ, quia acciderat tunc quando Oseas prophetabat, ideo proponit Israelitis, qa exẽpla, quo recentiora, eò magis ad persuadendũ sunt efficaciora interpretatur autẽ hæc vox Hebræa Arbel, insidiator. Vnde domus Arbel, idest domus insidiatoris à verbo Arab, Hebraico, quod interpretatur insidiatus est. Alijs placet hãc historiã à vate relatã, non extare in diuinis literis, sed solũ apud vatem hũc cõtineri, quid fecerit iste Salmã, quẽ dicũt nõ esse Salmanasar, sed aliũ tũc notum nũc ignotum regem. Alij vero, ad aliam rationẽ locum hunc elucidant, vt Salmã, sit nomen non proprium Regis alicuius, sed nomẽ appellatiuum, significat autem pacificã hoc loco. Siquidẽ scribitur per sin; cum vero est nomen proprium per Samech. Vnde Lyranus hanc putat esse literam. *Sicut vastata est pacifica a domo insidiatoris*, hoc est, ò Israel tu vastaberis, sicut quę pacifice agit, & securè nihil timens hostem, quem credit sibi non impendere: at nihilominus de repente vastatur ab insidiatore. Vt legatur vastatam fuisse Lais Iudic. 18. Et enim in huiusmodi subita vastatione hostes crudelissimè vastant, vt nõ parcant ætati, neque sexui neque statui personarum. ¶ Porro autem ego non video, vt quadret hæc expositio, quãdoquidem Israelitæ nõ sunt oppressi subito ab Assyrijs. Siquidem eos credebant esse hostes suos, & ob culpam Osee regis Israelitici, quia violauit fœdus initum cũ Salmanasar, cõfugiens ad regem Ægypti, vt ferret sibi suppetias contra Salmanasar, ideo Salmanasar adort⁹ est Israelitas & pessũ dedit eos 4. Reg. 15. *Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ iniquitatum vestrarum.* Hoc est, hæc patiemini aduersa quæ prædico vobis, quia adoratis vitulum in Bethel, & huius vituli meminit, non vt excludat peccatum adorandi alium vitulum, qui erat in Dan. Sed vt insinuet idolum illud quod constitutum in Bethel, fuisse apud Israelitas maiori honori habitum, quam reliqua idola. Expositionum autem prædictarum, quæ consentanea est magis textui, est quam mediam protulimus.

Vatabli trãslatio.

EXPLANATIO
IN CAP. XI. OSEE.

Sicut mane transit, ita pertransijt Rex Israel, quia puer Israel, & dilexi eum. Rursus inculcat regni Israelitici dissolutionem, id quod iam supra dixerat, verum quia apud rebelles, & incredulos agebat vates, necessum sibi erat, rem pluries repetere, & multis id agere, & varia sermonis figura, vnum & idem Israelitis demonstrare. Vt dominus etiam multis & varijs parabolis Iudæorum incredulitatem, & eorum vastationem futurã insinuare in euangelio contendit. Igitur ait, *Sicut mane*, id est vestra regni gloria ò Israelitæ, sub qua cætera quæ vos valde illustrant cõprehenduntur, erit sicut aurora rutilans, quæ etsi exhilaret admodũ aspectum humanum, cæterum quam citissimè aufugit, & pertransit. Hoc autem malum, ex vestris pessimis meritis conciliastis vobis. Siquidem, quando vos eduxi de deterrima illa Ægypti seruitute, eratis tanquam puer: nam tunc veluti quædam pueritia vestra erat, & ego vos dilexi sicut puerum vos fouens, & vobis blãdiens ex multis beneficijs in vos collocatis. Vel ex eo Israelem vocat puerũ, quia in diuinis literis vox hæc puer, etsi aliquãdo denotet puerilem ætatem, sæpè denotat seruilem statum. Vnde illud suscepit Israel puerum suum, & recordatus est misericordiæ suæ, id est, Israelem seruum suum. Et Eccles. 24. Posuit Dauid puero suo, & sæpè alibi, vt etiã Hispana lingua vox hæc *moço*, non semper significat iuuenilem ætatem, sed aliquando imo sæpè statum famulatus. Quod ergo ait, *Quia puer Israel*, idest, quia seruus meus Israel, & ego dilexi eum. Omnis sanè creatura est subdita diuinæ seruituti, iuxta illud quoniam omnia seruiunt tibi. At vero à rationalibus creaturis à Deo hæc exigitur seruitus, quia ipsæ cognoscũt Deum esse suum autorem, & collatorem vniuersorum bonorum, quæ habent, quod irrationabilibus negatur. Israelis autem populus tenebatur maximè hac seruitute, propter præclara in eos collata beneficia. Deus nanque dilexit eum speciali super omnes alias nationes amoris prærogatiua: sicut & fideles omnes fortius tenẽtur eadem seruitute propter vberiorem redemptionis gratiã, quam credunt. Quæ autem fuerit hæc amoris prærogatiua, subditur, *Ex Ægypto vocaui filium meum*, scilicet, quia eduxit de Ægypto Israelem. Quæ verba ad literam videntur exponẽda, de illo exitu celeberrimo Israelis ab Ægypto. Etenim populus Israeliticus vocatur filius Dei in Exodo capit. 4. Filius meus primogenitus Israel. Et contextura hoc idem posçit. Explicatur enim causa cur Deus dilexerit Israelem, quia, scilicet, Ex Ægypto vocaui filium meum. Quem dixerat dudum puerum, vocat modo filium: quia fideles, & serui sunt Dei ex natura, & filij ex adoptione. Contendit autem Burgensis, hunc locum explicandum ad literam de Christo Domino: quia Matthæus cap. 2. de Christo intellexit. Et indicat glossam ordinariam in hãc sententiam verum glossa fatetur exitum filiorum Israelis de Ægypto fuisse typum exitus Christi, de Ægypto, non tamen expresè ait, ad literam non esse intelligendum hunc locum, de exitu filiorum Israelis de Ægypto. Sed solum ait, Typicè referendum ad Christi exitũ de Ægypto quando angelo admonente, regressa est Beata virgo cum puero Iesu ex Ægypto, in terram Israel. Et vocat Matthæus terrã Israel, terram promissionis: non distinguens inter Israel, & Iuda, terram vt est nos prophetis duodecim, sed nomine Israel Iudam, & Israel. Comprehendit Nicolaus autem, in comment. ad Matth. cap. 2. hunc locum Osee, gemino gaudere sensu literali autumat, quorum alter est de exitu Hebræorum ab Ægypto, alter vero de exitu Christi ab Ægypto, regnante Archelao, in Iudæa. Et hic secũdus sensus, est primarius apud Lyranum, alter vero est minus principalis. Vnde statuit nihil incommodi esse, si vni eidemque textui duos tribuamus literales sensus, modo alter sit principalior altero. Et ratio eius est, quia Israeliticus populus est filius Dei, ex adoptione Christus ex natura. Ideo principalior significatio est de exitu Christi ab Ægypto. ¶ Ego vero, pace eius dixerim, non consentio placito suo. Sanè, non refragor vnum textum sacrum plures admittere sensus literales. Enim vero, quod in Eccles. 8. scribitur qui viuit in æternũ creauit omnia simul, gemino fruitur literali sensu, & quod Deus in pũcto omnia creauit, vt Augustino arrisit, & ante eum doctissimis quibusdam Hebræis, aut quod vnica hebdomada sunt omnia creata.

Psal. 85. *Psal. 104.*

Duplex sensus literalis eidẽ textui conuenire potest.

Differitur qua ratiõe vnus sacer text⁹ duos potest admittere sensus literales.

¶ Rursus, quod in Psalm. 2. Habetur, filius meus es tu, ego hodie genui te, litera lis sensus est si referatur ad æternam generationem filij ex substantia patris. Item ad literam intelligitur, de resurrectione Domini. Vt Actor. 13. historia commemorat. Et beatus Hilarius, ad eam rationem locum intellexit cõment. ad Psal. 2. Et rursus, verbum Isaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit? intelligitur à Hieronymo ad Matth. 2. De generatione æterna, & item de tẽporali generatione intelligi potest ad literã. Quia quanuis Matthæus eã expresserit dicens, Christi autem

autem generatio sic erat, verum quomodo fuerit genitus sine semine, ex incontaminatis viscerib⁹ Mariæ virginis, & quomodo Deus & homo fuerit cōceptus Spiritu sancto obumbrante virginem, quis enarrabit. Maiores equidem Christi secūdum carnem enarrantur à Matthæo, & hos vocat ipse Christi generationē, hoc est Christi prosapiam: at vero generationem, id est, Christi incarnationem, quis enarrabit, sicut etiam Christi æternam generationem Ioan. denarrat cap. 1. verum quia adhuc restat ineffabilis diuina generatio verbi, ideo ait Isai. generationē eius quis enarrabit. ¶Porro etsi hæc vera sint, at arbitror, quod si duo sunt sensus, quorum alter est fundamētum alterius, quod illi duo non sunt literales: sed quod prior sensus, qui est fundamentalis, ille est literalis, qui vero fundatur in altero sensu, quippequi posterior est, ille est mysticus sensus, & non literalis. ¶ Itaque duos admittere sensus textum vnum fateor, verum quod alter sit principalior, & alter minus principalis, diffiteor. Sed si sunt ambo literales, nullus est fundamentum alterius, sed æquè primo conueniunt textui. ¶ Vox enim vna nisi sit æquiuoca, aut analoga non potest admittere plura significata. Si autem sit æquiuoca à casu vt canis, æquè primo significat, & canem cęlestem, atque latrabilem. Non enim habent inuicem ordinem hæc duo significata. Vox autem analoga, duo sanè significat, alterum tamen per translationem ad aliud, & ideo, non vtrunque. Æquè primo significat, sed vnū prius, & aliud posterius. Vt vox hæc pastor primo pastorem armentarium postmodum vero episcopos, & rectores, vt Homerus appellauit Agamēnonem pastorem populorū. Cæterum principalius significat ouium pastorem, quam episcopum, vel rectorem, seu principem: vnde etiam Christus se vocat pastorem bonum, Ioan. 10.

¶Est autem obseruandum, quod fieri potest, quod res significata posterius, seu minus principaliter, sit nihilominus ipsa in se principaliter, quam res significata principalius. Enim vero, pastor principalius significat pastorem materialē ouiū, quam Christū, at vero Christus res principalior est, quam pastores. Itaque non obseruatur in re hac, rei principalitas, sed vocis quæ sit primæua significatio, quæ est fundamentum secundæ significationis: & ideo quæ est fundamentum alterius significationis, vocatur principalior significantia vocis: ex istis colligitur, quod si oratio vna sacra vel sententia habuerit duos sensus, sine ordine vnius ad alterum, quod isti sunt literales, id quod accidere potest propter æquiuocationē vocum: vt generatio æquiuocè dicitur de æterna, & de resurrectione. Verum si habuerit duos sensus, quorum vnus est fundamentum alterius, vnde inter se dabant ordinem, vel respectum similitudinis, tūc ambo non sunt literales, sed prior, qui datur secundum priorem significationem, est literalis reliquus vero est mysticus: qui est minus principalis, quoad vocis significationem, at erit fieri principalior, quo ad rem significatam.

Generatio æquiuocè dicitur de æterna, & temporali & de æterna, & de resurrectione à mortuis.

Vnde literalis, & mysticus sit cognoscendus sensus.

¶Vnde fit, quod fieri nequit, quod sint duo sensus, & vnus principalior, & alter minus principalis: & quod ambo sunt literales: quia necessum est, quod ambo sint æquè principales: etsi fieri potest, alterum esse congruentiorem literæ altero, sed modo non loquimur de maiori cōgruentia. ¶Quamobrem, vt ad rem deueniamus locus hic, *Ex Ægypto vocaui filiū meum*, duos habet equidem sensus, alium principalem, qui est Deum vocasse populum Israeliticum, ex seruitute AEgyptiaca: alter autem est minus principalis, & est Christum vocatum ab AEgypto, sub Archelao Rege. Et ratio est quia primus est fundamentum secundi. Lyranus autem, considerauit rem significatam, & non vocis significationem: & ideo contra philosophatus, sed non congruè considerauit. Enimvero etsi exitus Christi ab AEgypto sit longè dignior, quam exitus Hebraici populi, cæterum vatidica hæc sententia. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, prius significauit exitum illum filiorum Israel ab AEgypto, quam exitum Christi, vt est manifestum. Vnde quia posterius istum secūdum exitum significauit, ideo minus principaliter significauit, etsi vt aiebam res significata, sit incomparabiliter dignior. ¶ Et ita dicere poteris in aliis exemplis ex diuinis oraculis petitis. Nanque quod 1. Corinth. 9. Paulus ex Deute. 25. cōmemorat, Nō ligabis os boui trituranti, primo significat, non esse liganda boum ora, quādo triturant frumēta: dein vero per allegoriam seu similitudinē retulit eadē Paulus ad ecclesiæ doctores. Atvero hic posterior sensus est minus principalis est enim mysticus sensus.

Nō potest fieri quod sint Duo sensus vnus principalis & alius minus principalis, & quod sint ambo literales.

¶Rursus & qđ Ioānes memorat. c. 19. ex Exo. 12. Os, non cōminuetis ex eo, qđ in Chro dicit impletū, vtiq; principaliter locus hic significat agnū illum materialē, at ex trāslatiōe agnū verū Christū. Nō ergo isti duo sensus literales sunt, qa alter fundat alterū, & inuicē ordinātur, sed q prior est fundamētalis, ille est literalis, fundat⁹ vero est mysticus siue spiritualis. ¶Cæterū sensus mysticus duplex est, alter quē Spiritus sanctus expresit, & hic de fide est, vt sensus mystici prænotati, & alij nō pauci in sanctis scriptis. Alij vero sunt quos magistrorū Theologorū industria elaborauit, & isti nō sunt de fide, etsi sint alioqui ꝓbabiles. Vnde quia Matthæus, ait, vt adimpleretur, qđ dictū est per prophetā ex AEgypto, &c. Sensus sanè mysticus est, at ex fide certissimus, neq; potest à quo quā fideliū inficiari, sine periculo fidei. ¶Obijciet forsan mihi quispiā, figuratū est multo dignius quā sit figura, qa illud est veritas, hæc vero veritatis vmbra, igitur sensus figuratū exponēs, excellētior est, quā figuram significās. Respōdetur, quod argumētū hoc, fefellit, diuersum dogmatum, vt dicerēt sensum posteriorem esse principaliorē literalē. Ideo respōdebis, qđ figuratum, secundū rationē rei figuratæ, est multo excellētius, quam verborū figuræ sensus primus: verū, vt dicebā, nō rei significatæ dignitas obseruanda modo, sed vocis prior significatio, & secūdū hāc sensus q sumitur, secundū vocū primitiuā significationē, est principalior, quia est fundamentū alterius sensus, vt expositū est. ¶Et similiter si obieceris verborū Isaiæ, Generationē eius qs enarrabit sensum secūdū de generatione tēporali Chri secundū carnē esse mysticū, quia generatio tēporalis, est indignior ęterna. Respon. qhæc vox generatio æquè propriè significat generationē æternā atq; tēporalē, nō em̄ significat vnā per respectū ad alterā: vnde vterq; prędictus sensus est literalis, qa vterq; est æquè principalis, & secūdū ꝓprietatē sermonis acceptus, hoc est secūdū primitiuā vocū significationē. ¶Quōd si dixeris vox hæc gnatio analogicè dicit de generatiōe æterna, & tēporali, qa tēporalia sunt entia; per similitudinē ad æterna. Respōdeō, ꝙ hæc vox generatio (de simpliciter gnatiōe est sermo) nō analogicè significat diuinā, & creatam, si quidēvbi est ꝓpria analogia nō est ꝓpria vtraq; vocis significatiōe, modo autē gnatio ꝓpriè significat vtrāq; gnationē in creatā, & creatā & similitudo creati ad increatū est effectus infinitè distātiæ à sua causa: ideo æquiuocè significat gnatio, vtrāq; gnationē. Vt dixit cōm. Arist. in. 3. disput. cōtra Algazellū dubio. 1. loquēs de diuina volūtate, & creata vox hęc volūtas, nō vniuocè, inquit significat vtrāq; volūtatē increatā, & creatā, siquidē dei volūtas, est alterius rōnis à nostra: qa est à nobis incōprehēsibilis. Ad eādē rōnē, dicito de gnatiōe æterna filij Dei increata, & gnatiōe creata. Quia igitur neuter prædictorū sensuū fundat alterū qđ hinc disces quia quilibet potest rectè intelligi sine altero. Possumus em̄ intelligere verbū dei ꝓcedere à patre ꝑ gnationē æternā, absq; intelligētia generatiōis tēporalis & cōtra Chm̄ esse genitū à matre possumus capere sine eo ꝙ intelligamus æternā gnationē: ideo vterq; literalis est. Idē de alijs: intelligere autē nequimus exitū Christi ex AEgypto fuisse adumbratū in exitu filiorū Israel ab AEgypto, nisi hūc exitū primo intelligamus: ideo sensus est mysticus vt etiā Caieta. adnotauit ad Matth. ca. 2.

Quæ prædicātur de Deo, & creaturis nō vniuocè prædicātur lege autorē 1. sententiarum. dist. 6. disp. 1. ad finem.

Sensus mystici quidā sunt de fide alij non sunt de fide.

Quōd si ad anagogis velis verba vatis illa referre ad Christi ascēsum triumphalem in cælos. Tunc enim verè dixeris esse impletū qđ Oseas ait ex AEgypto vocaui filiū meū. Siquidē mundus hic, satis aptè figuratur per AEgyptū, quem vocāt Hebræi Mizraim, idest tenebræ. Vtiq; tenebris errorum & peccatorū inuolutus est mundus hic. In AEgypto, diuexati sunt valde fideles Hebræi, ab infidelibus AEgyptijs: id quod in hoc mūdo accidit, vbi sancti, & viri boni, mirū dictu, quātas patiātur calumnias & fraudes ab iniustis & sceleratis. ¶Vnde Dns, si mūdus vos odio habet, scitote quod me prius odio habuit: si me persecuti sunt, & vos persequētur, &c. Ab hac igitur mystica AEgypto, vocauit Deus pater filiū suū vnigenitū, quādo eleuatus coram oculis discipulorum suorum, & nubes suscepit eū in cælum, lege si placet declamationem nostrā de Domini Assumptione ad Isaiam. Alius itē sensus anagogicus esto, de anima sancta, quæ depositō ergastulo corporis, ad ęthera rapitur cū Deo beanda, sempiterno.

Sensus anagogicus.

Ioan. 15.

Actor. 1.

terno. Siquidē corpus hoc quod inhabitat humana mēs, rectè cōfertur Ægypto.

Alius sensus anagogicus.

AEgyptus enim fuit ergastulū Hebræorū: in AEgypto enim durissima seruitute premebātur Dei cultores Hebræi. Ita dū versantur in corpore, sanctorū animę premūtur assiduè, vnde ille beatus cōquerebatur dicens, Quis me liberabit de corpore mortis huius? & rursus inuenio aliā legē in mēbris meis, repugnantē legi mētis meæ, captiuantē me in lege peccati. Vt igitur Hebræi, qui erant populus Dei captiuus detinebatur in AEgypto, ita mentes Sanctorū captiuæ detinētur, in corporis ex illo. Vnde flebat ille dicēs, Heu mihi quia incolatus meus prolōgatus est, habitaui cū habitātibus Cedar multū incola fuit anima mea. Et Apostolus libertatē ab hac captiuitate anxiè desiderabat, cū aiebat, desideriū habēs dissolui, & esse cū Chīo. Quod si tenebras huius AEgypti cupis discere dicito mihi, an nō videntur tibi tenebræ crassissimæ, ignorātię, multiplices errores, hæreses, variæ, quibus miseræ animæ, quæ Dei gratia non sunt illustratæ, inuoluūtur? Tenebræ, dixit quidā vates, operiēt terrā & caligo populos, super autē orietur Dīs, & gloria eius in te videbitur. Et tenebræ quidē AEgypti erant dēnsissimæ, at vero istæ tenebræ humanæ mētis sunt lōgè densiores: quippe cæcāt mentē, ne syncerè, diuina possit aspicere. ¶ Ab hac igitur AEgypto vocat Deus filios suos adoptiuos, qñ eos ex tenebris huius seculi vocat in admirabile lumē suum, qñ ex ergastulo seruili corporis, ad cælestia palatia eos deducit: qñ ex atra corporis seruitute, ad splendidā filiorū Dei libertatē eos vocat. Moses sanè illustrissimus Hebræorum dux, Hebræos asseruit ab AEgyptiaca amara seruitute: at verō nō Moles, sed Chīs solus nos liberare potest, ab hac amariori corporis seruitute: qui solus est potēs introducere famulos suos in terrā illā viuētiū. Vbi nullus clamor, nullus horror, sed sempiterna pax inhabitat. *Ex Ægypto* Græcanica septuaginta interpretū, sic Latinè habent ex AEgypto vocaui filios meos, etsi lectio quā sequitur Sanctus Theodoretus, nihil meminit filij, aut filiorū: sed solū ex AEgypto vos eduxi. At Theophilactus item legit, *Ex Ægypto accersiui filios meos.* Ideo Hieronymus dixit, hūc locū nō extare apud septuaginta, quia septuaginta nō legūt filiū, sed filios, *Ex Ægypto*, Moralē sensum discere si cupis, referas locū ad peccatorē, quē Deus suæ gratiæ visitatione illuminat, hic ex tenebris, & seruitute peccati, vocatur à Deo in lumen, & sui amoris libertatē, quia ex seruo peccati, fit filius adoptiuus Dei. Ex omnibus istis quæ diffusè, pśecuti sumus, tū colligę, quod sicut vnus idēq; sacer textus potest gaudere duobus anagogicis sensibus, vt vidisti, duobusq; moralibus aut pluribus, ita nihil obstat quod fruatur duobus literalibus, qui sunt ex æquo principales. *Quia puer Israel*, locus hic à Theophilacto ad Patriarchā Iacob refertur, quē vocat puerū, ppter eius simplicitatē, quia nō fuerat, vel fictus erat: vñ de eo traditur, erat vir simplex habitans in tabernaculo suo Gen. 25. hūc Iacob dilexit Deus, & Esau odio habuit vt Malach. c. 1. At quia dilexit Iacob Deus & filios suos, scilicet populū Israel etiam dilexit. Cæterū cōmodior interpretatio est supra à me exposita, quod populus ille, appelletur puer vt alibi cōmemoratur suscepit Israel puerū suū, & recordatus est misericordię suæ Lucæ 2. Nisi mauis Israelē appellatū paruulū, ppter eius insipientiā cuius supra meminerat vates dicēs ca. 5. Dūm non cognouerūt: pueritia nāq; est insipiēs ætas. Vnde Prouer. 1. etiā vocātur insipiētes, vsquequo inquit paruuli diligitis infantiā; & stulti ea quæ sibi noxia cupiunt, & imprudētes odibūt scientiā. Nihilominꝰ hos paruulos, insipiētes diligēs Deus, subditur ibidē, Cōuertimini ad correctionē meā. Id quod modo legimꝰ in Osea, *Puer Israel*, & ego nihilominus, subaudi, dilexi eū vt iā exposuimus. *Vocauerūt eos, sic abierūt à facie eorū: Baalim immolabāt, & simulacris sacrificabāt.* Quod dicit tale est, etsi imprudentē Israelē ego dilexi, beneficijs eā eximijs eū sum pśecutus, eduxi nāq; eos de amara AEgyptiorum seruitute, at postquam eduxi, nihilominus dijs vanis immolabāt immemores priorum beneficiorū. Et ego etiamnum eos corripiebā per vates meos, qui *vocauerūt eos*, vt deserto falso numine verum adorarēt, nihilominus, *Sic abierunt* rebelles adhuc à facie meorum prophetarum, abierunt eis repugnāndo, & monita salubria eorum contemnendo. Quid sit Baal, & Baalim supra monuimus. *Et ego quasi nutritius Ephraim.* Id est perinde me gessi, cum Israele,

Ad Rom. 7.

Psal. 119.

Ad Phili. 1.

Isaiæ 60.

Corpus nostrū est simile Ægypto.

Sensus moralis.

raele, sicut gerulus pueri se gerit cū ipso, qui immoderatur pueriles gressus, se attē peratus puero, sic ego, sensim cum eo procedebam, per vastas eremi solitudines, illustrās eos noctu ex lucida columna, & interdiu, obumbrans eos nube densa, æstum solis temperāte. *Portabam eos in brachijs meis.* Geruli vel nutritij infantū eos portant in vlnis suis, si quando fessos vel ex modico gressu eos senserint Deus itidem suauitatem suæ misericordiæ effundens in populum illum, ne conficeretur lassitudine itineris paulatim deducebat eos per desertum. Hoc idem beneficium memoratur Deuteronomij liber cap. 32. Inuenit eum in terra deserta in loco horroris & vastæ solitudinis, circunduxit eū & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui, sicut aquila prouocans ad vōlandum pullos suos, & super eos volitās, expandit alas suas, & assumpsit eum, & portauit in humeris suis. Deus porro cū sit spiritus Ioan. 4. Neque humeros, neq; brachia habet, sed hac translatione vtitur diuinus sermo, vt doceat, quod sicut is qui portatur in brachijs alterius, aut in humeris, sine lassitudine conficit iter, ita & populū illum deduxit Dominus, per horrentem, & incultam illam solitudinē, absque labore & fatigatione quæ erat dimetienda ex tanto, tamque asperrimo itinere. ¶ Et congruit satis hæc translatio, cum dudum dicto sermone, quia *puer Israel, & ego dilexi eum.* Nanque pueri hoc modo gestantur à suis nutritijs, vel in vlnis vel in humeris, vt est Arabum consuetudo. Cum enim ex infantia sint tenerrimi dissoluerentur ex itinere, nisi isto fouerentur adiutorio: id quod est signū eximiæ in eos dilectionis. Quia ergo dixerat à Deo Israelē esse dilectū puerū, aptè subsequitur, *in humeris portaui eum.* Hebraicè in tertia pśona legitur, *vt acciperet eū in brachijs suis.* Id qđ frequēs est diuinis literis de repēte mutare pśonā, ad maiorē energiā orātiōis. *Et nescierunt q̄ curarē eos.* Hebræa nescierūt quod sanarē eos. Nam verbū Hebræū hoc loco, & supra c. 6. positum, significat sanare, vt ibidem est videre. Vocat sanitatē, libertatē quā concessit Deus à seruitute illa amarissima, qua seruiebāt Ægyptijs. Hebræi igitur erepti à durissimo Pharaonis Imperio, nō cognouerūt tantum Dei beneficiū, quia postea idola coluerūt. *In funiculis Adam traxi eos.* Id est funiculis hominis, seu humanis. Vocat funiculos humanos, beneficia, singularia, quibus prosecutus est Deus Israelitas, per desertū vagantes. Quasi dicat nō funiculis ferreis, hoc est, nō cogēdo non molestādo, aut diuexando vos traxi per desertū, sed blādissimè, & clementissimè vobiscū agens. Humanitas enim in sacro eloquio, hoc idem significat, quod latinis auribus sonat, scilicet suauitatē affectus. Vnde Paulus, Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, nō ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suā misericordiā saluos nos fecit, supra vates vsurpat aliter hoc vocabulum Adā, quod significat hominē, quā modo, videlicet, quādo dixit sicut Adā trāsgressi sunt. Nā eo loco, per Adam, intellexit hominis alicuius indignitatē & vilitatē pśonæ exposui enim locū illū hoc modo ceu vilis hoīs pactū duxerūt Israelitę esse legē meā, vt ibidē legere poteris. Nūc vero vtitur eadē voce, ad significandā humanitatem, ideſt suauitatē affectus diuini, in Israelitas. Itaque in diuinis literis hoc nomē homo iā significat humanā substātiā, vt fecit Deus hominē de limo terræ. Iā significat vilitatem, vt sicut Adā seu sicut si fuisset initū pactū eū homine vili, qđ nihili ducitur ab hominibus infringere, ita vos reputastis esse legē meā, quā pro nihilo videtis. Iā significat vitium, vnde Apostolus 1. Cor. 3. Cū sint inter vos zelus & cōtētio, nōne carnales estis, & secūdū hominē ambulatis: vbi significat, homo humana vitia quæ hominibus accidūt. Non nūquam in bonū vsurpatur, vt in *præsenti in funiculis Adā*, ideſt hominis trahā, p tra xi eos, ideſt gessi me erga eos instar hominis clemētissimi, & suauissimi, qui muneribus, munera cumulans curat ad se trahere amicitiā alterius. ¶ Legimꝰ porrò apud Isaiā ca. 5. quosdā funiculos malos, vę qui trahitis ait, iniqtatē in funiculis vanitatis & quasi vinculum plaustri peccatū, vocat autē funiculos vanitatis seu vanos, rōnes sophisticas, quibꝰ Israelitæ trahebantur à vatibꝰ falsis, ad cultū superstitiosum idolorū, funiculꝰ itē nonnunquā Dei iustitiā & seueritatē in corripiendis nostris peccatis denotat. Vnde Zach. 11. Assumpsi ait, mihi duas virgas, alteram vocaui decorē, quæ est dulcedo diuinæ misericordiæ, aliam funiculum, quæ est, diuinæ iustitiæ seueritas. Iam vero funiculus, pro terræ certa

Ad Titū 3.

Capit. 6.

Hoc nomē homo vanū rię vsurpatur sanctis scripturis.

Funiculus varia significat in scripturis.

certa mensura, ex qua olim ipsa mensura batur: qui appellatur funiculus distributionis Psal. 77. Eiecit à facie eorum gentes, sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Quia per funiculū distributæ sunt terræ sanctę portiões filijs Israel. *In vinculis charitatis*, exponit, quod obscuro, loquendi tropo dixerat: quos dixerat enim funiculos Adam, hos declarat esse vincula charitatis, ideſt, vincula amoris. Beneficia enim, quæ in alios conferimus, ipsos ligant, ceu vincula, vt si non possunt referre, saltem gratiam habeant. Nihil enim ita conciliat beneuolentiā humanam, vt collatio beneficiorū 4. Ethic. Siquidē operis exhibitio, est amoris ostēsio. Vnde, qui liberaliter se gerit in alterū profitetur se amare illum: at amor, amorē trahit. Quare si cupis amari ama, & redamaberis. Deus igitur hac eadem amandi methodo, vsus est erga homines. Volens enim nostrum ad se trahere amorem, suum primo ostendit benefaciendo nobis: vt si amare piget, redamare nō pigeat. Vnde Ioan. 4. Ipse prior dilexit nos. Hæc igitur sunt dilectionis vincula, diligere, qui diligit, & benefacta saltem amore rependere. Ideoque *dilectio per ignem* significatur: enim vero vt ignis omnia, & agit, ad se rapit, & in suam naturam conuertit. Ita propemodum amor est, igneæ efficaciæ, ad se cōtendit rapere amatum. Deus igitur desiderans homines ad se trahere, eximiā in eisdem ostendit amoris signa, vt istis, ceu vinculis quibusdam obliget homines, ad ipsum amandū. Hæc sunt vincula beata, de quibus Eccles. 9. traditur, injice pedem suum incompedes illius. Nanque qui istis tenetur vinculis, verè liber est. Vt Dominus ait, Si filius vos liberauerit verè liberi eritis Ioan. 8. Tūc autem liberat nos, quando vinculis charitatis nos sibi ligat. Istis vinculis se prius Deus ligauit in charitate perpetua, ait, per Ierem. 31. Dilexi te, vt amantem nos redamaremus. Hæc vincula qui peccato soluit, ex libertate filiorum Dei transit in diabolicam seruitutē. Nam qui facit peccatum seruus est peccati Ioan. 8. Istis charitatis vinculis, quo magis ligamur, minus ligati sumus, quia à peccato sumus puriores. *Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Glossa interlinealis retulit locum istum, ad cassationem legis Mosaycæ. Lex nanque hæc erat velut iugum onerosissimum impositum ceruicibus Israelitarum Dominus. Autem Iesus abstulit iugum ab ipsis, quia lex illa euacuata est, & abolita, per Christi mortem. Verum hæc expositio allegorica videtur, literalem autem accipito ad hanc rationem. Sicut enim à bobus pressis iugo, leuatur ab aurigis iugum, vt boues, à labore quiescat, & iugum quod ceruices premebat, leuetur, recreandi boues gratia, & suspenditur ad maxillas. Ita Dominus labores, & molestias grauissimas quas iniquo ferebant Hebræi animo AEgyptiorum quæ modo iugum vocat, leuauit Deus, à rei vicibus Iudæorum, & eos educens, sua potentia, ab illa miseria AEgyptiaca. Persistit enim vates declarando, quod beneficia insignia exhibuit illi populo vnde conciliaret sibi durissimi alioqui populi amore. Et declinaui ad eum vt vesceretur, Vatabli translatio est apertior. *Et inclinaui ad eos cibum.* Et est idem sensus. Quasi dicat, non mihi sat fuit vos educere miraculo grandi, de amaro iugo, quo vos affligebat Pharao verum etiam vos cibaui pane de cælo vobis demisso, ideoque propter defensionis manna de cælo, dicit. Declinaui, id est feci, vt descenderet manna de cælo ad eos, qui vescerentur, & satiarentur citra vllum laborem, vel arandi, vel seminandi, vel secandi, aut metendi, sed cælitus declinabat cibus ad eos, Numer. 11. & Psal. 77. Vocatur panis cęli, & itē Sapien. 16. Item Psalmus eodem, Panis angelorum huiusmodi cibus, quo pasti sunt Israelitæ in deserto appellatur. Vnde quidam ex doctoribus Hebræis, arbitrati sunt, ex eo sic appellatum, quia angeli hoc vescebantur pane. At isti credebant angelos egere cibo, cum tamen nullo egeant cibo, vt habetur apud Tobiam. Cibo enim inuisibili vtuntur, videlicet, visione, & fruitione Dei. Vocatur autem panis angelorum, vel quia angelica ministrabatur opera, aut secundum hyperbolen ad denotandam panis illius excellentiā Quasi dixisset, Si angeli aliquo debuisset vesci pane, illo vescerētur. Vt apud Hispanos, quædā aqua mirabiliter olens, vocataque angelorum. ¶ Sunt qui putant, hoc manna fuisse naturaliter instillatum in deserto. Nāq;, in regionibus multis, māna colligitur. Vt in Calabria, & in Hispania, & aliàs, & ego in hoc oppido Ciuitatensi vbi

si vbi hæc scribo, collegi māna, super laurum arborem, instillatum cælitus. Cuius color erat cādor, cuius sapor erat sachari vel mellis. Et hærebat foliis lauri, vnde à me & ab alijs colligebatur. Cæterum isti qui hoc dogma probant falluntur vade: & est erroneum ipsorum dogma. Siquidem istud māna, quod officinæ pharcopolariæ vendunt, est manna medicinale: & non est cibus. Et nullus est cibatus huiusmodi manna: sed ad purgationes leues ministratur, Quippe leuem habet & infirmam actionem, nisi alijs iuuetur præsidijs, vnde roboretur, illius actio.

Error est, dicere mā na sanctæ scripturæ fuisse naturale mā na.

Manna pharmaco polarū, nō est cibus, sed purgatorius antidotus.

¶ At vero manna illud, quod in deserto Deus misit Hebræ. 1. Fuit Hebræis alimentum mirabile: nam ex ipso fuerunt pasti Hebræi quadraginta annis, id quod nullum est manna apud nos, quod hoc efficere posit. ¶ Ad hæc quia omnem saporis continebat suauitatem, & quis cibo rum est naturalium, qui hoc contineat? Erat igitur panis iste miraculosus superans omnem naturæ potētiam. Quia fuit concessus Hebræis in testimonium singulare diuinæ beneuolentiæ erga illos. Et ideo vocatur panis cæli, quia cælitus ad eos fuit demissus, & non opera naturæ. Et hoc est quod vult nobis nunc insinuare noster vates dicens. *Et declinaui ad eum vt vesceretur.* Quia nubes destillantes māna Dominus ipse miraculosē produxit, & illas inclinabat super castra Israelitarum, vt pluerent eis manna. Et equidem, si naturale fuisset opus, non tam celebraretur, panis hic in diuinis scriptis quam videmus celebrari, nos in cōm. ad Paul. epistolam ad Hebr. de re hac fusius scripsimus. *Non reuertetur in terram. Ægypti, & Assur ipse rex eius: quoniam noluerunt cō uerti.* Captiui ducemini in Assyrios, & iugo graui prememini, vnde non licebit iam vobis implorare AEgyptiorum auxilia, & hoc patiemini, quia rebelles estis & detrectastis ad Deum vestrum conuerti. *Cœpit gladius in ciuitatibus eius, & consumet electos eius.* Gladius Assyrij regis, id est, acies Assyriacæ irruent in ciuitates Israelitarum, deuastando eas, & consumet electos, id est principes, & magistratus Israelis. *Et comedet capita eorum*, repetitio est prioris sentētię: idem est enim cōsumet electos eius, & comedet capita eorum, nisi quod metaphoricè hæc sumenda sunt, comedet capita eorum. Gladius enim dicitur comedere, quæ interficit Hebraicè. *Consumet vectes eorū*, id est fortissimos quosque Israelitarum, qui ob fortitudinem suam erant præsidio Israeli, vt vectes ostiorum sunt præsidio, & custodiæ ciuitatibus, & domibus. *Et populus meus pendebit ad reditum meum.* Alia translatio habet, & populus meus suspensus erit ad rebellionem meam. Et ratio varietatis est, quia vox Hebræa, quæ hoc loco cohabetur, לִמְשֻׁבָתִי, à voce *Sub* Hebræa, iam significat reditum, iam vero rebellionē. Et ideo fuit variatio in trāslatione. At vero hæc secunda translatio est apertior, scilicet, Israelitæ semper erūt suspensi animo, semper sibi timebunt mala eis ventura propter rebellionem meam, id est, quia mihi fuerunt rebelles. *Populus* scribitur Deuter. 28. Dispergette Dominus in omnes populos, à summitate terræ, vsque ad terminos eius, & paulò infra ingentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore: & erit vita tua quasi pendens ante te. Istud ergo quod Moses expressit *in maledictionem Israelitarū* non obtemperātium Deo, declarat quod modo ait, Oseas iuxta vulgatam translationem.

Varietas translatiōnū, ex varia significantia vocū Hebręarum.

¶ Enim vero ex vulgata consuetudine loquendi, cum incertus est rei euentus, qui timetur, solemus dicere suspensus sum. Et qui habet vitam incertam ex periculo imminente, dicit se habere vitam ex filo vno pendentem. Et hoc est quod Moses ait, erit vita tua quasi pendens ante te. Et quod Oseas, scribit, populus meus pendebit ad reditum meum. Id est semper erit corde pauido, & formidine pleno ad noua mala quæ sibi timebit quotidie ventura. Nā, dixit Moses, non erit tibi requies, ideſt noua, & noua mala assiduè apprehēdent. Per reditum igitur Dei, intelligit nouam vltionem diuinam, ob peccata in Deum patrata. Suspensus igitur erit populus meus ad reditum meum quo ad nouas pœnas, quas de ipso sum assiduè sumpturus. *Iugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur.* Quia in captiuitatem sunt abacti Israelitę perpetuā. Quod si obieceris, quia primo fuerūt duæ tribus cum dimidia ductæ in captiuitatem, & deinde residuæ, vt supra expositum: igitur non simul impositū fuit eis iugum

captiuitatis. Reſpondetur, quod parum interfuit, tẽporis, inter vtranque captiuitatẽ, ideo de modico interſtitio, par habetur ratio, quæ de nullo. Alia trãſlatio, aliter legit. *Et ad altiſſimũ vocauerũt eum, ſed nullus eſt qui eleuet.* Et diuerſitas fuit trãſlationis, Quia, Al, vox Hebręa, quæ noſter interpres vertit in iugum ſignificat altiſsimũ idẽ annotauimus cap. 7. *Quomodo dabo te Ephraim, quomodo protegam te Iſrael? quomodo dabo te ſicut Adama, ponãte vt Seboim.* Veluti qui dolet de malo, qđ vult alicui inferre, priuſquam inferat ſecũ diſputat qua nã ratione ſit inferendum. Ita Deus modo, dolens iugũ quod dudum dixerat imponendũ, & non auferendum ab Iſraelitis, ſecũ vel à ſe ipſo quærit dicẽs, *Quomodo dabo te Ephraim*, ſubaudi hoſtibus tuis? Quaſi dicat Deus, qua ratione tua iniquitas adeò obduruit, vt ego ex iuſtitia mea, tẽ ſim traditurus hoſtibꝰ tuis, qui pœnas ſumant de peccatis tuis? *Quomodo protegam te.* Quomodo protegã te ab aduerſarijs tuis, cũ tu ſis indignus hac protectione? vellem ſanè te protegere, at tua obſtinatio hoc nõ permittit. Quòmodo dabo te, vel quomodo ponã te ſic in deſolationẽ, ſicut ciuitates illas Adama, & Siboim deſolaui. Gen. 9. traditur Pentapolim incendio ignis eſſe ſubuerſam, & prorſus deſolatã, cuius erant iſtæ duæ ciuitates, Adama & Seboim, Hebraicè. *Quomodo te ponerem, ſicut Adama, & Seboim.* Id eſt niſi mea clemẽtia mihi obſtitiſſet, quomodo te ponerẽ in deſolationẽ &c. & eſt litera clarior. Vnde ſubdit clementiã ſuã dicens, *Conuerſum eſt in me cor meum, pariter conturbata eſt pœnitudo mea.* Quia clementiſsimus ſum, non hoc efficiam, quod dolens inſtitueram efficere, vt vos Iſraelitas penitus peſſundarẽ, vt peſſundedi Pentapolitanos, Adamęos, & Seboinos, at vero mutaui inſtitutum, conuerſum eſt cor meũ, quia aliter iam diſpono facere. *Conturbata eſt in me pœnitudo mea.* Clementia mea cũ ſit grandis, conturbat in me, id eſt excitat in me pœnitudinẽ, de eo quod inſtituerã. Vos ſcilicet omnino peſſundare. Aduertas, omnes has locutiones eſſe trãſlatitias in Deo enim nulla eſt cõturbatio, aut pœnitudo. Neque Deus poteſt mutare ſententiam, vt nos mutamus: quia ipſe immutabilis eſt. Etenim quod diſpoſuit facere, ab æterno diſpoſuit facere. Vnde ab æterno diſpoſuit ſecundũ ſuã mirabilem iuſtitiã hos affligere Iſraelitas, & ab æterno etiam inſtituit, nõ eos prorſus delere: vt deleuit Sodomæos, & Gomorrhæos, & Adamęos &c. ¶ Poterat ſanè, diuerſum Deus diſponere, quia liberè, & nõ naturaliter diſpoſuit: ſiquidẽ in Deo eſt infinita libertas, ad id quod ipſe facere voluerit omnia enim quæcunq; voluit fecit, ſiue in cælo, ſiue in terra; at poſtquam diſpoſuit agenda, vel non agenda, pœnitudine nõ flectitur, neq; mutabit inſtitutum, quia ex æterna, & infinita ſapientia procedit quicquid inſtituit. Cæterum diuina oracula, Deo tribuunt humanos affectus, qa cũ hominibus loquatur Deus, affectus humanos veluti inducit, vt nobis ſe ipſum attẽperans, nos ad ſe facilius trahat, vt aucupes facere ſolent, quãdo eunt venatum, virides induunt veſtes, vt aues quæ virides campos verſant ſemper, ex viridi colore aucupum magis alliciantur, quã deterreantur: vt ſupra iam declaraui mus exactius. *Non faciam furorem iræ meæ non conuertam, vt diſperdam Ephraim.* Non faciam vt exigebat ſeueriſsima mea iuſtitia, quam vocat furorem iræ ſuæ. Non cõuertam, id eſt nõ apponam manũ meam, vt diſperdam Ephraim, id eſt Iſraelitas, Obijcies qua ratione ait, *Non diſperdam*, quando vt frequentiſsimè hic propheta prædixit fuerunt diſperſi in nationes: & dudũ dixerat iugũ imponetur eis, qđ nõ auferetur. ¶ Reſpondetur dupliciter, vel quod nõ diſperdã, ſignificat non delebo prorſus. Qũ tametſi fuerunt diſperſi in nationes, vt ex Deute. paulò ante indicabamus fore diſperdendos, cæterũ nõ ſunt deleti omnino, vt fuerunt deleti Pentapolitani. ¶ Aut ſecundo hæc oportet referre ad tempora Chriſti. Siquidem Iſraelitæ ſuperſtites fuerũt conuerſi ad Dominum Ieſum, ſuſcipientes euangelicam fidem. Nam Dominus ex ipſis elegit duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta duos diſcipulos, & ad Petri prædicationem, & cæterorum diſcipulorum multi ſunt conuerſi ad Dominum, vt acta apoſtolica teſtantur. Itaque etſi maiores eorum fuerunt peſsimi idololatræ: nihilominus Dominus obedientium ſibi poſterorum eſt miſertus, adeò, quod ex Iſraelitis elegerit eccleſiæ ſuæ principes: & doctores primarios, quales fuerunt Apoſtoli, & euangeliſtæ, & alij diſcipuli Domini. Quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, cum alioqui fuit etiam ſummæ miſericordiæ, erga eos, quod ex eis elegerit humanam ſumere naturam, ad ſalutem totius generis humani. *Quoniam Deus ego, & non homo in medio tui ſanctus.* Homines cũ furore ex ira concepto, carpuntur, non ſunt ſui compotes, ſed veluti inſanientes furorem ſuũ implent. At vero Deus, non carpitur ira, neque molleſcit miſericordia: ſed omnia pro ſua infinita ſapientia moderatur. Et quando punit, punit, citra cõdignum, & quando miſeretur, miſeretur vltra condignum. In Deo nanque propriè non eſt ira, ſed neque propriè miſericordia, quia hæc alienæ miſeriæ eſt cõpaſsio, paſsiones autem, aut affectus longiſsimè ſunt à Deo, quippe qui eſt infinitę perfectionis actus, & ſpiritus puriſsimus Ioan. 4. Tametſi iuſtitia verè ſit in Deo, quia iuſtitia nihil imperfectionis includit, vt includit miſericordia. Ideo miſericordiã Deo tribuimus. Secundum effectum, quia perinde ſe gerit erga homines, acſi affectu miſericordiæ flecterentur. At iuſtitiam ſecundum veritatem in Deo concedimus, & non ſolum ſecundum affectum. ¶ Porrò cum in Deo ſint æquales & iuſtitia, & miſericordia, quia ſunt vnus Deus infinitus, ideo vtraque eſt infinita. Cæterum neq; dum hic agitur infinitè punit, neque infinitè miſeretur. Semper nanque effectus eſt finitus, ſiue pœnæ, ſiue gratiæ. Vt mũdus hic, etſi ſit effectus infinitæ potentię, & ſapientiæ, eſt tamen finitus. Creatura enim cum ſit finita, nõ eſt capax effectus infiniti. ¶ Porrò autem hæc duo Dei iuſtitia, & miſericordia, ſic temperant effectus ſuos, vt in omni earũ effectu, vtranq; dignoſcere poſsis. Nanque in relaxandis peccatis noſtris, vbi aperta eſt Dei miſericordia, quia non ex meritis noſtris donat peccata noſtra, quia quando donat, non reperit in nobis cõdigna merita, vnde ex iuſtitia donat: ideo donat ex miſericordia. Cæterum, iuſtitiam, ibi reperias, non quoad nos, ſed quoad ipſum Deũ: id eſt iuſtitiam ſeruat ipſe Deus in donãdis peccatis noſtris, quia ipſe pœnitentibus verè, reconciliationem eſt pollicitus, dum ait, Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Et rurſus in veteri teſtamento, Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos. Quãuis igitur Deus remiſsionem peccatorũ, non debeat nobis, at ſibi debet: vt parcat peccatis noſtris, ſi verè pœnitemus, ſibi equidem debet, vt verbum ſuum impleat non nobis, qui ex peccatis noſtris nõ miſericordiam ſuam, ſed potius indignationem commeruimus. ¶ Porrò, expleto vitæ noſtræ mortalis curriculo, effectus diuinæ iuſtitiæ eſt infinitus, ſecundũ extenſionem, quia æterno puniet impœnitentes: & effectus diuinæ miſericordiæ, erit item infinitus ſecundũ extẽſionem, quia æternò glorificat ſanctos ſuos Deus. Intẽſiuè autem, neque pœna impiorũ erit infinita, neque beatitudo infinita erit: quia creatura infiniti non eſt capax. Etſi ſanctorum beatitudo, non ab re ab extrinſeco appellari poſsit infinita. Siquidẽ Dei clara viſio, eſt viſio Dei infiniti: ideo ex obiecto, appellatur infinita: intrinſecè autem nulla poteſt eſſe beatitudo infinita, niſi ſolius Dei, qui eſt ſuper omnia beatus, & ſuos amicos beatificans. *Deus ego* Chriſtus eſt Deus, & homo, at verò eſt Deus ab æterno, & homo ex tẽpore. Eſt Deus ex propria ſua natura, eſt homo ex aduentitia natura, ſeu ex tempore aſſumpta. Senſus igitur eſt, quod diuinitatis natura, non eſt humana natura, vt patiatur quæ homines patiuntur. *In medio tui ſanctus.* Phraſis eſt Hebraiça in medio tui, id eſt in te, vt in medio eccleſiæ, id eſt in ipſa eccleſia aperuit os eius. Eſt igitur Deus ſanctus, in hominibus, primo modo per generalẽ exiſtentiã, qua exiſtit in cũctis rebus. Videlicet per eſſentiã, quippe qui intimus eſt rebus omnibus, & per potẽtiã, quia vniuerſa operatur. Quippe cũ ſit cauſa prima, ſecũda poteſt efficere nihil, niſi cooperetur ipſe Deus, & per præſentiã, quoniã Deo ſunt præſentiſsima vniuerſa per ſuam æternã claritatẽ; notitiã: ex qua omnia ipſi patẽt clarè & nudè: citra vllũ velamẽtũ, etiã antequã fierent. ¶ Præter hãc generalẽ Dei exiſtentiã, eſt itẽ per ſpecialẽ modũ in iuſtis hominibꝰ, quia in ipſis eſt per particularẽ inhabitationẽ. Anima enim iuſti eſt ſedes ſapiẽtię, & ipſi iuſti templũ Dei à Paulo vocãtur. ¶ In beatis autẽ eſt ſpecialiſsimo modo, per illapſum ſuę diuinitatis in animas beatas: quæ non per ſpeciem creatam, Deum clarè vident, quia nulla creatura, tantæ eſt nobilitatis quantæ ſufficeret, ad claram oſtenſionem diuinitatis. ¶ Effectus enim qui non adæquat cauſam ſuam, vt

Deus in Iudæos exercuit magnã iuſtitiam & magnã erga eos eſt operatꝰ miſericordiã.

Ioan. 20.
Ierem. 15.
Thren. 5.

Deus eſt infinitæ libertatis ſpiritus.

Deus eſt actus puriſsimus.

Iuſtitia & miſericordia Deo ſunt æquales.

Diuina iuſtitia & miſericordia habẽt effectus in finitos extenſiuè nõ intenſiuè.

Varij modi exiſtendi Dei in creaturis.

Sapien. 7.
1. Cor. 13.

Beati non vident clarè Deum per ſpecies creatas.

ſunt omnes effectus cauſarum æquiuocarum,nõ poſſunt, diſtinctè cauſarum ſuarum quidditatem demonſtrare. ¶Porro cũ Deus ſemper ſit paratus ad ſanctificandum volentes ſanctificari, ipſe nanq; ſtat ad oſtium mentis noſtræ pulſans,

Apocal.3.

ideo rectè dicere poſſumus, quod erat tunc Deus in Iſraelitis, non quidem per gratiam,niſi in iuſtis quibuſdam,qui erãt apud eos:ſed ſolum ſecundũ præparationem,ad ſanctificandum reſipiſcẽtes. *Sanctus in medio.* Verè de Chriſto, hæc dixeris. Quia fuit in medio noſtri, id eſt, fuit

Baruc.3.

apud homines,quia in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Et vt

Ioan. 1.

Ioan.ait,in propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eũ dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri. Vnde ibidem vocatur lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mũdum. Ideo rectè ſanctus erat inter homines, qui eò venerat quò ſanctificaret

Ioan.10.

homines. Et verè ſanctus; quia cum pater ſanctificauit,ideſt, demonſtrauit eſſe ſanctũ, dum eius vox de cælo intonuit, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi com-

Matth.3.

placui, ipſum audite. Verè ſanctus quia nullus poteſt eſſe ſanctus, niſi efficiatur huius ſancti membrũ. Ab ipſo enim pendet ſanctitudo, omnium fidelium. Nam ipſe ſolus eſt,qui iuſtificat impium,& ad vitam promouet. *Et non ingrediar ciuitatem*, ſum ſanè in medio tui, at non coarctant me mœnia ciuitatũ,quia ſum in medio tui,& ſupra te,& in cælis,& ſuper omnes cælos, quia cælum & terram ego impleo. *Poſt Dominum ambulabunt, quaſi leo rugiet,quia ipſe rugiet, & formidabũt filij maris.* Loquebatur hactenus Deus per prophetã, nunc loquitur propheta per Deũ, dicens. *Ambulabunt &c.* Et hæc verba cõteſtãtibus etiam Hebræis, ad Chriſti tempora ſunt referenda : quia in Chriſtum Iſraelitarum multi crediderunt. *Quaſi leo.* Chriſtus in ſcriptura vocatur leo, propter fortitudinem ſuam, ex qua eripuit prædam ſanctorum, de poteſtate diaboli. Vnde ſub typo Iudæ.Gen.cap. 49. de Chriſto dicitur, Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcẽs accubuiſti vt leo, & quaſi leæna quis ſuſcitabit eum? In ore huius leonis inuentus

Iudic. 14.

eſt,fauus mellis vnde Sanſon ſedauit famem ſuam. Ideo dixit de comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Enim vero, à Chriſto comedente in die cœnę nouiſsinę egreſſus eſt vitaliſsimus cibus,corporis & ſanguinis ſui,& ab ipſo qui eſt fortis, eſt enim virtus & ſapientia Dei egreſſa eſt dulcedo, quia amaritudo peccati,quæ afficiebat genus humanum, per Chriſtum commutata eſt in dulcedine gratiæ diuinæ. Et amaritudo maledictionis diuinæ,qua omnes homines detinebantur,verſa eſt in benedictionẽ. Quia

Gene. 17.

per Chriſtum benedicũtur omnes nationes mundi, ſi tamen ipſæ volũt hanc aſſe qui benedictionem per fidem Chriſti, & charitatẽ. Hic eſt leo ille de quo Amos 3. ſcribitur ſi leo rugit quis non timebit? cui concinit noſter vates dicens, *Leo rugiet*, rugijt autem quando prædicabat euangelium ſuum,& acriter reprehendebat,Scribas,& Phariſeos dicens,Væ vobis ſcribę, & Phariſæi,&c. Lucæ 1. Quando confecto ex funiculis flagello, eiecit

Ioan.2. Matt.26.

mentes,& vendentes de domo Dei, domus dicens, mea domus orationis vocabitur, & vos feciſtis eam ſpelũcam latronum. Rugijt igitur verbo prædicationis, & miraculoſis operibus. Quia à ſeculo, dixit ille

Ioan.9.

non eſt auditum qnod quis aperuit oculos cœcinati. Rugiet item in die Iudicij leo hic, quando dicet ijs quos collocatos à ſiniſtris habebit, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Et rugitum hũc,timebunt omnes tribus terræ. Tunc ait Dominus, plangent ſe omnes tribus terræ Matthæi 24. Vnde ſanctus Iob 14. hunc rugitum etiã timẽs aiebat, Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec tranſeat furor tuus? Nos multa diximus de iſto Iudicij die in declamationibus ad Iſaiam,quæ huc vocare piget, indidem hauriet,qui volet. Non ſolum rugijthic leo prædicãs magna virtute verbũ Dei, quia erat potens operæ & ſermone. Vnde Lucæ 4. traditur ſtupebant in do-

Lucæ 4.

ctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius, ſed etiam per Apoſtolos rugijt, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Rugiet leo*, hic eſt lẽo ille, cum eſſet fortiſsimus robore,occultauit aliquãdiu robur ſuum & oſtendit infirmum eſſe ſe coram hominibus,vnde impij eum deſpexerunt,& contumelijs affecerũt, & tandem

Iſaiæ 55. Cap. 2.

occiderunt:at vero tertio die ſurgens, à mortuis, quam celauerat diuinitatis poten-

tentiam,ſub mortalitatis infirmitate,eam palam fecit omnibus,triumphãs de morte,& ſeipſum à ſepulchro excitans: nam id temporis ſe eſſe Deum palam oſtendit dicẽs data eſt mihi omnis poteſtas & in cælo,& in terra. Vnde in Apocal. 10. Hius leonis triumphum deſcribit Ioan. dicens vicit leo de tribu Iuda,radix Dauid &c. *Et formidabunt* filij maris, per mare hic occidentale mare intellige, quod eſt mediterraneum,vt per flumen, Euphratem intelligimus in diuinis literis, id eſt, inſulani,qui occiduas partes maris incolunt,pauebunt ad euangelicam veritatẽ, adeò longè latè quæ ſeſe diffundet Chriſti Euangelium. *Formidabunt* verbum Dei

Verbum Dei eſt valde timendum.

terrefacit hominum corda. Vnde Paulus audita voce illa Paule, Paule cur me perſequeris,cõtinuo ſtupore correptus,

Actor. 9.

cecidit ab equo cui inſidebat. Et Agrippa audiens Paulũ prædicantẽ, de regno

Acto.26.

Dei,tremore concutitur. ¶Enim vero cũ timor Dei ſapientiæ ſit diuinæ initium, timor enim præparat viam iuſtificationi:ideo verbum Dei,in primis timore cõcutit peccatores,vt ex timore,eos ſubdat diuinæ legi. Habet ſanè Dei verbum, vnde ſit nobis magno timori, ſi illi morem non geramus,& habet vnde conſolemur ex eodem,ſi illi obtemperamus.

Dei verbum peccatoribus eſt timori & iuſtis eſt conſolationi.

¶Timendum equidem eſt;quia eſt ſummę autoritatis,& veritatis,quia diuinum eſt;& ideo nequaquam vel falli, vel falle re poteſt. Ideo cum peccatoribus inſonat Dei verbum,quod niſi pœnituerint gehennam,habent paratam; valde oportet timere, quia non fabula,ſed Dei veritas eis prædicatur. Iuſtis autem ob eandem cauſam magna eſt conſolatio ex Dei verbo,quia certos eos facit,quod qui perſeuerauerit hic ſaluus erit; Et q; ſi rectè curſum conſummauerunt,repoſitam habent coronam iuſtitiæ,quam reddet Dominus diligẽtibus ſe. *Filij maris* Hebręa eſt phraſis,id eſt,incolæ inſularum,vt filij gehẽnæ qui ſunt gehennales. *Et auolabũt, quaſi auis ex Ægypto, & quaſi columba ex terra Aſſyriorum.* Per Ægyptum, & Aſſyriam, omnia regna mundi intellige,quia ad prędicationem euangelij,omnes nationes cõuolarunt,velociſsimè ſicut auiculæ ; & ſicut columbæ,quæ ad nidulos ſuos feſtinanter conuolant. Vt Paul.ad Roman.9. Et Iſaias.cap. 2. Ibunt populi multi & dicent,venite aſcendamus ad montem Domini,& docebit nos vias ſuas; & ambulabimus in ſemitis eius,quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Mõs hic Domini,eccleſia Catholica eſt, ad quam venerunt populi multi, quia ex omni natione,quæ ſub cælo eſt,ſunt fideles. Quod ſi forſan ad aliquos nondum peruenit euangelica fama,tandem peruenie

Apoca.7.

niet. Siquidem Ioannes in Apocalypſi vidit turbam magnam,ex omnibus tribubus,& populis,ſtantes ante thronũ Dei, & agni. *Et collocabo eos in domibus ſuis.* Dũ

2.Cor.5.

hic agitur peregrinamur à Domino, vt Apoſtolus meminit, at vero peracto vitæ præſentis certamine,ſancti, collocabũtur in cæleſti patria, vnuſquiſque in ſua manſione. Quia teſtante Domino in domo cæleſti, manſiones multæ ſunt, ſunt autem manſiones gradus gloriæ,qui correſpondẽt ſingulorum meritis. Vnde alia eſt manſio ſanctorum Martyrum,alia ſanctarum Virginum, alia Doctorum, &c.

Ioan. 14.

Circundedit me negotiatione Ephraim, & in dolo domus Iſrael. Corripit vates peſsimos mores Iſraelitarum, poſtquam enim digreſsionem fecerat, ad ſcopum omnium ſanctorum vatum,id eſt ad Meſsiam, regreditur ad id vnde cœperat, ſcilicet, ad carpendum mendacia, & fraudes Iſraelitarum,quas exercebant contra alios Iſraelitas,& Iudæos, & ideo ait Deus per vatem,circundedit me Iſrael, negotiatione ſubaudi praua. At ait,ſe Deus, eſſe circundatum,quia,quæ contra populum ſuum mala machinantur, contra ipſum Deum machinari proteſtatur. Vt Paulo perſequente diſcipulos Domini,Dominus clamat Paule, Paule quid me perſequeris. Actor. 9. Et Zachar. 2. Qui enim tetigit vos,tangit pupillam oculi mei. Vel hæc mendacia,referri poſſunt, ad mendacem cultum Dei,quem Iſraelitæ Deo impendebant: adorabant enim Deum & vitulos aureos,aut vitulos aureos in Dei honorem,quo nihil fallentius & abominabilius,honorem diaboli,referre in honorem Dei, vt ſupra demonſtrauimus. *Iudas,autem teſtis deſcendit cum Deo, & cum ſanctis fidelibus.* Etſi Iſraelitæ fuerunt infideles tamen duæ tribus permanſerunt magis infidelitate diuini cultus. Vnde & apud ipſos,erat Dei templum, ideo Iudas,ideſt duæ tribus fuerunt teſtes,id eſt, profitebantur Dei vnius cultum,& deſcẽdit cum Deo. Alia litera habet & domi-

natur adhuc cum Deo, id est, adhuc Iudæi habent dominium in templo Dei. Quia penes illos mãsit Põtificatus summus,& sacerdotium,& sacrificium,antequam abigerentur in Chaldæam ditionem:leuitæ enim & sacerdotes apud Iudam erant. *Et cum sanctis fidelibus.* Id est, habet consortium cum sanctis Patriarchis,& Prophetis,qui fuerunt Domino
Ioan. 5. fideles. *Descendit*,descendere in scriptura nonnunquam significat humiliari, iuxta illud descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam,sed eius qui misit me, id est,ego qui eram in cælo : humiliaui me & factus sum homo in terra &c. Vnde ge minus est sensus Iudas descendit , id est, humiliatus est,siquidẽ,in diuisione regni sub Roboan,fuit Iudæ regnum seu Dauidis regnum diminutum valde,& descendit ab splendore,quo prius fulgebat:quia solæ duæ tribus manserunt,quibus se iunxit leuitica tribus.¶Descendit igitur Iudas,sed fidelis perstitit. Quoniam cultũ Dei retinuit,& non est secutus idola Ieroboan,vt Israelitæ secuti sunt. Glossa vero ordinaria,indicat Hebræorum expositionem,videlicet Iudam primo descendisse in mare rubrum,alijs tribubus trepidantibus , & detrectantibus descensum; illa vt audacior,& animosior , primo descendit,& hoc est quod ait descẽdit cum Deo,id est,ex Dei iussu. Vnde quia obediuit Dei mandato,in descensu , ideo ait Iudas cum Deo,& quod subdit & cũ sanctis fidelibus,ideſt,cum Mose,& Aaron, qui cum ipso descenderunt in mare rubrum. ¶At vero cum litera Hebræa sit Iudas testis,adhuc potens,vel quod idem est dominatur cum Deo nescio cur Hebræi,referant ad descensum in mare rubrum;quid quod istud gratis ipsi tradũt, vnde secundum literam Hebræam exponere oportet,potens cum Deo, id est, Iudas adhuc rẽtinuit potestatem regni Dauidici ex diuina ordinatione , qui non permisit , omnes illas duodecim tribus transferri ad diaboli cultũ sub Ieroboã. Ideo duæ tribus seruauerunt fidelitatem Deo, & retinuerunt potentiam quia in tribu Iuda perstitit autoritas regia , cui erat veluti connexa Beniamitica tribus. Aut si legimus cum Vulgata , *Descendit*, ad humilitatem regni Dauidici post diuisionem,est referendum, vt prædiximus. Nicolaus,credit in verbis istis latere sanctæ Triadis mysteriũ videlicet, dum ait, *Iudas descendit cum Deo*, & cum sanctis fidelibus. Ait,enim Hebraicè,non *fidelibus*, sed *fidelis* haberi,id quod exponit Rabbi Salomon,id est cum Deo sancto, & bene dicto,vt hæc sit litera Descendit Iudas testis cum Deo,& cum Deo sancto , & benedicto , quia igitur ter dicitur primo, Deo,dein sancto , & denique benedicto, ideo subesse Triadis mysteriũ autumat, itemque Vatablus.Ego vero,non video, huius in hoc loco mysterij occultationẽ quandoquidem, etsi legamus cum expositione Rabbi Salomonis,consueta est repetitio in Scripturis sanctis,vt rem efficacius ostendat. Ita aut si mauis expones cum Deo sancto , & benedicto , vt Dei essentiam in Deo , & sanctitatem in sancto,& honorem in benedicto, significet. Quocirca si legamus cum nostra translatione cũ sanctis fidelibus opórtet intelligere Iudam fuisse testem cum Deo quia protestatus est vnius Dei cultum , & hoc protestatus est cum sanctis fidelibus , id est,sequens sanctorum patrum vestigia. Aut si *fidelis* legas , construe cum *Iudas* hoc modo Iudas testis descendit cũ Deo, fidelis *cum sanctis*. Est autem obseruandũ in diuinis literis sancti nomen, ad varia significata vsurpari. Quanuis enim ex vulgato sermone sanctum dicamus hominem purum , ab omni inquinamento alienum,quales sunt cælicolæ,quos ecclesia colit;at latius patet eiusdem nominis significantia. Vtique Deus est sanctus sanctorum,ab ipso enim omnis sanctitas deriuatur seu in cælo , seu in terra. Vnde, quidquid Dei cultum spectat, & ad eius honorem dedicatur,sanctum iusti appellatur. Quare,& templum,in quo Dei cultus celebratur,sanctum vocatur , & vasa sacra,& vestimenta sacra , quibus huiusmodi cultus celebratur iusta appellatione sancta dicuntur siquidem ad sanctissimi super omnem sanctitatem Dei dicata sunt,honorem, & cultum. ¶Vnde hæc violare,aut distrahere ad vsus profanos, piaculum censetur. Et hinc profluxerũt iura constituentia immunitatem ecclesiarum esse maximè obseruandam,& in violatores,magnas statuere pœnas. Et inde vt ait Hieronymus in magno volumine interpretationis suæ triformis. Sanctum ait,dicitur,quando aliquid sancitur , quo violato pœna committatur.

Sanctum varie dicitur in scriptura.

¶Inde

¶Inde quoque religio Christiana sancta dicitur,quia in baptismate , professi sumus Dei veri & Christi eius cultum, & Euangelicæ obseruantiam legis. Inde etiam specialius status ecclesiasticus , & monasticus sancti dicuntur; quia specialius,se mancipauerunt Deo,ad specialem cultum Deo exhibendum. Vnde dicũtur ob eam causam de sorte Domini. Quãuis enim clerici atque monachi,à sua professione aliquando aberrent , nihilominus sancta est eorum professio. Et Sancti appellari possunt , si non ex moribus certè ex professione. Profitentur enim, Deum precari quotidie,pro se ipsis, & Christiana plebe. Profitentur se docere populos, quæ sunt æternæ saluti congruentia. Profitentur administrationem sacramentorum. Quia igitur in res sanctissimas incũbere,ecclesiastica est, & monastica professio,ideo nemo vetat eos ob hanc causam sanctos appellare. Vnde scribitur Numer. 18. Tu & filij tui portabitis iniquitatem sanctuarij. Sed qui fiet dicet aliquis,si sanctuarium est, qua ratione pollutum est iniquitate ? & septuaginta legunt, sumetis peccata sanctorum si sancti sunt peccatis quomodo sunt infecti? soluitur quæstio , aliud est professio sanctitatis,aliud est mos professentis. Quanuis igitur professentes ex professione sint sancti,ex moribus sæpè deficiunt,& non
Iob. 4. sunt sancti. Nam si in angelis suis Deus reperit prauitatem,quid quod eam reperiat in hominibus ministris , mancipatis sibi,quia circundati sunt carnis infirmitate? vnde Ezech. 9. à sanctuario ait,meo incipietis,& septuagin. à sanctis meis incipietis. Sanè incipietis affligere populum meum,ob scelera eius, initiumque sumetis à sacerdotibus,& leuitis , quos primo affligetis. Vocat igitur sacerdotalem statum sanctuarium , vel sacerdotes ipsos sanctos , nihilominus dignos supplicio, vt peccatores. Et vt tradit Origenes explicans locum. Numer. 18. supra indicatum. Paulus vocat Romanos quibus ipse scribebat fideles,sanctos in exordio epistolæ,at postmodũ eorum peccata insinuans ait,Nolite propter cibum soluere opus Dei. Itemq; Corinthios, initio epistolæ sanctificatos appellat, cum tamen in epistolæ processu , peccata eorum referat,dicens eos esse inuidos,& contẽtiosos,& fornicarios. Sancti igitur erant , & peccatores erant,sancti quidem ex Christiana professione , quam in baptismate sunt professi, peccatores autem ex prijs prauis moribus. Hincque aptissimè , Papam cognominamus sanctissimũ, nam quidquid de eius moribus sit , professio illius est summæ sanctitatis,quippe cui incumbit totum gregẽ Dominicũ sanctificare,& ad vitam promouere æternam. ¶Latini porrò sanctum putãt esse supinum:verbi sancio,sancis,sanciui,sanctum. Vnde idem est illis sanctum,atque sancitum est autem sancitum quod firmiter est constitutum,contra violatores statuta pœna,vnde & leges sanctiones appellantur. Titus Liuius lib. 1. ab vrbe condita, vetustissimũ fœdus inter Romanos, Albanosque initum,porcę immolatione docet esse sancitum. Quia igitur fœdera sanciebantur sanguine animalis immolati,qui mos etiã inoleuit apud Hebræos, vt supra tradebamus,inde dictum putãt, sancitum vel sanctum,ideſt sanguine firmatum. Tametsi latinis,hoc adiectiuum sanctus,sancta,sanctum ad puritatem solet etiam referri. Vnde Virgil. 12. Æneidos sancta ad vos anima , atque istius insciæ culpæ, id quod Græcis est ὅσιος pius scilicet religiosus , augustus,& sanctum quod pium,& augustum est.

Clerici & monachi sunt sancti dicẽdi, ex professione.

Fieri potest vt peccator rectè appelletur sanctus non ratione peccati, sed alterius rei ratione.

¶Et denum vt rem Theologico sermonis absoluamus compendio, sanctum bifariã dici potest,vt more scholastico,rẽ hanc differamus,vel essentialiter,vel accidentaliter. Essentialiter solus Deus sanctus est,vt ecclesia in Angelico Hymno Gloria in excelsis quotidie profitetur Deus nanque est purissimus ab omni labe Spiritus,& hoc per essentiam suam,& non aliunde. Accidentaliter autem adhuc bifariam,aut ex accidente realiter inhærente,aut ex accidente rationis. Ex accidente autem reali adhuc dupliciter, aut ex qualitate inhærenti , purificante animam quoad Deum,& hoc modo sunt sancti omnes Dei amici aut ex qualitate non purificante, sed ordinante habentem ad sanctificationem fidelium,& hac ratione dicuntur sancti,omnes sacerdotes ex charactere,eis inhærente,qui etsi non purificet habentẽ, at vero est potestas à Deo illis concessa,ad administrationem sacramentorum ex accidente vero non reali, sed quod ens est rationis sunt sancta,quæcunque ex dispositione Dei , aut hominum,

Quid latini de sancto.

Sanctum multifariã explicatur.

num, referuntur ad quandam ſanctificationem. Vnde ſacramenta hac ratione dicuntur ſancta, quia ex Dei diſpoſitione ſunt cauſæ gratiæ: non enim ſunt ſancta, ex qualitate eis inhærente, ex qua ſunt cauſæ gratiæ, vt malè opinabatur vetus ſchola Thomiſtarum, ſed ſolum ſunt veræ cauſæ inſtrumentales humanæ, ſanctificationis ex Dei diſpoſitione, vt nos fuſius lib. 4. ſentẽ. diximus tomo. 1. itidem templum Dei, ſanctum dicitur, ex humana tamen diſpoſitione, dedicante illud ad Dei cultum, & prohibente profana, in eo celebrari, item & veſtes ſacræ, & vaſa, ex eadem diſpoſitione humana, Papali vel Epiſcopali, dedicante talia veſtimenta, & talia vaſa, ad cultum Dei, & prohibente profanum ex eis vſum ſancta dicuntur. Et quia iſta pertinẽt ad ſanctificationem diuini nominis, quod quædam ſeparẽtur & dedicentur ſuo ſanctificando nomini tantum, ideo poſtquam ad hunc finẽ conſecrata ſunt, iuſtè dicuntur ſancta.

Dedicatio templorum vaſorum veſtium relatio eſt rationis.

¶Diſpoſitio autem Dei ex qua diſponit aliquid in creaturis, eſt relatio rationis, item & diſpoſitio ex qua conſecrantur altaria, & ædes ſacræ & vaſa, & veſtes. Nam hæc diſpoſitio eſt applicatio, rerum humanarum, ad diuinum cultum, id quod relatio eſt rationis, non realis.

¶Iam igitur ſatis tibi ni fallor, liquebit, quid velit quod noſter vates ait, in ſanctis fidelibus. ¶Puto nanque per ſanctos fideles ſacerdotes, & leuitas intellexiſſe Oſeam, qui erant ſancti, ex diuino cui incumbebant officio. Vt ſenſus hic ſit, *Iudas teſtis*, ideſt tribus Iuda teſtimoniũ tulit diuinæ maieſtati, quod ea ſit ſolum colenda, reſpuens Idola Ieroboan, deſcẽdit cum Deo & cum ſanctis fidelibus. Quia ſe ſe humiliauit cum Deo, volens quod Deo placebat, *Et cum ſanctis fidelibus*, & quod ſacerdotes & leuitæ, cordi habebãt ſcilicet vnum Deum colere, & non vitulos Ieroboan.

EXPLANATIO
IN CAP. XII. OSEE.

Ephraim paſcit vẽtum, & ſequitur æſtum, tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat. Ab hoc loco capit exordiũ hoc capitulum etſi in gloſſa Ordinaria, ab eo loco iam explicato in. 11. circundedit me negotiatione Ephraim. Verum in Hebræo, & in Græco ſeptuaginta interpret. ab hoc loco ſumit exordium. 12. caput. ſupra cap. 8. Dixerat Iſraelitas ſeminare vẽtos, & meſſuros turbinem. Et hoc dixerat carpens eorum obſtinatam idololatriam. Nũc autem alia forma ſermonis idem carpit dicens, Iſraelitas paſcere ventos, & ſequi æſtum. Legimus item hanc dicendi formam alibi in ſcriptura. Prouerb. enim decimo. Qui innititur mendacijs ait, hic paſcit ventum: & idem ipſe ſequitur aues volantes. Et Hiſpano ſermone, notare cum volumus, inania negotia alicuius, dicimus anda pando viento, vtique, quia ventus, etiam ſi quis ipſum deglutiat aperto ore, nihil hoc paſtu fouebitur ad nutrimẽtum. Ventus enim, nutrimentum non poteſt eſſe animalis. Etſi Galenus autumet, cor, nutriri ex vento inſpirato. At vero ipſe vocat nutrimentum cordis refrigeriũ ex vento inſpirato. Refertque proinde, ex quo vento inſpitato, reficiatur, ſeu foueatur cor. Quoniam ſi ventus attractus per nares, ſit peſtilens, cordis eſt peſtis, vnde & hominem perire eſt neceſſe, aut malè habere. Porrò, quod ventus non ſit nutrimentum, Philoſophis eſt incõfeſſo, ſiquidem, ex vento ſanguis non poteſt fieri, qui eſt vltimum animalis alimentũ. Etſi Ariſto. lib. de admirandis auditionibus ca. 13. in Cephalenia inſula capellas, dicat ex vento hauſto ſedare ſitim ſuam. Verum iſtud dixit quia cum ſitis ſit appetitus frigidi, & humidi, ex refrigerio hauſti venti frigentis, nonnihil frigeſcit appetitus ille; & ideo dicitur ſedare ſitim, veruntamen, ſine aquæ potu non poterunt diu ſitim ſuſtinere, etſi ventis hauſtis, videantur ſedare ſitim ſuam. Porrò ad vatem his miſsis redeamus. Paſcere vẽtos vel viuere ex vento, prouerbio dicitur, de illis, qui ea tractant magno conatu, quæ ſunt inutilia, & nullius profectus aut impoſsibilia tractãtibus. Quia igitur tales erant Iſraelitæ, credẽdo ſpeudoprophetis, quos comparat vento, & Iſraelitas confert paſcentibus hunc ventum. Et quidem aptiſsima eſt collatio; ſiquidem pſeudoprophetæ ſpiritu vatidico inani vt ventus agebantur, aiebant enim ſe agi ſpiritu, & ob hanc cauſam eos vocarat ſupra vates hic ſpirituales, & ventoſos

In codice Hebræo hiſpaniẽſi.

Aer vel ventus vi poteſt mirre homi nem.

Viuere ex vento pro nerbiũ lati nis.

ſos cap. 9. quia ſpiritu malo acti prophetabant. Et quia horum vaticinium erat inane inſtar venti, ideo rectè iſti conferũ tur vento. Porro Iſraelitæ, qui conſolabãtur ex huiuſmodi vaticinijs, & nutriebantur ex horum vaticiniorum vana ſpe concepta, rectè comparantur paſcentibus vẽtum vel viuentibus ex vento ſicut enim hic ventoſus paſtus, eſt infructuoſus, ita & ſpes ex vaticinijs fallentium prophetarum. *Sequitur æſtum.* Ideſt ventum æſtiuũ, ſeu Orientalem. Propoſuerat vnum impoſsibile ſcilicet viuere ex vento, proponit alterum ſequi vel currere poſt ventũ, ad apprehendendum eum, vt Salomon; propoſuit impoſsibilia duo, ſcilicet, paſci ex vento, & ſequi aues volantes, ad cõprehendendum eas. Verum quia ſignauit æſtum, ideſt, ventum æſtuoſum, videtur ex hoc ſecundo, aliud voluiſſe ſubnotare ſunt autem tres venti æſtiui ſeu valdæ æſtuoſi, videlicet Zephyrus, Auſter, & Eurus, ſeu Vulturnus autore Ariſt. 2. 2. Mathe. cap. 6. At eurum eſſe valde noxium fieri poterat in terra illa vnde qui infectatur hunc ventum Orientalem, infectabatur ſibi noxia. Per hæc igitur vates idololatras, carpit, & quia amãnt vana, & quia ſectantur ſibi noxia. *Tota die mendacium*, eodem pertinent hæc verba; mendacium enim ſibi multiplicabant Iſraelitæ quotidie venerantes mendaces deos, & vaſtitatem, vocat idola vaſtitatẽ, quia ex cultu idolorum fuerunt vaſtati Iſraelitæ, & ducti in captiuitatẽ amariſsimam ſub Aſſyrijs, vt ſæpè dictum eſt. *Et fœdus cum Aſſyrijs iniit.* Iſraelitæ negligentes aut deſperantes auxilia diuina, quæ certa illis fuiſſent, ſi nouiſſent pœnitudine concuti de peccatis ſuis, confugerunt ad auxilia humana incerta. Vt diximus ſupra, Manahen, imploraſſe auxilium Phul regis Aſſyrij. 4. Regum. 15. item imploraruntÆgyptiaca præſidia quæ illis non profuerunt. *Et oleũ in Ægyptum ferebat.* 4. Reg. 18. Oſeam regem Iſraelitarum detuliſſe munera regi Ægypti, legimus vt eſſet ſibi auxilio contra regem Aſſyriorum, & hoc eſt quod ait & oleum in Ægyptum &c. Siquidem oleum terræ ſanctæ quam Iſraelitę poſsidebant, erat optimũ, quapter in Ægyptũ deferebatur oleũ, cum alijs exquiſitis muneribus, vt Ægyptiorum ſibi Iſraelitæ prouocarent amicitiam. *Iudicium ergo Domini cum Iuda, &*

Vẽti quidã valde æſtuoſi ex Ariſtotel.

Pietas diuini cultus ſine chari tate non prodeſt ad vitã æternam.

viſitatio ſuper Iacob. Iudicium hoc loco idem ſignificat quod ſupra dicebamus ſignificare, videlicet litè, & diſceptationem. Quia ergo vates Paulo ante commẽdarat Iudam, ſeu tribus duas, de pietate cultus in Deum, quia videlicet non decli nauerunt ad vitulos illos Ieroboan, nunc ne ex hac pietate multum ſibi applauderent, reprehẽdit eaſdem de vitijs alijs ſeu delictis patratis contra proximorum charitatem. Nanque non ſat eſt, hoc vel illud opus rectè operari, niſi abſolueris omnia. Nam qui in vno offendit factus eſt omnium reus. Eſt enim virtus ex cauſa integra, vt peccatum ex particularibus defectibus. Hinc diſcant Lutherani dogmatis aſſertores, fidem non ſufficere niſi comitetur ſanctis operibus. Quandoquidem iſtæ tribus quæ commendãtur à Deo ex fide in Deum ſyncera, & non corrupta, qualem habebãt aliæ decem tribus, mox reprehenduntur, quia charitatem non ſeruabant in proximos. Ideo ait, *Iudicium*, ideſt lis eſt mihi & diſceptatio cum Iuda: nempe vt arguam delicta eius, & viſitatio, ſcilicet punitionis, ſuper Iacob, ideſt, contra Iacob, & eſt repetitio eiuſdem ſententiæ per diuerſa verba. Quod vocat iudicium, eſt idem quod viſitatio ad puniẽdum, & quod dixit cum Iuda, eſt idem, quod dixit ſuper Iacob. Nam Iacob, in ſcriptura vſurpatur aliquando pro duabus tribubus. ¶Et conſidera, vt ſeruat ſuũ morem vates, videlicet poſtquam latè in uehitur in decem tribus, immiſcet reprehenſionem duarum tribuum, vt modo, & aliàs fecit, in capitibus ſuperioribus. *Iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius, reddet ei.* Subaudi Dominus. Eſt enim ſermo vatis. Nanque iuſtus eſt Dominus, & iuſtitias dilexit; æquitatẽ vidit vultus eius. Quamobrem, vnicuique reddet ſecũdum opera ſua, vt Paulus commemorat dicẽs, omnes homines ſiſtendos ante tribunal Chriſti, & quod relaturus vnuſquiſq; eſt ſuam mercedem, prout in corpore geſſit. Et pſaltes ait, Semel locutum fuiſſe Deũ, duoque audiuiſſe, ſcilicet, Deo eſſe poteſtatem, & quod Deus vnicuique reddet ſecundum opera ſua. De adinuentionibus bonis, & malis, multa ſupra tradidimus. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, flenit, & rogauit eum in Bethel inuenit eum, & ibi*

Pſal. 10.

2. Cor. 5.

Pſal. 61.

ibi locutus est nobiscum. Diximus sub nomine Iacob, intelligi modo Iudam, siue duas tribus, vnde quia cœperat vates, Iudam admonere de malefactis, & offensis in Deum ab eo commissis, hæc modo subdit, vt exprobret duabus tribubus, ingratitudinem in Deum. Siquidem beneficijs multis receptis, à Deo nihilominus, obliuioni ea tradentes, Deum offenderunt, ideo in medium proponit, quantis à Deo Iacob fuit ornatus muneribus, vt filiorũ ingratitudinem apertius redarguat. Affecit autem Deus Iacob Patriarcham præclarissimis dotibus, & antequam in mundo prodiret, & postquam proditus est. Siquidem Genes. 25. Legimus quod vterini fraterculi, collidebantur in materno vtero. Id quod modo ait, vates in vtero supplantauit fratrẽ suum, id est, tenuit
Genes. 25. plantam fratris, id quod non temerè factum fuisse diuina scriptura ostẽdit, quia ex diuino oraculo demonstratum est id accidisse, Dei consilio, vt ex facto illo præsagium sumeretur venturæ victoriæ & excellentiæ, fratris minoris supra maiorem: Idest quod Iacob erat superaturos Esau. Id quod impletum est primo, quando Esau, à se abdicauit ius primogenituræ, & transtulit illud in Iacob minorem fratrem suum. Et rursum, eundem minor superauit paternæ benedictionis prærogatiua; quam subripuit, minor à maiore. Et istud citra culpam gestũ fuit, vt Augustinus docet de mendacio ad Consentium. Siquidem ex diuina reuelatione, & ordinatione prælatus est minor maiori.
¶ Et rursum idem completum est, in pro
2. *Reg.* 8. le, vtriusque fratris. Siquidem duodecim tribus, à Iacob prodierunt Idumæi vero qui incolæ erant montis Seir, ex Esau duxerunt originem. At vero Dauid subiugauit Idumæos, & in suã ditionem redegit. ¶ Præterea & postquam proditus est in lucem Iacob, & ad adultam prouectus est ætatem, nouo munere eum *nobilitauit* Deus. Siquidem antequam Esau illi obuiam isset, quia frater erat potentior viribus, ideo timuit Iacob fraternum occursum, Deus autem, volens eiusdem sedare timorem, misit Angelum suum, qui in corpore assumpto, pugnauit, vel luctauit cum Iacob, at Angelus, cum alioqui esset incomparabiliter potentior, quam Iacob, omnes enim homines simul collecti, imbecilles sunt coram minimo Angelorum, quia spiritus sunt, ideo potentissimi, vnde sunt cœlorum motores, & mirabilia operantur in hoc mundo, custodiendo homines, à satanæ malignitate, & alia pleraque gerẽtes. Cæterum dissimulauit *Gene.* 32. Angelus ille, quem ferunt fuisse custodium Angelum Iacob, se vinci & superari ab homine. Vt Iacob, intelligeret ex victoria illa, qua superabat Angelum Dei, se quoque superare posse fratrem suum, qui homo erat, & non Dei Angelus, vnde intrepidus fratris expectaret cõcursum Et hoc est quod ait inualuit ad Angelum, *Et confortatus est*, id est, accepit vires ad vincendum Angelum, & idem repetit, *Et in fortitudine* sua dicens, *directus est cum Angelo.* Textus Hebræus habet cum Elo *Aben*
him, vnde quidam transfert cum dijs. Ve *Ezra.*
rum quia hoc nomen etiam significat Angelum sanctum vt dixit Aben Ezra, ideo rectè trãsfertur cum Angelo. Quod vero ait directus est, perinde est acsi dixisset benè se habuit, & rectè ei successit, in angelica pugna, quia reportauit victoriam permittente se Angelo vinci vt *Genes.* 32.
diximus. Vnde impositum est Iacob nomẽ nouũ, scilicet Israel, siue Iisrael, id est, prœualẽs, seu dominãs cũ Deo, Iaacob, vero seu Iacob, significat supplãtatorẽ, quia fratris tenuit plantam. ¶ Porro autem Oseas expresius loquitur de re hac, qui historia relata ex Cenesi, ibi enim nõ traditur clarè, quod Iacob superauerit luctãdo Angelum, sed quod Angelus non potuerit superare Iacob. Sic enim ait, ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Qui cum videret quod eum superare nõ posset, tetigit neruum fœmoris eius, &c. At vero Oseas ait, quod prœualuit, *vel inualuit ad Angelum.* Vbi explicat virũ illum cum Iacob luctantem fuisse Angelum Dei, & rursus, quod non solum nõ potuit superare Iacob sed quod Iacob superauit Angelum. Et idem quod prius dixerat Oseas obscurius. *In fortitudine sua directus est cum Angelo*, postmodum expresit clarius dicens, *inualuit ad Angelum.* Quanquam, in Genesi, subinnuitur, quod Iacob superauerit Angelum, Ait enim. Nequaquam subaudi solum, vocabitur nomen tuum Iacob, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, &c. Et vt diximus Israel, interpretatur prœualẽs Deo. Non tamen ita hæc accipias, vt putes, Iacob pugnasse cum Deo, & fortiorẽ fuisse Deo,

Elohim angeli sancti & Dei vel iudices vel potentes interpretatur.

Deo, id quod erat impossibile, sed vocat angelum cum quo luctabatur Deũ, quia nuncius Dei erat. Vnde & Elohim, etiam tradunt Hebræi, significare nuncios Dei vel angelos sanctos, & quia Dei nomine veniebat, se vocabit angelus Deum. Similiter, & quod ait, Iacob fleuisse, coram angelo, non extat in Genesi. Sed solum colligitur quod Iacob, nolebat dimittere angelum, & angelum dixisse ei dimitte me, cui rursus Iacob, non dimittam te nisi benedixeris mihi. Id quod potuit accidere, vel quia tenebat manu angelum, aut quia precibus obnixè rogabat angelum, ne discederet ipsum. Verũ Oseas, adiecit quod fleuit Iacob, subintellige precando, ne dimitteretur ab angelo. Sentiebat enim sibi præsidium ex angeli assistentia cõtra suum fratrem Esau, ideo obnixè etiam cũ lachrymis precabatur angelum, ne ab eo discederet. Quia nondum plenam fidem, de sua pace cum Esau conceperat ex verbis illis angeli, si contra Deum fortis fuisti, & contra homines eris. Vnde credunt Hebræi, ex eo angelũ percussisse fœmur Iacob, vnde emarcuit neruus eius, vt deinceps claudicaret; quia non concepit, quã debebat fidem de verbis angeli, venientis nomine Dei ad ipsum. ¶ Sicut etiam legimus Zachariam patrem præcursoris, amisisse loquelam, quia Gabrieli non credidit. Tametsi scriptura narret, ariditatem fœmoris, accidisse prius, quam quod dixerit angelus, si fortis contra Deum fuisti, & contra homines eris. Nisi dixeris relatum fuisse ex anticipatione, quæ consueta est scripturis fabulosum est, quod tradunt Hebræi, hunc angelum fuisse tutelarem angelum Esau. qui dolens, de prælatione Iacob, supra Esau, conabatur, quo ad licebat Iacob detinere, ne intraret terram promissionis vt executioni mandaretur benedictio Dei, ex qua fuit benedictus Iacob. Quocirca luctam iniit, cum Iacob, & vidẽs, quod Iacob eũ superabat fleuit, vt quod viribus non poterat assequi, saltem precibus obtineret, ne ingrederetur in terram promissionis. At vero istud, nullo fundamento fulcitur legitimo. Imo infirmum est dogma, quia falsum est dogma. Siquidem angelus tutelaris Esau, erat angelus sanctus, & ille exploratum habebat Dei placitum, quod Iacob præferebat Esau fratri suo, ideo nõ poterat Dei placito repugnare. Præterea quia quod angelus sanctus fleuerit, quia superabatur à Iacob, nihil est fabulosius: quandoquidem, nullus hominum, potest pugnare cum angelo realiter, quia angelus spiritus est, & ex pugna nostra nõ potest lædi, neque illum potest homo brachijs comprehendere, quia inapprehensibilis est. Quod si quando accidat, vt accidit Iacob, quod non corpore assumpto congrediatur cum homine, adhuc non potest superari siquidem corpus assumptum, non est verum sed phantasticum hominis corpus, quod neque plaga potest vulnerari, neque ictibus contundi. Ideò fieri non potest, quod superetur, vnde neque erat locus lachrymis.

Cũ angelo non potest homo pugnare.

¶ Accedit eodem, quod Angelus flere non potest, siquidem flere & ridere sunt hominis proprietates. Nisi fermo vertatur metaphoricus vt illud est, angeli pacis amare flebunt. Isai. 33. Quanuis ad literam, non de angelis sanctis, est intelligendus locus, sed de nuncijs Isaiæ, quãdo Senacherib Ierosolymã fortissimo exercitu obsedit vt in dilucidationib⁹ nostris ad Isaiam exposuimus. ¶ Sunt autem qui arbitrantur hanc pugnam fuisse spiritualem, non corporum collisione, sed precũ oppositione. Ego vero, dixerim hanc Angelicam luctam cum Iacob, veram fuisse luctam, & non metaphoricè appellari pugnam, qualis est eius qui contẽdit precibus aliquid obtinere, à renuente concedere, & tandem obtinet. ¶ Et primo, ad
Lucta angelica cum Iacob, fuit realis pugna.
hoc inducor, quia ex regula. S. Augustini lib. de doctrina Christiana, quando nihil absurdi sequitur, ex intelligentia sacrorũ eloquiorum, ad literam, & vt præseferũt, ad eam rationem sunt intelligẽda. Porro nihil absurdi resultat, si literaliter hanc luctam intelligamus, vt textus sonat.
¶ Secundo, quia reuera angelus Domini, tetigit fœmur Iacob, & aruit, igitur & lucta fuit vera. ¶ Tertio quia illa pugna fuit à Deo ordinata, vt ex Victoria contra Angelum, intelligeret Iacob, se non lædendum ab Esau ideo subiecit si fortis contra Deum fuisti, & contra homines eris. Quare & angelus indidit suo victori victoriale nomen, scilicet Israel, id est, prœualens, seu dominans cum Deo. Non enim Israel, interpretatur rectè, ex vulgata interpretatione, scilicet videns Deum, vt Hieronymus annotauit, in glossa ad Genes. 32. Sed germana interpretatio est princeps

Angeli nõ possunt flere aut ridere.

princeps cum Deo, aut prævalens Deo vt dictum est. *Fleuit & rogauit eum.* Fleuit Iacob, & rogauit angelum ne sua præsentia corporali eum desereret, aut fleuit ad angelicam benedictionem impetrandam, quam vt impetrauit cessauit à lachrymis, & precibus. *Et in Bethel inuenit eum*, legimus Genes. 28. Quod Iacob cum fugeret fratrem suum, Esau peruenit ad ciuitatē nomine Luzam, & ibi vidisse scalam per quam vidit angelos ascendere, & descendere, & quod ibi donatus sit diuinis fauoribus, vnde & locum Iacob, vocauit Bethel & consecrauit locum Deo, quia ibi viderat Deū, id est, angelū Dei interpretatur autem Bethel domus Dei, quæ ciuitas postea appellata est Bethauen, postquam Ieroboan, ibi constituit vitulum aureum adorandum, vt supra nos meminimus. ¶ Igitur quod ait, in Bethel inuenit eum, hunc sensum habet Deus, vel angelus inuenit Iacob, in Bethel, nam primo Genes. 28. Ibi locutus est Deus Iacob, amplissimam in prolem eius promittens benedictionem. Et dein Gen. 35. ibidem, cum iam regrederetur Iacob, in terram suam, rursus ædificauit altare Domino in Bethel, vbi ex Dei mandato Iacob venerat. Ait enim, Interea locutus est Deus ad Iacob, surge, & ascende in Bethel, & ibidem iterum locutus ipsi Iacob est Deus, ideſt angelus Domini, iuxta id quod beatus Stephanus Actor. 7. Nos docuit, per Deum intelligens angelum: verum quod hic vates ait, & rogauit eum, & fleuit, gestum legimus, quando primo angelus apparuit in Bethel, ipsi Iacob, & similiter lucta cum angelo, Genes. 32. nā Genes. 35. non fit mentio horū, sed quod locutus Dominus fuerit ipsi Iacob, & benedixerit ei; & quod iterum indidit ei nomen Israel, vt iam exposuimus. *Et in Bethel inuenit eum.* Nanque in Bethel, bis apparuit angelus Domini, ipsi Iacob, vt dudum aiebā. Et ante has apparitiones apparuerat in Phanuel Genes. 28. *Ibi locutus nobiscum*, locus hic variè explicatur, quia obscuram habet intelligentiam Theodoretus in comm. putat verba esse Prophetæ qui loquitur de se, & de Amos vate qui ambo multa prædixerunt vt inuitarent populum Hebræum ad pœnitentiam. *Ibi locutus est nobiscum*, ideſt mecum, & cum Amos vate. Nam Amos. 7. Traditur, quod Amasias dixit Amos, gradere, fuges in terram Iuda, & paulo infra in Bethel non adijcias vltra prophetare; hæc autem expositio est dubia, quia non constat ex scriptura quod Oseas prophetauerat in Bethel, neque ex loco constat, quia est satis obscurus. Nicolaus autem in alium sensum torsit literam hanc in Bethel inuenit eum, id est Deus cum angelus inuenit Iacob in Bethel. Et ibi locutꝰ nobiscum, quia Deus in præsentia angeli & Iacob locutus est ipsi Iacob, dicens tibi terram hanc & semini tuo, &cætera quæ ibi cap. 32. continentur. ¶ Porro autem, cum Deus apparuerit per angelum, & angelus fuit qui locutus est Iacob, sicut Stephanus declarat de Mose, quod illi locutus est angelus in monte Sinai, quomodo ait, quod locutus est Deus, in præsentia angeli, & ipsius Iacob?

Luza Bethel Bethauē idem.

Bethel.

¶ Ideo videtur mihi, aliter esse explanandum locum. Videlicet, *ibi locutus nobiscū*, vnde aduertere oportet, Paulum Apostolum Hebr. 7. Dixisse Leui, fuisse decimatum in lumbis Abrahæ quādo Abraham obtulit decimas, Melchiiedech. Et quidē tunc nondum fuerat natus Leui, at vero, quia erat in lumbis Abrahæ, nō actu sed potentia, ideo ait fuisse iam tunc sub Melchisedech decimatum. Simili quoque ratione, in Iacob Patriarcha vnde fluxerūt duodecim tribus, antequam multiplicarentur, erant in potentia, tribus ipsæ in Iū bis Iacob, vt rami & fructus sunt in potentia in semine, aut in trunco. Quando igitur Deus dixit Iacob in Bethel verba illa ego Deus omnipotens, crescе, & multiplicare, quia nationes & populi ex te erunt Genes. 35. Loquebatur omnibus tribubꝰ, ex ipso Iacob, multiplicādis, quippe quæ erant virtualiter in ipso, & hoc est quod ait, *ibi locutus nobiscum*. Ideſt Iacob, & virtualiter omni proli ab eo deriuandæ locutus est Deus siquidem in fauorem Iacob, erant illa verba, & in fauorem, omnium tribuum, ab ipso Iacob, deriuandarum. Hæc nanque verba omnia eò tendunt quò Deus, refricata memoria, collatorum beneficiorum ipsis Israelitis, exprobret vehemētius, eorum in Deum ingratitudinem. *Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius.* Ideſt Dominus autem est Deus exercituum, & Dominus est memoriale eius, ideſt, memoriale ipsius Iacob, est Deus. Quippe fuit gratissimus, & obsequentissimus Deo; & rursus,

rursus, Deus vocabatur Deus Abraham, Deus Isaac Deus Iacob, ideo est memoriale Iacob. Quasi dicat, pater sanè fuit Deo gratissimꝰ & diuinorū memor perpetuò, at soboles ingratissima & diuina obliuiscens. ¶ Hoc loco, scribitur nomen illud Dei ineffabile, Iehoua, cuius nos latam fecimus discursionem, in primo libro Sententiarum. Quod diximus esse, nomen absolutum, propriè significans Dei esse, sine respectu ad creaturas: id quod alijs nominibus, non contingit, quia semper connotant creaturas, vt creator, Dominus, & ita de alijs nominibus diuinis, an autem possimus, huic nomini, habere cōceptum absolutum correspondentem sibi, qui solum significet Deum sine connotatione creaturæ, alibi nos discussimus, negando nobis talem. *Et tu ad Dominum Deum tuum conuerteris; misericordiam, & iudicium custodi.* Quasi dixisse apertius, si patrem habuistis Israelitæ mei memorem, mihique gratisimū, ne sitis vos ingrati, & obliuiosi, sed vos conuertimini ad me, & conuertemini, si misericordia & iudicium seruaueritis: quæ supra iam sunt expositа. *Et spera in Deo tuo semper.* Sæpè nos admonent diuinæ literæ, quod speremus in Domino. Sacrificate ait regius vates, sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Et rursus, spera in Deo fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius. Psal. 36. & ad Hebræ. 6. Confugimus ait, ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ, tutam, ac firmam. Et sæpè alibi. Tenemur enim in Deum sperare. Verum spes hæc nō expectat caduca, sed æterna bona de quibus est spes Theologica virtus. Vnde qui desperant, contra hanc virtutem agunt, vt desperauit Cain, & Iudas Apostolus: desperatio autem est grauissimum piaculum. Etenim desperantes, eleuant Dei misericordiam, quia ipsam, quantum est desperatione sua reddunt finitam, cum alioqui sit infinita. Vndé dixit Cain, maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Quod si hoc dixisset ex animo verè pœnitenti, rectè dixisset, siquidem nullus peccator meretur peccatorum veniam, cum Deus gratis donet peccata, & non ex meriti condignitate. At Cain, non hunc sensum habuit, sed suam iniquitatem superare Dei misericordiam insinuauit, intellexit enim quod neque ex proprio merito, neque ex Dei largitate poterat esse dignus venia. Cum tamen peccatores, si nō ex proprio merito, certe ex Dei misericordia dante eis pœnitentiam digni efficiuntur, quibus donentur vitæ anteactæ errata: est autem, spes Theologica expectatio æterni præmij, ex gratia Dei & ex nostris meritis proce dens. Quocirca, qui desperat, & gratiam Dei spernit, & propria merita prosternit. Et omnino, sibi præcludit salutis viā. Vnde qui præsumit, longè minus peccat, quam qui desperat. Quandoquidem, expectat vitam æternam, ex gratia Dei, etsi merita desideret. Et ideo, quia nō sperat, vt oportet ideo, non sperat ex virtute Theologica, sed ex proprio arbitratu. Quanuis, non omnis præsumptio abijcit à se virtutem Theologicam, etsi præsumptio sperat, non vt oportet, etsi actus iste præsumptionis, non est actus virtutis Theologicæ. Ceterum spes Theologica, non semper dissoluitur ex hoc actu, etsi semper soluitur per desperationem.

Nō possumus pro præsenti statu dēō muni cursu de Deo habere conceptum proprium, & absolutū.

Desperatio & præsumptio sunt cōtra spē Theologicā virtutem.

¶ Obserua autem quod bifariam potest homo sperare non vt oportet, aut dicendo cum Luthero, nulla esse ad Deum merita, sed sola ex Dei gratia sperādam esse vitam æternam, & hic actus est præsumptionis dissoluens spem Theologicam. Aut non detrahendo merita, sed amando peccata, sperare, in Dei misericordia salutē esse quempiā assecuturū, vt si fingas aliquē qui credit gratiam Dei, & merita esse necessaria ad vitā æternā, at verò, ipse desses est, qui sub crimine iacet, neq; conatur ab illo peccati onere cui succumbit se leuare, at vero sperat in Dei misericordia, quod excitabit eum aliquando, à peccati somno, vt possit habere merita ad consequendā vitā æternā. Hic re vera præsumit de Dei misericordia, siquidem cum ipse non conetur vt à se excutiat peccati pondus, præsumit quod Dei misericordia etiā nō conātē, excitabit cū tamen Deus præsto sit faciētibus qđ sui iuris est. Quia vigilātibus, & nō dormiētibus in ea, subueniāt; at vero hic præsumptionis actus puto, q nō dissoluit spē Theologicā, quia nō est illi cōtrariꝰ ex diametro, de qua nos in. 3. sentēt. multa disseruimus. Ideo vt summatim dixerim spes, habet sibi opposita hæc, negationē spei, desperationē, & præsumptionē ad sensum prætactū.

Spes virtus Theologica.

¶ Quorum trium, primum contradi-

ctorium est spei, est enim non spes, spes enim & non spes, sunt contradictorij termini. Reliqua duo sunt contraria, alterumque eorum est contrarium per excessum, quia qui præsumit, excedit metam spei, alterum vero per defectu: nam qui desperat deficit ab spe.

Præsumptio est cõtraria spei per excessum desperatio per defectum.

¶Pelagius igitur, & complices eius, inficiantes gratiam Dei, & meritis humanis tribuentes vitam æternam, erant valde præsumptuosi, & superbam spem gerebant contra Deum, vnde non habebant veram spem. Lutherus autem, & sui sectatores in partem oppositam labuntur, quia merita prosternentes humana, vitam æternam soli gratiæ Dei tribuunt. Non aduertentes Paulum dixisse. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Quocirca vt spes Pelagianorum fumida est, & valde ventosa, Quoniam qui seminat sine Dei gratia ventum seminat, & metet turbinem supra. 8. Ita spes Lutheranorum vana est, quia gratiam Dei, etsi sit initium nostræ salutis, quia gratis iustificamur, idest mundamur à crimi nibus non ex condignitate meritorum nostrorum, quia prima iustificans gratia non cadit sub merito, at vero Deus non ita impendit nobis gratiam suam, vt nos desides, & inertes faciat ad opera bona imo vt promptiores reddamur. *Chanaan in manu eius statera dolosa calumniam dilexit.* Quasi apertius dixisset, monui vos dudum, vt ad me conuertamini sperantes in mea misericordia, & facientes misericordiam, & iudicium, vos tamen contra facitis, siquidem instar mercatoris dolosi, & fraudulenti, qui habet stateram dolosam, vt decipiat mentes in põdere, ferum quæ vendit tales vos estis, qui estis crudeles, & iniusti in vestros proximos. Et quidem omnes hypocritæ sunt instar stateræ dolosæ. Quemadmodum enim statera dolosa, repræsentat ponderis æqualitatem, & iustitiam profitetur quatenus est statera, nihilominus si est dolosa, imponit insipientibus, qui ignorant eius dolum, ita sunt homines hypocritæ, qui sub ouina pelle, abscondunt luporum rapacitatem: vt Dominus in Euangelio meminit. Tales erant isti Israelitæ, vt ex verbis commemoratis vatis subindicatur. *Chanaan*, fuit autem Chanaan, filius Cham, Genesis, 10. Et interpretatur negotiator, vel mercator. Et iuxta hanc interpretationem, accipitur modo. Quia vates confert Israelitas mercatoribus fraudulentis, qui vtuntur stateris dolosis, vt decipiant in contractibus contrahentes. Hos item insinuat Psal. dicens Mendaces filij hominum in stateris. Et Amos. 8. Horum mores referens ait, augeamus siclum, & supponamus stateram dolosam. Et equidem cum iustitia sit præclarissima virtutum. 5. Ethicorum cap. 1. Splendidior enim est & mirabilior, quã hesper, & lucifer. Nanque ea submota perit fides & veritas in omnibus contractibus humanis, & omnia ciuilia negotia susdeque turbarentur. Ideo est grauissimum peccatum vti stateris dolosis, quia hic vsus, est contra bonum publicum, imo nihil nocentius bono publico, quam statera dolosa.

Psal.6.

Peccata contra iustitiã sunt moraliter loquendo grauissima quia sunt contra preclarissimã omnium moralium virtutum.

¶Neque solum intelligas per stateram dolosam eam, ex qua librantur merces, vel fructus: sed etiam omnes qui circumueniunt fratrem suum, vel verbo, vel ope re, isti enim omnes vtuntur statera dolosa. Et qui in electionibus ad præbendas, seu prouisionibus non rectam arripiunt iustitiæ viam, vt ecclesiæ prouideatur, qui ecclesiæ vtilior censetur, sed potius, prouideatur minus idoneus habent stateram dolosam. Et item reges, quibus incumbit, præsentare personas summo Põtifici, pro Episcopatibus gerendis, vel eligere prælatos, si non curant eligere eum qui est magis idoneus ad regimen ecclesiæ, sed potius eligunt idoneum, neglecto, magis idoneo, aut non idoneum, stateram habent dolosam; quia non rectè appenduntur merita maiora si eis præferuntur minora siquidem tunc negliguntur. ¶Rursus si in huiusmodi prouisionibus non literæ, neque virtus personæ obseruantur, sed obsequia, quæ fiunt sæpè regibus, aut patronis, quorum est præsentare, vel eligere, ad beneficia vel episcopatus, statera est dolosa.

¶Adhæc si in suffragijs ad cathedrales functiones, non librantur literæ meliores, & maior sufficientia, ad huiusmodi functionem, statera est dolosa. De quibus omnibus & de alijs consimilibus, propheticum hoc dicere possumus, *Chanaã statera dolosa, calumnias dilexit & dixit Ephraim diues effectus sum, inueni idolũ mihi: omnes labores mei, non inuenient mihi iniquitatem,*

tatem, quam peccaui. Dixit in corde suo Ephraim, idest, Israelitæ dixerunt inueni *Idolum mihi* Hebraicè, est, *an*, quæ vox significat substantiam, vel facultates ex opibus, & item significat vanitatem. Et noster interpres, secutus est interpretationem posteriorem, & transtulit idolum quia idolum vanitas est.

¶At vero sensus clarior est, si priorem sequamur interpretationem. Inueni mihi opes, & substantiam diuitiarum & cohæret satis, alij orationi, *Diues factus sum*. Subaudi ex vsuris, ex rapinis, & contractibus dolosis, vnde subdit, *Omnes labores mei, non inuenient mihi, &c.* Ideest etsi multum laborassem, vel colendo agros, vel ædificando domos, &c. Nõ parassem mihi tantam substantiam, quantam citra laborem ex dolosis contractibus mihi paraui vocat iniquitatem quam peccaui ipsam substantiam mali partam ex vsuris vel aliàs. Etenim vsurarius breui sibi conciliat immensam vim opum.

¶Cohæret hæc expositio cum prioribus verbis vatis, sicque connectes, dixi vobis vt conuertamini ad Deum faciendo misericordiam, & iustitiam, at vero instar mercatoris dolosi, calumniam fecistis conciuibus, vestris. Et paruifacitis Dei verba, quia ex lucro vsurario, diuites effecti estis, & conciliastis vobis opes. Et istam prauam viam diuandi vos amatis, quia lucrosa vobis est, absque multo labore & tædio. *Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc sedere te faciam, in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis.* Quanuis tu mihi rebellis sis, & non sis parens sermonibus meis, quos tibi instillo per os Prophetarum meorum, adhuc memor sum, quod sum Dominus tuus, ex speciali dominij in te causa, nempe, quia te eduxi de amarissima Ægyptiaca seruitute, & ideo, aliquãdo ego te adducam ad veram pœnitentiam vt quiescas, & gaudeas, in pace quã inibis mecum, gaudebis sanè, sicut ij qui sedent quieti in tabernaculis suis, & sicut ij qui dies festos agunt. Et hoc impletum est sub Christo Domino non multi ex Israelitis susceperunt Christi Euangelium vnde plurimum gaudebant. Vt habetur Actorum octauo. & decimotertio. *Et locutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum.* Paulus ad Hebræos

1. Inquit multifariam multisque modis olim Deus locutus est in Prophetis, etenim per varias metaphoras, & parabolas diuersas, atque varios videndi modos, locutus est Deus Israelitis per Prophetas. *In manu Prophetarum.* Phrasis est Hebraica, id est, per medios Prophetas multas proposui vobis similitudines ex sensibilibus rebus acceptas, aut illis consonas, vt vos manuducerem ad veram de peccatis vestris pœnitudinem. Poterit per futurum legi loquar vobis visiones multiplicabo, &c. *Si in Galaad idolum, ergo frustra erant in Galaad, bobus immolantes.* Pro *idolum* Hebraicè legimus, *Auan* quod significat vanitatem, & iniquitatem, vnde idem sensus est si in Galaad est vanitas, vanifacti sunt Galaaditæ, aut frustra, Israelitæ, huic idolo, scilicet vitulo aureo boues immolabat, quia immolabant vanitati, idolum enim vanitas est aut nihil est, vt Apostolus ait: à nihilo autem, & à vanitate, qui auxilium petit, vanus est, & vana reportabit præsidia. *Si in Galaad*, si pro quia. *Nam altaria eorum quasi acerui super sulcos agri.* Frustra sanè, & vanè idolum Galaad colitis, & aliorum idolorum, nam altaria idolis erecta, sunt redigenda in aceruos lapidum, super sulcos agrorum, vel in vijs agrorum. Significat hoc sermone, Israelitarum transmigrationem in Assyrios, vnde desolata terra, altaria idolorum, erant desolanda, & vertenda, in cumulos lapidum. *Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel, & in vxorem seruauit.* Rursus repetit beneficia collata, patri Israelitarum Iacob, addens nouum prioribus iam relatis, vt magis luceat quanta fuerit ingratitudo posterorum in Deum. Fuit autem eximium beneficium, quod ex seruitute, qua seruiebat Laban socero suo, fuerit à Deo promotus in tantam celsitudinem, vt ex ipso duodecim tribus prodirent, & benedictionem amplissimam Dei promereretur: fugit igitur Iacob in regionem Syriæ, ex matris consilio, ne interficeretur ab Esau propter primogenituræ iura sibi diuendita Genesis vigesimooctauo. & seruiuit ipse Iacob, qui appellatus est Israel, Genesis trigesimosecundo, & trigesimoquinto. Seruiuit inquam propter vxorem primã Liam, septem annis, & deinde propter Rachelem totidem. Et

in vxorem seruauit, id est, propter vxorem seruauit pactum, quod conuentum erat inter Iacob & Laban. *Et in vxorem*, ideſt, propter vxorē *seruauit* subaudi Iacob fuit custos vel seruator pecoris Labā soceri sui. *In Prophetam, eduxit Dominus Israel de Ægypto, & in Propheta seruatus.* Insinuat, alterum singulare beneficium quo Deus prosecutus est ipsos Israelitas, ne obliviscant, quod solus parens ipsorum fuit affectus beneficijs. Israelitæ enim duce Mose educti sunt de seruitute Ægyptiaca, & ducti sunt per desertum, transmisso mari & seruati sunt quadringentis annis in deserto vt Exodus liber demonstrat. *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis.* Tantis igitur cum vos, & patrem vestrum affecerim beneficijs, nihilominus, ad iracundiam prouocastis me, in simulacris & excelsis vestris, colentes vitulos, & illis diuinos impendentes honores, vt verè ingratissimos vos mihi esse dixerim. Amaritudines vocat, idolorum cultus, vnde Deuteronomi. 29. Nequa in vobis radix sit germinans fel, & amaritudinem, id quod dicebat, ne essent apud Israelitas, idolum aliquod aut simulacrum quod germinabat amaritudinem, quando ab ipsis colebatur. Et vocatur amaritudo, huiusmodi cultus metaphoricôs. Enim vero, vt amara continuo respuimus, amara enim valde offendunt stomachum. Ideo, illa si ieceris stomacho, continuo enomuntur, ad eam rationem, quia idolorum cultus, est Deo infestissimus, & illum reijciendum esse ab hominibus vel ipsa ratio naturalis maximè docet, ideo vocat, cultum huiusmodi amaritudines. Et Paulus ad Hebræos. 12. Infidelitatem, vocat etiam radicem amaritudinis, sursum germinantem propter eandem causam aut secundo quia herbæ mortiferæ, vt sunt venenosæ, sunt amarissimæ, ideo prædicta vocantur amaritudo. *Et sanguis eius super eum veniet*, vel vocat sanguinem, iniurias, & fraudes, quas Israelitæ committebāt inuicem, aut vocat sanguinem eius, quia erant sanguinarij, & homicidæ vt supra vates dixerat capite. 1. 4. & 6. siue hoc siue altero modo exposueris, *Sanguis eius super eum veniet*, id est qualia alijs intulit, talia ipse recipiet. Nam conuertetur dolor eius, quo alios affecit, in caput eius, & in verticem eius, iniquitas eius descendet, id est, ego sumam pœnas de iniurijs, & fraudibus vestris, quas alijs Israelitis intulistis. Et opprobrium eius restituet ei Dominus *Deus* suus. *Deus* redundat. Opprobrium quo me maximè affecistis, ego rependam vobis, aliò opprobrio. Nam ducemini captiui, in Assyrios. Vt enim minus honorati sunt amici mei, & nimis confortatus est principatus eorum ita diuersò, erunt valde ignobiles, qui me cõtemnunt, & principatum eorum, & dignitatem, si qua potiti fuerint ego dissoluam.

Cultus idolorum & omnis infidelitas in scriptura vocatur amaritudo.

Psal. 7.

Psal. 138
1. *Reg.* 2.

EXPLANATIO
IN CAP. XIII. OSEE.

Oquere Ephraim, horror inuasit Israel. Idem quod in alijs capitibus fuerat huic vati institutum, est in hoc capite videlicet, repetere beneficia singularia, quæ Deus fecit Israelitis & eorum ingratitudinem palam facere eis. Et exorditur rem regni Israelitici, quando diuisum est sub Ieroboan Ephratæo. Et quia Ieroboan, præcepit cultum idolorum regno cui imperabat, & illi regni primores consenserunt, vnde impositis pœnis violantibus mandabatur idolorum scilicet vitulorum cultus, ideo ait, loquente Ephraim, ideſt Ieroboan, horror inuasit Israelitas scilicet decem tribus, quibus ipse imperitabat. Exordij autem huius meminit, vt grauitatem delicti, etiam ex vetustate & longissima consuetudine, ostendat. Nam delicta, quò diuturniora sunt, cæteris paribus sunt grauiora. At vero alia translatio Vatabli sic habet. *Cum loqueretur Ephraim tremor, & princeps factus est in Israele.* Vt sit sensus hic cum loqueretur olim, colente Deum Ephraim, in audientibus tremor aderat. Ideſt venerabantur eius verba. Et id temporis princeps factus est sine rex creatus, ex Ephraimitis, scilicet Ieroboan Græca sic habent, *Iusta verbum Ephraim, iustificationes accepit ipse, in Israel*, id quod ferè, ad eundem sensum potest trahi, videlicet quando colebat Ephraim, Deum verum, tremor inuadebat audientes verba iustificationum, id est diuini cultus, quæ ab Ephraim proferebantur. Et quia illi obediebant alij Israelitæ, ideo ait, quod Ephraim accepit iustificationes in Israel verum sensus primo scriptus, clarior erit, si ad hanc rationem exposueris translationem nouam. Cum loqueretur, id est, cum præcone, iuberet diuulgandum vitulorum cultum Ieroboan, rumor inuasit Israelitas, quibus ob timorem obedientibus nefarijs mandatis, ipse Ieroboan factus est princeps in Israele, ideſt, confirmauit & stabiliuit regnum suum. Verebatur enim, ne si Israelitæ in cultu veri Dei perseueraſſent, regnum suũ ab ipso declinaret ad regnum, vnde excisum fuerat. ¶Etsi aliter exponere, mihi placet, nam vt colligitur ex Psal. 59. Ephraimitæ erant fortissimi, in Israelitis. Vnde ait Ephraim fortitudo capitis mei, erāt enim duæ tribus fortissimæ omnium, tribus scilicet Iuda, & tribus Ephraim; ideo tenebant extremitates, Dauidici regni, tanquam totius regni fortissima præsidia. Vnde in eodem Psalmo, Iuda, ait Rex meus, ideſt, custos regni mei. Hoc igitur volens insinuare vates, dixit cum loqueretur, vel loquente Ephraim inuadebat alias tribus timor, nam propter eius fortitudinem, illi obediebant, in rebus bellicis, gerendis. Quia ex illis eligebantur duces, & belli moderatores. At hoc commorat Propheta, referendo hoc beneficium Ephraimitis collatum, fortitudinis eximiæ. Et addit alterum, *Princeps factus in Israel*, quia ex Ephraimitis fuit electus rex Ieroboan. *Et deliquit in Baal, & mortuus est.* Quia peccatum quod per pœnitentiam non lauatur, suo pondere, in alia trahit, ideo constitutis vitulis aureis à Ieroboan, non fixerunt ibi insolentiæ, & abominationis suæ terminum Israelitæ, sed plus vltra sunt progressi: nam sub tẽpore Achab, introduxerũt cultum Baal, vt supra, indicauimus. Et mortuus est, id est, inde Israelitæ, habuerunt originem suæ æternæ perditionis. *Et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntq; sibi conflatile, de argento suo, quasi similitudinem idolorum.* Israelitæ enim vltra in delictis progredi tes, sicut cancer serpebat abominatio eorum, siquidem deos gentium vicinarum sibi conflabant, sibi componentes idola similia illis quæ gentes, videlicet Idumæi, Amonitæ, Moabitæ Sidonij, & Palestini cum colebant, *Factura artificum totum est*, etsi pulcherrima, & ornatissima ea idola facerent, at vero, non digna erant cultu diuino, quia artificium humanum erat, & opera manuum hominum, Psal. 113. & vt cap. 8. dixerat artifex fecit illum, & non est Deus, &c. *His ipsi dicunt immolate homines, vitulos adorantes.* Ideſt de istis vitulis dicunt ipsi, ideſt sacerdotes, & primates regni Israel, ipsis Israelitis, ò vos qui estis adorantes vitulos, quandoquidem ex maxima copia bestiarum, & pecudum, quam immolatis, iam desideratis, animalia quæ immoletis, immolate, igitur homines, id est, filios & filias vestras, nam eò gratior erit vestra immolatio, quo dignior est hostia, quæ immolatur.

Duæ tribus fortissimæ. 12. tribuum tribus Ephraim & tribus Iuda.

Varia translatio.

3. *Reg.* 16

¶Accidebat nanque gentibus immolare dijs filios suos atque filias Deo Moloch, & alijs dijs. Vt Psalm. exprobrans tantum scelus ait, Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs. *Psal.* 105

¶Vnde perinde est ac si dixisset vates, ò scelesti Israelitæ, non sufficit vobis vitulos constituere, adorandos à vobis in deos, quia etiam, & Baal, coluistis, & itẽ deos gentiũ plurimarum obseruastis, & super hæc omnia, adeò creuit vestra insania, & adeò debacchati estis, vt sanguinem innocentum parvulorum, & parvularum in honorem idolorum effuderitis. *Psal.* 105.

¶Quæ omnia valde exaggerāt Israelitarum scelera contra Deum. Et hic vates & cæteri, multum incumbunt enarrādis sceleribus horum, vt supplicia quæ erant passuri, ob delicta sua in Deum patrata, intelligerent & non casu, esse passuros. Et rursus repetũt ingenti studio, Dei beneficia, nam hæc solertissimè, recolentes, Israelitarum ingratitudinem luculenter patefaciunt.

¶Obijcies fortasse, cur Dominus toties inculcat beneficia collata Iudæis, & eorum errata improperat eis, cum Iacobus scripserit Iacob. 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Est autem improperare, obijcere crimen, Deus autem obijcit istis Israelitis magna crimina vt patuit respondetur, ingratis Deum exprobrare, & improperare crimina ab ipsis facta, vt ingratitudo eorum ad Dei beneficia, eisdem intimetur; gratis vero Deus non improperat crimina, iam anteacta, quæ eis donauit Deus. Israelitæ autẽ erāt huiusmodi, erant em̃ ingratissimi, & ideo, eisdem Deus toties repetit beneficia

Collisio soluitur.

ficia in eos collata, & crimina in ipsum Deum admissa, frequenter improperat. ¶*Idcirco erunt quasi nubes matutina, & quasi ros matutinus præteriens, & sicut puluis terræ raptus ex area, & sicut fumus de fumario.* Sine nebula matutina, seu ros matutinus, irrorans herbas, & gramina, seu puluis ex area seu fumus ex fumario exiliēs, cito soluuntur, sol enim matutinus soluit nebulas, & incalescens dissipat rores matutinos, ventus autem rapit puluerē ex area sicut fumus celeriter etiam ex sua tenuitate euanescit. Significat ergo vates, Israelitarum gloriam, regnū, & opes, esse cito dissoluenda, à tyrannide Assyriorum. Pro *puluis*, Hebraicè legitur glumæ, & sunt glumæ minutissimæ paleæ, quas ventus rapit ex area, quā citissimè, alius vertit, *quisquiliæ*. *Ego autem Dominus Deus tuus, ex terra Ægypti, & Deum absque me nescies, & Saluator non est præter me.* Deus maximam egit curam populi Hebraici in terra Ægypti, vt sibi eum astringeret, ne ad alios deos declinaret; sed ipsum solum coleret, qui solus curabat, & seruabat speciali cura populum illum. Vnde in exitu ab Ægypto mirabilia magna ostendit Deus, in fauorem populi sui, vt omnibus palam esset, quam sibi charus erat populus ille, & ipsi Hebræi crederent, quod ipse erat vere Deus, qui solus poterat saluare suos cultores. *Ex terra Ægypti.* Idest sub ipsa egressione ab Ægypto, ostendi me esse Deum, & Dominum tuum, *Deum absque* me & præcepi tibi ne coleres alienos deos, sed me solum. *Et Saluator* quia solus ego sum seruator omnium rerum, & specialiori modo te seruaui, educens tē de durissima seruitute Ægyptiaca. *Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis.* Phrasis scripturæ cognoui te, idest foui te, & bene fecit tibi, illustrans te, ignea columna noctu, & obumbrans te opaca, nube interdiu, alens te quotidie cibo cœlesti, scidi tibi petrā, vnde fluxerunt aquæ ad potum tibi ministrandum, amaritudinem aquarum, verti in dulcedinē Exod. 15. Coturnices, quas petisti tibi submini-straui. *Cognoui* pro agnoui, agnoscere autem, est diligere, & approbare. *Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, & eleuauerunt cor suum.* Vocat pascua sua terram promissionis, quæ erat manans lac, & mel, Exod. 3. & 13. Et vocat pascua translatione, ex pascuis gregum. Vnde in Psal. Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Siquidem Hebræis vt gregi suo dedit in pascua Deus terram promissionis, quæ erat fertilissima ideo ait, iuxta pascua sua adimpleti sunt, idest quia optimis pascuis fruebantur, ideo adimpleti sunt, quia opibus abundabant. Potentia, & regia dignitate; vnde eleuauerunt contra Deum cor suum, spreuerunt enim ob id legem Dei, & declinarunt ad deos alienos. Vt in Deuteron. 32. prædictum fuerat, à Mose incrassatus est dilectus & recalcitrauit, &c. De qua re nos iam supra mentionem fecimus cap. 10. *Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum*, supra textum hunc ca. 5. Exposuimus excepto quod modo adijcitur. Quasi pardus in via Assyriorum. Pardus, est similis Pantheræ, vnde vocantur pardi propter varietatē suarum macularum, quibus distinguitur pellis ipsorum, quasi pantheræ. Nascūtur in Africa, qui feruntur coire leænas, vnde generantur leones, sed ignobiles sunt velocissimi motus, vnde latentes inter frondes, & fruteta, in aues grassantur, sua velocitati confidentes. Quia ergo velociter erant transferendi in Assyrios, & Medos ideo ait, *Ero eis sicut pardus in via Assyriorum*, Deus confert se bestijs istis ferocibus, & truculentis, non quod Deus sit in se ferox aut truculentus, siquidem neque furore percitus, neq; ira perturbatus, quicquam agit; quia in tranquillitate iudicat omnes homines. Vt liber Sapientiæ nos docet, cap. 12. Tu inquit dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. At vero ex effectu quem intendebat operari contra Israelitas, confert istis bestijs. Et omnes istæ translationes, assumuntur à vatibus, vt ex sensibilibus formis, & exemplis, maximè deterreant contumaces, vt vel sic ad meliorem frugem, eos deducant. *Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum.* Vrsam esse animosiorem, & ferociorem mare, scripsit Aristoteles. 9. de historia animalium, & neminem esse visum qui vrsam grauidam capiat, nisi raro. 8. de historia. capite decimoseptimo. commemorat quippe id temporis ferocit sęuius, vnde & raptis catulis, mirum in modum sæuit, quia est catulorum amantissima.

Exod. 8. *Exod.* 14. *Exod.* 9. *Psal.* 104. *Num.* 11. *Psal.* 77. *Psal.* 98. *Exod.* 13. *Exod.* 16. *Psal.* 104.

Pardi vocātur quasi Pātheri lege Alber. Mag. lib. 22. de histor. animal.

Quia

Quia ergo Assyrij fuerunt sæuissimi in Israelitas, hac ratione, quia Deus hanc sæuitiam, & truculentiam permisit, sibi eam tribuit dicens, *Occurram eis, &c.* Per interiora iecoris, eorum intelligit omnia præclarissima & amantissima, quæ apud Israelitas erant. *Dirumpam, &c.* Hebrai. lacerabo pertinax cor eorum. *Et consumam eos quasi leo, & quasi bestia agri, scindet eos.* Leones quando dilaniant prædā, vsque ad cor. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*, Israel, est in casu vocandi. *Perditio tua ô Israel.* Subauditur est, idest, quod tu perdaris, & dissiperis, tuum est peccatum. Et vocat perditionem vitulum aureum, quem ipsi adorabant Israelitæ.

Idolū peccatū & vanitas nihil perditio.

¶Idolum enim vocatur in diuina scriptura peccatum, & iniquitas, vanitas (vt superius vocauit vates) nihil & perditio; quæ omnes appellationes illi congruūt ex effectu. Enim vero idolum quia incitat ad peccatum. Ideo appellatur peccatum: atque ob eandem rationem iniquitas. Vanitas vero, quia vanos facit suos cultores, vanum autem est quod fructu carent, & medūlam non habet, quia igitur cultus ille idolorum in quo idololatræ suam repositam habebant spem, erat nullius fructus imo erat multi nocumenti, ideo vanitas vocatur & ob idem nihil vocatur à Paul. 1. Corin. 8. ¶Perditio autem, quia cultores perdit non solum quātum ad hæc temporalia quæ cernimus bona, sed quo ad æterna missas facio alias nuncupationes: nūcupātur enim sordes, & abominatio transeuntes vidistis abominationes & sordes nihil enim tam sordidam reddit mentem quam idololatria, & nihil Deo infestius & abominabilius. Perditio igitur ex nobis est, quia ab adolescentia nostra sumus procliues ad peccandum. Et nihil Deo gratum præstare possumus, nisi nos foueat diuina gratia. Quanuis enim liberum arbitrium sit indifferens ad bonum, & malum, cæterum, bona Deo grata efficere nequit, nisi sit primo Deo gratus, Dona enim iniquorum nō probat altissimus Ecclesiast. 34. Quanuis, quia mala, gratia enim sanctum sunt quod sunt. 1. Corint. 15. Ex nobis ipsis prodeunt. Ideo perditio nostra est, salus autem Dei. Neque hinc argutetur Lutherus, quod omnia opera nostra sunt peccata, quia perditio nostra est, sanè nō est firma hæc collectio, perditio nostra est, igitur vniuersa opera nostra sunt peccata. ¶Fieri enim potest, quod qui est crimine obuolutus sit in statu perditionis, quia est in statu damnationis, non tamen proinde omnia eius opera sunt damnabilia. Vt neque, qui est in statu saluationis protinus omnia opera quæ facit, promerentur æternam salutē. Multa enim iusti faciunt, quæ non sunt secundum charitatis appetitum, sed neque contra Dei charitatem, ideo, non sunt meritoria, neque damnabilia. Qualia sunt venialia peccata, quæ non sunt obnoxia perpetuæ damnationi, neque præmium cæleste promerentur. Porro contendit Lutherus, vniuersa peccata esse mortalia, & nullum esse veniale, vt sic omnia opera nostra sint perditio nostra, & ex cunctis actis nostris sumus gehennæ filij id quod aduersatur euangelio, tradenti de omni verbo otioso, reddituros homines rationem, an verbum otiosum, quod nulli nocet, neque alicui prodest, erit mortiferum peccatū? non arbitror, quia quoad charitatem Dei, & proximi, non diuit mortiferum non est. Et quale est quo D. Basilius exponens hunc ait, esse verbum otiosum, verbum bonum, quod alioqui non ædificat, si verbum bonum non ædificans est otiosum, igitur non est mortiferum verbum, quoniam mortiferū verbum, non est bonum verbum. Et quale item est quod Apostolus scribens Ephesijs ait, Fornicatio autem & omnis immūditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent? cur Apostolus distinxit inter priora, & posteriora, de prioribus dicens, nec nominentur in vobis, de posterioribus autem, dixit illa ad rem non pertinere? Nisi vt annotauit Hieronymus, quod illa sunt ex suo genere mortifera hæc aurem non sunt ex suo genere mortifera, tamen quia ex suo genere venialia sunt, dixit ea ad rem non pertinere. Siquidem solum ad rem pertinent, quæ proficiūt ad vitam æternam: at contraria istis sunt crimina, quę nocēt nobis, auferunt enim à nobis ius consequendæ vitæ æternæ. Quæ autē neq; donāt ius ad vitā æternā, neq; ius tollunt, ea equidē ad rem nō pertinent. ¶Et quale itē est quod Dns carpens Pharisæos ait, Matth. 23.

Deut. 29.

Matt. 12.

Sunt quædam peccata venialia contra Lutherū.

Loci probātes quædā venialia, contra Lutherum & sectatores.

Eos excolare culices, & deglutire camelos? Nisi quia minima peccata magni faciebant, illa horrentes qualia sunt venialia, & maxima committere nihili pendebant. Istud enim est excutere à calicibus culices vino infusos, & deglutire alioqui camelos. Idem Dominus intellectū voluit ex verbis illis Matth. 7. Quid tu vides festucam in oculo fratris tui, & & trabem in oculo tuo nō vides? id quod est mos hypocritarum minima quæque in alijs damnare & grandes in seipsis culpas non aduertere. ¶ Accedit eodē, quod Paul. 1. Cor. 3. ait; Fundamentū aliud nemo potest ponere præter id quod positū est, quod est Christus Iesus. Si quis autē super ædificat super fundamentum hoc aurum, argētum lapides pretiosos, ligna fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit; quia in igne reuelabitur; Et vniuscuiusque opus, quale sit ignis probabit; si cuius opus manserit quod superædificat mercedem accipiet: si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit sic tamen quasi per ignem. Sanè, cōmode locus hic ad peccata venialia refertur, quæ peccant fideles. Hæc nanq; sunt fœno, & stipulis collata, quia leuia sunt, quæ quidem digna sunt pœna ignis non tamen æterna pœna, sed solum temporali, qualis est pœna purgatoria. Vnde inquit, ipse detrimentum patietur, siquidē tortquebitur anima fidelis in altero sæculo propter hæc peccata, si tamen illa non abstersit, tantisperdum viuebat; at vero tortura non erit æterna nisi per accidens, ideo ait ipse saluus erit, sed tamen quasi per ignem. Dixi nisi per accidens, etenim, accidere poterit, & accidet frequenter, venialia æterno puniri, quando videlicet socia sunt mortalium in homine, qui impœnitens ex hoc sæculo cōmigrauit in alterum. Tunc sanè punientur sine fine, non quod ipsa ex proprio merito pœnā illa erant condigna, sed quia mortalibus non dimissis, venialia non relaxantur.

Venialia per accidēs puniuntur æternō.

¶ Ad hæc Dominus, dicens Matth. 5. Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit cōcilio, qui autem dixerit fatuè reus erit gehennæ ignis, an non distinxit gradus in peccato iræ vt inde in alijs peccatis distinguere sciamus. Solumque vltimum gradum criminalem Dominus censuit: quia ait, reus erit gehennæ ignis. Nāque pœna hæc gehennalis, sola est, quæ afficit crimina, reliqui igitur gradus quos hæc pœna non mulctauit, non sunt criminales, sed veniales tametsi grauior est posterior primo: vt grauius est esse actū dignum concilio, quam iudicio, siquidem concilium grauiorem habet confiderationem, quam iudicium vnius particularis personæ. Nos de re hac plura diximus, 3. lib. Disputat. Theologicarum, quæ si voles indidem hauries. Hæc autem in præsentiarum sufficiat dixisse, vt Lutherani non insolescant contra ecclesiæ Catholicæ doctrinam, inficiantes peccata venialia, & affirmantes, omnia opera nostra esse crimina. Et omnia, ad quæ euangelia obligant, esse ad crimen obligantia violatores. *Auxilium tuum.* Habet Deus rerum creatarum à seipso indefessam curam, ideoque illis impendit auxilium suum. Nanque submoto diuino auxilio, vniuersa visibilia, & inuisibilia, redigentur in nihil concinente vate regio. Auferes spiritum tuum, & in puluerem suum conuertētur. Porrò autem est auxilium hoc generalissimum quo fruuntur vniuersæ creaturæ, ad suas actiones absoluendas. Vnde & dæmonibus non negatur. Et hoc auxilium scholastici Theologi, appellant quasi naturale, nulli enim negatur, sed omnia à sua creatione, hoc auxilio potiuntur. Est autem aliud auxilium quod est supernaturale, quod sanè, non ad functiones naturales absoluendas conceditur, sed ad alias superiores, naturæ actiones donatur. Quo auxilio non omnes creaturæ, sed solum rationales hoc auxilio dignantur à Deo. Irrationales enim creaturæ non ordinantur ad diuinam assequendam beatitudinem, ideo non egent auxilio supernaturali, quia non ordinantur ad finem supernaturalem, qualis est visio beata, quæ totius naturæ creatæ limites transcendit. At vero, cum creatura rationalis sortita est diuinum aliquid, scilicet mentem, ex hac ratione, est apta ad beatitudinem, egetque propterea auxilio eleuante eam, ad tanti finis consecutionem. Vt lignum sanè aptum est, ad suscipiendam figuram, verum nisi ex opera artificis ad hoc eleuetur, perpetuo manebit, non figuratum. Etsi in multis ne deficiat

Gradus peccatiræ à Domino distinguuntur vt inde in alijs peccatis distinguere sciamus.

Auxiliū multiplex.

Creaturæ irrationales nō egēt auxilio supernaturali.

deficiat hæc comparatio lignum enim non cooperatur artifici ad suam figurationem, at vero creatura rationalis, debet cooperari ad iustificationē, quia nisi pœnitentiam egerimus, peribimus. Itaque liberum arbitrium, non se habet passiuè solum sicut materia, sed habet suam efficientiam in sua iustificatione, quicquid obgāniat Lutherus cum sua schola, quem damnat Concilium Trident. sessio. 6. can. 4. Enim vero, si nihil operatur, qua nam ratione beatitudo est premium iustificationis? vtique militibus, dantur in præmium militiæ, stipendia militaria, quia militiam gerunt, & ob strenuè gesta ab illis, coronantur in triumphis. Cum igitur militia sit vita nostra super terram. Petro docente. Aduersarios noster diabolus, sicut leo rugiens circuit, quem deuoret, cui resistite inquit fortes in fide vbi pugna est cum diabolo, cum carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, vtiq; si huic pugnæ resistendum est, vt est resistendum qui fortiter resistit, ille præmiū reportat, igitur reportat ex merito, aliàs non esset præmium, quod si meritum est: igitur actio aliqua concedenda est, & nō est in libero arbitrio sola receptio, vt etiā Hēricus Gandensis, opinatus est, quodl. 12. quæst. 5. vbi credit quod volūtas nō se mouet, sed obiectū mouet eam ipsaq; potest recipere, vel repudiare hunc motum, at in reliquo passiuè se habet. Quanuis non est inficiatus libertatem arbitrij, vt Lutherus. Eatenus enim credit esse liberum, quatenus Deo vocanti poterit annuere, aut repugnare. At vero catholica veritas est, quod non solum est liberum quantum ad hoc, quod Henricus fatetur, sed quantum ad cooperationem cū Deo iustificante: nanque pœnitendo, & dolendo de erratis anteactis, Deo cooperatur, & rursus perseuerando in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ, cooperatur Deo donanti perseuerantiam. At quo ad beatam visionem, suscipiens, est, eam, & non agens eam liberum arbitrium, vt multis est confessum. Siquidem intellectus creatus non se beatificat, sed Deus est, qui eum beatificat imprimendo in mentem beatam visionem. ¶ Verum neque hoc, est admodum probatum. Siquidem, cum ab obiecto & potentia producatur, notitia illa autem Dei visio, sit clara diuinitatis notitia, cur mens beata non cooperabitur Deo? Maximè quia iam tum sublimitatem luminis gloriæ est adepta, ex qua poterat Deo ad tam beatam cooperari notitiam. Et quid si concedamus quod mens se beatificat, non principaliter operando, sed Deo beatificante cooperando. ¶ Porro quoad quæstionem hanc receptui canamus, quia eam in nostris disputationibus Theologicis, pro nostra virium portione, disputauimus.

Liberū arbitriū actiuè est, & non solum passiuum.

An mens creata producat cum Deo suam beatitudinem.

¶ Redeamus igitur ad nos ipsos, auxilium, igitur speciale est super naturale auxilium quo creaturæ rationales potiuntur, ad fidem, charitatem, & spem, diuinam habendam, ad condignam pœnitentiam faciendam, ad perseuerandum in bono, &c. Id quod Dominus innuit dicens, Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Hic tractus est auxilium actuale, quo trahimur ad Deum. Dixi actuale, quia est habituale auxilium, quo non vtimur at vti possumus. Quale illud est quod in Apocaly. legimus, Ego sto ad ostium, & pulso, &c. Est porrò in auxilio hoc latitudo valde spatiosa, quia quoddā est auxilium speciale, sed singulare, quod non omnibus conceditur, sed quibusdam solummodo personis. Quale fuit auxilium quod Paulo est à Christo concessum, vt traheretur ad fidem Christianam. Hocque cōmunicatum fuit sanctis Apostolis sanctisque martyribus, & alijs sanctis, de quibus scribitur mirabilis Deus in sanctis suis. Isti enim qui erant futuri columen ecclesiæ catholicæ, & sustinuerūt maxima certamina, cum iniquis huius sæculi, egebant singularissimo Dei adiutorio, ne laberentur, sed immobiles perseuerarent in fide, & mandatis Dei. Deus nāq; quæ est eius incomprehensibilis sapientia, vniuersa moderatur, summo libramine, ideo pro ecclesiæ & fidelium opportunitate, sua dispensat auxilia. Ecclesia autem catholica in omnibus horis canonicis, hoc in earum exordio implorat auxilium dicens, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, Non sanè petit auxilium generale, sine quo nulla actio naturalis exequi potest, sed abs Dauide edocta, auxiliū speciale petit: sanè vt Deus fidelium mentes, dirigat in vitam æternā, *Vbi est nunc rex tuus*, insinuat iam iam imminere illis calamitatem captiuitatis, sub qua rex eorum Salmanasar fuit captus, & depositus

Quid sit auxilium speciale.

Auxiliū actuale auxilium, habituale.

à regno, & Israelitæ orbati regia celsitudine, ideoque hoc tempus iam prævidens propheta veluti subsannans eorum vires, & arrogantiam, ex regio fastu, ait, vbi est rex vester? quasi dixisset vbi est vestra in rege, & regni opibus gloriatio vana qua fiducia, quæ non poterunt vos eruere, ab Assyriaca potestate, vos deserere? *Maximè nunc soluet te in omnibus vrbibus tuis*, putat ex dictis & iudice, me tui subaudi, vbi nunc sunt vt possint tibi ferre opem? *De quibus dixisti, da mihi regem, & principes.* Refert se ad tempora antiqua, quando Israelitæ, magna instantia expetebãt à Samuele regem: id quod Dominus, ad suam contumeliam esse factum testatus est per Samuelem. Vnde ex eo refricat, gestum istud antiquum, vt insinuet Israelitas ex antiquo fuisse superbos contra Deum & contemptores diuinorum beneficiorum. *Dabo*, pro dedi tibi regem in furore meo, & *auferam*, pro abstuli in indignatione mea. Regum historia apertè demonstrat, Dominum non gratum habuisse, postulationem regis, sub Samuele. Enim vero, sub Samuele & alijs iudicibus, regebantur à Deo mirabiliter Israelitæ. At vero ipsi contemnentes diuinã gubernationẽ, & quasi non sibi satis fuerat consultum ex illa amarunt magis regiam gubernationem. Ideo Deus aduersus eos indignatus fuit, & eos exterruit propter huiusmodi diffidentiam, qua affecti erãt ad diuinam gubernationem, ideo ait, *Dabo regem in furore*. Obijcies forsan, qua nãratione; hoc astruit scriptura datũ fuisse regem Israelitis in furore Dei? quando quidem, Saulem Deus elegit bonum virum, & non erat in Israel melior illo, vt scriptura commemorat. Deus enim non eligit malos, sed bonos præfert alijs. Homines autem plerunque eligunt peiores vt præsint alijs, vel quia decepti, vel quia corrupti eligunt: at vero Deus, quem neque deceptio perturbare potest, neque corruptio afficere, eligit optimos quosq; vt alijs præsint. Vt elegit Mosem in ducem populi sui elegitque Iosue, Dauid, & alios optimos viros, vt deducerent populum suum. Electio enim Dei, electum idoneum facit, vt munus ad quod eligitur, sufficienter administret: at vero electio humana, non idoneos facit electos si ipsi aliàs inepti sunt, ad huiusmodi gubernacula suscipiẽda, cæterum etsi Deus eligat bonos, & non malos, ipsa tamen electio non cogit liberum arbitrium, aut necessitat ad bonitatem seruandam: nam tam liberi sunt electi isti ad vtrunque, & malum, & bonum, quam erant antequam eligerentur. ¶ Quamobrem, credimus Iudam Domini proditorem bonum fuisse, quando à Domino fuit electus ad apostolicam functionem, cæterũ ex sua prauita te, non iuxta gratiam apostolici muneris sibi concessi, sed iuxta suam iniquitatem lapsus est in nefandissimum vendẽdi Dominũ crimen. Ita & Saul, iustus erat quãdo à Domino fuit electus, vt esset princeps Israelitici populi, verũtamen, qa electio Dei ipsum reliquit liberum, declinauit à iustitia, sub qua fuerat electus ad iniustitiam. ¶ Fuit enim impius in Deum, consulendo Pythonissam, & iniustus in homines, occidendo in Nobe Domini sacerdotes, & persequendo tyrannicè Dauid iustum, & alia huiusmodi patrando scelera. ¶ Quod si dixeris cur igitur Deus hunc elegit in Regem, quem prævidit, tyrannum futurum? Et eadẽ quæstio est de Iuda proditore, & eadem de angelis malignis, & de Adamo cur hunc permisit tentari, quem sciebat lapsurum, magno totius orbis exitio. ¶ Respõdetur, quod iudicia Domini abyssus multa. Vnde dicebat ille, Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ: propterea inscrutabiles sunt diuinæ actiones. Vt Paulus commemorat dicens, O altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, hæc autem quę quærebamus, ad huiusmodi, pertinent. ¶ Cæterũ si profundissima diuinorum secretorum voraginem me, vel leuiter placet tibi tangere, dixerim Deum Saulem elegisse iustum, quem prævidebat iniustum futurum: siquidem Israelitæ ob suum peccatum, contemnendi Dei mirabilem, quam gerebat eorum curam, talem dedit Regem, qualem poscebat petentium diuinus contempús. Elegit vtique iustũ, quia hanc iustitiam exigebat Dei electio, elegit item quem prævidebat futurum impium & iustissimum, quia talem poscebant coram Deo Regem mala merita postulantium. Et istud est quod ait, *Dabo tibi regem in furore meo*. Considerata enim tyrannide ventura dedit Deus Israelitis Regem

1. *Reg.* 8.

1. *Reg.* 10.

1. *Reg.* 12.

Electio Dei idoneum facit electũ secus electio humana.

Electio diuina nemi nem cogit ad bonum faciendum opus.

Quæstiões profundæ,

Regem in furore suo, ad vindictam suorum scelerum, qui facit regnare hypocritam propter peccata populi, considerata autem electione diuina, non erat datus Saul in furore: sed in miseratione: quia iustus & bonus fuit electus. Iudas autem proditor fuit à Christo electus, instituerat enim Deus malo huius Apostoli benè vti ad salutem humani generis. Itaque Iudas abusus est apostolica functione, vendens magistrum suum, at Dominus optimè vsus est Apostoli prauitate vertens eam in redemptionem humanã. Vnde & docuit prælatos, & magnates ecclesiæ: hoc exemplo Iudæ ne credant, quod locus sublimis ecclesiæ, in quo ipsi à Deo constituti sunt, eos securos facit, ad cõsequendam vitam æternam, quandoquidẽ Iudas in sublimitate apostolica collocatus, turpissimè est lapsus, & tandem miserabiliter vita est defunctus corporali, & mortem nunc patitur æternam.

¶ Angelos autem Deus malos, non creauit malos, sed optimos, malitia enim nulli est naturalis: quia Deo autore nemo fit deterior: at vero ipsi ex libertate sui arbitrij elati sunt in Deum. Deus autem suam elationem prævidit, at nihilominus eos creauit, ad commendationem suæ ineffabilis iustitiæ. Ex qua vt inquit Iudas Apostolus, quia non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerũt suũ domicilium in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.

¶ Et equidem est hæc altitudo diuinæ sapientiæ, res quas condidit finere, sequi vel naturam suam si naturales res sunt vt sol, luna elementa, & mixta, aut suam libertatem, si rationales sunt, ideoque reliquit omnes angelos, vt propriam in qua eos Deus condiderat sequerentur libertatem. Quia sanè qui abusi sunt, condignas dant pœnas qui verò rectè vsi, æterna reportant præmia. Ex malignis autem spiritibus sancti multa referunt commoda, quia ex victoria contra eorum impulsus, fulgentiorem obtinent coronam.

¶ Ad eandem rationem, vltimæ quæstioni respondebis, sicut & alijs responsum est, quia omnes idem petũt, etenim creauit Deus hominem & reliquit in arbitrio suo, vel obedire, vel non obedire mandato sibi proposito. At eum finere in sua potestate, erat congruum diuinæ sapientiæ, vt prædicebamus: quid quod & primo homini, & angelis collata est in sua creatione Dei gratia, quæ ipsos in Dei amorem super omnia inclinaret, totum ergo, quod Dei erat, vt ipsi in gratia Dei in qua creati erant persisterẽt, eis fuit donatum, quo circa etsi Deus prævidit lapsurum primum hominem, creauit tamen eum, non vt laberetur, sed vt Deum conditorẽ summis laudaret laudibus. Prævisi tamẽ lapsus, ipse Deus prævidit restaurationem. Instituens æterno quod verbum caro fieret, vnde canit ecclesia, ò felix culpa, quæ talem & tantum meruit redemptorem. *Et auferam in indignatione mea.* Dedit Deus Saulem in Regem Israelis, quem prævideret futurum impium, ideo dedit talem Regem in furore suo, vt pœnas sumeret de cõtemptu suo, verum abstulit eundẽ Regem, quia non processit regia dignitas in prolẽ Saulis, sed translatum est regnum in Dauidem & eius sobolem: & ablatus est Saul, propter eius impietatem. Et ideo ait, *Auferam in indignatione mea.* Itaque datus est prævisus impius rex ex ira Dei, & oblatus est impius rex item ex ira Dei, propter Saulis iniustitias. Vnde Eccles. 10. Regnum à gente in gentem, trãsfertur, propter iniustitias, & iniurias, & cõtumelias, & diuersos dolos. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.* Scripsit Apostolus ad Rom. 2. contra Iudæorum veteratam perfidiam, in hæc verba, Ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundũ autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei: hoc ipsum noster insinuat vates, contra Israelitas, quos subnotat sub nomine Ephraim. *Colligata est* (dicens) *iniquitas Ephraim.* Enim vero, quæ maximè reseruare studemus, abscondimus & multis colligimus ligamentis, vt accidit thesaurizantibus significeat igitur, quod Deus memorerit semper iniquitatum & peccatorum Israelitarum, quia habet ea asseruata in sua indelebili memoria. ¶ Deus equidem nihil obliuiscitur, cæterum quæ peccata non punit, illa dicitur obliniscì, & quæ puniturus æternò est, ex impœnitentia autorum, illa dicitur memorari, memoria æterna. Quia ergo capriuitas Israelitarum, de qua sæpè dictum est, erat à Deo infligenda perpetua, ideo, ait esse colligatam eorum iniquitatem, quasi dixisset,

non

non esse parcendum peccatis Israelitarũ, propter duritiam eorum, & impœnitens cor. *Dolores parturientis venient ei, ipse filius non sapiens.* Grauissimi sunt parturientis, id quod etiam euangelica lectio insinuat, maximè ex primo partu. Quia tũc natura muliebris, quia nõ experta est partus difficultatem grauissimos sustinet dolores, vt puellis puerperis, accidit, quando pariunt. Vt Aristotel. ait. 7. de histo. ãnim. cap: 1. Significat igitur grauissima mala esse Israelitis ex diuino numine ventura & præter opinionem ipsorum, vt dolores parientis *ipse filius* phrasis est Hebraica, id est homo non sapiens. Quasi dicat propter Israelitarum ignorantiã, quia repulerunt Dei scientiam, vt supra is ipse vates dixerat, ideo sustinebunt durissima supplicia. *Nunc enim non stabit, in contritione filiorum.* Non stabit regnum Israelitarum, quia abolendũ erit ab Assyrijs, quando conterat filios Israelis, id est ducet eos captiuos. Sumit contritionem, pro captiuitatis miseria, quia captiuitas, Israelitarum vires maximè cõtriuit. *De manu mortis liberabo eos de morte redimam eos.* Vide obsecro, quã de repente loquentis austeritas mutatur: hactenus enim loquebatur Deus austera valde, populo Israelitarũ, nunc vero, mutat loquendi austeritatem, in sermonis dulcedinem. Quippe ait sub persona Dei vates, *de manu mortis liberabo eos.* Et hæc verba non possunt referri ad liberationẽ à captiuitate Assyriaca, quia ob illa non fuerunt liberati Israelitæ: neque de assertione à captiuitate Romana intelligi possunt, qua vsque modo Iudæi premuntur: propterea referre oportet ad euangelicam Christi gratiam.

Ioan. 16.

Puerperæ grauiter pariunt.

¶Enim verò, hanc qui susceperunt, liberati sunt à diabolica qua tenebantur captiuitate: & à morte æterna sunt liberati. Euangelica nanque gratia neminem nũc eripit à morte temporali corporis, statutum enim est omnibus hominibus semel mori: at vero nunc à truculẽtiore nos eripit morte, quæ est animæ mors æterna: at eripiet tandem à corporali in finali iudicio. ¶Et hæc expositio videtur germana, cum propter rationem iudicatã, tum propterea quod Paulus. 1. Corinth. 15. indicat locum mox subdendum à vate. *Ero mors tua, ô mors & morsus tuus inferne,* Id quod ipse retulit, ad Christi victoriam atque triumphum, quod reportauit de morte tertio die surgens à mortuis: & de inferno triumphauit, spolians principatus, & potestates, & traducens confidenter, animas subaudi Sanctorum patrum, quas lymbicæ tenebãt sedes: quia igitur, nõ oẽs animas, quæ apud inferos agebant Dominus eripuit à tenebricosis illis locis, sed solum, quas lymbus tenebat, quæ collatæ omnibus alijs, erant paucæ, ideo aptè ait ero morsus tuus inferne. Nã quæ mordẽtur ex morsu particulã substantię suæ amittunt nõ, tamen totũ absumitur. Alia translatio, sic habet. *Ero pestes tuæ, ô mors, ero excidio tua, ô inferne.* Et sensus nõ variat, est nanque sensus ego absumam te ô mors, vt pestis absumit, quæ afficit: & ero excidio, id est ero tua ruina, ô inferne. Sanè quia Dominus confregit portas inferni ferreas, soluens animas sanctas ab antiquissimo & indissolubili, per humanã potentiã carcere, ideo rectè dicitur, quod Dominus est excidium, siue ruina inferni. Græca veto, aliter habent, *Vbi causa tua mors? vbi aculeus tuus inferne?* At Paulus, aliter indicat, *Vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus?* Explicat autem Paulus quid sit mortis stimulus, dicens, Stimulus autem mortis peccatũ est, peccati enim causa mors introiuit in mundum. Quia igitur Christus morte sua deleuit vniuersa peccata, quoad sufficientiam, etsi non quoad efficaciam: siquidẽ mors Christi ipsa est sufficiens de se, delendis vniuersis peccatis mundi, credentibus in eam: cæterum hanc deletionem non efficit in multis, quia non credunt neque aurant multi homines Christum. Nam actus actiuorum, sunt in patiente benè disposito. Et Christus habet se sicut causa vniuersalis, quæ operatur suum effectum, per medias causas, particulares. Quandoquidem causæ remissionis peccatorum particulares sacramenta sunt quæ instrumentorum vicem tenent, in conferenda susciptentibus Dei gratia.

Euangelica gratia nũc nõ eripit à morte temporali eripiet autem in die iudicij.

Ad Colos. 2.

Vatabli.

Christus est tanquã causa vniuersalis remittendi peccati & conferẽdæ gratiæ.

¶Qui ergò, sacramentis istis à Christo institutis, non subdit collum suum, ille causæ gratiæ & iustificationis vniuersalis, scilicet Christi, influxum nequit recipere. Quamobrem optimè Paulus ait, Vbi est mors stimulus tuus? quasi dixisset, Vbi est tyrannis peccati, vnde processu mors? Et respõdeat ipse, nullibi est, quia per Christum superata est peccati tyrannis, volentibus vti Christi sacramentis.

¶Qui autem tyrannide hac adhuc torquentur, sibi succenseant non Christo, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam nostram resurgendo reparauit. ¶Omnes igitur relatæ translationes, eundem ferè sensum habent: eò enim tendunt, quò Christi gloria & maiestas significatur, quam demonstrauit superando mortem, & peccatum. Etsi ad literam citatio Pauli, neque conuenit cum Græcâ, neque cum Hebræa litera: quanuis sensu conueniat cum vtraque, id quod familiare est Apostolis, & euangelistis factitare. *Consolatio abscondita est, ab oculis meis.* Hebraicè pro eo quod vulgata habet consolatio, legitur Noham, quæ vox significat pœnitudinem, Vnde litera Hebraica hæc est pœnitudo abscondita est ab oculis meis: & est sensus, nũquam ait, Deus pœnitebit me misericordiæ quã dixi vobis impendendã: videlicet, quod sum erupturus vos à morte &c. Et istud est *abscondita est pœnitudo* mihi, id est ignoro pœnitentiam, id est, non pœnitebit me, sicut enim scire, est approbare, ita nescire vel abscondi ab oculis, est non approbare, aut reijcere pœnitentiam, & reijcere hanc, est non retractare misericordiam. Græca autem translatio, est eadem, quæ vulgata, & hãc sic expones, vt sicut hæc verba vatis, qui prænidẽs spiritu, Christi, quam diximus contra mortem potentiam, & misericordiam ab eo hominibus largiendam, quasi dolẽs vates, quod huiusmodi Christi magnalia nõ erit ipse visurus oculis carneis, nam multo post sæcula Osee Christus venit in mundum, ait abscondita est hæc hominum consolatio subaudi, ab oculis corporis mei. Nam votum omnium hoc erat in ardentissimis votis Christũ in carne videre. Amen ait, Christus, dico vobis, quod multi Reges, & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. *Quia ipse inter fratres diuidet adducet ventum vrentem.* Bifariam hic locus exponi potest, prima expositio est, q vates, postquam interseruit mentionem Messiæ (id quod est commune omnibus sanctis vatibus in vaticinijs suis facere) regreditur modo, ad id vnde digressus fuerat, scilicet ad increpandam malitiam Israelitarum. Nam dixerat paulò ante *colligata est iniquitas Ephraim* nunc addit, Quia *ipse* subaudi, *Ephraim fratres diuidet*, Intelligens per Ephraim Ieroboã Ephraimitam, hic enim Ieroboan diuisit fratres. Erant nanq; Hebraica phrasi, omnes duo decim tribus fratres, at vero Ieroboan schisma fecit in tribubus istis, quia diuisit tribus decem à Dei cultu, à duabus tribubus colentibus Deum: ideo ait, diuisit inter fratres. Et propter hanc diuisionem, adducet Dominus *ventum vrentem*, vocat regem Assyrium, vel potestatem Assyriacam, ventum vrentẽ, metaphoricè, quia omnes decem tribus Assyrius absumpsit. Vt ventus vrens omnia gramina, & arbores deurit & siccat. Hebraicè *ventũ oriẽtalem*, intelligit subsolanum ventum, aut Eurum, vt supra dictum est. *De deserto ascendentem*, traditur quod inter Assyrios, & Israelitas, erant vastæ solitudines, ideo ad significandum Assyriorum tyrannidem, ait de deserto ascendentem. *Et siccabit venas eius.* Quando maximè solet æstuat vel ventus fontes siccantur, metaphoricos significat, q Assyrius rex, destruet omnia ex quibus voluptatem, & consolationem hauriebant Israelitę, vt à fonte. *Et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.* repetit sub alia forma verborum, quod dudum dixerat siccabit venas eius. Per thesaurum, & per vas desiderabile sumpellectilem omnem pretiosam intelligit secunda expositio, totum hunc sermonẽ vatis refert ad Christum sub hac ratione. *Quia ipse diuides* ipse Christus, qui est Dominus vitæ, & mortis, & rediturus ex sepulchro calcauit mortẽ, & peccata nostra abstulit & ipsum non subibit pœnitudo, donorum hominibus largitorum. Quia ipse scandens tribunal dextræ patris, inter fratres suos Apostolos, nã hac honorificantissima appellatione, dignatus est Apostolos appellare Ioan. 20. Vade ad fratres meos, & non solum illos, sed omnes fideles vocat fratres, ad Hebræ. 2. Non eonfuditur fratres eos vocare. Diuisit igitur sanctis Apostolis in die Pentecostes Spiritus sancti igneas linguas. Nã apparuerũt super caput ipsorum dispertitæ linguæ, tanquam ignis. Et diuidit semper gratiam Spiritus sancti, & dona eius distribuit fidelibus, vnicuique secundum mensurã fidei, ad Rom. 12. Et quod sequitur, *adducet ventum vrentem Dominus*, ad conflagrationem, quæ futura erit in diem iudicij videtur pertinere: id quod Psalm. testatur dicens, Ignis ante ipsum præcedet, inflammabit in circuitu inimicos

Lucæ 10.

1. *Cor.* 3. cos eius. Quia Paulo docente, dies Domini in igne reuelabitur. Hic ventus vrens describitur, quia vniuersa mixta vastabit & electos, quibus tunc ignis inueniet hic, purgandum aliquid habētes, purgabit, vt nos vberius tractauimus in declamationibus nostris, ad Isaiam prophetam. *Ascendentem de deserto.* Etenim vero id temporis mūdus remanebit sicut desertū, quoddam, nam orbabitur, omnibus virgultis, piscibus, animalibus, & ideo, ab eò quod erit denominatur desertum, mundus hic. Vnde ascendet ventus huiusmodi vrens. *Et siccabit, &c.* quia omnia vastabit illico conflagratio. Et videtur, plausibilis hæc expositio, propter duas causas, quia dudum propheta meminerat de Christo, quādo aiebat quod ipse erat liberaturus *suos de manu mortis &c*, Vnde videt, quod litera quæ sequitur continuo. *Quia ipse diuidit inter fratres*, sit etiam de Christo in-
Vatablus. telligenda, propter sermonis contextum: & secundo, quia huius vulgatæ editionis literæ. *Quia ipse intra fratres diuidet*, alia trāslatio, aliter edidit, videlicet. *Quia ipse inter vireta florebit.* Id quod aptissimè congruit Christo, qui inter vireta, id est, inter agmina sanctorum omnium ipse solus maximè omnium floret. Vnde & floridus vocatur ipse enim ex prædictione prophetica. Nazareus, ideſt floridus appellandus erat. Est enim flos campi, & lilium conuallium, & de eodē scriptum est Isai. 9. Egredietur virga de radice Iesse, &
Ieroboan. flos de radice eius ascendet. Sanè congruè Christus flori propter eminentiam suæ pulchritudinis confertur, quia speciosus forma præ filijs hominum. Et flos campi aptissimè prædicatur. Siquidem flores camporum, non egent cultura: sed sponte nascuntur ex fecunditate agrorum; ita Dominus sine cooperatione virili, natus est ex Maria virgine: quā fœcundauit, non semen terrenum, sed cœlestis Spiritus sancti pluuia. Spiritus ait, Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi. Obumbrabit tibi: verum qualis sit hæc translatio Vatabli in præsentia ego non iudico, si inquam est germana textui Hebraico.

*

EXPLANATIO
IN CAP. XIIII. OSEE.

PEREAT *Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum: in gladio pereant, paruuli eius elidantur, & fœtæ eius discindantur.* Hoc capitulum, & sequentia diuinæ iustitiæ in rebelles Deō demōstrat, & suauitatem diuinæ misericordiæ, in sibi morigeros quæ accidit sub lege euangelica patefacit. *Pereat* Samaria erat quōdam regia ciuitas, caputque regni Israelitici. Vnde vates illi precatur excidium, dicens, *Pereat*, id quod qualiter sit accipiēdum abundè supra ostendimus. Enim vero, sæpè huiusmodi locutiones, reperiuntur in sacris scriptis, vt fiant eorum tenebræ &c. Id quod vel vt propheticè dictū, est audiendum fiant pro fient. *Pereat Samaria*, pro peribit, aut dicere oportebit, fas esse mala temporalia fratribus desiderare, vt ex malis temporalibus, resipiscāt à peccatis suis. Meminit autem Samariæ, quia sub Samaria comprehendebatur totum rēgnum illud: vnde illa pereunte, totum regnum collabebatur. *Quoniam*, per amaritudinem supra intelleximus, idolo latriam, & hoc loco vltio idololatriæ, subauditur. Samaritæ igitur concitauerunt Dominū, ad sumendas pœnas amarissimas, seu grauissimas de Israelitis. In Deo porro nulla est, aut potest esse amaritudo, verum, quia vltio acerbissima erat sumenda de offensoribus Israelitis, ideo ex effectu, ait ad amaritudinem concitauit Dominum. Neque Deus concitatur, aut prouocatur propriè, sed hæc accipe per translationem esse dicta, ratione, scilicet operationis, vt in præfatione relatum est. *Parvuli* crudelitatem, & æquitiam hostilem in Israelitas exercendam subnotant verba ista, qua nulla potest esse maior, quam paruulis innoxijs non parcere, & præguantium vteros discindere, vt fœtus effundant cōtra ordinē naturæ, quod est omnium atrocissimum, & passi sunt hæc mala Israelitæ sub suo Rege Osea.

¶ *Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniā corruisti in iniquitate tua.* Etsi non corruerant id temporis quando hæc tradebat vates, at vero quæ iam instabat eorum ruina, reputatur præsens, aut iam exacta

exacta *conuertere*. Ne ruinā patiaris grandem cōuertere Israel ad Dominum Deū tuum: quia nulla tibi nocebit aduersitas, si nulla tibi dominetur iniquitas. *Corruisti*, id est causa tuæ instantis ruinæ, erit iniquitas tua. Temporalia mala & calamitates, etiāiusti sustinent frequēter, vt liber Iob satis ostendit, & Tobiæ liber attestatur, & alij plerique Sanctorum, vt martyres beati Confessores, & demum omnes qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur, at vero, in malis quæ patiuntur non corruunt, quia stant immobiles in Dei amore. Et licet videatur insipientibus eorum passiones esse ruinas: at vero cora Deo sunt exaltationes. Impij vero, tum hæc patiuntur, corruūt propter suas impietates. Enim vero, quia iniquo animo ferunt quæ patiuntur aduersa & nihil aduertunt, ea commeruisse ferre mala, ideo corruunt in sua iniquitate: nanque ex malorum successu, qui illis contingit, non prudentiores, non cautiores, non correctiores, sed iniquiores euadunt. *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum.* Ne corruatis in vestra iniquitate, propino vobis præsentaneum pharmacum, tollite vobiscum verba confessionis, & pœnitudinis, Ne prædicetis peccatum vestrum sicut Sodoma prædicauit, sed potius recognoscite culpas vestras, & eas damnate, & quæ placebāt vobis ex vestra libidine, iam displiceant ex Dei amore, hac nanque ratione conuerte
2. *Reg.* 12. mini ad Dominum. Sic fecit Dauid, post quam enim de peccato suo fuit admonitus à Nathan Dei vate, non fuit indignatus de obiurgatione, imo confessus est se peccasse contra Dominum. Et ideo prophetico verbo consolatur Dauidica pœnitentia, illo inquam verbo, & Dominus quoque à te transtulit peccatum tuum. Et quidem mira est pœnitentiæ virtus, quæ tam cito purgat, & propellit à pec-
2. *Reg.* 12. catore peccatum. Solum dixit, Peccaui contra Dominum Dauid, & continuo audiuit peccati remissionem à Deo illi esse concessam. Deus nanque, magis amat remittere culpas, quam punire & ideo hoc expectat à nobis, vt doleamus sufficienter de peccatis nostris: id quod simul atque præstamus, ipse continuo, delet peccatum nostrum. Et hanc deletionem, vocat Nathan Dei vates translationē peccati. Quasi dixisset, Ecce iam ò rex te pre

Iusti non corruunt dum patiūtur.

Pœnitentiæ admonitio.

Deletio peccati translatio vocatur peccati.

mebat adulterij peccatum, atque homicidij crimen, quandiu non pœnitebas propter Deum verum, quia iam pœnites, id circo, hoc peccati pondus, istud criminū tuorum grauamen, quo grauaris, Dominus à te transtulit, quia illud à te abstulit. ¶ Porro autem etsi tunc sat erat dolere de peccato propter Deum cum animo iterum non committendi, verū nunc non sat est. Quoniam Christus, aliud adiecit necessarium ad veram pœnitentiam, videlicet, subdi clauibus ecclesiæ. Aliàs frustra claues cōcessisset ecclesiæ suæ dicēs, Quodcunque solueritis erit solutum, & quod ligaueritis, erit ligatū, & c. Nisi nos teneremur istis clauibus subdi. Quod si dixeris, satis est clauium concessioni, ne sit frustranea, quod sit in cōsilijs & q vo lenti subdi, pficua sit subiectio, nō tñ necessaria. Respōdetur, q ecclesia Dei nunquā intellexit esse de consilio confiteri, itaq; nunquā sit necessariū confiteri, imo semper intellexit esse in diuinis præceptis. Et rectè siquidem ait, Quorum remiseritis remittuntur, quorum retinueri
Matt. 16. *Matt.* 18. tis, retenta erunt. Quid obsecro est quo-
Ioan. 20. rum retinueritis retenta erunt, vtiq; quæ vos videritis non remittenda, non remittentur. Necesse est igitur, quod fidelis se subdat clauibus, vt sacerdos aduertat, si dignus est absolutione an indignus. Nam si non subditur, peccata non se subdētis, retinentur quandiu clauium virtute, non remittuntur. Tu intellige subdendos fideles esse clauibus, vel in re, vel in voto, si confessoris copia non datur. Si forte animum tuum subijt plura de istis nosse, lege disputata à nobis in quartum Sententiarum librum in distinct. 15. & declamationem nostram de pœnitētia ad Isaiam. *Tollite* verbum Hebræum hic positum est Kehu, à verbo Lecaa, quod significat tulit, accepit, assumpsit. Vnde sensus est accipite, vel assumite verba subaudi verba diuini numinis placatoria. Qualia sunt verba, verè pœnitentium. Qualia erant verba Dauidis dolentis de peccatis, quæ expressit Psalm. 50. Et aduerte obiter, quod etsi Dauidi iam erant donata peccata citra exteriorem pœnitētiam, vel cineris, vel sacci. Siquidem continuo dicenti, Peccaui contra Dominum, dictū est, & Dominus abstulit à te peccatum tuum, nihilominus, postmodum, multam egisse pœnitentiam exteriorem septem qui

Ad veram pœnitentiam non sufficit dolere de peccatis, sed necesse est subdi clauibus ecclesiæ.

Nō sat est contritio pœnitentibus vt liberentur à lustratorijs pœnis, sed etiā est necessaria satisfactio

qui vocantur Psalmi pœnitentiales testã tur. Et ratio est, quia in peccato duo sunt & culpa ipsa, & offensa, quæ Deo aduersatur, & hominem constituit Deo inimicum & ingratum, & item pœna, quæ est culpæ à Deo infligendum supplicium, fieri igitur potest, & frequenter accidit, quod per contritionem deleta culpa, ad huc homo maneat obnoxius Deo inflicturo supplicium. Vt Dauid est nobis exemplo, qui post donatam culpam, magnam sibi indixit pœnitentiam: vt supplicium à Deo infligendum purgaret.

¶ Sanè supplicium æternum continuò à donata culpa donatur. Enim vero, cum statim à donata culpa, homo diuinam ineat amicitiam fieri nequit, quod obnoxius remaneat pœnæ æternæ, quæ solũ infligenda venit Dei inimicis. Ideo rectè tradunt Theologi, huiusmodi pœnam æternam à contritione deleri, cæterum, vt diuinæ iustitiæ satisfiat, illa æterna cõmutatur in temporalẽ, quæ exoluat restat post animi humiliationem & contritionem coram Deo, operæpretium enim est vt mitius se gerat Deus cum amicis, quam cum inimicis. Vnde ob hanc causam confessarij suis pœnitentibus imponunt pœnalia opera ab eis absoluenda, nempe vt hanc temporalem pœnã, quã Deus in altero seculo, est inflicturus ex purgatoria flamma, ipsi sua satisfactione per pœnalia opera recompensent. Quod si æqua fuerit peccatis satisfactio à confessario pœnitentiæ imposita, pœnam venturam, præsenti pœna pœnitentes, à se tollunt, si iniunctam diligenter expleuerint. Aut si illa non fuit sufficiens opera pœnalia quæ ipsi sponte propter Deum assumpserint, venturum purgatorium ignem extinguent. *Tollite verba*, idem est quod Dominus ait Matth. 11. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Et nobis quoq; dicitur, vt tollamus verba sancti euangelij, quæ sunt verba diuina, vt per Oseam Israelitis dicebatur olim, quod tollerent verba legis, & sanctorum prophetarum, quæ obliuioni tradita ab ipsis erant. Et iubet ea accipere, vt inde discerent, se offensores fuisse æterni numinis, & inde discerent etiam, pœnitentia esse Dei maiestatem placandam: ideo ait. *Tollite verba*, subaudi verba mea, quæ sunt legis verba, & prophetarum sanctorum. Vnde legimus Augustino dictum esse ex cælesti voce, Augustine tolle lege. Quia Deus Augustino iubebat, vt Pauli locum legeret induite Dominum nostrum Iesum Christum. *Et dicite ei omnem auferet iniquitateu*, Solius Dei est, auferre peccata, docente Psalmo gratiam & gloriam dabit Dominus. Vnde Pharisæi offendebãtur ex verbis Domini, donãtis peccata. Quia cum non credidissent eum esse Deum, sed purum hominem, ideo blasphemię deputabant, quod donaret peccata. Et causa prompta est, siquidem peccatum, est diuini numinis offensio, Dei autem offensam solus ipse donare potest qui offensus est. Vt apud nos, læsus est qui solus donare potest læsionem sibi factam. Imo Deus ipse, quæ est eius summa moderatio, in cunctarum rerum suaui administratione, nonnulit donare offensam factã proximo, proximo inuito, cum tamen posset si vellet. Ideo ait Matth. 15. Si ergo offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus, habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuũ. Insinuat autem ex istis verbis Dominus, se non esse placãdum mũneribus nostris, nisi prius proximo de accepta iniuria fiat satis: etiam si ipse solus est, qui aufert iniquitatem. ¶ Obijcies, & quid nonne sacerdotes dimittunt peccata pœnitentiũ, non ergo solus Deus aufert iniquitatem? Respondetur sacerdotes auferre iniquitates tanquam ministri Dei remittentis, ad ministrando enim sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, eatenus dicuntur auferre peccata: fuerunt, qui dixerunt, vt Magistro sentent. videtur collibuisse sacerdotes, non posse per sacramentum pœnitentiæ peccata dimittere, sed solum sacerdos ostendebat remissa esse peccata pœnitenti. ¶ Vnde verba illa, Ego te absoluo, non habebant aliam efficaciam quam demonstrare ecclesiæ hunc pœnitentem esse absolutum à Deo. Nam tunc res dicuntur fieri, quando facta ostenduntur: iuxta illud. Quem pater sanctificanit, & misit in mundum, vtique non fuit Christus sanctificatus ab aliquo peccato, quia fieri nequibat ipsum aliquod peccatum admittere: cæterum pater, quia ostendit Christum esse immunem ab omni culpa, quippe demõstrauit eum esse filium vnigenitum,

Mitius se gerit Deus cum amicis, quam cum inimicis, ideo cũ peccator reconciliatur Deo, æterna pœna in temporalem cõmutatur.

In solo Deo est primaria auctoritas remittendorum peccatorum sacerdotibus est ministerium.

genitũ, ideo Christus Ioan. 10. ait, Quem pater sanctificauit, id est sanctum esse ostendit. ¶ Verum hoc placitum, iam diu est, quod est obsoletum, siquidem in concilio Florentino sub Eugenio IIII. & in concilio Trident. damnata est, hæc opinio. Et plerique sancti patres ante concil. hæc etiam intellexerunt sacramentũ pœnitentiæ dimittere peccata efficaciter, & non solum demonstratiuè.

Sacramenta habent à Christo efficaciam ad purgandum peccata.

¶ Et equidem sacerdotes baptizantes, abluunt efficaciter peccatum infantuli, & peccata adulti, si hic baptizandus aliquando accesserit, nunquid, tunc sacerdos tunc solum ostendit hunc vel illum ecclesiæ esse baptizatũ? an potius abluit crimina vt minister Dei? nunquid baptismus, solum ostendit regeneratum esse hominem an potius secundum Pauli sententiam, renouat verè, & regenerat? Quod si baptismus hac fruitur dote, cur non pœnitentiæ sacramentum? Imo in sacramento altaris, quis audebit dicere, sacerdotem nihil efficere, aut per sacramentum ordinis, sed solum ostẽdere quod ibi sub speciebus panis & vini, est corpus Christi, & hunc vel illum esse ordinatum? sanè per verba illa, Hoc est corpus meum, veraciter efficitur ex pane, corpus Domini, cur ita? quia verba sunt Christi, quod si per non sacerdotem proferantur, etsi sint verba Christi, non celebrabitur conuersio panis in corpus Christi, itemque de vino: igitur sacerdos illa proferens super congruam materiam, efficit, quod Christus iussit faciendum. Facit igitur sacerdos, quod in Eucharistia verè sit corpus Christi, igitur cum per verba Christi, celebretur etiam, pœnitentiæ sacramẽtum, habebit eandem efficaciam, quam habent cætera sacramenta.

Ad Tit. 3.

¶ Porrò magister sentent. & eius sectatores, non spectabant in scopum, in quem oportebat intendere: nam solum aduertebant sacerdotes esse homines, & ideo eis non competere remittere peccata, & non aduertebant per verba Dei remittere, & non per verba hominum, sed de his hactenus, plura si voles hauries ex loco iam citato. *Tollite vobiscũ verba.* Sunt qui tollunt verba Dei, nõ sibi sed alijs, vt qui docent alios legem Dei, & se ipsos nõ docẽt ex lege Dei de quibus Paulus ait, Qui prędicas non furandũ furaris, ad Rom. 2. At vero ppheta inquit. Tollite vobiscũ, verba, Dominus quoq; in Euangelio inquit de Ioanne præcursore, erat lucerna ardens & lucens. ¶ Sunt enim quidã qui lucent, & non ardent: quia etsi doceãt plebes verba Dei: at vero ipsi frigent, quia Dei charitate çorent, contra quos Psal. ait, Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas. Et quidem isti si in peccato publico degentes prædicassent Dei verbum peccarent mortali peccato. Siquidem esset prædicatio talis in offendiculum plebis, & in contemptũ Dei verbi. Nanq; Gregorio testante, cuius vita despicitur, necesse est, quod eiusdem prædicatio contemnatur. Quanuis, qui contemnũt prædicationem huiusmodi si sana sit tamen, peccant: enim vero Domino docente, super cathedrã Mosis, sederũt Scribæ & Pharisæi, quæ dixerint vobis facite, secundum opera eorum nolite facere.

Ioan. 5.

Psal. 49.

Matt. 23.

¶ Itaque qui succumbens peccato notorio, audet prædicare Dei verbum in ecclesia Dei, sibi nocet peccãdo, quia exponit verbũ Dei contẽptui aliorum, & rursus, suam damnationẽ auget, nã alios condemnando, ex peccatis quæ reprehendit, se ipsum condemnat. Vnde Paulus castigo ait, Corpus meum, & in seruitute redigo, ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar. Quia qui viuit contra veritatem quam alijs prædicat, se ipsum, alios reprobando, reprobat. Si vero peccatum sit occultũ, non peccat Dei verbũ prædicando palam si humiliter tamẽ prædicet, recognoscens suã in peccando infirmitatem. Siquidẽ quod nescitur, in conspectu hominũ, perinde est ac si nõ esset. Vnde nullus cõtemptus accedit verbo Dei, ex huiusmodi prædicatione. ¶ Quippe huiusmodi est lucerna, nõ ardens, at vero lucẽs, quia sine publico defectu, illuminat mẽtes fideliũ de agendis, & non agendis. Porrò, sunt qui ardẽt & non lucẽt, vt viri iusti, qui sunt ignari diuinæ legis, vt sunt omnes idiotæ qui sanctitatẽ custodiunt, de quibus dixit Hiero. sancta rusticitas, soli sibi prodest: & quantũ ædificat ex vitæ merito ecclesiã Christi, tantũ nocet si destruẽtibus non resistat. ¶ At vero ij supremũ tenent in re hac gradũ, qui cum ardeãt ex vitæ merito, lucent ex fidelitate doctrinæ: isti sunt qui primo tollũt verba Dei iuxta vatis documentũ sibi, deinde vero alijs impartiunt. ¶ Qui vero corripit fratrẽ, hoc idẽ spectare debet, iuxta euan-

1. Cor. 9.

Hieronym. Paulino.

gelicã traditionẽ. Quid inquit vides festucã in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Id quod Dominus dicebat aduersus Phariſæos & legis doctores, qui cum eſſent onuſti peccatis grauibus, at vero non formidabant plebeculas; de leuibus reprehendere: vnde qui vult alium carpere, vt legitimè carpat, ipſe ſine crimine viuere debet.

¶ Porrò autem ſi crimine affectus, idem crimen alij obijcit, reprehendendo illud rogans tũ vt crimen deponat, & nõ aduertat, quod ipſe qui reprehendit, eodem eſt crimine inuolutus, quia ex ſua imbecillitate magna eſt inuolutus, at aduertit ſe malè eſſe inuolutum, hic ſanè non peccat, corripiendo fratrem de eodem crimine, aut de alio quouis: ſiquidem hic non ſe promittit in eccleſiæ doctorem, ſed in priuatum correctorem. At Dominus carpebat Phariſæos, & Scribas, ſic carpentes alios, aut quia publicè prædicabant, cum alioqui eſſent grauiſsimi peccatores: aut quia cum faſtu vitæ, & magna ſuperbia, quaſi eſſent ipſi iuſtiſsimi, alios reprehẽdebant. ¶ Porrò autem fructuoſa erit tũc demũ correctio, ſi iuxta Dñi verbũ, ad purgandũ feſtucã, ex oculo fratris trabem ex oculo noſtro decutiamus: verum ſi noſtram recognoſcentes feſtucam humiliter alterius trabem decutere molimur, non damnat conatum hunc euangelicum inſtitutum. Quanuis autem non ſperabitur tam fructuoſa id temporis correctio: at nihilominus non erit ocioſa: quia ædificationem fratris ſpectat.

¶ Eodem accedat quod ſi bonum eſt ſemen, integrumque granum, & non vitioſum, etſi à manu leproſa iaciatur in terram bonam, vtique fructificabit. Quod ſi Balaam ad verbum aſinæ diuino miraculo verba humana conantis, correctus eſt, à peſsimo inſtituto, cur non corrigetur peccator ad verbum alterius vel inſipientis vel vicioſi? Nam ſæpè eſt olitor opportuna locutus, vt prouerbio fertur.

¶ Ad hæc pecunia ſi legitimum habet pondus, & veram configurationem, ſiue detur à ſano, ſiue à morbiculoſo porrigatur valorem ſuum non amittit. Idemque obſeruari oportuiſſet de doctrina, & correctione, ſi legitima ſint, à quocunq; porrigerentur, valorẽ ſuũ habere debuiſſent. At vero quę eſt humana elatio, ſi vitę morumque incorruptio doctrinam non comitatur, vtique plurimum eleuatur doctrina. Qui enim docet, & nõ facit putatur, irriſoriam promere doctrinã: & ideo fit inefficax ad perſuadendũ ex culpa doctoris. Vnde & Dominus elationem noſtram apprimè cognoſcens, cœpit facere & docere. ¶ At vero, corã Deo non erunt immunes, qui doctrinam ſibi ipſis neceſſariam ex culpa doctoris contemnunt. Si quidẽ vt aiebam bonitati ſeminis ſordes manus iacentis, nihil detrahunt. Et equidem, ſatis inſanus eſſet ęgrotus, qui antidotum medici reijcit, quia aduertit eum eſſe vſurarium, vel adulterum, vel quouis alio crimine irretitum. Et equidem ſi ob defectum non ſumpti antidoti, clauderet ægrotus iſte diem extremum ſuicida eſſet in quem prope modum, hon erunt immunes apud Deum, qui antidotum doctrinæ, neceſſariæ ſibi ad ſalutẽ, propter culpam doctoris reijciunt. ¶ *Accipe bonum offeremus vitulos labiorum noſtrorum.* Mandat Deus per vatem Iſraelitis, & ſimul omnibus peccatoribus, vt precentur Deum vt ex ſua miſericordia auferat iniquitates noſtras, & quod accepta habeat bona opera noſtra, & quod ſpiritum donet, vt illi offeramus labiorum vitulos myſticos, id eſt preces, & laudes Deo dignas. Nam quid oremus neſcimus, ſpiritus eſt qui orat pro nobis. *Vitulos labiorum*, hæc verba inſinuant ſtatum legis Euangelicæ, vbi non vituli, vel armenta Deo offeruntur, ſed loco vitulorum vel aliorum animalium, quæ lex illa vmbratilis offerebat, offerũtur Deo laudes pro immenſis, quæ fidelibus, & omnibus hominibus iugiter ſubminiſtrat bonis, eodẽ ſpectat, illud Pſalm. ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, & rurſus ſacrificium laudis honorificabit me. Nõ ſolum ergo cordis, Deo offerendum mentale ſacrificium, ſed etiam oris, quod vocat vates, vitulos labiorum noſtrorum. ¶ Eſt item aliud ſacrificium, quod rectè dixeris eſſe vitulum labiorum noſtrorum: ſiquidem Eccleſia ſancta Dei, per labia ſacerdotũ, quotidie offert Deo vitulum illum ſaginatum, quem pater omnipotens tradidit occidendum, vt filius prodigus qui perditus erat reuiuiſceret. *Aſſur nõ ſaluabit nos ſuper equũ non aſcendemus.* Iſraelitarum verè iam pœnitentium quæ debent eſſe verba vates demõſtrat iſtis verbis verum ad literam, Iſraelitæ auerſi à Deo, auxilia humana prætendebant amouentes confidentiam, à ſe ipſis, & in humanis præſidijs reponentes ſolum ſuam fidem. Vnde Dominus iubet modo, vt reſipiſcant ab huiuſmodi in fidelitate, & credant in Deo ſolum eſſe ſalutem: quia Domini eſt ſalus, & maledictus homo, qui confidit in homine. Non quod confidere in homine ſi legitime fiat, & ſine læſione diuini numinis ſit crimen: nam Paulus ait Hebræis, Confidimus de vobis meliora, & ſæpè alibi. Hæc nanque confidentia, eſt non tanquã ea, quæ eſt in Deo, vt ſic pendeat quiſpiam ab homine, vt à Deo: hoc enim impiũ eſt, verũ pendere ab hominibus, & illis confidere, ceu ab ijs per quos Deus ſua diſpenſat bona, vt ſcilicet à cauſis ſecundis per quas Deus operatur ſuos effectus, non eſt impiũ, ſed rationabile.

¶ Vult enim Deus, per medias cauſas, ſua quæ nobis impartit munera, operari. Iſraelitæ autem contra faciebant, quia omnino in homine, & non in Deo reponebant ſuam fiduciam: id quod mos eſt infidelium. Qui ignorantes Dei potentiam, in potentia humana, ſuam totam reponebant fidem. Quos ſubnotãs Dauid, aiebat, Hi in curribus, & hi in equis, nos autẽ in nomine Dei noſtri inuocabimus.

¶ Quo ſermone infidelium mores taxat dicens. Hi in curribus, &c. Ideſt infideles in apparatu, & pompa bellica equorum, & curruum, & armorum, conſtituunt fidem victoriæ: at vero fideles, confidunt in nomine Domini, id eſt, etiam ſi belli apparatus non negligant, credunt tamen, quod Dei eſt victoria. Et ideo maledixit Ieremias hominem, qui ponit brachium ſuum, id eſt, robur ſuum, & vires omnes putat eſſe carnem, id eſt, humanam potentiam: nam hoc ſcriptura vocat carnem, Deus igitur monet per vatem ſuum Oſeam, Iſraelitas, vt iam melius ſapiant, & dicant Aſſur, id eſt Aſyriorum potentia non ſufficit ad ſaluandum nos à malis noſtris, ſed ſolus Deus. Neque fidant iam in curribus, vel equis, quia hæc caro ſunt, & ideo infirma ſunt: ſolus Deus eſt omnipotens à quo vniuerſa pendent: ideoque fideles ei ſoli vt autori omnium fidere debent, in alijs vero fidere licet, vt in cooperarijs Dei. Ideo Ieremias dicens, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, ſubdit, & à Domino recedit cor eius. Iſtud enim fas igitur eſt in homine confidere, modo à Deo nõ recedat cor noſtrũ: ideſt modo primaria cõfidentia in Deo ſit collocata: eſt igitur qui homini adeò fidit, vt in Deo nõ fidat, & hoc impietas eſt: eſt itẽ qui ſic Deo fidit vt humana auxilia omnino negligat & iſtud Dei tentatio eſt. Media igitur via incedendũ eſt, vt ſic Deo fidamus, vt creata non negligamus præſidia, & ſic iſta quæramus, vt à Deo non recedat cor noſtrum. *Nec dicemus vltra dij noſtri opera manuũ noſtrarum.* Iſraelitæ, credebant eſſe deos ſuos vitulos aureos, at vero ſuſcepta fide, & acta pœnitentia, reuocant falſam, & amentem fidem, in verã, & ſapientem fidem, quæ ſolum vnum Deum colit. Iſtud ſanè eſt verè pœnitentis, reuocare malè acta, & errata omnia vitæ prioris, & de eis dolere. Nemo enim poteſt, nouam vitam inchoare, niſi veteris pœniteat. Quanuis non ſatis eſt veteris pœnitere, niſi animus adſit ad corrigendum vitam priorem, nouam inſtituendo: *dij noſtri*, Id eſt non dicemus vltrà operibus manuum noſtrarum, vos dij noſtri eſtis. *Quia eius, qui in te eſt miſereberis pupilli.* Quia apud te miſeratio eſt, apud Dominum enim miſericordia, & copioſa apud ipſum eſt redemptio: ideo nos fidentiſsimi, relinquemus deos vanos & opera alia noſtra vana, credentes, quod tu noſtri miſereberis. Sumus enim tanquam miſeri pupilli, qui orbati vtroque parente, egent miſericordia exterorum: vt ſibi ſubueniant. Et quia pupilli digni reputantur miſericordia, quia impotentes, & miſeri ſunt: nos item ſumus corã te miſeri, & valde impõtentes, tuum igitur eſt miſereri noſtri: quia orphano, & pupillo tu eris adiutor. ¶ Nullũ equidẽ eſt nobis cõfugiũ, pro impetrãda miſericordia, niſi ad te patrem miſericordiarũ, & Deũ totius conſolationis. In te ſunt omnia, quia omniũ miſereris, ideo nos, ceu infirmiſsimi pupilli, vndique ſolatio deſtituti in te ſumus, vt in contemplante, & clarè ſcienti noſtram imbecillitatem, & non ſolum ſcienti, ſed compatienti: vnde noſtri ex tua inexhauſta, & ſolita tua clementia miſereberis. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſponte, quia auerſus eſt furor meus ab eis.* Sunt qui referant hanc ſanitatem, ad tempora Ezechiæ Regis, quia tunc Iudæi, obſeruantes ruinam

Qui cũ ſit in eodem vel maiori peccato; alium corripit ſi humiliter pſtat munº, nõ peccat.

Doctrina ſana, & correctio nõ debuiſſent amittere valorem ſuum etiam ſi à vitioſis hominibus porrigerentur.

Sacrificia myſtica.

Sacrificiũ vnum eccleſiæ verum.

Ieremi. 17.

Ad Hebr. 6.

2. Theſ. 3.

2. Cor. 7.

Ad Galatas 5.

Fidere licet hominibus, & in eis ponere ſpem nõ tamen recedendo à Deo.

Pſal. 19.

Capit. 17.

Iſraelitarum conuerſi ſunt ad Dominum.

2. Parali. 31. Eſdræ. 1. ¶ Alij vero referunt ad tempora Cyri, ſub quo Iudæorum Babylonica fuit ſoluta captiuitas. Verum prima expoſitio, non congruit, quia tunc non fuit auerſus furor Domini à Iudæis, ſiquidem non longè poſt Ezechiam, ſub Sedechia Rege Iuda, fuerunt abacti in Babylonem. Neque ſecunda expoſitio competens videtur, ſiquidem ſoluta captiuitate Babylonica, adhuc non ſunt ſanatæ omnino contritiones, ſeu ruinæ Iudæorum. Nanque, poſt illam ſolutionem, regia non ſunt potiti dignitate, vt ſolebant. Etenim etiam ſi quidam ipſorum fuerint, ſub Machabæis, creati Reges, fuerunt creati à gentibus, & eorum tributarij. At non ſolebant creari Reges Hebræi à gentibus, ſed à Deo inſtitui, vt Saul, & Dauid, vel ab Dei inſtitutione pendebant, vt Dauidici poſteri. Et rurſum ſoluta captiuitate ſemper fuerunt Iudæi ſub gentiũ ditione, & dominio, vt liber Machabeorũ oſtendit. ¶ Et prophetas tunc deſiderabant, quia nullam habebant, & item arcam Domini, quæ erat gloria, & conſolatio illius populi, nunquam amplius viderunt, & alijs hoc genus præeminẽtijs orbati ſunt. ¶ Vnde videtur, tunc non eſſe omnino ſanatas contritiones eorum: neque prorſus fuiſſe ab eis auerſum furorẽ Domini. ¶ Quamobrem, mihi mágis arridet locum hunc ad Chriſti Domini noſtri gratiam referre. Etenim ſub euangelica gratia impletum eſt, quod hic traditur, *Ego ſanabo contritiones*, ſeu auerſiones eorum, contritio in ſcriptura calamitatem, ſeu miſeriam magnam, quam patiuntur homines denotat aliquando. Vnde Threnorum ſecundo. Magna eſt ſicut mare contritio tua, ex qua hyperbole, profundum malorum in quod deuenerant Iudæi ſubnotatur. Et Ieremiæ ſexto. de malis ſacerdotibus, & pſeudouatibus, ait Deus per Ieremiam curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax. Siquidem pſeudouates, & praui ſacerdotes vaticinijs veridicis Ieremiæ prænuntiantibus ingentem captiuitatis miſeriam Iudæis, illi ſe opponebant, dicentes, non eſſe formidanda verba Ieremiæ, quia potius ſperanda erat pax, cum Nabuchodonoſore: & nõ captiuitatis amaritudo.

Iudæi poſt ſolutã Babylonicam captiuitatẽ non fuerunt, tanto honore quanto ante captiuitatem fulgebant.

¶ *Deus autem curat contritiones noſtras*, cum honore, noſtro, quia ipſe ſolus eſt, qui eas ſanare poteſt, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt Paulus ait. Vnde in Pſalmo. 146. Qui ſanat contritos corde alligat contritiones eorum. Quippe Deus ſolus poteſt confracta conſolidare, & diſſoluta alligare. Et hoc eſt, quod promittit Deus modo, *Sanabo contritiones eorum*, id eſt, ego medebor malis eorum. Et hoc impletum eſt per Chriſtum, ſub quo Iſraelitæ volentes obtemperare Euangelio, fuerunt ſanati, à contritionibus & miſerijs animæ, quæ excedunt omnes contritiones, ſeu miſerias corporis. Nam ſoluti ſunt à captiuitate Sathanica, per Chriſtum, & tranſlati ſunt in libertatem filiorum Dei. *Diligam*. Sanè Deus ante conſtitutionem mundi dilexit ſuos ſponteneè, quia neminem ex meritis prædeſtinat, ſed ex gratia ſua. Vnde Apoſtolus, Nos diligamus Deum, quia ipſe prior dilexit nos, & elegit nos ante mundi cõſtitutionem. 1. Ioan. 4. Vt Paulus inquit Epheſ. primo. Et non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt maior ſeruiet minori. Et hoc eſt diligam eos ſponteneè. Siquidem ex dilectione liberaliſsima, & non ex operibus noſtris quia dilexit prædeſtinatos antequam eſſent, poſtquam iam ſunt in mundo ſponteneè eos etiam vocat Deus, ad gratiam ſuam obtinendam, & ſponteneè eos iuſtificat. Quod Apoſtolus ait, Iuſtificati gratis per fidem, non ex vobis ne quis glorietur. Non quod ſola fides iuſtificet, per fidem equidẽ iuſtificamur, quippe hac ſubmota clauſa eſt via iuſtificationis. Quoniam ſine fide impoſsibile placere Deo: at non per ſolam fidem neque Paulus ait, Per ſolam fidem iuſtificamur. Quia ergo nulla opera condigna ſunt ad obtinendam primam Dei gratiam, per quam homo mundatur à peccatis, ideo iuſtificatio hæc tribuenda dilectioni ſpontaneè Dei. Et hoc eſt quod ait, Diligam eos ſponteneè, hoc eſt gratis, & non propter merita eorum.

Ad Romanos 9. *Ad Ephesios 2.* *Ad Hebr. 11.* *Iuſtificatio tribuitur dilectioni Dei ſpõtaneæ.*

¶ At iſtud verum eſt, quantum ad vocationem ad fidem, & ad gratiam baptiſmi; & ad gratiam pœnitentiæ poſt lapſum ex baptiſmali gratia. At vero quantum ad beatitudinẽ dilectio Dei eſt ex iuſtitia, & propter merita. Nemo nanq; coronabitur niſi, qui legitimè certauerit.

Porrò

Porrò autem etiam beatitudo, originem habet ex prædeſtinatione, quia quos prædeſtinauit, hos & vocauit hos & iuſtificauit, &c. at prædeſtinatio, vt commemorabam ex dilectione Dei ſpontanea, id eſt, liberaliſsima, & ex nullis præcedentibus prædeſtinatorum meritis procedit. *Quia aduerſus*. Ex dilectione reſultat iræ auerſio, qui igitur ait modo, diligã, quia auerſus eſt ab eis furor meus, cum contra debuiſſet vt videtur dicere.

2. Timo. 2. *Ad Romanos 8.*

¶ Reſpondetur, quod cauſalis hæc, non importat propriè cauſam: ſed neceſſariam connexionem, & concomitantiam. Hæc nanque ſunt neceſſario ſe conſequentia dilectio Dei ſpontanea, & auerſio iræ Dei. Et item auerſio iræ Dei, & dilectio ſpontanea. Sunt enim veluti ea, quæ vocant dialectici conuertibilia, quæ ſe inuicem conſequuntur. Deus igitur nos diligit ſponteneè, cum poſſet nos iuſtè ob peccata noſtra odio habere. Et item auertit iram ſuam à nobis ſponteneè, cum poſſet iuſtiſsimè iraſci contra nos: quia omnes peccauerunt & egent gloria Dei.

¶ Eſt autem hæc gloria Dei, quod ipſe ſpontanee, peccatores diligat, & illis gratis, & non per opera ipſorum donet eis peccata commiſſa contra Deum & proximum. Poſtquam autem fruuntur prccatores hac ſpontanea Dei dilectione, potiti iam iuſtificatione, & donatione peccatorum, Deus non tam ſponteneè diligit eos, vt prius, quia iam deinceps ab eis poſcit merita, ne gratiam Dei in vacuum receperint. Et ideo ſine meritis Deus, nullum beatificat adultorum. Paruuli autem, cum merita non poſsint habere, eos citra merita beatificat, ſi accidat à baptiſmate ſuſcepto, mortalem finire vitam. *Ero quaſi ros Iſrael, germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani.* Ex dilectione procedit auerſio iræ, & ex iſtis procedit largitio bonorum. Nam quos diligimus ſponte, ſi poſſumus proſequimur beneficijs. Deus autem cum ſit omnipotens diligens Iſraelitas pœnitentes ſponteneè, eos proſecutus eſt beneficijs. Et hæc beneficia enarrat vates. *Ero* dicens, *quaſi ros Iſraeli*. Vt enim ros cæleſtis, eſt gratus agricolis, quia terræ ariditatem temperat, vnde virgulta, exhilarat, ita & Dei gratia infuſa cordibus noſtram tollit ſiccitatem, & nos exhilarat coram Deo. Et euangelica gratia fuit gratiſsima Iudæis fidelibus, quia illam iam olim expectabant venturam, ſicut ros eſt gratiſsimus agricolis quando aridam terræ faciem irrigat. De huiuſmodi porro rore legimus in Iſaia. 26. Quia ros lucis, ros tuus. Siquidem per rorem diuinæ gratiæ, mentes fidelium illuminantur in agendis. Et rurſus in Geneſis vigeſimoſeptimo. In rore cæli de ſuper erit benedictio tua. Hac enim benedictione benedixit Iſaac filium ſuum Eſau: quia proles Eſau, Idumæi, & gentes aliæ erant tandem imbuendæ euangelica gratia ſicut & filij Iacob, qui erant Iſraelitæ. Quãuis iſti prius fuerunt hoc rore perfuſi, ideo primo benedicitur Iacob, & ei dicitur, de rore cæli, & pinguedine terræ ſit benedictio tua, legimus quoque in Eccleſiaſt. 18. Ardorem ſolis refrigerare cæleſtes roges. In quem prope modũ Deus ſe geſſit cum Iſraelitis fidelibus in primitiua eccleſia. Siquidem, contra Apoſtolos, & Domini diſcipulos inſurrexerunt Scribæ & Phariſæi, & infideles alij Iſraelitæ, & multis diuexationibus, eos diuexarunt, & tribulationibus concuſſerunt, verum Deus factus fuit eis quaſi ros, quia conſolatione, & irroratione Spiritus ſancti, adeo fortes facti ſunt contra mundi principes, vt eos non formidarent, imo moriendo, & patiendo, & ſanguinem ſuum fundendo victores euaſerunt. Et quidem benè irroratus erat Petrus hoc cæleſti rore, quando aiebat melius eſt obedire Deo quam hominibus, & cæteri etiam diſcipuli, quando gaudentes à conſpectu concilij ibant, quia digni habiti pro nomine Ieſu contumeliam pati. Iſti ergo Iſraelitæ ardores, & æſtus huius ſeculi non ſentiebant, quia ex refrigerio cæleſtis roris ſeculi flãmmas ridebant. *Germinabit ſicut*, aut florebit ſicut lilium. Lilium pulcherrimos, & odoratiſsimos profert flores.

Gratia dei cur compa ratur rori. *Nullus adultus beatificatur ſine proprijs meritis.* *Actor. 5.*

¶ Vnde candore, & odore, mirum eſt, quam lenocinetur ſenſibus, viſui, & olfactui. Iſraelitæ ſimiliter fideles, quos primitiua peperit Chriſto eccleſia, pulcherrimi fuerunt, & odoratiſsimi, pulcherrimi quidem omni candore virtutum ornatiſsimi, odoratiſsimi vero, quia Iſraelita ille illuſtriſsimus aiebat de ſe & de alijs Iſraelitis fidelibus, Chriſti bonus

2. Cor. 2. 2. Cor. 11.

odor ſumus. Vtiq; optimus odor Chriſti fuerunt, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum. Nam in totum orbem ſparſa
Cantic. 1. eſt fragrãtia ſancti Euãgelij, & ideo inde fidelibus dicitur, in odorem vnguentorũ tuarum curremus, quia ex omni orbe, multi ſunt conuerſi ad Chriſtum, & currunt poſt Chriſtum: quia ſequuntur Euangelicam fidem, atque præcepta: ſunt autem Chriſti vnguenta, quæ amplexus eſt orbis Chriſti ſacramenta. Et aptè dixeris ea eſſe vnguenta, quia vaſa ſunt miſericordiæ diuinæ vnguentum enim, ſua blanditie, tactum noſtrum mulcet, & dolores mitigat, per ſacramenta quoque Deus nobis ſuam largiſſuè diſtribuit miſericordiam, & mulcet peccatores, ſua blanditie non vt peccent, ſed vt depulſis per Dei gratiam peccatis, à peccatis ceſſent. *Et erumpet*, arbores in monte Libano ſitæ, firmiſsis eſſe radicibus fertur, & ex hoc colligitur loco. Itaque ibi & radices latius fundunt, & tenacius figunt. Ad quam rationem vates prædicit, veros Iſraelitas, eſſe latè per orbem ſpargendos, & tenaciſsimè figendos in fide & amore Ieſu Chriſti: vt apertè videmus in ſanctis Apoſtolis, & diſcipulis Domini qui latiſsimè per orbem ſunt diffuſi ad prædicandum euangelium Ieſu Chriſti, & in fide catholica quam docuerunt, firmiſsimas fixerunt radices, adeò, vt portæ inferi non præualuerunt contra eos, neque contra Sanctos martyres eorum ſucceſſores. Et quod ait modo vates, de Iſraelitis proferre poteris ad omnes Iſraelitas, qui ſecundum ſpiritum ſunt Iſraelitæ, & non ſecundum carnem, quales ſunt omnes fideles, qui piè viuere volunt in Chriſto. Nam iſtis Deus eſt quaſi ros, eos confortans æſtuantibus contra eos tribulationibus, & tentationibus ſeculi:

¶Iſti ſicut lilium germinant, ſiquidem fructificant in eccleſia Dei doctores docendo, & prælati plebibus ſibi concreditis inuigilando, ne qua contagione fœdentur. Et alij priuati, item germinant, bona opera multiplicando, iſti germinant, ſeu florent coram Deo, quia gratioſi ſunt, coram Domino, vt coram aſpectibus humanis gratiſsima ſunt lilia alba, propter candorem, & miram eorum ſuaueolentiam.

¶Iſti fixas habent radices, in monte Libano, qui mons thuris dicitur, quia in huiuſmodi monte, creatur thus: & ideo aptiſsimè inſinuat, vel adumbrat eccleſiam catholicam, quæ eatenus thuris eſt mons, quia Deo gratiſsimas offert orationes: oratio enim per thus, in ſcriptura ſignificatur. Aſcendat ait Pſalm. oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Quia igitur eccleſia, quæ orat, quæ petit, à Deo patre, per Chriſti patrocinium petit, ideo odoriferæ ſunt coram Deo eccleſiæ preces, quæ per Chriſtum Dei filium Deo patri, porriguntur. In hoc igitur Libano figunt ſuas radices fideles, in hoc Libano, quia fidem ſuam in doctrina Romanæ Eccleſiæ fixam habent, & non in doctrinis Lutheri, aut aliorum hæreticorum, qui non thus redolent, vt Libanus, ſed potius picem, & reſinam, & ſulphur vti infernus. De Libano legere poteris, Clau. Ptolomeũ lib. 5. de Syria eſt mons altiſsimus in fine terræ promiſsionis verſus aquilonem. Ioſue 13. in hoc monte Cedri creſcunt longiſsimæ 4. Regum 5. Et in hoc monte colligitur thus, vt diximus: & interpretatur candidus, Hebraicè, vocatur Lebanon, *Erumpit radix*, tum erumpit, quando exterius germinat, quia ergo in monte Libano, ob ipſius fœcunditatem, radices feliciter germinabant, ideo fideles conferuntur huiuſmodi radicibus, propter felicem eorum in doctrina, & operibus bonis germinationem, vt ſupra dictum eſt. *Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius.* Præcipui rami eccleſiæ catholicæ fuerunt Iſraelitæ. Nanque Apoſtoli fuerunt Iſraelitæ, vt Paulus 2. Corinthiorum 11. de ſe teſtatur dicens, Iſraelitæ ſunt & ego: & iſti rami ſunt extenſi per totum orbem, ideo ait, ibunt, id eſt dilatabuntur rami eius. Oliuæ autem confertur eccleſia, ſiquidem, ex oliua fit oleum, quod propter ſuam lenitatem, miſericordiam ſignificat, aptiſsimum medendis vulneribus, & mitigandis doloribus. Quia igitur eccleſia Dei, per Chriſti ſacramenta lenitatem Dei, nobis impartit, & peccata remittit, ideo aptè ait, *Erit quaſi oliua gloria eius.* Et fideles, item iuſti ſunt quaſi oliua. Vnde Pſalm. *Ego quaſi oliua fructifera in domo Dei.* Pſalm. 51. Et 3. Regum ſexto. Cherubim traditur fuiſſe de lignis oliuarum. Nanque Cherubim, doctores Eccleſiæ denotant, propter

Mons Libani, mons thuris.

Pſal. 140.

Mons Libanus qui & qualis.

Eccleſia Dei quaſi oliua.

Doctores & paſtores per cherubim adumbrati.

propter plenitudinem ſcientiæ, quos oportet eſſe miſericordes, & non rigidos in ſibi ſubditos. Et Ieremias populum Iſraeliticum vocat oliuam vberem, & pulchram, cap. 11. propter abundãtiam terrenorum bonorum, quibus abundabant, at vero meliori ratione, eccleſia catholica, quæ tot abundat ſpiritũalibus bonis eſt oliua pulchra, & vberrima. Nãque maior vbertas, quæ ve maior pulchritudo, quam haberet claues ad reſerandas fores cæleſtes, & illo introducere pœnitentes. *Et odor eius vt Libani*, diximus Libanum eſſe montẽ thuriferum, ideo odoriferum, ideo patet quid velit ex præhabitis. *Conuertentur ſedentes in vmbra eius.* Metaphorâ inducitur, ex ſedentibus ſub vmbris arborum, qui tunc ſedẽt ſecuriſsimi, quando poſſent ſe conuertere quocunq; voluerint, reuoluendo ſe ad vnum locum vel ad alium, cum enim laboratum eſt ex ſeſsione, ad maiorem quietem decumbũt ſupra latus vnum, dein ſe conuertunt ad aliud latus pro ſuo placito. Et cum hoc facere poſſunt ſignum eſt magnæ quietis, & magni otij: quod permittit, iã ſedere, iam ſe conuertere ad decubitum, hoc vel oppoſito modo. ¶ Vnde ex hac metaphora vates ſignificat, Iſraelitas fideles vel fideles omnes, poſtquam ſe tradiderunt fidei & amori Chriſti, quod pace in terra, atque quietẽ animi fruuntur: quia infidelibus nulla cum Deo eſt animi pax: non eſt pax impijs dicit Dominus. At diligentibus Deum pax multa eſt cum Deo, & non eſt illis ſcandalum.

¶ Tunc ſanè poſtquam reſederint ſub vmbra Chriſti, ſub qua requieſcere deſiderabat ſpõſa, cõuertẽtur quoquo velint quoniam, quam volent poſſunt arripere viam, vnde fidelium alij cõnubia amant, alij monachiſmum alij clericalem amant ſtatum, alij eremiticam diligunt vitam, &c. Et omnes iſtæ viæ ſunt ſalubres, modo ſub Chriſti fide, & profeſsione celebrentur. ¶ Vmbra hæc non eſt vmbra
Cantic. 2.
1. *Cor.* 13.
2. *Cor.* 5. mortis, ſed eſt vmbra vitæ, vmbra hæc fides eſt ſiquidem nunc per ſpeculum in ænigmate Deum cognoſcimus, & per fidem ambulamus, & non per ſpeciem.

¶ Eſt autem ænigma propoſitio obſcura, ideo cum fides diuinorum ſit obſcura notitia, rectè fidei notitia vmbræ confertur: fideles autem ſub hac vmbra degunt omnes. Et nemini mortalium vita animæ conceditur, niſi ſub hac vmbra degat. Quoniam citra fidem non poſſumus Deo placere. Hæc eſt vmbra, de qua Pſalm. meminit dicens, Operuit mõtes vmbra eius. Enim vero, fides Ieſu Chriſti excedit humana ingenia, etiam ſi ſublimia ſint, quæ ob ſui ſublimitatem, montibus conferuntur. Philoſophorum enim ingenia, obſcurata, & operta fuerunt ſi magnitudine fidei: quia tentantes illi eam inueſtigare, humanis rationibus, & non potentes eam æquare rationibus, aut ſenſibus, ſtultam eam eſſe dixerunt, & ſtultos voluerunt eſſe illius profeſſores. Vnde Paulus ait, eſſe verbum crucis Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiã, ideo infidelibus fides nocet quia illis patet ludibrio, fidelibus vero prodeſt, ſi non vacuam operibus, & mortem eam eſſe ſinant. Vt lux ſolis ſanos illuſtrat & iuuat oculos, infirmos vero amplius infirmat. Neque tamen luci ſolis ſuccenſenda eſt infirmorum oculorum læſio, ſed ipſorum oculorum vitium eſt. Hæc denique eſt vmbra, de qua Ieremias ait, *in vmbra tua viuemus.* Nanque qui fidem ſyncera
Thren. 4. colunt, & eam viuacem ex ſanctis operibus habent, iſti ſunt qui dicere poſſunt Chriſto, in vmbra tua viuemus: quia modo ex gratia gratum facientẽ ſpiritualiter viuunt, & poſtmodum viuent æterna vita. *Viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea, memoriale eius, ſicut vinum Libani.* Clarior eſt tranſlatio Vatabli, *Reuiuiſcent, vt frumenta, & florebunt vt vitis pulcherrima.* Frumenta namque ſub brumalibus rigoribus, videntur veluti mortua, diſſolutis autem frigoribus ſole aſcendente in noſtrum horizonta, reuiuiſcere videntur: nam celeriter ſe attollunt in culmos, & pallorem, quẽ cõtraxerant ex hyemalibus, glaciebus deponunt, & vertunt in vernantem virorem.

¶ Ad quam rationem fides & ſpes in Chriſtum, quam patres Iudæorum habebant, erant iam velut mortua in filijs, verum coruſcante euangelica luce, adueniente ſole iuſtitiæ, & irradiante in orbem, per miracula inſignia, & doctrinam nouam excitata eſt, & reuixit fides in Chriſtum, & ſpes in eundem. Nam crediderunt multi eorum Dominum Ieſum eſſe verum Meſsiam adumbratum in figuris legis, & prædicatum per voces prophetarum, ideò reuiuiſcent vt frumenta.

¶Aut aliter fideles in primitiua Ecclesia pressi laboribus & angustijs maximis diuexati, erant quasi mortui in mundo, vt 1.Petri 3. traditur, Mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu veri enim fideles, cum abstineāt se se ab hominibus voluptatibus seculi, & æquo animo ferāt mala quæ perferunt sunt velut mortui in hoc seculo vnde Paulus ob eandē rationē de fidelibus ait, nūc mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo ad Coloss. 3. At vero cum subdit Paulus cum autem apparuerit Christus vita vestra, vos apparebitis cum ipso in gloria. *Et istud idem docet modo vates dicens reuiuiscent vt frumenta, quæ videntur sub bruma veluti mortua at incalescente sole, apparet eorum vita. Viuent tritico*, hæc translatio vulgata ad duplicem potest referri sensum, vel quod verbis istis, abundantia victualium promittatur Israelitis quæ subintelligitur, ex tritico: quia triticum est victualium præcipuum. ¶Verum hæc glossa non concinit cum superioribus vatis verbis, quæ nos intellexim⁹, esse referenda, ad aduentū Messiæ, ex cuius aduentu non copiā temporalium bonorum, sed spiritualium charismatum vbertatem sacræ literæ promittebant. Et sacra euangelia, idem confirmāt, quia Christus: nullis cultoribus suis pollicetur, copiam temporaliū bonorū, sed potius contra, nam suos armat aduersus mundi tentamenta: quæ illis ventura prænuncians. ¶Ideo aliter exponi potest, si textum referamus, ad illud granum frumenti, de quo ipse Ioan. 12. Christus ait, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Est autem Christus hoc granum frumenti, seu tritici, quod mortuum in cruce, multum fructum attulit. Vt de eo scripserat Isaias dicens, Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longeuum. Cui Dominus concinit Ioan. 12. dicens, Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Et hoc dicebat significans, qua morte esset moriturus. Viuent igitur fideles tritico, pasti enim fide, & charitate Iesu Christi, qui est granum frumenti vel tritici, quod seminauit Spiritus sanctus, in agro illo inculto ab hominibus, videlicet in ventre virginali, viuunt omnes fideles. Etsi hæc vita cum sit inuisibilis, quia est spiritualis, abscondita est cum Christo, ad Colossen. 3. id est, sicut Christi gloria & maiestas modo abscondita est ab oculis infidelium, ita & vita hæc fidelium. ¶Sunt qui intelligant locum, de sacramento altaris, qui sensus magis videtur spectare allegoriam. *Germina bunt*, Vitis vua multos multiplicat racemos, atque pampinos, & Apostoli & discipuli Domini, diffusi per orbem, multos Christo multiplicauerūt fideles. *Memoriale eius, sicut vinum Libani.* Per memoriale intelligit famam gloriosissimā, quā habent veri Israelitæ. Siquidem in omnem terram effusa est notitia clarissima sanctorum Apostolorum, & doctorum, martyrum, sanctarum virginum &c. sicut vinum Libani, erat valde odoriferum, & famosum, propter suam nobilitatem: nobilissima namque vina fere semper sunt famosa; *Ephraim quid mihi vltra idola? ego exaudiam, ex me fructus tuus inuentus est*, verba sunt dicta à vate in persona verorum Israelitarum, tunc dicent veri Israelitæ. *Quid mihi eum idolis?* id est apparebit vanū fuisse cultum idolorum, cum insonuerit euangelica tuba in orbem. Tunc discent solum Deum esse adorandum, & orandū & tunc ipse Deus exaudiet veros Israelitas. Ideo ait, Ego exaudiam, vnde orantibus Apostolis in cenaculo, descendit Spiritus sanctus sub forma linguarum igneārum. Et Dominus eos præmonuit, dicēs Matth. 7. Petite & accipietis. Et rursus vsque modo nō petistis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis vt gaudiū vestrum sit plenum Ioannis. 16. *Ex me*, fructus boni operis est ex Deo & ex nobis. Nanque meritorium opus, nullum est, nisi ex gratia gratum faciente, & ex nostra voluntate prodeat. Siquidem si opus non sit voluntarium non est bonum opus. Qui nanque ex vi & coactione verbi causa eleemosynam porrigit pauperi, non facit opus meritorium, quia eleemosyna coacta, non est bona moraliter, siquidem virtutis non est opus, quod est vel ignorantiæ vel coactionis opus.

¶Virtus nanque debet esse libera, & spontanea, & quod tollit voluntarium, tollit moralem bonitatem: & quod diminuit voluntarium, diminuit moralem bonitatem. ¶Quocirca opera coacta, aut ignorata, etsi materiam sortiantur bonam, non possunt esse fructuosa coram Deo.

Christi lex nō promittit temporalia bona imo præparat ad ferēdum tēporalia mala

Actor. 2.

Operameritoria sit à Deo & à nobis.

2.Cor.9. Deo. Nanque teste Paulo hilarem, id est, spontaneum largitorem eleemosynæ diligit Deus, & idem dicito de cunctis alijs bonis operibus, quæ etsi materialiter sint bona quanuis sint coacta, vel ignorata, non tamen moraliter: quia non sunt spontanea. ¶Fructuosum igitur opus coram Deo, quod inquam promeretur æternam vitam, est ex nobis, quatenus, debet esse bonum opus spontaneum. Veruntamen, non hoc sufficit ad meritum, quia gratia Dei, est formandum huiusmodi opus, id quod ignorauit Pelagius, credens nō esse necessariam gratiam Dei. Quem elidit locus iste nunc dicētē, ex me fructus tuus, inuentus est. Vbi expendere libet duo, ait enim fructus tuus, igitur meritum nostrum est opus, alias non diceret tuus: & rursum ex gratia Dei, alias nō diceret ex me, eliditur quoque Lutherana perfidia, negans aliquod esse meritum, sed omnia tribuenda esse diuinæ gratiæ. At vero si nullum opus nostrum coram Deo est meritum, igitur omnia opera nostra sunt infructuosa, at nunc ait, fructus tuus, ex me inuentus est; igitur aliquid est noster fructus. Neq; est euadere quod peccata sunt noster fructus, siquidem ait textus ex me fructus tuus: at peccata non sunt ex Deo, quia Deo autore nullus fit deterior, & Deus odio habet impium, & impietatem Sapien. 14. Igitur non facit peccata nostra, vt in. 2. Sentent. à me, affatim est dissertum. ¶Sunt qui contendant cum Scoto, rationem meriti pendere solum ex diuina acceptatione; Deus enim si volet acceptare opus quodlibet etiam non voluntarium, ad æternam vitam, iam esset meritum, quanuis nō esset bonum moraliter.

Bonitas moralis & gratia Dei debent conuenire ad meritum.

Eliditur Lutherus.

Non ex sola acceptatione est meritū secundū Dei præscriptā legem.

¶At vero quidquid sit dicendum de potētia absoluta Dei; quæ maior est quam vniuersa ingenia hominum, & angelorum, secundum tamen præscriptam legē nullum est meritum quod non sit opus bonum moraliter. Et enim Apostolus ait beneficentiæ, & communionis nolite oblinisci, talibus enim hostijs promeretur Deus Hebræ. 13. Vides vt vocat inchoata opera moraliter bona, subaudiens, modo secundum charitatem fiant: nanque hoc iam docuerat in epistol. ad Corin. 1. c. 13.

Matt.25. ¶Ad hæc Dns, in postremo die, quid dicet, saluādis? Quia esuriui & dedistis māducare &c. Venite benedicti patris mei &c. Quæ omnia sunt opera moralia, & quod illa fuerint facta in charitate insinuat dicens, esuriui, & dedistis mihi, satis aperit, propter Christum esse facta. ¶Et equidem Deus non punit nisi mala opera nostra, igitur nō præmiat nisi bona. Et quia sunt bona acceptat, vt quia sunt mala refutat. Nisi quod ad acceptationem nō sat est esse bona moraliter, nisi ex gratia etiam sua prodeant: at vero ad refutationē, sufficit ea esse. Canēte Psalte. Quoniā Deus non volens iniquitatem tu es, & causa est, quia bonum consurgit ex causa integra, malum vero ex quouis defectu & demum sine sola acceptatione operis conferret aliquid Deus non esset propter meritum, sed ex sola gratia acceptante. *Quis sapiens, & intelliget ista? intelliget, & sciet hæc quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: præuaricatores corruent in eis.* Postquam vates multa dixerat contra Israelitas impios, & multa pijs suffragantia, & intelligebat spiritu prophetico plerosque non esse parituros suis vaticinijs, quasi dolens quod sic futurum erat, inquit in calce suæ prophetiæ. Quis sapiens, &c. Et equidem multi erant sapientes, & intelligentes in populo illo Israelitico; at vero, nō sciebant & non intelligebant vaticinia Osee. Est autem nescire, & non intelligere, diuina non approbare. Enim vero, multi erant Scribæ, & Pharisæi qui intelligebant verba Domini dicentis se esse verum filium Dei, veruinque Messiam; at vero quia doctrinam Domini respuebant, ideo reputabantur insipientes, & non intelligentes Ioan. 12. Propterea nō poterant credere, quia dixit Isaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde. ¶Quod igitur rectæ sint viæ Domini, nullus non intelligit, nullus est qui difficetur. Semel enim admisso, quod sunt verba Dei, vel præcepta Dei, est necessario confessio, quod sunt verba vera, & quod sunt præcepta iusta. Siquidem Deus est verax & fallere nequit, & Deus est iustissimus, & nihil iniusti potest præcipere. Imo, eo ipso quod præcepit, iustissima est præceptio. ¶Veruntamen, infideles non credunt esse verba euangelij, aut sanctorum prophetarum, esse verba Dei, neque esse præcepta Dei, quæ catholici, profitentur esse talia. Nam si Saraceni,

Isai. 53. Rom. 10.

raceni, aut Turcæ credidissent, esse talia, planè credidissent esse vera, & iusta. Nam ex eo credunt legem Mahometi, quia arbitrantur esse diuinam legem. ¶ Verum sunt fideles praui, qui etsi credant euangelica esse vera, at vero non obtemperãt ex proprijs actis passionibus. ¶ Ad credendum igitur, omnia quæ ecclesia proponit credenda, est necessarium Dei auxilium, quia fides donum Dei est, fides autẽ hæc quæ est donum Dei credit omnia exactè, quæ Deus, proponente ecclesia vulẽ nobis credi, & respuit omnia à fide, quæ Deus per ecclesiam suam mandat respuẽda. Adhæc vt possimus adimplere omnia Dei præcepta, quæ nobis per ecclesiam proponuntur esse volentibus æternò seruari, obseruatu necessaria. Precatur igitur vates suis Israelitis sapientiam, & intelligentiam, non terrenam, quæ est ad terrena percipienda, sed cælestem, quæ ad cælestia est mandata implenda. Quam sapientiam, & intelligentiam habent iusti omnes, ideo ait, iusti ambulabunt in vijs Domini rectis. Præuaricatores autem orbantur ex sua culpa huiusmodi sapientia: ideo corruent in vijs Domini.

Fides quæ est donum Dei qualis.

¶ Est autem corruere, nõ implere Dei mandata, vel ea scilicet transgredi, aut ea omittere. Nam duo sunt genera tim, scilicet commissio, vel omissio, quibus impij lædunt Dei mandata. ¶ Et Dei præcepta quæ sunt lux hominum, istis per accidẽs vertuntur in tenebras. Vnde Psal. Nescierunt neque intellexerunt in tenebris ambulant & in Prouerb. Nesciunt vbi corruant. Ea quæ sunt plana, quia nihil habent offendiculi, aut obliquitatis, quia omnes sermones Domini recti sunt. Prouerb. 8. Transgressoribus tamen, vertuntur in offendiculum, ideo ait, *Corruent in eis*. Vnde ibidem sic habetur, iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum. recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam. Insinuatque Salomon hisce verbis, nõ esse rectos sermones Dei ignorantibus, & peruersos esse peruersis. Vnde Psal. De Deo ait, cum sanctis sanctus eris, & cum peruersis peruerteris. Sunt autem isti ignorantes & non intelligentes infideles omnes & hæretici, quibus non est recta via Domini. Quia ipsi non sunt recti, vt gustus bili multa infectus, dulcia iudicat esse amara.

Psal. 81. *Prouer. 4.* *Psal. 17.*

¶ Ideo ipsi corruunt in via Domini, quippe corruere ipsorum est transgressio diuinorum mandatorum. Ad eundem modum scribitur Lucæ. 2. Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel. Christus sanè, de quo hæc dicuntur est via Domini recta, & Dei verbũ rectũ, ipso testante, Ego sum via, veritas & vita Ioã. 14.

Via Domini recta ex se, sit obliqua per accidens deuiãtibus ab ea.

¶ Quocirca hæc via Domini recta. est in ruinam infidelibus, & fidelibus, non ambulantibus per hanc viam; at est in resurrectionem piorum fidelium. Est sanè via Domini ruina non ex se, nam ipsa directa via est, & sine offendiculo est de se, cæterum ex iniquitate humana fit hominibus iniquis ruina. Quia Deus in vltionem peccatorum, deuiantes ab hac via finit in profundum peccatorum venire. Sicut scriptum est, fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini persequens eos. Sed ait aliquis, quid est istud quod ait, angelus Domini persequens eos? num angelus Domini bonus quenquam incitat ad malum? non sanè, sed potius ad bona sectanda homines stimulat: ad hoc enim datus est ad custodiam humanam. Ideo oportet, dicere, vel quod angelus, homines præfractos & cõtumaces contra Deum, permittit eos persecutioni, & vexationi diabolicæ, ob mala merita ipsorum, & istud est persequi eos, permittere eos persequendos, & vexandos, si hac saltem ratione emendatores eos habeat. ¶ Aut per angelum Domini angelum malum intelligere possimus; qui non eo dicitur Domini, quia Domino famuletur, aut Domino sit gratus; sed quia omnes spiritus sunt Domini, siue boni, siue mali: quia Deus est creator omnium, ideo nonnumquam diabolus, etiam appellatur spiritus Domini. 1. Regum. 18. Spiritus Dei malus exagitabat Saulem. *Quis sapiens*. Idem precabatur Moses Israelitis, quod nunc Oseas, eisdem ait enim, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Et in Psal. 106. Quis sapiens, & custodiens hæc? & intelligens misericordias Domini. Per quæ omnia insinuatur nobis, id quod dudum differebam ad diuina integrè, & sine errore percipienda esse necessariam operam diuinam; & postquam illa percipiamus ex fide sana, ad custodienda, item necessarium Dei auxilium.

Psal. 91.

¶ Vnde

¶ Vnde Dominus beatificat Petrum ex fidei confessione in hæc verba beatus es Simon Bario na, quia neque caro, neque sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Per carnem & sanguinem more consueto scripturę, omnia mundana intelligens. Istis etiam concinens Paulus ait. 1. Corint. 1. indicãs Isai. cap. 33. Sicut scriptũ est inquit, perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius seculi. Reprobatur autem sapientia huius seculi, atque mundana prudentia, quia hæc non potest prouidere nobis æterna præmia, & illa non potest docere nos fidei mysteria. Et ideo rectè ait, vbi sapiens huius seculi qui doceat homines verè fidem Iesu Christi, vbi inquisitor vel disputator, & scrutator arcanorum naturæ, qui posit exactè, nos erudire, de venturo prẽmio sanctorum, venturoque supplicio impiorum? Hactenus ex Christi auspicijs prosecuti sumus explanationem in Oseam, & Christo donante absoluimus, hic igitur esto finis explanationum in Oseam Dei vatem.

Finis Explication. in Oseam.

INCIPIVNT EXPLANATIONES in Ioelem Prophetam à Magistro Michaele de Palacio.

CAPVT PRIMVM.

Sub quibus regibus prophetauit Ioel.

VERBVM Domini *quod factum est, ad Ioel, filiũ Phathuël.* Sub quibus regibus floruerit vates hic. Ipse non exponit vt de seipso exposuerat denarratus Propheta. Vnde creditur, quod ipso silẽte tempora, sub quibus sua edidit vaticinia, insinuari esse eadem quæ erant Oseæ proximi vatis vt superius commemoratum est. ¶ At vero, etiam si istud sit probatum Hieronymo, & alijs diuinorum sermonum denarratoribus, at vero non adeo est confessum omnibus, vt iam tanquam probatissimum cunctis documentum, sit obseruandum. Namque Rabbi Salomon quem indicat Nicolaus, crèdit hunc vatem, prophetasse, sub Ioran rege Iuda, & alio Ioran rege Israel. At vero Ioran præcesit tempora regum, quorũ meminit Oseas. Et causa Salomonis isti⁹, qui fuit eruditissimus apud Hebræos magister hæc est, vnde mouetur, vt sic opinetur. Quia istud vaticinium, bruci, erucæ &c. quod Ioel edidit fuit vaticinium famis venturæ tũc, quam prædixit Elisæus 4. Reg. 8. Monens viduam, vt deserta Israelis terra, propter septẽnariam famem grassaturam in totam terram illam. 12. tribuum concederet terram Philistinorum, vbi sibi posset subuenire. Et hanc famem quam prædixit Elisæus, Ioel Prophetat modo secundum Rabbi Salomonem.

¶ At vero fames hæc fuit ante tempora, regum cõmemoratorum ab Osea. Quod si sub tẽporibus istis prophetasset Ioel, iam eius prophetia, esset de præterita fame, & non de futura, cum tamen, ex verbis suis propheticis malum futurum minatur, & nõ præteritum declarat. Vt Moses declarauit dicens. In principio creauit Deus cælum, & terram &c. Verba autem hæc. *Audite hoc senes, &c.* De venturis malis attentionem poscunt, vt patebit clarius ex decursu. Consensit Vatablus in sua glossula Rabbino huic, & Nicolaus, non abnuit. ¶ Porrò sunt qui euadant rationem Rabbini huius, dicentes per erucam, brucum, locustam, & rubiginem, nõ famem, sed deuastationem factam, ab Assyrijs & Babylonijs esse subintelligẽdam. Vnde per Erucam, Teglathphaassar, per locustam Salmanassar, per brucũ Sennacherib, per Rubiginem vero Nabuchodonosor interpretantur. Alij vero quatuor imperia quæ deuastauerunt Israelitas, & Iudæos videlicet Imperium Assyriorum, quod deuastauit decem tribus, & Imperium Chaldæorum, quod traxit in captiuitatem Iudæos, & Imperium Græcorum, quod mirè affligit etiam Iudęos, vt libri Machabęorum gestum fuisse sub Antiocho narrant. Et Imperium Romanorum quod post Christi ascensum in cælum, pessum dedit Iudæos. vnde secundum hanc expositionem, metaphoricè sunt accipienda quæ de bruco, eruca, locusta, & rubigine hoc loco dicuntur. Sub istis enim insectis, intelligit vates deuastationes factas à regibus commemoratis, quibus infestissimi fuerunt Israelitæ, atque Iudæi. ¶ Et non meminit regni Persarum, aut Medorum, nam horũ principes fuerunt Iudæis fauorabiles. Probatur autem, quod sit metaphorica locutio, quia inquit Ioel, Gens fortis ascendet super terram meam. Modo, locustæ, & bruci & erucæ non sunt gens. Nam gens solum dicitur de rationalibus.

¶ Porrò Rabbi Salomon, diuersum sen

sit. Verè fuisse locustarum agmina, & brucorum & erucarum, &c. Quæ paulatim deuastarunt terram Iuda, & Israel. Nam non simul hæc insecta inuaserunt terras illas, sed paulatim. Itaque primo inuasit genus insectorum quoddam vt locustarum. v. g. & consumpserunt frumenta, & alia terræ nascentia; dein altero anno fuit lues frumentorum, & aliorum terræ nascentium ex alio genere aliorum insectorum & ita deinceps: nam fames septem annis durauit vt supra indicatum est.

Nicolaus, cõtra Rabbi Salomonem.

¶ Itaque Elisæus prædixit septenariam famẽ; at vero modum venturæ famis, & causam eius expresit Ioel hac prophetia. ¶ Inuehitur contra Rabbi Salomonẽ, Nicolaus in glossa, quia nusquam in scripturis sanctis reperitur, quod animalia expertia rationis, appellentur ex nominibus rationalium. Etsi passim reperiatur quod, rationalia ex nominibus irrationalium nominentur. Nam sæpè vocãtur homines leones, ob ferocitatem & aquilæ propter rapacitatem, &c. Porrò hæc ratio non est multi facienda. Siquidem diuersum extat in scripturis, quod irrationabilia nonnũquam appellantur, ex appellationibus rationaliũ. Legimus enim Prouer. 30. Formicarum populum infirmum, & lepusculum, esse plebem inualidam. Vbi apertè formicarum multitudinem, vocat scriptura populum infirmum. Et lepusculorum plebem inualidam. Imo apud Homerum idem legimus vocasse bruta, gentem, & apud alios poëtas. Et Hispano sermone canes vocamus, sæpè, beltranes, dianas, marqueses, &c. Et inanimata itẽ, vt horologia & portus, & vrbes, vocantur nominibus hominum, vt ciudad Rodrigo, puerto de sancta Maria, &c. ¶ Dixerim igitur, quod per huiusmodi insecta, vates intellexit, quæ propriè per illa nomina significantur. Itaque dubio procul, nisi fallor vates hic, prophetauit corrosionem fructuum faciendam per huiusmodi insecta & exiccationẽ eorundem per rubiginem. Et hoc idem autumat Theodoretus in commentario.

Rabbi Salomon defenditur cõtra Nicolaum.

¶ Porrò autem si huiusmodi fructuũ corrosio & exiccatio, vnde fames resultat, fuit tempore Ioră regis Israel, & fuit fames resultans illa, quã prædixit Elisæus, an altera fames quæ non fuit septẽnaria illa, mihi non constat; & ideo etsi conuenio cum Rabbi Salomone, in intelligẽtia verborum prædictorum secundum sermonis proprietatem, itaque eruca significat insectum, quod vocatur eruca, & ita de reliquis, non tamen cõuenio quod hæc significent famem illam septẽnariam cuius meminit. 45. liber. Regũ. 8. Neque tamen disconuenio, siquidem dubiam de re hac teneo sententiam. Quanuis indubitatum est mihi, quod hæc quæ de insectis loquitur vates, ad literam, & secundum proprietatem esse intelligenda. ¶ Siquidem ex regula Augustini, quando ex literali intelligentia secundum sermonis proprietatem, nihil absurdi resultat in scriptura, proprietas est obseruanda verborum. Id quod modo accidit, quippe, si dicamus quod huiusmodi insecta agminatim irruperunt ex diuina dispositione, in terram duodecim tribuum, vnde deuastata est ab eis vbertas terræ illius & conuersa est in maximam sterilitatem, nihil absurdi emerget, idcirco, oportebit præhabita, secũdum proprietatem intelligere. Istis igitur vtcunque exploratis, restat, resoluere, aliud exiguum dubium, an vates hic agat contra duodecim tribus, an solum contra duas, scilicet Iudam, & Beniamin. Siquidem Hierony. videtur sibi contrarius, namque in prologo ad hunc vatem expresse ait, vaticinij Ioelis materiam non esse duodecim tribus, quia contra has omnes nihil agit, sed solum cõtra duas, quas insinuat sub vocibus istis Ierusalem, & Iuda. At vero scribens Paulino, de omnibus libris sacris, Ioelem tradit contra duodecim tribus scripsisse. Et re vera istud vltimum mihi verius videtur, & item Theodoreto, & Nicolao Lyrano, & prompta est ratio, siquidẽ, hic idem vates meminit Israelis: quia cap. 3. Traditur disceptabo cum populo meo, & cum hæreditate mea Israel. Vbi fit mentio Israelis & per Israelẽ subaudiuntur decem tribus. ¶ Ad hæc quia si verum est hunc vatem per locustam, erucam, &c. subintelligere quatuor Imperia, quæ deuastarunt Iudæos & Israelitas, manifestũ est, quod vates hic, etiã in suo vaticinio agit contra decem tribus. Forsan Hieronym. voluit præcipuum vatis institutum fuisse, agere contra duas tribus. ¶ Cæterum quale quale istud dogma fuerit, decursus vatis ostendet. *Ad Ioelem* fuerunt multi hoc insigniti nomine vnde filius Samuelis primogenitus, hoc nomine fuit donatus.

tus. 1. Regũ. 8. Et alij non pauci. Et ideo, additur ad discretionem aliorum, filius Phatuel. Interpretatur autem Ioel volẽs, seu incipiens, aut iurans. Phatuel vero latitudo, vel ostium Dei. Id quod secũdum tropologiam significat, quod cui reuelata seu aperta sunt Dei mysteria ille poterit incipere prophetare. At vero qui non nouerunt diuinas literas, istis neganda est diuini verbi prædicatio. Prædicatores enim subrogantur in locum Prophetarũ. Nam qui non est discipulus veritatis, magister fit erroris. ¶Isidorus autem, & Epiphanius lib. de patri. vete. testamenti tradunt fuisse Ioelem ex familia Rubenitarum, ex agro Bethoron, vbi in pace fuisse sepultum. De verbo autem Dei, & qua ratione dicatur factum in explanatis ad Oseam abunde puto me dixisse & hactenus de prophetico proœmio. *Audite hæc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ.* Hic incipit prophetica narratio, ex qua captat attentionem auditorum, quia de rebus nunquam visis verba se facturũ promittit. Et senes nominat, quia isti sunt qui ex rerum longa experientia multa nouerunt, vnde quod istis nouum est, valde nouum est, at propheta senibus quoque esse nouum, quod ipse dicturus est, asserit, sed non solum senes, sed omnes habitatores terræ facit attentos. Quandoquidem, quod omnes tangit, omnes audire, & discere debent. Hæc autem prophetia tangebat omnes Israelitas, quia erat de fame, eis ventura propter eorum scelera. Vt scilicet audita prophetia tanti venturi mali, resipiscerent ab erratis suis & ad Dominum conuerterẽtur. ¶At vero forsan quæres an Ioel loquebatur cum hominibus omnibus, qui erant in toto mundo? non sanè, quia mala quæ ipse prædicebat non erant ventura toti orbi, cur ergo ait, auribus percipite omnes habitatores terræ? ¶Respondetur, quod verba sunt sumenda secũdum subiectam materiam. Et siquidem sermo non agebatur à vate, cum omnibus hominibus qui erant in orbe, sed solum omnibus habitantibus in terra promissionis, ad hos enim solum mittebatur, non ad gentes alias. Ideo per omnes habitatores terræ, illos duntaxat intellexit. Quale illud quoque intelligẽdum putant aliqui Lucæ. 23. & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, scilicet promissionis. Quanuis, mallem ego credere sub Domini morte solarem eclipsim fuisse vniuersalẽ in toto orbe. Quãuis enim, sol nũquam à luna possit in vniuersum obscurari: quippe luna, est multo minor sole, ideo etsi ex coniunctione lunæ cum sole, videatur, istis vel illis totus obtenebrari, tamen alijs, lucide resplendebit, solis aspectus. ¶At vero, sub Domini morte, non fuit eclipsis secundum naturæ ordinem, quia tunc non poterant secundum naturam, sol & luna coire, traditur enim fuisse tunc luminaria sibi ex diametro opposita; & ideo miraculo danda est eclipsis illa, vnde totus sol, passus est lucis deliquium. *Si factum est istud in diebus vestris aut in diebus patrum vestrorum.* Terribile aliquod & insolitũ esse, quod ipse est dicturus verbis istis ostẽdit. Siquidem, erat quod nũquã accideratin diebus præsentium, neque præteritorum hominum: ideoque dignissimum esse insinuat; quod audiatur, & auribus percipiatur. Et obserua, repetitionẽ esse in his verbis: *Audite auribus percipite.* Nam idem est audire, quod auribus percipere. Atqui hac repetitione vsus est vates, volens per eam auditores esse attentissimos. Et eadem repetitione est vsus Dauid dicens. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Etsi Hiero. in prologo ad hunc vatem, ait hęc duo differre audire, & auribus percipere. Siquidem primum refertur ad sensualem auditionem, qua etiam bruta potiuntur, at secundum ad mentalem intelligentiam. Cæterum illud nõ est perpetuę obseruationis in diuinis eloquijs. Siquidem vt modo indicabam ex Psal. 52. illa duo, non habent illam differentiam, quia in Deo non sensualis auditio, sed solum intellectualis, quia eius intellectio clara nostrarum precum est auditio, & cũ annuit votis est exauditio, & tunc itidem auribus percipit, non quia habeat aures, sed quia intimè nouit, quæ precantur. Quod si dixeris in Psalmo indicato Deus audi orationem, sed exaudi vtique. Secũdum translationem ad veritatem Hebraicam, habetur Deus audi, &c. Et demum Hieronymi annotationem verã esse credamus quando fit sermo ad eos, qui sensualem & mentalem auditionem habent: aut dicamus repetitionem esse. Obijcies forsan contra dicta. Quia Exodi. 10. Locustas fuisse in Ægypto tot quot neque vnquam

Eclipsis solis sub Domini passione fuit vniuersalis quia fuit miraculosa.

Vniuersales propositiones in sacra scriptura sumẽdæ sunt iuxta materiã subiectam.

quam prius, neque postmodum futuræ erant. Respond. quod hic est sermo non de locustis solum, sed de quatuor plagis, ab eruca, locusta, &c. Et has simul nunquam prius fuisse neque postmodum futuras ait vates vel secundo intellige vatis verba, quod in terra duodecim tribuum nũquam tale aliquid accidit, vel accidet. Verba enim sunt sumenda secundũ subiectam materiam. *Super hoc filijs vestris narrate, & filij vestri, filijs suis, & filij eorum generationi alteræ.* Perpetuæ memoriæ cõmittendũ præcipit propheta, quod ipse denarraturus est vt insinuet maximum aliquod esse denarraturum & insolitũ & inauditum seculis prioribus gestũ, siquidem, perpetua memoria est colendum. Maxima nanque quæ accidunt, ea memoriæ magis figuntur, quam quæ quotidiano decurrũt cursu. Siquidem magna quæ contingunt sua nouitate, attentiore cura audiuntur, & solertiori opera memoriæ mandantur siquidem hæc denarrata, excitant audientium animos & stuporem, auditoribus immittunt. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit brucus, & residuum bruci comedit rubigo.* Quatuor pestes segetum, & arborum fructiferarum commemorat. Ex quibus tres sunt de genere animalium quæ Aristo. 5. de histor. animal. capit. 19. vocat insecta, quia sunt succincta, vltimum vero, est cœlestis impressio. Meminit autem Aristot. loco prenotato erucarum, dicens, nascuntur papiliones ex erucis, erucæ vero ex virentibus folijs maximæ braficæ. Primum, minus quid mitio cõsistit in folio, mox vermiculi contrahuntur, & accrescunt, tum intra triduum eruculæ afformantur, quæ auctæ, motu cessant. Albertus vero lib. 26. de historia, erucam dixit esse vermem ex folijs pastum longum & colore varium, aranearumque telas in extremitate arborum inuoluentem. Et ego sæpè, dum Salmanticæ agerem profitendo publice Theologiam hos vermes de quibus est sermo vidi. Locusta autem est quædam ex genere crustatorum, & hæc piscis est, & de hac modo non fit mentio, alia terrestris & est de genere insectorum iuxta Aristot. libro comme. cap. 28. hæc valde sequit infruges, & vineas. Et gregatim procedit transuolando per maria & de terra in terram, quærens sibi pabulum. Brucus item est de genere insectorum, & dicitur primus partus locustarum: arboresque & frondes erodens. Vnde nomen accepit παρα τοῦ βρύκειν, τρώγειν. Vt etiam eruca, ab erodendo dicitur: quia in olerum folia frequentius repit & abrodit, nam nũc non est mentio de eruca herba Hispanè oruga quæ venerem fertur excitare; sed de eruca verme, quæ Hispanè item vocatur nomine herbæ. ¶In Africa autem, & Syria maiores quam apud nos nascuntur locustæ, & firmioribus alis tantaque copia, vt herbas messesque omnes, aut erodant, aut adurant libro. 11. cap. 29. Vide plura de istis apud Plinium. Rubigo autem est metallorũ infectio vt ferri, quod rubigine consumitur, & exeditur Hispanè orin & dicitur rubigo, à rubędine qua inficitur metallum, & ideo vocatur etiam Robigo, quia prisci latini robum vocabant, quod nos rubrum. Veruntamen, etiam propriè significat, herbarum, & fructum infectionem, vnde ariditate consumuntur, quæ prouenit ex influentia cælesti. Et est vitium plãtarum, cum nimio æstu absumptæ, vel totæ vel aliqua sui parte marcescunt, id quod ferè est idem quod sideratio.

Eruca locusta brucus de genere sunt animaliũ insectorũ.

¶Est autem sideratio, quã Græci vocant σφακελισμόν, sphakelismos, & latini vredinem carbunculationem, & sideration vt diximus de qua Plinius lib. 17 ait sideratio tota è cælo cõstat. Et lib. 18. Ante omnia inquit, duas causas esse cæleſtis iniuriæ meminisse debemus, alteram, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque id genus intelliguntur, quæ cum accidant vis maior appellatur. Hæc ab horridis sideribus oriũtur: veluti Arcturo, Orione hœdis. Alia vero sunt quæ silente cælo sereniſque noctibus fiunt, nulloque sentiens nisi cum facta sunt publica; quæ sunt magnæ differentiæ à prioribus, alijs rubiginem alijs vredinem, alijs carbunculum appellantibus. In hæc igitur duo Plinius causas omnes sterilitatis, collegit ex cælo prouenientes. Patiũtur autem vredinem seu rubiginem teste eodem, vitis, olea, & ficus est autem vredo, seu rubigo, seu carbunculum, tabes, vel macies arborũ prædictarum. De huiusmodi sideratione scripsit Aristot. cam accidere quando hyems fuit calida, & humida, & ver successit frigidum, & siccum; tunc enim ver congelat & coagulat humidũ hyemale. Vnde con-

Vredo rubigo sideratio carbũculatio idem significant.

Sphakelismos est quãdo corrumpũtur plãtæ ex nimio gelu aut ex nimio æstu ex Aristo. 3. c. de inuen. & secret. Par. 1. probl. 9. ex noua trãslatione. & idẽ de inuen. & sene. cap. 3.

de contingit vredo in plantis, & ægritudines in animalibus Teophrastus autem lib.4.de causis, idem credit esse æruginem atque rubiginem. Nisi quod æruginem non vsurpat pro vitio quodã æris, vel argenti, cum virideſcit, ſicut rubigo est vitium ferri, cum inficitur, quadam rubedine. Vnde Iacobus ait cap. 5. Ærugo eorum in testimonium vobis erit. Vnde æruginare est Hispanè tomarse de orin, & Iacobus est vsus hoc verbo ibidem vbi dudum argentum tuum æruginat, &c. Theophrastus autem, accipit æruginem pro vitio plantarum, vt etiam Aristo. lib. proble. par. 1. proble. 23. ex hoc autem vitio putreſcunt ſegetes, & plantæ. Putrefactio autem contingit à calore & humore extraneo, corrumpente calidum & humidum naturale. Vnde lunarem calorem huius putrefactionis putant Physici esse præcipuam causam, propter ſuam magnam humiditatem, quam interioribus influit; vnde agricolæ pro ſatione, & ſectione vegetalium, obſeruant tempora lunaria, vt melius habeant ſatio, & ſectio. ¶ Ærugo igitur vt de ea fit modo ſermo in vegetabilibus cauſatur à materia humida mala viſcoſa, ſlantibusque vẽtis auſtrinis turbulentis excitata & aucta, vnde & nigrum colorem ſibi ſageteſ acquirunt: & in puluerem verti ſpicas vidi ſic affectas, quando mihi contigit manu eas premere. Spicę enim ſic affectæ, marcidæ fiunt, & in puluerem fætidum reſoluuntur. ¶ Ærugo item ſignificat plantarum luem ex inſectorum quodam genere proueniens. Nam quidam etiam credunt, æruginem ſignificare vermes quoſdam oblongos viridis coloris, abrodẽtes vegetalia, quos Hiſpanè nominamus lagartas. In libro autem. 3. Regum. cap. 8. proditas has inſectorum peſtes inueni-m⁹. Fames ait ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo. Et in Pſal. 77. dedit ęrugini fructus eorum, vbi ęrugo, pro putrefactione vegetalium aut pro inſectis ſupradictis vſurpatur. At in Matt. 6. Pro vitio metallorum, vbi ærugo ait, Dominus, & tinea non demolitur. ¶ Iã patet quid velit vates, dicens reſiduum erucæ, comedit, pro comedet locuſta, ideſt, ſi ſæuiente in ſegetes eruca, non eas abraſerit omnes, quod ſuperfuerit abradet, ſeu deuret locuſta; &c. per quæ omnia inſinuat omnia quæ erant exhibitura hominibus alimentum, panis, vini, olei, & fructuum aliorum, eſſe abſumenda Deo diſponẽte, in vltionem Iſraeliticorũ ſcelerũ. B. Gregorius in gloſſa, hæc quatuor retulit, ad quatuor vitia criminalia, videlicet erucã ad libidinem, locuſtam ad inanem gloriã, Bruchum ad ingluuiẽ, rubiginem ad irã. Hæc nanque depaſcũt animi virtutes, & deuaſtant animi vires, vt nihil ſit viriditatis ſpiritualis in anima, ſed omnia vertantur in ſcalorem & ſterilitatem. ¶ Et fortè, etſi Gregorius non aptet iſta, aptabũtur hac ratione. Eruca vt diximus ſlamentis quibuſdam, ſicut telis aranearum contextis obtegit vegetalia, quibus inſidet. Ad quam rationem libido obſcurat mentem, vt typus nobis eſt fortiſsimus Sãſon, qui dulcedine fæminei amoris captus, in gremio Dalilæ, recumbens, ligatur, tõdetur eneruatur & traditur hoſtibus luminibus orbandus. Et item Sapientiſsimus Salomon, infatuatus eſt ab amore mulierũ extranearum. Et de hac re ſunt plura quę in medium poſſemus proferre. Nã etiam gentium poetæ, cupidinem amoris Deũ, cæcum fingunt, vt ſubnotent, libidinem obtegere mentem humanam tenebris, ſiquidem vehementiſsima quæque ſenſus paſsio, mentem cæcat; at nulla vehementior, neque frequentior, neque turbulentior, quam amoris erga mulieres. Vnde diuina ſcriptura, vt exaggeraret amorem Ionathæ & Saulis erga Dauidem, tradit Ionatha & Saulem eſſe amabiles valde ſupra amorem, quo ſolent amari mulieres. ¶ Hũc nanque amorem Dominus indidit naturæ humanæ, vt propagatio humanæ prolis, perpetua duceretur. Porrò homines libidinoſi abuntur hoc amore erga fæminas. Siquidem quem debuiſſent impendere ſuis vxoribus ſcortis impartiũt. Sed quid, quidam ſunt cælibes non vxorati, ſanè ſi deuruntur ex venere ſi poſsũt ſoluere cælibatum ſoluant, & ducãt vxores, aut ſi nolunt ſoluere abſtineant & ſuſtineant. Aut ſi non poſſunt ſoluere conſtricti ex voto ſolẽni vt monachi, & in ſacris conſtituti, extinguant amorem, quo vti nõ poſſunt. Et ipſi antequam ſe voto conſtringerent, tentare ſeſe debuiſſent, ſi poſſent tantũ caſtitatis pondus ſuſtinere; quod ſi improuidi ſe in catenam votorũ ſolemnium coniecerunt, auidi beneficiorum eccleſiaſticorum, aut propter alias cauſas,

Iudi.16.

2.Reg.1.

cauſas, ſi emiſsis votis vexantur ab hoc amore muliebri, ſibi imputent; & precẽtur Dñm aſsidue vt flãmas venereas in eis extinguat, & Dñs pro ſua pietate extinguet, ſi tamen ipſi offendicula minuant, aſpectũ, & conſuetudinẽ fæminarũ, quas ſibi eſſe periculo iudicant eſſe futuras. ¶ Per locuſtã autem rectè adũbratur inanis vitæ faſtus, ſiquidem vt dicebã locuſtam in altũ ſe tollere alis ſuis, id quod ſuperbis eſt cõmune ſe tollere in altũ, alios deſpiciendo, & ſeipſos magni faciendo. Vnde alios deuaſtant, & infamant, vt propriæ gloriæ cõſulãt. ¶ Quos tamẽ monẽs Paulus ait. Noli altum ſapere, ſed time ad Rom. 11. Quantum autem odio ſit Deo, iſte volatus ſuper alios ſuperborum, ſcriptura nunquã nõ docet, ſiquidẽ humiles Deus exaltat, & ſuperbos deprimit. Et qui volet exaltari, ex euangelica admonitione debet ſe deprimere, quia qui contra fecerit ſe exaltando, deprimetur. Angelorũ malorũ ruina nobis exemplo eſt, quã ſit Deo ingrata cordis noſtri elatio cõmorante Luca videbã ſatanã, ſicut fulgur cadentem de cælo Nabuchodonoſor, erat ſibi gratulans, deambulans. ¶ Adhæc in palatio ſuo, offerensque ſe cõtra Deũ, ſibi tribuebat robur, ex quo Babylonem cõſtruxerat: at cõtinuo audiuit. Tibi dicitur Nabuchodonoſor, regnum tuum tranſibit à te; & ab hominibus ejiciet te Deus & cum beſtijs & feris erit habitatio tua: fænum quaſi bos comedes &c. Daniel. 4. Pharao item rex Ægypti exaltauit ſe cõtra Deum, dicens ſe neſcire Deum Hebræorum, & nolle obtemperare eius mãdatis, vnde ſubmerſus eſt ob ſuã in Deũ elationem in mari rubro, ipſe cum omni comitatu bellicoque apparatu ſuo. Vt Ægyptij qui in crimine erant ſecuti regẽ ſuum, in pœna quoque eſſent eius conſortes. Vnde ſcribitur Eccleſ. 10. Radices ſuperbarum gentium arefecit Deus, & plãtauit humiles ex ipſis gentibus. Nam ſuperbis Deus reſiſtit humilibus autem gratiam dat Iaco. 4. & odibilis eſt corã Deo & hominibus ſuperbia Eccleſ. 10. ¶ Quis ignorat quam ſuperbus fuerit ille Goliath gigas, qui exprobrabat agminibus Dei viuentis? at vero deiectus eſt, & humi proſtratus ab humili adoleſcente Dauid, qui abſcidit caput ab humeris eius. Et Dominus per Abdiam, cap. 1. Satis exprimit ſuperborum elationem, & eorũ depreſſionem. Ait enim ſuperbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet te in terram? en tibi ſuperbã elationem; audi modo deiectionem, ſi exaltatus fueris vt aquila, etſi interiſſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus. Et quanuis ad literam ſermo agatur de Idumæis, at vero omnium ſuperborum deſcribũtur mores, & exitus. ¶ Ferunt etiam locuſtarum inteſtina eſſe ſemper ſordida, & nos ad ſenſum videmus, ſemperque eſſe ſuriẽtia, cuius rei teſtimonium eſt locuſtarum indefeſſa vegetalium corroſio. Quæ omnia germanè conueniunt ſuperbis, ſemper enim cordis inteſtina ducunt immunda, quia plena ſunt ſordibus ambitionis. Et nihil mali verẽtur perpetrare, vt alijs ſe præferãt. Semper enim ad maiora quã pro meritis aſpirant, quæ vota vt abſoluant, nullum eſt facinus quod non committant.

Ingenium ſuperborum.

Lucæ. 1.
Lucæ. 14.

Iſai. 14.
Lucæ. 10.

Exod. 14.

1.Reg. 17

¶ Fames autem ipſorum eſt anhelare ſemper ad prælationes, non vt fidelibus proſint, ſed præſint. ¶ Brucus autem, quia fixus manet oleribus, ideo perpetuo ea paſcit quapropter non immerito guloſos, quorũ animus ſemper eſt in patinis adumbrat. In quos Paulus intuens dixit Philip. 3. Quorum Deus venter eſt. Iſti autem non obſeruãt quod item Apoſtolus ait. 1. Cor. 6. Eſcam ventri, & venter eſcis hunc, & illas deſtruet Deus. Neque quod Iſaias ait cap. 5. Væ vobis qui potentes eſtis ad bibendũ vinum & fortes ad miſcẽdã ebrietatem. Et Dñs, attẽdite ne grauẽtur corda veſtra crapula Luc. 11. & Eccl. 37. Propter crapulã multi perierũt. Et noſter vates modo, contra huiſmodi guloſos clamat dicens. Expergiſcimini ebrij. Eſt autẽ gula inordinatus, ſeu quod idem eſt, intemperatus ciborum appetitus, ſub cibo comprehendimus, omnia quæ ad guſtum pertinent. Nanque circa guſtabilia, eſt vitium hoc qualia ſunt comeſtibilia & potabilia. Tunc autem eſt inordinatus appetitus, quando ea appetimus guſtare, quæ vel diuina aut eccleſiaſtica lege ſunt prohibita, vnde Eua prima fœmina hoc ſe infecit crimine, vetitum diuina lege pomum guſtans, & ſuus eodem ſe inuoluit peccato vir, guſtando quod illa porrigebat. Itẽque Hebræi veſcẽdo carnes ſuillas, & alia

Quid ſit gula.

Gula quãdo eſt crimen.

Mosaica prohibita lege. Et rursus: qui sciens euidenter vitæ suæ saluti noxium esse cibũ vel potum quẽ gũstat, comedendo, vel potando gulæ est reus. Quia cõtra diuinã legem naturalem agit prohibẽtem homicidia. Nã cõtrarius est huic mandato, qui euidenter sciens noxios esse sibi cibos notabiliter, nihilominus illis vtitur. Item qui soluit ecclesiastica ieiunia gulæ est arguẽdus. Et tũc gula est crimẽ. Porro autem, nõ semper crimẽ est excedere metã temperantiæ, vel comedendo, vel bibẽdo, nisi iuxta ea quæ præscripsimus. Dixi notanter appetitus, siquidẽ solo affectu hoc crimẽ incurritur. Nam qui voluisset violare ieiunia ecclesiastica, etsi effectu nõ violasset, violauit tamen affectu.

Gula aliquando est veniale peccatum.

¶Superbia item vel solo affectu cõmitti tur, est enim appetitus inordinatus excellentiæ. Qui enim ordinate appetit excellentiam habere super alios, non superbit, sed iustè excellentiam appetit. Vt qui doctus est, & sufficiens, ad regimen animarum obeundum, quod appetat per media congrua, illud obire, videlicet competentiam ineundo cum alijs minus doctis demonstrando se esse doctiorem, & ideo digniorem se esse cæteris non est superbus. Sed ais, si appetit præferri alteri ęquè docto, nũ male appetit in electione prælationem, vbi est æqualitas & paritas meritorum? Respon. quod in eo casu quãdo candidati sunt æqualium meritorũ nullus alteri poterit præferri ex merito iustitiæ, sed ex iudicum beneuolentia amicitiæ, quã quiuis candidatorum sibi cõciliare magis, studere poterit. Quare nullus alteri tunc iniurius est: quippe nõ de iustitiæ prælatione agitur secũdum quã pares sunt candidati, sed de amicitia secũdum quam qui curat alteri præferri, alteri non nocet. Siquidem iudicum vel electorum amicitiam, candidatorũ, qui sibi magis conciliare studet nõ iniustè id tem poris facit, verũ qui aduertẽs sua exigua esse merita relata ad aliũ candidatũ lõgè meritis & idoneitate præstantiorẽ & nihilominus, appetit magis idoneũ excellere, hic superbus & iniustus appetitum habet. ¶Per rubiginem vero non ineptè, diximus iram subdenotari. Etenim vt aie bã, rubigo est vredo, vegetabiliũ & vero, quid est quod magis mẽtes inurat nostras quam ira? ira enim est velut vinum quod multũ epotũ hominem inebriat; ad eãdẽ rationem homo iratus non est sui cõpos, sicut ebrius. Vnde ira fit ex incensione & feruore sanguinis iuxta cor, ex feruore nã q; sanguinis ebulliẽte circa cor ex apprehẽsione iniuriæ, inde procedit appetitus vindictæ; qui est ira formaliter, nã ebullitio prædicta est materialiter ira. ¶Et quo magis incaluerit sanguis circa cor magisque ferbuerit, eò magis ad insaniam vertimur. Vnde dixit Iacobus, cap. 1. Ira viri iustitiam Dei nõ operatur: ideò est contra legem Dei operatur. Et Prou. 27. Grue est saxum, & onerosa arena, ira stulti vtroque est grauior, vnde docemur, esse iram stultam & hãc esse reprehẽsibilem, & esse grauiorem saxis, & arena, vt ait sapiens, vnde colligitur aliã iram esse prudentẽ, & hãc laudabilis est. Vnde Dñs iratus cõtra vendentes, & ementes in tẽplo Dei, cõposuit flagellũ ex funiculis, & eiecit vendentes, & ementes de domo Dei. Et Phinees Eleazari filius succensus ira scortantes Israelitas, cũ Moabitis fœminis, interfecit gladio, & placuit Deo vltio illa scortationis. ¶Et Moses iratus, ex idolatria fregit legis tabulas, & stragẽ fecit in filios Israel, & esset immensi, nõ tamen necessarij operis, in omnes quirectè, sunt irati excurrere. ¶Difficile autẽ est discernere, qñ sit irascẽdũ & ppter quid, & quomodo. 5. Eth. c. 5. Etsi ibidẽ Aris. tradat eũ, qui propter id propter qđ oportet & qñ oportet &c. nõ irascitur videri esse fatuũ: quia neq; sentit iniuriã, neq; dolet de ea. ¶Ira igitur fatui, est ira eius, qui sine cau sa sufficiẽti, & sine modo, & sine opportuno tempore irascitur, id quod iracũdi hominis est: est enim iracundia excessus iræ ex Aristo. 1. Rheto. Qui vero irascuntur, quando, & quomodo, & propter quod oportet, hæc ira moderata, & secundum prudẽtiam est: quia à virtute iustitiæ vel à temperantia, vel à religione, vel à quibus alia virtute poterit imperari: ex cuius læsione, excitari potest ira, ad vltionem lęsionis vt suscitauit in Phinees iram, lęsa religio Dei ex scortatione cũ allophilis mulieribus & in Mose læsio diuini numinis. ¶Fuit autẽ ira irrationabilis Gen. 34. illa filiorũ Iacob, quando Sichimitas in vltionem stupri occiderunt. Et de huiusmodi ira, scitè dixit Aristotel. esse appetitum irrationalem. Et Apostolus monet, statim hũc appetitum esse extinguẽdum, ait enim, sol non occidat super iracũdiam vestram.

Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 2. Matth. 21.

Num. 25

Exod. 32.

Ira fatui & ira prudens.

Ad Ephe. 4.

Quid sit ira.

vestram. Et Iob. 5. Virũ stultũ occidit ira cũdia. Et in diuinis literis, quãdo traditur Deum prouocari ex sceleribus hominũ ad iracundiam, significat, Deum esse prouocatum ad grauem vltionem. Vt supra Osee. 12. Ad iracundiam prouocauit me Ephraim, in amaritudinibus. Quia igitur ira est appetitus irrationabilis, ad multa facinora homines prouocãs, idcirco Christus Matth. 5. Multã rationem habuit, explicandi huius peccati grauitatem, dicẽs. Qui irascitur fratri suo, reus est iudicio &c. Vbi distinxit tres iræ gradus de quibus nos in. 3. Senten. copiosiorẽ fecimus mentionem. Satis sit in præsentiarum dixisse Christum condemnasse dicentẽ ex ira, alteri fatue, id quod videtur mirabile dictu, & quidẽ nõ damnat, propter verbũ prolatũ fatue, siquidẽ Paulus Galatas vocat fatuos dicens ò insensati Galatæ quis vos fascinauit vt recederetis à via veritatis? Sed quia procedit ex ira subaudi irrationabili. Nã si procederet ex ira rationabili, vt quando irascitur, quispiã cõtra insaniam hæreticorũ, & vocat eos fatuos, aut quando ad correptionẽ, magister vocat discipulũ, aut pater filiũ, aut Dñs seruum fatuum, nihil est damnationis in verbo fatue: quia tunc non est cõuitium, sed admonitio, aut correctio, aut religionis zelus, sicut etiã si iocosè alium cum quo quis iocatur, dixerit fatuum. Tunc enim nõ ex ira cõtumelioſa, sed ex ioco procedit verbũ hoc fatue, ideoque nulla est cõtumelia. ¶Tunc igitur solũ crimini dandũ quando ex ira cõtumelioſa proficiscitur. At vero quæret forsan quispiam, & quid si quis acceptã verbi huiusmodi, aut æquippollentis iniuriã, statim rependat, alia simili cõtumelia vt verbi causa, siquis mihi dixit fatue, ego contrà dicam, obijciam hic non est alius fatuus nisi tu, quime cõpellas fatuum. Et quidẽ prima frõte vero simile videtur, hãc repensionẽ cõtinuam contumeliæ, esse licitam. Nanq; si quis in uasorem, percutit, aut occidit, vt se defendat, de percussione, aut de homicidio nõ est arguendus. Quippe vt supponimus, seruato moderamine inculpatæ tutelæ nõ animo percutiendi percussit, aut animo occidendi, occidit, sed animo se tuẽdi ab iniuria; quod ius naturale sibi cõcessit. ¶Vnde de homicidio lib. 6. c. vnico, huiusmodi si fuerit clericus irregularitatis pœna nõ inuritur, sed habilis cẽsetur ad sacra celebrãda. ¶Ad eũdẽ videtur modũ dicẽdũ, siquis vt cõtumeliã sibi illatã à se excutiat, & ab ea se defendat cõtumeliã illatã cõtinuo, se repellit, aliã simile, vel eandẽ in cõtumeliatorẽ regerẽdo, nõ animo cõtumeliandi, sed defendendi se à contumelia sibi ingesta, videtur q̃ ob huiusmodi retaliationẽ, nõ sit de crimine arguendus. Quia sicut vim vi repellere licet, cur nõ licebit cõtumeliã cõtumelia cõtinuo rependere. Neq; putãt aliqui quod in casu isto sint habenda verba seruatoris; sed quãdo, quæ diximus cessant, & tũc demũ quãdo ex ira cõtumelioſa, quispiã, alterũ ferit cõtumelia. ¶Porrò, nõ hoc dogma tanquã certũ statuo, siquidẽ non me latet discrimẽ, inter inuasum, & cõtumelia affectũ. Nãq; ille, nisi se statim defendat non euadet vel mortẽ, vel percussionẽ, hic vero, & si nõ rependat cõtumeliã, nihil mali patietur, imo multũ meriti sibi cõciliabit, patienter ferendo, quod iniustè patitur. Quid quod sine cõtumelię repẽsione poterit à cõtumelia se defendere vt si vocatur fatuus, respõdendo, ego nõ sum fatuus. Vt Dñs, cõtumelia sibi illata, quod dæmoniũ haberet, respõdit. Ego dæmoniũ nõ habeo, sed honorifico patrẽ meũ, Ioã. 8. *Residuũ erucæ.* Si quos homines, nõ corroserit libido, corrodet superbia; si quos nõ corroserit superbia, eroḋet gula, si quos nõ eroserit gula, deuret ira. Talis enim est hominũ natura, quæ semper ad malũ ab adolescentia suã prona est, vnde, si vnũ peccatũ declinat, alio inquinatur. Quia omnes peccauerũt, & egent gloria Dei. Roma. 3. Vnde quidã salaces sunt ex natura, vt cholerici sanguinei, alij superbi & elati vt melãcholici, alij vero gulosi, vt flegmatici, alij vero iracũdi vt qui biliosi sunt ex sua cõstitutione. ¶Et demum nisi gratia Iesu Christi, afflauerit, & nisi nostra industria diuinis afflatibus cooperemur, vel hoc vel illo peccato tãdẽ, fædabimur, & hactenus de tropologia hac.

Quibus ea sibus inculpatè dicitur alteri quod sit fatuus.

An liceat contumeliam alia regerere contumelia.

¶*Expergiscimini ebrij, flete, & vlulate, omnes qui bibitis vinũ in dulcedine, quoniã perit ab ore vestro.* Ebrijs commune est multo mergi somno, natura illũ procurãte, ad cõcoctionẽ celebrãdã vini ingesti. Enim vero ex epoto vino vapores multi & densi, ese tollũt in cerebrũ, & illud velut opacãt, & offuscãt vnde & illis accidit mẽtis deliriũ, & somnus multus, vt vinũ cõcoquatur & vapores illi discutiantur. Ideo

ait,modo vates ò Israelitę qui indulgetis ganeæ,& ebrietatē colitis,ideoq; grauati istis somno,nō solū materiali,sed & mysti co somno,quia nescitis mala,quæ vobis impendunt,discutite iam hanc somnolē tiam à vobis,& expergiscimini,& videte,quia iam iā vobis instat & ingruit miseria & sterilitatis multæ calamitas, vt non liceat vobis indulgere vt soletis vestro genio,& non licebit vos vino ingurgitare quod suauissimè bibebatis,imo cō tra iam flete,& vlulate,quia cito nō erit vobis quod edatis, & quod bibatis. Pro vino, Hebraica vox, significat omnem succum expressum,qui inebriare potest. *Gens enim ascendet super terram meam, fortis,& innumerabilis,dentes eius vt dentes leonis,& molares eius vt catuli leonis.* Quia dixerat ebrijs,voluptuose scilicet viuentibus,vt voluptatem,in fletum,& vlulatū, hoc est magnam pœnitudinem de peccatis commutarent,vt diūinam sibi conciliarent misericordiam,ostēdit modo causam,cur sic monuerit, dicens quia gens, &c. Hæc autem secundum trāslationem accipito:agmina enim locustarum,eruca rum,& brucorum,vocat gentem fortem. Quia habet se instar exercitus fortis, qui omnia comminuit,& vastat,in quæ inciderit. Et reuera etsi locusta vna vel altera. Itemque alia insecta,debilia satis sunt, at vero cum agminatim in magna multitudine irruunt,validas hominum acies fugant legimus in Theodoreto de sancto Iacobo lib. 1. de vita religiosa episcopo Nisibensi, quod oppidum in confinio est Persici & Romani imperij,quod cum videret oppidum suum cui ipsi præerat episcopali dignitate,circumuolatum ab imperatore Persarum nomine Sapore, & quod manu valida,illud impetebat, precatus est sanctus vir Dominū, vt immitteret in validas illas Persarum acies, nubē cyniphum,& culicum, vt ita demum fugaretur aduersariorum ab vrbe sua tyrānis. ¶Deo autem annuente votis Iacobi immensa vis cyniphum, & culicum immissa in hostes,omnes fugauit, quia non poterant sustinere,pūcturas aculeorum. ¶Et quod ait dentes eorum esse leonum ex translatione accipe,idest stragem eam faciant,quam facerent leones, & est hyperbolicus sermo. Leones enim quia fortissimis sunt dentibus dilacerant, & dilaniant animalia,quæ rapiunt,quādo fame perurgentur;quia igitur prędicta insecta, itidem deuastatura erant corrodendo vegetalia vniuersa,ideo conferuntur dentes ipsorum dentibus leonum. *Super terram meam,* videtur quod vaticinetur de calamitate sterilitatis & famis futuræ super terram duodecim tribuum; quam vocat terram suam. Non quia illa sola erat Dei, etenim vt Dauid ait, Domini est terra,& plenitudo eius, & rursus meus est orbis terrarum. Verum ex speciali causa, vocat Deus illam terram suam,quia illā delegit in habitationem cultorum suorum. Itaque Deus speciali amore,& gratia pro secutus est cultores illius terræ,quā promiserat, priscis illis patribus, ideo vocat illam suam. Vt Dauid vocat sæpē Deum, Deum suum,vt in Psal. Deus Deus meus ad te de luce vigilo,nō quidē quia Deus, erat solius Dauid, quippe qui est Deus omnium,sed quia sic loquens affectū suū singularem in Deū ptositebatur, & ideo vocabat Deum cōmunem, Deum suum. Si vero solum ad terram duarum tribuū velis referre,facile respondebis ex præha bitis, cur illa dicatur Dei terra, scilicet, quia ibi erat ibi templum Dei,& regnum Dei recognoscens &c. *Posuit vineam meā in desertum,& ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam & proiecit, albi facti sunt rami eius.* Verba vatis sunt in persona Dei, & explicant deuastationem quā in principio sub ænigmate proposuerat,nūc clare docet,Posuit,pro ponet vineā, pro vineas meas in desertum,id est,in desolationem subaudi gens quæ ascendet iā vobis ingruēs desolabit vineas meas, vocat Deꝰ suas vineas Israelitarū, quia speciali modo sibi Deus terram illam vendicauit vt peculium suum. Quasi dicat ex peccatis vestris,effecistis vt quod erat velut peculium meum,quod ex toto orbe mihi delegi,ego odio iam prosequar, vt velim quod ab erucis,lucustis,bruchis,& rubigine desoletur. ¶Enim vero tāto impetu hæc irruent in vineas,ficus, oliueta, vt eanudent corticibus suis,nedum fructibus, & folijs,at spoliatæ arbores corticibus,albescūt rami earū significat hoc sermone, esse exiccādas vineas, ficus, cæterasque pomiferas arbores,à gēte illa forti quam prædixerat. ¶Hæc omnia aptissimè referri possunt in tropologiā, hac ratione. *Expergiscimini ebrij.* O vos peccatores,qui in facibus vestrorū peccatorū iacetis, tāquam

Et lib. 2. de histor. eccles. & Genadius de histor. eccle. de isto S. Iacobo mira denarrat.

Quæ sunt cōmunia ex affectu singulari vocantur propria.

Alius sensus tropologicus. quam ebrij citra sensum,quia non consideratis ventura vobis inconsultis supplicia,expergiscimini à vestro veterno,excutite grauem hāc somnolentiam in quā vestra culpa,vestraque inertia, vos demersit. ¶Excitamini,quia hora est iam de somno surgere,ne vestri somni tenebræ vos cōprehendāt vsquequo dormitis ò pigri, vsque insipientiores eritis formicis, quæ æstate colligunt, vt hyeme, quando non licebit,foueas. & latibula egredi, paratum habeāt cibū,quem manducent. ¶Attendite igitur vobis, qui præ ebrietate,huius seculi scilicet amore,qui plus inebriat,quam vina omnia dormitis ad vtramque aurem,& bibitis vinum indulcedine, quia voluptatibus huius seculi suauissimè fruimini.

Ad Rom. 13.

Prouer. 6.

Matt. 24. ¶Cum tāmen flendum, & quid dico flendum, imo,& vlulandum vobis esset; quia qua hora non putatis filius hominis veniet,& ponet partem vestram cum hypocritis. An non dormiebat hoc somno, an nonerat ebrius hac ebrietate ille, qui securus aiebat,Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede bibe, & epulare. Dixit autem illi Deus stulte hac nocte repetent animam tuam, & quæ congregasti cuius erunt? Tales autem sunt omnes, qui visibilium amore capti,futura non præsentant: sed vnum idest voluptates huius seculi sequūtur, atque delicias, cum dulcedine. & sine alterius seculi studio secuti terribiliter venientes. Quibus tamen vox hæc vatis loquitur. *Expergiscimini ebrij flete,& vlulate.* Quia Dei præcepta violastis. Quod si cito non præstiteritis, veniet contra vos gens fortis,& innumerabilis; idest, dæmonum caterua, quorum dentes vt leonis, non quod sint dentati dæmones, sed dæmonū truculenta tyrannis,dentes eius sunt. *Posuit vineam.* Ad eam quoque tropologiam pertinet istud quod sequitur. Siquidem,diabolica industria efficit, vt vinea Dei quæ est anima rationalis deseratur à gratia gratum faciente,& ab amicitia Dei nudetur. Tuncque nudatur, & spoliatur veste illa nuptiali, qua qui nudus extiterit in diem iudicij, protinus eijcietur,à conuiuio cælesti, Matth. 22. ¶Aduerte autē quod satanica industria, non est sufficiens,ad nudandum, & spoliandum nos,spiritualibus bonis, nisi noster consensus adesset. Siquidem, diabolus decipere nos potest,incitare ad malū potest at cogere ad malum nequit. Imo neque decipere, neque trahere suis illecta mentis potest,nisi consentientem. ¶Ideo quasi dolenter Dominus ait modo,Posuit dæmon vineam meam in desertum. *Expergiscimini ebrij.* Mundani qui vt ebrij sunt,ex mundi huius amore illecebris;sunt seducti, similes sunt Sisaræ de quo commemoratur,Iudicum capite. 4. Quod cum largiter lac epotasset,veluti à lacte eporo ebrius altè dormiebat, at dormientis cerebrum mulier Iael clauo trāsfixit;& sociauit soporē morti. ¶Tales sunt qui dulcedine secularis voluptatis,absorpti altissimè dormiunt,nō curantes sempiterna; quorum voluntas sæpè clauo obstinationis,& finalis impœnitentiæ transfigitur,& soporem quem habent sociant morti sempiternæ. Nam iusta est Dei animaduersio, vt qui tanti sperdum vitam agebant,obliuioni tradiderunt Deum,dum moriūtur,Deus obliuioni eos tradat, & impœnitentes finat mori. *Plange quasi virgo, accincta sacco super virum pubertatis suæ.* Dixerat Paulò ante;flete, vlulate. Idem modò repetit, sub alia verborum expressiōni forma, vt exhortetur Israelitas,vt relictis voluptatibus,& delicijs,plangant,fleu vlulēt hoc est vehementer contristentur, instar virginis,quæ miserabiliter dolet, & illachrymatur mortem primi mariti sui. Nam primi mariti solent ab vxoribus vehemētius amari,quam posteriores. ¶At ratio tantæ assumendæ mœstitudinis est,ea quæ supra est expiosita; propter imminentem sterilitatem. *Quasi ergo.* In nouo testamento ecclesia Catholica conferrur virgini, vnde Dominus simile est regnum cælorum decem virginibus,&c. Et Paulus despondi enim vos virginem castā vni viro exhibere Christo. Hocidem est consuetum in veteri synagogam conferri virgini. Vnde in Isai. sedens in pulvere virgo Israel. Et Amos. 5. Virgo Israel proiecta est,& sæpe alibi,vt & modo in vate nostro. At vero cū appellatio huiusmodi sit cōmunis,& ecclesiæ,& synagogæ, habet item causam communem. Et sanè causa communis, est integritas fidei, & diuini cultus. Enim vero,cum ecclesia Catholica puritatem seruet fidei orthodoxæ, ideo virgo ob id appellatur. Et quia non solum est puritas fidei in fidelibus

Matt. 25. 2. Cor. 11.

bus multis, sed etiam sunt incorrupti mo
res, ideo, quo ad hos, rectè appellatur
virgo prudens. Itidem olim in synagoga,
erat puritas fidei, quæ apud omnes natio
nes alias contaminata erat, quippe quæ
idololatræ erant; ideò item conferebatur
congruè virgini.

Virgines prudentes & fatuæ.

¶Fideles vero, siue tunc, siue modo,
qui cõtenti sunt seruare fidei puritatem,
sordida tamen habent opera, rectè sunt
collati virginibus stultis, non habenti-
bus oleum in lampadibus suis. ¶Hoc est,
desiderantibus oleum charitatis, vnde
fides ipsa viuificetur; vt lucerna ex oleo,
viuida cernitur, & lucens omnibus, qui in
domo sunt. *Accincta sacco.* Sac Hebræis
vestem lugubrem significat, quibus vte-
bantur Hebræi ad demonstrandum ani-
mi ingentem mœrorem, siue ex morte
charorum, siue ob aliam contingentem
calamitatẽ: vt apud nos sunt vestes pul-
ę. Monet igitur Propheta promiscue Iu
dæos Israelitas, vt vestes delicioſas, de-
ponant & saceum induant, quod alias
in scriptura appellatur cilicium. Vt in-

Saccus & ciliciũ pro eodem in scriptura.

duti sacco, mœrorem animi profiteãtur,
propter Dei ab ipsis admissam offen-
sam. ¶Nam saccis etiam vtebantur, quan
do pœnitentiam agebant, de grauibus ab
ipsis patratis sceleribus. Vt de Achab re-
ge Israel proditum est, quando ex ver-
bis Eliæ, concepit vehementem de suis
criminibus pœnitentiam. 3. Regum. 21.
& Daniel. 9. Orauit. Dominum in sacco
in cinere, pœnitentiam agens pro delictis
populi sibi in Babylone commissi. Et in
Iona. 3. legimus, quod Ninivitæ vestiti
sunt sacco, à maiori, vsque ad minimum.
Monet igitur vates Israelitas, & quod
plangant sua scelera, & quod induant
saccos vt suum mœrorem, profiteantur;
obserua vt ad pœnitentiam exteriorem
faciendam moneat vates ne Lutherus sub-
sannet has pœnitentias. Suæ nõ est de tex
tu. *Perijt sacrificium & libatio de domo Do-
mini luxerunt sacerdotes ministri Domini.
Perijt* pro peribit & istud refertur ad Iu-
dæos, penes quos erat templum Dei &
sacrificia, atque libamina, & prædicit va-
tes, hæc esse abolenda propter captiuita-
tem Babylonicam, sub Sedechia rege: sub
quo fuit deustum templum, propter ini-
quitatem Iudæorum. Vt prædictum erat
à Deo. 3. Regum. 8. Si adoraueritis ait,
deos alienos, auferam Israel à superficie
terræ, quam dedi eis: & templum quod
sanctificaui nomini meo, proijciam à cõ-
spectu meo luxerunt pro lugebunt mo-
do prophetico, sacerdotes. Nam id tem-
poris aliqui erant boni, & pij sacerdo-
tes, qui videntes ruinam templi, luxerũt
tanti templi lapsum, propter cessatio-
nem diuini cultus. Imo omnes luxerunt
sacerdotes, propter cladem, quam patie-
bantur. Itaque quia populus, & sacerdo-
tes, erant contristandi valde, vt ex ver-
bis istis liquet, ideo maximam futuram
Iudæorum calamitatem insinuat vates
illis futuram. Et explicans adhuc cala-
mitatem, subdit. *Depopulata est regio, lu-
xit humus, quoniam deuastatum est triticum,
confusum est vinum elanguit oleum.* Ex trãs-
latione, & metonymia hæc accipe dicta,
siquidem humus non potest lugere, ne-
que oleum elanguescere, neque vinum
confundi. Cæterum vtitur metonymia,
& translatione. Siquidem tunc humus lu
get, quando eius habitatores lugent, &
tunc oleum elanguescit, quando oleæ
exiccantur, & tunc vinum confunditur
quando vineæ pereunt. Et tunc triticum
deuastatur, quando segetes, aut messes,
quæ sunt origo, & causa frumentorum
deuastantur.

¶Quia igitur hæc omnia erant futura
Iudæis, & Israelitis, ex locustis, erucis
&c. ideo, prædicit illa ventura propter
causas superius relatas. *Confusi sunt agrico-
læ, vlulauerunt vinitores, super frumento, vi-
no, & oleo.* Confusio est agricolarum, cum
vel sata non colligunt frumenta sed perit
semen & labor: sationis, fraudantur enim
& lucro sperato ex semine sato, & labo-
re, & impendijs. Itidem vinitores ob ean-
dem causam, cum frustrantur, prouentu
vini, mœrore magno afficiuntur; quippe
perdiderunt operam suam, fructum spe-
ratum non colligentes. Quæ omnia ma-
la Iudæis & Israelitis prædicit ventura.
Vino non est de textu, verum quia dixe-
rat vlulate vinitores. Ideo explicationis
gratia additum est *vino. Quia perit messis
agri.* Per messem, intelligit omnes fru-
ctus quos vinitores, agricolæ, colligunt
ex campis. *Vinea confusa est, & ficus elan-
guit malo granatum & palma, & omnia li-
gna agri aruerunt, quia confusum est gaudium
à filijs hominum.* Prædixerat de frumen-
tis vino, & oleo, quæ sunt necessaria ad
humanam vitam, illa esse siccanda, nunc
de illis

de illis agit, quæ sunt expedientia, &
ad voluptatem humanam conducentia,
qualia sunt ficus, mala punica, palmæ,
& aliæ arbores pomiferæ, quorum fru-
ctus, etsi non sunt necessarius, vt vitæ ser
uandæ at vero fouendæ vitæ humanæ
valde conducunt. *Quia perit gaudium.* Vti
que quod ficus, vinea, palma, &c. Aruе-
rint, non est causa, quod homines orben-
tur gaudio, ideſt, priuatio humani gaudij,
non est causa quod arbores sterilescant.
Imo potius contra, ex eo priuantur ho-
mines gaudio, quia frumenta, oleum vi-
num, &c. perierũt. Cur ergo vates, assig-
nat siccationis frumentorum, & aliarum
frugum causam, quia perit dicens gau-
dium à filijs hominum.

¶Memini me supra dixisse, coniũctio
nem causalem in scripturis nonnũquam
non causam sed consequentiam ad cau-
sam subdenotare. Nam quæ simul acci-
dunt, creduntur vnum esse causam alte-
rius. Quia ergo simul cõsequendum erat
humanum lamentum, & vlulatio habi-
tatorum terræ promissionis, ad fædissi-
mam illam ariditatem, omnium quæ ex
agris colligebantur, alendæ & fouendæ
vitæ humanæ pertinentium, ideo, dixit.
Quia perit *gaudium à filijs hominum.* Et
per filios hominum phrasi Hebraica in-
tellexit homines, non omnes, sed habi-
tantes terram illam promissionis; nam
vt non semel annotauimus, sermones su-
mendi & moderandi sunt, secundum sub
iectam materiam. Non solum autem in
profanis literis, quin etiam in sacris, eo-
dem peripathetico documento vti non
erit inutile.

Tropologi eus sensus.

¶Si tropologiam amas, per vinitores,
& agricolas, nihil aptius intelligere po-
teris, quam prælatos, & ecclesiæ do-
ctores. Siquidem ecclesia Catholica, est
sicut thesaurus absconditus in agro hu-
ius mundi, & ipsa est veluti ager qui-
dem Domini, quem episcopi & eccle-
siæ doctores proscindunt aratro repre-
hensionis, & minarum. Nam terrore vẽ-
turi supplicij, corda dura proscindunt,
vt semen quod est verbum Dei, legiti-
mè in ipsis cordibus ferant. Est item ec-
clesia instar vineæ, vt sæpè supra do-
cuimus. Huius agri primarius agrico-
la, primusque vinitor Deus est Chri-
sto testante. Pater meus agricola est,
Ioannis decimoquinto. Secundarij agri-
colæ sunt dudum relati. Mar. 12. Loca-
uit eam agricolis. Nam episcopis loca-
ta est ecclesia Dei, quibus maximè in-
cumbit, vineæ Dei consulere in omni-
bus, quod si aruerint vites, id est, fideles
aut vrticæ & spinæ hæreseon, & prauo-
rum morum ascenderint in vineam, &
ipsi non resecauerint, aut deuaserint, ma
los molè perdet, & vineã suam locabit
alijs. Quia sæpè submotis negligenti-
bus, & impijs prælatis, alios diligentes,
& pios substituit Deus, qui ecclesiam
suam regant, & administrent pro sua
voluntate.

¶Boni igitur & pij episcopi, & doc-
tores lugere debent, & vlulare, si viderint
ecclesiam Dei labefactari. Vnde secun-
dum aliam literam, sic habetur. *Erubesci-
te agricolæ, vlulate vinitores, propter triti-
cum, & hordeũ, quia perijt messis.* Equidem
prælatis hoc incumbit erubescere, & vlu
lare quia bonum triticum, non recipitur,
sed reijcitur ab hæreticis respuentibus
doctrinam sanam, & amplexantibus do-
ctrinam corruptam, & putidam. ¶Et de-
bent valde inuigilare, ne in agro ecclesiæ
qui est ager Dominicus, Mar. 13. Semi-
netur zizania prauæ, vel suspectę doctri
næ, quam seminat inimicus homo, id est
diabolus, per medios hæreticos. ¶Vlu-
lant igitur si quando messis campi huius,
si vinea huiusmodi confusa est, vt mo-
do videm⁹ apud germanos perijsse mes-
sem agri, & vineam Dei propter illos es-
se confusam.

¶An non perit dominici agri messis? *Germani hæretici cõfundunt vineam Dei.*
siquidem Germani, qui erant Catholici,
& flos ecclesiæ Christianæ, & antiqui-
tas, qui literis Catholicis, & magisterijs
sanctæ doctrinæ vigebant, hæc nihilo-
minus quæ erat messis Dei, iam perijt, &
reddita est messis diaboli. ¶Quoniam
diabolus hoc æuo demetit bonam par-
tem Germanorum, qui relicta fide, & le-
ge maiorum suorum, hæserunt vni luri-
do fraterculo, qui falsam libertatem illis
promittens, redegit eos in maximam dia
boli seruitutem.

¶Et confusa est vinea Domini pro-
pter Lutheranam doctrinam, siquidem
Germania quę vt aiebam dudam erat vi-
nea Domini electa, & fidei antiquitate,
& doctrinæ sanitate, fidei puritate, &
sinceritate & maiestate diuini cultus, to-
ta iam confusa est, à perfido Luthero.

An non est hæc magna confusio summa Christi Vicario non hærere, illi morem nõ gerere, imo eundem subsannare, & dehonestare turpissimè, quasi non esset Christi Vicarius, & cæli clauiger, & vniuersalis ecclesiæ pastor, & rector. An non confusa est hæc vinea, Domini conculcans cæremonias, & legitima omnia quæ Romana ecclesia, quæ est mater ecclesiarum, & magistra, obseruanda studiosè sanciuit? *Accingimini vos, & plangite sacerdotes vlulate ministri altaris, ingredimini cubatè in sacco, ministri Dei mei. Quoniam interijt de domo Dei vestri sacrificium & libamen.* Monet vates, sacerdotes & leuitas, qui ministrabant altari in templo Dei, vt vestes lugubres induant, quas vocat saccos, & sic induti templum ingrediãtur, & ibi cubent, siue excubias agant orando, & flendo, propter mala illis vētura, scilicet, propter inopiam frumenti, & vini ex quibus fiebat Deo sacrificium, & libatio. *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri & clamatè ad Dominum. A, a, a, diei, quia propè est dies Domini.* Verba hæc referas, ad sacerdotes esse dicta, id est, ò vos sacerdotes, quorum interest diuina moderari, & Deum placare precibus, & populo indicere ieiunia, & alias sacras obseruationes, sanctificate ieiunium, id est, iubete popularibus vt ieiunent: ieiunium sanctum, quale est ieiunium, quod est in Dei honorem, ad placandam Dei iram, & conciliandam Dei amicitiam vocate cœtum, id est, præcipite vt populus conueniat in templum & vocate senes, id est infimos, & supremos ex populo, coadunate in templum, vt omnes simul clamẽt ad Dominum, vt auertat iram suam à nobis. *A, a, a, Hebræ. Aha,* & interiectio est dolentis, vel stupentis. Vt sit sensus, ò diẽ illum infaustissimum, scilicet sterilitatis summæ venturæ, quis auertet à nobis? nemo nisi tu Deus noster vocat diem Domini, diem venturæ calamitatis, quæ dicitur dies Domini quia à Domino erat infligenda fames illa, & miseria summa, de qua supra sæpè locutus fuerat vates.

Dies Domini in bonum, & in malũ vsurpatur.

¶ Dies igitur vbi reluctet Dei miraculosa operatio, quæ à solo ipso procedere potest, vocatur dies Domini. Et iam in diuinis literis vsurpatur in bonum, vt Ioan. 8. Abrahã exultauit vt videret diem meũ, vidit & gauisus est. Et vocat diem suum, diem incarnationis suæ, iam verò in malum, pro die videlicet vindictæ, & iustitiæ diuinæ, vt modo *prope est dies Domini.* Idem quoq; Sopho. 1. iuxta est dies Domini. Et. 2. Thessaloni. 2. Dies Domini sicut fur veniet: & sæpè alibi. *Et quasi vastitas à potente veniet.* Idest nobis eris maximè, hic dies, de quo præmoneo vos infaustus, quia erit deuastatorius, omnium, quæ possidebitis, quia ab omnipotente erit inducenda hæc vastatio, quare maximè timenda, quia nullus omnipotenti poterit resistere. Hinc tu obserua quanta sit contra Lutheri sectatores ieiunij efficacia, quæ poterit placare diuinam iram, vnde à vate, vt remedium præsentaneum, vt diuinum auertamus à nobis flagellum, nunc iubetur sacerdotibus indicendum de obseruatione ieiunij, nos diximus, multa in. 4. libro sententiarum, quæ huc vocare piget. Non tamen metuet, Lutherani dogmatis assertores, non inficiari ieiunia olim fuisse magnæ religionis, at vero tradunt in lege noua non esse necessaria, quia est lex summæ libertatis, & gratiæ.

¶ Quod si ita est cur autor nouæ legis Christus, ipse quadragenariã sustinuit inediam? Cur ipse ait, auferetur ab eis sponsus, & ieiunabunt? Et quidem duplex est libertas alia carnis, alia spiritus, illa est, quando nostro genio indulgemus, & pro nostra libidine, agimus quodlibet quando scilicet, & lex nostra, est concupiscentia nostra. ¶ Et sanè lex Iesu Christi, non est lex fouens, hanc libertatem, imo illam est dissuadens toto adnisu. Hæc vero spiritus libertas, est à criminibus libertas, quam Christus ex sua lege nobis cooperantibus nobis donat.

Matth. 4.
Matth. 8.

Lutheranum dogma elidit.

¶ Hæ porro duæ libertates, sunt inter se inuicem diuersæ. Nam quò quis liberior est secundum carnem, est magis seruus secundum spiritum. Etenim libertas carnis, inducit captiuitatem spiritus. Verum libertas spiritus, hæc facit carnalem concupiscentiam seruam esse spiritus. Et quò liberior est spiritus ab omni coinquinamento, eò caro est purior à sensuali fermento. ¶ Vnde male Theologizant Lutherani, colligentes, quia lex Christi est libertatis lex, ideo, ieiunia non esse necessaria obseruatu. Imo quia est libera lex Christi libertate spiritus, ideo, infrænandam docet carnem ieiunijs & alijs macerationibus, vt non recalcitret contra spiritus libertatẽ, & tunc trahat spiritum ad suam petulantiam amandam.

1. Ioan. 5.

Quid quod, lex Christi est libertatis, collata legi Moysi, quæ vocatur lex seruitutis, & timoris, nam quia abundabat multis & grauibus præceptis, ideo seruilis lex vocabatur, lex autem Christi, non seruilis, sed gratię, & libertatis nõ ab re vocatur. Siquidem testante Ioanne præcepta eius grauia non sunt.

Confessionis auricularis præceptũ quo modo non est graue.

¶ Occinunt tamen non pauci, grauissimũ est alioqui confiteri vocaliter, sanè grauissimum videtur hoc Dei præceptum: cæterum si ex amarissima potione speratur certissimè sanitas eius amaritudo nihili ducitur, imo ducitur dulcedo, quod alioqui est amaritudo, ita propemodum, cum ex confessione vocali modo rectè fiat, certissimè speranda sit mentis sanitas, vtique non ducenda est grauis, aut onerosa confessio, quæ à nobis peccatorum pondera tollit. ¶ Quid quod si graue ducimus cõfiteri, abstineamus à peccatis criminalibus, & non habebimus quod confiteamur, & confessionis grauitas, nõ grauabit nos. At dices, quis est homo, qui non peccet? nullus sanè à venialibus incontaminatus adeo erit, vt venialibus saltem non succumbat: at vero, à mortalibus fieri potest, vt illis non succumbat, ex gratia Dei opitulante, & ex propria diligentia adiuuante. At vero venialia nõ sunt materia necessaria cõfessionis, quippe quæ non tollunt Dei amicitiam erga nos. ¶ At rursus obijcies, rarissimi sunt, qui mortalibus abstineant fateor, verum, qui volunt corripi morbo, non iudicẽt grauem, sed leuem antidotum, vnde certissimè sunt sanandi, nisi per illos stetterit, quo minus sanentur, quia malè antidotum confessionis suscipiunt. *Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt, de domo Dei nostri lætitia, & exultatio.* Id est, quod ego modo prænũtio vobis, venturum vos ipsi oculis vestris videbitis, ne opinemini, me vaticinium confixisse ex cerebro meo, vos ipsi cito videbitis quod non possunt offerri in domo Dei frumenta, neque alia quæ sunt ad alimoniam sacerdotum, & ministrorũ altaris, & ad sacrificia celebranda, & libamina libanda. Quibus pereuntibus perit quoque exultatio, & lætitia in laudibus, & sacrificijs diuinis offerendis. *Computruerunt iumenta*

Venialia non est necesse confiteri.

in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ apothecæ. Hebraica vox pro qua translator noster vertit iumenta, est Perudor, quæ vox non iumenta, sed semina significat, vnde alia translatio Vatabli habet cõ putruerunt semina disperta subter glebas suas, & sensus est apertus, tanta erit vobis sterilitas, vt grana quæ terræ mandastis, illa peribunt, quia à cælo non fouebuntur. Vnde nõ erunt necessaria horrea, neque granaria, quia per apothecas intelligit granaria, & est repetitio eiusdẽ sententiæ, ex varia forma verborũ. Græca autem sic habent, *Saltabunt vitulæ in præsepibus suis,* quæ longè sunt ab Hebraica veritate. *Computruerunt,* poteris referre ad tropologiã, quia peccatores; qui sunt similes iumentis insipientibus Psalm. 48. computrescunt in stercoribus peccatorũ suorum, de die in diem procrastinando pœnitentiam. *Quia confusum est triticum.* Per confusionem pudorem subaudimus in scripturis sanctis, vnde confusum est triticum, est idem quod pudefactum est triticum, & vtitur translatione, enim vero pudefieri, est hominum, & non frumẽtorum, cæterum, quia ex ariditate, & sterilitate sæpè commemorata, magna confusio erat futura in hominibus, ideo ait, confusum est triticum, quia vescentes ex eo, & laborantes in eo cõfundentur. *Quid ingemuit animal, mugierunt greges armentorum, quia non est pascua eis, sed & greges pecorum disperierunt.* Summã rerum inopiam venturam, prædicit, adeò, vt neq; herbæ sint futuræ pascendis pecoribus, & iumentis. Ingemuit animal, pro ingemiscent iumẽta, mugierunt greges armẽtorum, hoc est greges boum, & vaccarum præ fame mugient &c. & *Quid* sumitur, pro quantum quod perinde est ac si dixisset, mirum dictu est, quantum tunc ingemiscent iumenta, quantum mugient boues, quãtum balabunt oues & capræ propter inopiã alimentorum. *Ad te Domine clamabo, quia ignis comedet speciosa deserti.* A nemine Domine iuuari possumus, in tanta rerũ strage venturaque calamitate, quippe cum à te immittenda sit, tibi resistere poterit nemo. Ideo ad te confugiendum mihi erit, antequam veniat vastatio hæc, quæ tanquam ignis, sic deuastabit, & desolabit, speciosa agrorum, segetes omnes, arbores pomiferas, & ad hoc herbas ipsas depascet omnes: vt nihil in terra supersit vi-

roris. *Et flamma succendit, omnia ligna regionis.* Per flammam intelligit ariditatem cõmemoratam, & per ligna more Hebraico, arbores pomiferas. Vnde illud, erit tã quam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum Psalm. 1. Id est iustus crescet, florebit, & fructificabit feliciter, sicut arbor, quæ ad radices suas copiam habet aquarum. *Sed & bestiæ agri, quasi arca sitiens imbrem suspexerunt ad te: quoniã exiccati sunt fontes aquarum & ignis deuorauit speciosa deserti.* Sũma exaggeratio est venturæ impiæ, quæ tanta erit, quod bestiæ rationis expertes, sentiẽtes illam clamabunt ad Dominum pro misericordia. Non intelligas, quod bestiæ possint precari Dominum, sed quod ipsa indigentia bestiarum clamat simile illud, quid fecisti? Sanguis fratris tui clamat ad me. Et eadem loquendi figura, habetur apud Ionam cap. 3. Homines & iumenta clament ad Dominum. In translatione Græca, nõ habetur sicut arca, *sitiens imbrem*, vt in nostra, sed sic habetur. *Et iumenta campi suspexerũt ad te, quoniam arefactæ sunt emissiones aquarum.* Et idem tropus eloquendi est suspexerunt ad Deum iumẽta, quia arefactæ sunt emissiones, id est, torrentes aquarum, atque ille clamauerunt ad te vel vociferauerunt ad te, vt vertit Vatablus, qui itidem non legit, sicut area sitiens imbrem, quod habetur in nostra versione vulgata.

EXPLANATIO
IN IOELIS. CAP. II.

CANITE tuba in Sion, vlulate in monte sancto meo, cõturbentur omnes habitatores terræ. Quod in capite proximo de die Domini dixerat, q propè erat, nunc fusius prosequitur, dicens, *Canite.* Et quod vates iniunxerat sacerdotibus cap. proximo, vt ipsi conuocarent cætum magnorum & populũ promiscuum adunarent in templum Dei, vt simul congregati, Deum precarentur ad auertendam Dei iram cõtra ipsos per vatem prænuntiatam, quia oratio per multos fusa fiducialior est, & efficacior. Nam multiplicatis intercessoribus, non solum apud homines, sed etiam apud Deum facilius impetramus, quod petimus, hoc idem modo ipse vates per se facit, dicens, *Canite tuba, &c.* Siquidem cantus tubæ in Sion, idest in templo, ad hoc erat institutus cõuocandis maioribus, à minoribus populi, ad precandum Deum pro misericordia. *Canite tuba.* Varius erat tubarum vsus in lege illa antiqua, & ad congregandum principes, & ad congregandum populum, vt liber Num. 10. nos docet. Si congregandus est populus, clangor tubæ, simplex erit, & non concisus erit tubæ vlulatus, verum ad cõgregandos principes semel clangebatur admonendũ castra, cõcisiori vlulatu perstrepebãt tubæ, item ad laudem Dei sanabant tubæ, vnde in Psalm. 150. Laudate eum in sono tubæ. *Vlulate.* potest referri ad sonum tubæ, qui etiam vocatur vlulatus. Num. 10. Erat item tubæ vsus ad classica canenda, videlicet admouenda castra, & ad congrediendum cum hostibus, aut vt cessaretur à congressu. Vnde 1. Corinth. 14. Si tuba incertam vocem dederit, quis se præparabit ad bellum. ¶In præsentia autem præcipitur à vate, vt canant tuba sacerdotes, videlicet, ad congregandum populũ Ierosolymitanum, ad preces Deo *offerendas*, vt auertat venturam deuastationem. Montem sanctum vocat montem Sion, ibidem enim erat cõstructum templum illud celeberrimum Salomonicum ad cultum vnius Dei veri, *Conturbentur*, id est doleant, & resipiscant à culpis suis omnes Ierosolymitæ: quia non loquitur de omnibus mundi habitatoribus, sed sermo est sumendus iuxta subiectam materiam.

¶Est autem aduertendum, quod hunc locum glossa ordina. & interlinea. & Nicolaus referunt ad vastationem Iudæorum factam per Nabuchodonosor, aut per Romanos, vt interlineali placuit. ¶Et vniuersa quæ hoc capite, & sequenti traduntur, ad vastationem referuntur, quæ tunc erat facienda, per quatuor imperia erat: vt supra meminimus. Mihi autem germanior videtur interpretatio, ad vastationẽ per locustas, erucas, bruchos, & rubiginem, referre, vt proximo capite cœperat exponere hic vates, & Theodoretus in hanc vastationem verba retulit, etsi non fileãt sub hac vastatione facta ab insectis, adumbrari hostilem. *Quia venit dies Domini, prope est dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis.* Capite primo docuimus quid insinuet dies Domini, in diuinis scripturis, & hoc idem insinuatur modo per diẽ Dñi, videlicet, dies vltionis diuinæ ex qua puniuit Iudæos, & Israelitas per summam rerum inopiam ex maxima sterilitate causatam, per vim erucarum, &c.

Per tenebras & noctẽ in scriptura sæpe mærorem, & afflictionem intelligit.

¶Et rursus scriptura sæpè per tenebras, caliginem, & obductionem nubium metaphoricè extremam miseriam intelligit. Siquidem tunc obtenebrãtur mentes hominum, & iudicia humana caligine obducuntur, nesciunt enim quo se vertant, aut qua ratione sibi consulant. Vt enim lux denotat festum, & lætitiam, ita tenebræ miseriam, & tristitiam. Vnde Ierem. 13. Date Domino Deo vestro gloriam, ante quam tenebrescat sol: vocat tenebrescẽ solem, ad miseriæ extremæ aduentum. Id est antequam veniat Nabuchodonosor, & vos miserrimè opprimat, date gloriam Deo per vestram de peccatis pœnitudinem. Et non intelligit deliquium solare, per tenebrescentiam solis, sed id quod dudum aiebamus: & sæpè alibi in scripturis, hoc inuenies. *Venit dies Domini*, id est breui grassabitur in vos calamitas grauissima. Ex phrasi item Hebræa dies tenebrarũ &c. est dies tenebrosa caliginosa nubilosa, & obscura. At quæres forsan, iã de die hac meminerat hic vates, quorsum idẽ inculcat? Inculcat sanè, ad maiorem expressionẽ: quippe mala quę vẽtura prę nuntiantur quò distinctius prænuntiantur, eò sunt maiori formidini. Vniuersalia enim autore Aristotele, minus mouẽt affectum vel ad miserationem, vel ad timorem, quam particularia. Vniuersalia nanque pertinent ad intellectum, cuius solius est vniuersalia cognoscere: at vero particularia pertinet ad sensum, cuius est particularium notio. 1. Metaph. capit. 1. & 1. Poster. text. cap. 5. ¶Cæterum omnia sensibilia, magis mouent nos, quam intelligibilia, quoniam omnis cognitio nostra ortum habet à sensu 1. Poster. Vnde quæ sentimus, illa certiora iudicamus secũdum naturam, ideo efficaciora sunt ad mouendum, imo & ipsa particularia quo distinctius proferuntur efficaciorem hãbent energiam mouendis affectibus.

Vniuersalia minus mouẽt quã particularia.

¶Et memini me dixisse in explanationibus ad Oseam, Hebræos esse durissimæ ceruicis, ideoque sacros vates vsos fuisse multa replicatione verborum, multaque repetitione sententiarum per varios loquendi tropos per variasque sermonis figuras, & metaphoras ex particularibus acceptas, vt vel sic duritiem eorum frangerent. Nam gutta cauat lapidem nõ bis, sed sæpè cadendo. *Quasi mane expansum super montes, populus multus, & fortis*, demonstrat, vt grassabuntur insectorum agmina in gentem illam, scilicet de repente, seu subito, sicut mane, id est autora in momento se spargit supra montes. Lux enim subito se diffundit in orbem. Vnde colligit Aristote. lucem non esse corpus, cõtra veteres philosophos, quippe si corpus esset, non subito, sed morosè se spargeret in hemispherium: nunc autem, citra moram se defundit, vt videmus.

Lux nõ est corpus, sed qualitas 2. de anima. text. capit. 70.

¶Et est hyperbolica locutio, siquidem insectorum agmina, non tam cito erant inuasura messes, &c. quam cito se diffundit lux auroræ super montes. Vnde sensus est, quod sicut lux implet omnia subito, ita agmina insectorum, impletura erant velociter, terram illam promissionis ad desolandã eam. Vocat agmina huiusmodi populum fortem, vt capite primo declaratum est. *Similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis, & generationis.* Hoc idem cap. 1. dixerat, Audite hoc senes, &c. Si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum, &c. Et ideo ad eandem rationem, hæc vatis verba intelliges, ad quam 1. capit. verba subaudienda duximus. *Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma.* Qui capitis huius verba ad hostiles vastationes referunt, explicant locum hunc, de exercitu Romano, & Chaldæo. Ante horũ faciem, ignis vorans: quia primi inuasores, quos præmittebant duces Chaldæi, & Romani, omnia loca succendebant igni, quæ deserta præ incolarum timore videbant. At postquã adepti sunt victoriam, vastatis omnibus, sequebatur eos exurens flamma. Milites nanque iusti cõferuntur flammis deurentibus, & igni deuoranti: quia omnia citra misericordiam pessundant, & nihil integrum præmanere sinunt. Maximè vbi cruenta fuit vtrinque victoria, victores in vltionem victorum, nulli rei parcunt.

¶Porrò si ad deuastationem, quæ ex insectis Hebræis futura prædicitur, textum referimus, sensus est ante eum, id est, ante populum illum, quem dixi fortem, qui sua multitudine erit operturus montes, & agros, non secus atque aura in omnia se diffun-

diffundit. Ante hunc, id est in principio, quando incipiet deuastare, segetes, & arbores, deuastabit vehementer, sicut ignis, & post eum, id est, in fine deuastationis, erit vt flamma exurens, ideſt omnia prorsus deuret. Intelligit ergo à principio in finem vsque consummatissimā futuram deuastationem. *Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti.* Id est antequam terram promissam inuaderet populus hic fortis, erat tota terra, deliciosa terra, & amœnissima: at vero post quam inuaserit eam, desolata, & miserrima manebit. *Neque est qui effugiat eum.* Nullæ vires sufficient, ad resistendū huic populo, quippe qui à Deo immittitur miraculose: at vero contra Deū nulla poterit præualere, vel sapientia creata, vel potentia: quia ipse est omnipotēs, & omnis potestas ab ipso est, *Quasi aspectus equorum, aspectus eorum, & quasi equites sic current.* Istud videtur dictum propter locustas, quorum aspectus, nonnihil videtur referre vultus equorum: & current, id est saltabunt. Nam locustæ saltando se motitant. *Sicut sonitui quadrigarum super capita montium.* Mira est vatibus sacris consueta exaggeratio, vt magis trahant auditores in suam sententiam. Quadrigæ igitur, valde perstrepunt cum decurrunt super vertices montium: at quadrigis huiusmodi confert strepitum locustarum, & brucorū, corrodentium fruges, & arbores pomiferas. *Sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam:* Multū crepitat ignis, quando agit in siccas stipulas, & bombices serico, qui ex erucis fiunt. Ex Aristo. 5. de histor. anima. cum depascunt folia mori magno strepitu depascunt, *veluti populus fortis præparatus ad prælium.* Nam agminatim hæc insecta procedunt, maximè locustæ vt referant militum acies præparatas ad bellum. Vtitur vates vt metaphoris, & collationibus, vti euidentiorē faciat suam propheticam orationem, de vastitate per locustas, & alia insecta Hebræis illi xentura. Plurimum enim conducunt huiusmodi comparationes, & similitudines, ad orationis energiam augendam. *A facie eius, cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam.* A nimio timore timentium nigrantur facies, item à nimia esurie. Vnde in Threnis legimus denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti, adhæsit cutis eorum ossibus. Maximum timorē igitur futurum Iudæis, maximamque famem, cū Israelitis insinuat vates dicens, *Vultus eorum* redigentur in ollam, id est, in nigrorem deustæ ollæ vertetur color eorū. *A facie,* ideſt videntes Iudei, & Israelitæ maximam vim locustarum & erucarū, &c. cruciabuntur, & angentur maximo timore: ex malo imminenti, & nigrescent vultus eorum vt est nigredo deustæ ollæ. *Sicut fortes current, quasi viri bellatores ascendent murum, viri in vijs suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis.* Cursum hunc referas ad velocissimum saltum locustarum, *ascendent* instar militum, qui ordinatè procedunt ad committendum bellum ad eundem modum ait, locustarum multitudinem siue exercitum esse inuasurum terram illam. Itaque significat, quod non separabuntur inuicem, sed seriatim procedent ad deuastandum regionem illam. Et vocat viros, propter similitudinem, ad viros bellatores, vt dictum est. Et re vera est admiranda exaggeratio hæc prophetica. *Vnusquisque fratrem suum, non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt.* Repetitio est prioris sententiæ, significat enim, quod seriatim & miro ordine procedent, vt faciunt milites quādo committuri sunt prælium. Et vocat fratres metaphoricè, quia locustæ sunt eiusdem speciei, & propter hanc vnitatem specificam, fratres dixit, & itidem de alijs insectis secundum genus suum. *Sed & per fenestras cadent, & non demolientur Hebra. cadent pro telo, nec lucro inhiant.* Ideſt ab ensibus non lædentur etsi supra cadant insecta neque placabuntur, vel demolientur muneribus, vt solēt milites. *Vrbem ingredientur, in muro current,* singulare pro plurali, ideſt vrbes inuadent, & super muros discurrent: nam hæc calamitas, non solum vni vrbium, accidit, sed multis. *Conscendent per fenestras intrabunt quasi fur.* Tanta erit insectorum multitudo, vt per fenestras intrabūt, quasi pugnatura non solum cōtra fruges, sed etiam contra ipsos ciues, & terræ incolas. *A facie eius contremuit terra moti sunt cæli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Si ad deuastationem faciendam id temporis per Chaldæos, locum referas, perspicua est intelligentia, à facie enim exercitus Chaldæi, Chaldæi enim erant tunc potētissimi, quia id temporis cum deuastauit Iudæam Nabuchodonosor,

Exaggerationes eximiæ sunt familiares sacris vatibus.

Augēt orationis energiam cōparationes, & similitudines ex his quæsentiuntur oculis acceptæ.

donosor, erat monarcha orbis. Ideo à facie eius contremuit terra, ideſt habitantes in Iudæa per metonymiam enim sermo est accipiēdus, cæli commoti sunt, id est videbatur Iudæis, aliam esse iam orbis faciem, quia omnia sub captiuitate illa dimota sunt à suo pristino statu quæ erant Iudæorum. Cæli sanè semper sunt in motu, ideo quod ait cælos esse commotos, ad hyperbolen est referēdum: quasi dixisset omnia perturbari videbuntur, & superiora, & inferiora sub impetu, Chaldæorum, *Sol & luna obtenebrati sunt,* id est rex, & regina, & primores Iudæorum; quos per stellas intellexit, vt regem, & reginam per Solem & Lunam, siue statum pontificalem per solem, & per lunam statum regni omnia hæc prædixit obtenebranda, vt factum est, quia omnes ducti sunt in captiuitatem, vt in explanationibus ad Oseam, tradidimus. ¶ Si vero ad deuastationem faciēdam id temporis per locustas, & alia insecta velimus referre; intelligentia erit hæc: quod tanta erat futura calamitas, & inopia omnium rerum tunc quod à facie exercitus, seu agminis insectorum, terræ promissæ incolæ contremuerunt. Siquidem minus poterant resistere huiusmodi insectorum multitudini, quam militibus, nam his armis repugnatur: at vero illis armis non potest obsisti. *Cæli commoti,* quia videbantur præter naturalem morem, pluere locustas & erucas tanta erat multitudo, &c. *Sol & luna obtenebrati.* Quia ex tam immensa copia insectorum obtenebrati fuerunt sol, & luna, veluti ex nubibus densis sibi obiectis accidere solet interdiu: & noctu, stellæ non videbantur ex obiectu, copiæ prędictæ. Et demum Hebraica est phrasis, cum summū malum describitur, ad eam rationem describi ad quam modo vates, vt extat Isaiæ 10. Ezech. 32. ¶ Porrò in euangelicis literis, venturi iudicij dies similibus signis prædicitur. Virtutes cæli commouebuntur ait Dominus, sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum, stellæ de cælo cadent: cæterūm euāgelica narratio, non ex metaphorica locutione, sed ex propria significatione, est habenda: quia re vera, tunc sol obscurabitur, & luna obtenebrabitur, etsi stellarū casus non ad stellas; cælo infixas, est referendus: sed ad coruscationes quæ videntur stellæ, quia id temporis erunt multæ, quæ ex summo videbuntur cælo cadere. *Et Dominus dedit vocem suam, ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius.* Per vocem Domini, subaudi tonitruum, & exponit vates, quod antequam copia illa immensa insectorum inundet, Deum præmissurum tonitrua. Vocat autem multitudinem insectorum exercitū, metaphoricè loquens, item vocat castra multa nimis, vt significet multam vim eorum adnocendum terræ illi ex diuino numine dispositam. *Quia fortia, & facientia verbum eius* Etenim insecta etsi per se sint debilia, at vero; si magna copia inuadit fortia sunt: quia illis armis, vel telis repugnare nequimus: vt neque contra culices aut muscas, aut pulices, si immensa sit vis eorum. *Facientia Dei verbum.* Quia omnes creaturæ, seruiunt Deo omnia ait, Regius vates seruiunt tibi, facere igitur verbum Dei, est implere quod ab ipso decretum ab æterno est: id quod tunc fuit impletum per vim insectorum, ab ipso dispositam ad vltionem suorum inimicorum. *Magnus enim dies Domini, & terribilis valde; & quis sustinebit eum?* Diem illum in quo Dominus per insecta, vt diximus, erat vlturus scelera illius gentis, quia terribiliter erat vlturus, vt expositū est sæpè, vocat diem Domini, iuxta phrasim scripturæ cap. 1. & hoc loco expositam. ¶ Itidem referre poteris, ad tempus, sub quo hostes Chaldæi, & Assyrij, &c. irruētes in Iudæos, & Israelitas, eos miserabiliter deuastauerūt. ¶ Sed maximè, ad diem illum venturū finalis iudicij, qui erit magnus, propter magnitudinem diuinæ potentiæ, quæ tunc demonstrabitur, in maximis signis, & portentis, quæ tunc edentur, eritque terribilis, omnibus Dei hostibus: de quibus tunc Deus, qui videbatur dissimulare peccata eorum, extrema de illis sumet supplicia lege si placuerit declamationem nostram ad Isaiam de finali iudicio. *Nunc ergo dicit Dominus convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Postquam valde deterruerat gentem illam Deus per suum vatem prædicens extremas miserias, quas erant subituri, commodè subditur diuina per vatem monitio ad conuersionem dicens, *Convertimini ad me, &c.* Deus cum sit in omnibus rebus per præsentiam potentiam, & essentiam, quid est quod modo ait Deus, *Convertimini ad me?* Convertimur

Phrasis Hebraica ad designādam summam venturam miseriāque.

Matt. 24. Lucæ 21.

timur enim ad ea, quæ retro nos erant; si ad ea vertimus faciem, vt conuertimur ad parietem quando ad illum volumus faciem; Deus autem cum sit intimus omnibus rebus, qua ratione conuertimur ad eum, qui alioquī est præsentissimus nobis, & nos illi? ¶ Respondemus, hanc conuersionem non esse secundum naturam, secundum quam Deus in omnia se diffundit, sed est intelligenda conuersio secundum gratiam. Nanq; cum Dei violamus mandata, tunc quatenus, iam reddimur inimici Deo auertimur à Deo, sumpta trãslatione, ab humana inimicitia ex qua qui inimicus est alteri illi vertit tergum, & abscondit ab eo faciem, quia non potest sustinere visum inimici. ¶ At vero, si reconciliatur, iam tunc conuertit ad eum faciem, in amicitiæ symbolum. In quem prope modum, & Deus auertit faciem suam, id est amicitiam suam, à suis inimicis. Itemque homo, se auertit à Deo, quando labitur in criminalem culpam: siquidem non amat Dei præcepta; Porrò, quãdo pœnitudine se maceratvt oportet propter Deum, tunc iam melius sapiens, & Dei mandata, iam amans, dicitur rectè cõuerti ad Deum, subaudi per amorem nouum: quem concepit de Deo, per Dei gratiam, & veram pœnitentiam suam. Deus item tunc conuertitur ad pœnitentẽ, quia quem odio habuerat, iam amore prosequitur donans ei gratiam suam, & spem vitæ æternæ, in eo firmans. ¶ Quod ergo ait, tale est, qui auersi eratis à me per scelera vestra pœnitemini de peccatis vestris, & conuertimini ad amorem meum, & ad obedientiam mandatorum meorum.

Conuersio per naturã, & per gratiam.

Conuersio exterior, & conuersio interior.

¶ At obserua, quod addit in toto corde vestro. Sunt qui conuertuntur ad Deum, non ex corde sed simulatè, demisso incedentes capite, rudibus vestiti, flagellis castigantes se ipsos, vt videantur magnam de peccatis agere pœnitentiam, at vero corde, non dimittunt peccata, etsi enim exteriorem agant pœnitentiam, at vero vacuam gerunt mentem pœnitentia interiori, quæ est vera contritio peccatorum propter Deum. ¶ Horum conuersionem simulatam, Deus respuit. Quippe nõ est cordis, sed corporis pœnitentia. Necesse est autem, ex corde dimanare pœnitudinem, vnde dimanauit culpa. Est enim homo, sicut arbor, at vero arbor, si radicibus viret, folia quoque & truncus eius virore fruuntur, at vero, si arida sit radice, folia, & ramos arescere, est necesse. ¶ Ad quam rationem, cum radix vnde tota administratur humana operatio, est voluntas, id circo si voluntas viret virore diuinæ gratię, si viuit vita spirituali, & rami eius, qui sunt opera, & folia quæ sunt verba virẽt, & viuunt. Siquidem ex voluntate, Deo amica (tunc enim virore cælesti gaudet, & vita quadam spirituali viuit) opera prodeuntia ceu rami ex radice, sunt Deo digna: & meritoria vitæ æternæ. Itemque verba, si secundum radicis vitã prodeant, vt de operibus diximus, erunt quoque virentia, quia grata Deo. ¶ Et quos dixi ramos vocare poteris fructus vitæ æternæ: siquidem per sancta opera ex vitali radice prodeuntia, tandem fruemur cælestibus gaudijs. ¶ Contra autem erit, si radix, non sit virens, sed arens, orbata irriguo cælestis gratiæ, tunc enim arentia sunt, quæ ab ipsa prodeũt. Nanq; quamuis bona opera possunt prodire ab huiusmodi arida voluntate, cæterum arida sunt: quippe quæ fructificare nequeunt ad vitam æternam. Ideoque Dominus ait, *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Vt iam fileãt Lutherani magistri, docentes liberum arbitrium esse titulo tenus liberum, nam re vera seruum est. Quid ergo si seruum est, vt ab eo exigitur à Deo, quod nõ potest præstare, nisi re vera liberum? An non libertatis est conuerti ad Dominum? Si nõ est libertatis, sed seruitutis conuerti; cur ergo Dominus exigit à seruo arbitrio cõuersionẽ? aut quid aliud obsecro debuisset Deus exigere si verè liberũ fuisset? si nõ est nostrę potestatis cõuerti, sed necessario conuertimur, aut auertimur. Vtiq; quę necessaria sunt Deus nõ exigit: nunquid Deus exigit à sole vt illuminet? aut exigit à cælo ꝙ moueatur? aut ab igne, ꝙ sibi obiectum deurat lignũ? nõ arbitror. Neque tamen satis est Deo, quod conuertamur, sed adhuc petit, vt ex toto corde. Nanque totum petit Deus, qui totum fecit hominem, vt totum se præstaret Deo. Vnde illud diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. Quæ verba etsi anxiè distinguantur à Theologis, vt aliud esse iudicent diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex totis viribus, censuerim potius vsitatam repetitionem scripturis, hic

Pœnitẽtia corporis, & pœnitẽtia cordis.

Voluntas est radix vnde tota administratur humana operatio.

Ex voluntate arida opera prodeũt arida.

Lutherus elidit.

Deuter. 6. Matt. 22. Marc. 12. Lucæ 10.

hic quoque committi, vt idem repetatur per diuersa verba. Perq; omnia, hoc vnũ exigitur, vt diligamus Deum, ex tota voluntate, & ex toto animo nostro, id est, vt nostrum totum Deo impendamus amorem, is vero ex toto animo diligit Deum, qui diligendo Deum, nihil diligit contra Deum. Nanque, qui diligendo Deum, aliud diligit, quod est contra Deum, non ex toto animo diligit Deum, quippe partem animi, in aliud diligendum impẽdit: vnde qui de peccatis dolet, sed nõ de omnibus, diligendo Deum non diligit Deũ, quia aliud diligit, quod est contra Deum, nempe peccatum, quod amat: ideo admonuit Iacobus, qui autẽ offenderit in vno, factus est omnium reus, id est, sola vnius præcepti diuini transgressio, sat est, vt nõ diligamus Deum etsi in cũstodia aliorũ, videamur diligere Deum. Quare Dominus ait, vos amici mei eritis si feceritis omnia quæ præcipio vobis. Et rursus qui habet mandata mea & seruat hic est qui diligit me. ¶ Enim vero, qui totum exigit nihil excludit, quocirca, cum ait, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, nostrum amorem totum sibi postulat Deus. Non sanè, quia creaturæ, non sunt diligẽdæ, quæ sunt aliæ à Deo. Quãdoquidem ipse iubet diligendos parentes, & amicos, imo & inimicos: & nosmet ipsos diligendos, Paulus insinuat, dicens nemo carnem suam odio habet, sed nutrit, & fouet eam, & viros, diligere debere vxores suas ipse non tacuit, dicens, viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam suam. ¶ At vero, hæc visibilia eatenus sunt diligenda, quatenus diuino amori, non obsistant. Tunc autem obsistunt quando, ex amore parentum, aut liberorum, aut vxoris &c. diuina lædimus mandata, at vero istis saluis, alia diligere à Deo non soluit diuinum amorẽ: imo si diligimus illa propter Deum, Dei charitas in nobis crescit, tantum abest, vt lædatur. ¶ Diligere igitur creaturas multifariam accidit, aut plusquam Deum, & tũc crimen est, & hic amor creaturæ, creatoris amorem soluit. Tunc autem diligimus creaturas plusquam Deum, quando propter amorem creaturæ, Dei mandata violamus. Aut secundo quãdo diligimus creaturas plusquam oportet, sed nõ plusquam Deum, quia diligendo creaturas, Dei mandata non lædimus: & tunc sanè

Ioan. 15. Ioan. 14.

Ad Ephesios 5.

nihil criminis admittimus, etsi veniale admittimus. ¶ Aut tertio quando diligimus creaturas iuxta rectam rationem, at non ex amoris diuini inclinatione, vt infidelis, qui diligit parentes suos, aut infidelis, qui diligit filios & vxorem, iuxta rationis rectæ dictamen, nulla prauæ religionis adiecta circunstantia. ¶ Aut fidelis peccator, qui itidem facit iuxta rationis rectæ dictata suos, & alios diligens. Isti sanè non meritoria bona opera exercent: at neque veniale sic agendum admittunt: quippe qui operantur bonum opus, moralibus ornatus, quibus debet circunstantijs, vt operabãtur olim philosophi ethnici secundum moralem philosophiam. ¶ Itaque, vt summatim dixerim operari contingit aliquando ex charitatis inclinatione, & tunc diligimus Deum, & creaturas propter Deum. Aut contingit nonnũquam operari contra charitatis inclinationem, quæ quia tota est vel ad Deum, vt in obiectum, aut propter Deum vt in finem, vt quum diligimus creaturas propter Deum ex charitate dilectum, ideo qui agit contra illam, crimen admittit. ¶ Et tunc demum agitur contra charitatis inclinationem, quando Dei mandata, aut quæ ex ipsis euidenter sequuntur violamus. ¶ Aut denique contingit homini operari, non ex charitatis diuinæ inclinatione neque contra eiusdem inclinationem. Et id temporis bifariam accidere poterit, aut excedendo metas rationis naturalis, aut non excedẽdo, vel deficiẽdo ab eis. Quod si primo acciderit; opus quod profertur venialis culpa est, propter excessum vel defectum, à ratione recta naturali, in ijs, quæ non sunt contra Dei & proximi charitatem, quale est mendaciũ officiosum, vel iocosum, quòd iureiurando non firmatur. ¶ Aut non est excessus vel defectus, imo fit vt oportet iuxta rationis rectæ mensuram opus, & tunc est opus bonum morale, non sanè meritorium, quia non procedit ex charitatis inclinatione, sed neque peccatum: quippe quod suis debitis circunstantijs exornatur vt supponimus, & nihil ex illo agitur contra charitatem. ¶ Quocirca, qui voluerit conuerti ex toto corde in Deum, iuxta diuinam vatis monitionem, operæ pretium est, vt charitatem Dei sibi conciliet: at vero hanc sibi non conciliabit, nisi contrito, & humiliato corde, ad thronum diui-

Diligere creaturas multifariã accidit.

Charitas tendit in Deum, vt in obiectũ, & vt in finem.

Veniale peccatum neq; procedit ex charitatis inclinatione neque pugnat cum charitatis inclinatione.

diuinæ miſericordiæ, & ſaltem habeat in votis, cõfeſsionem vocalem tempore opportuno faciendã. ¶Iſtis exploratis ni fallor promptum tibi erit, quid ſit conuerti ad Dominũ in toto corde. Eſt enim dolere de peccatis omnibus criminalibus propter Dei amorem ex charitate proueniens, & qui ſic dolet, neceſſario animo ſtatuet ſuo, quæ commiſit errata amplius non committere: & clauibus eccleſię ſuo tẽpore ſe ſe ſubijcere. *In ieiunio* vtique ieiunium eſt corporalis abſtinentia à cibis iuxta eccleſiaſticas ſanctiões. Eſt autẽ ieiuniũ iſtud corporale, via & præparatio ad ieiuniũ ſpirituale, quod eſt abſtinere à criminibus omnibus. Nãq; corporalis exercitatio, ex eo habet coram Deo momentum, quia ex illa promouetur mens ad ſpiritualia amanda ſtudia. Vnde in hymno eccleſiæ, ſic corpus extra conteri dona per abſtinentiam, ieiunet, vt mens ſobria, à labe prorſus criminum.

Conuerſio ad Dominum ex toto corde.

Ieiunium quid.

¶Enim vero ſi corporalis exercitatio, nõ proficit ad mentis ſanctificationem, prodeſt modicum. Vt Paulus inquit, ad modicum eſſe vtilem. ¶Benè ait ad modicũ eſſe vtilem, ſiquidem modicum reputat diuina ſcriptura, quidquid non promouet mentis puritatem. Sanè ieiunia proſunt corporis ſanitati, quia qui ſe ingurgitant potu, & cibis ſe onerant, in morbos ſæpè incidunt, quare moralis virtus dicta temperantia ingluuiem temperat, & infrænat. ¶Cæterum iſtud coram Deo modicũ eſt: ſi non totum proficiat, ad mẽtis vt dicebam per ſpiritualem profectũ. ¶Et quod dico de ieiunio, itidem dicito de fletu & planctu. Enim vero, eſt fletus interior, & hic contritio eſt: quæ eſt in voluntate, vt prædictum eſt, & eſt fletus exterior, quã ſi diſſocietur à fletu interiori, efficaciæ eſt nullius ad cõuerſionem peccatoris in Deum. ¶Sunt enim plerique, qui reſoluuntur in lachrymas exteriores, quia peccarunt contra Deum: at vero animus illorum arẽs eſt, quia adhuc, ad peccati perpetrationẽ tendit. Fletus autem interior, non requirit iſtum exteriorem, lachrymæ enim exteriores non ſunt noſtri iuris. Sunt enim dura complexione, quidam, qui non poſſunt vel lachrymulam vnã ab oculis ſuis excutere, etſi proprios parentes, vita orbatos aſpexerint. ¶Cæterum, qui has obtinet, ex contritione dimanantes, optimum ſibi parat antidotum, ad remiſsionem culpæ, imo & ad pœnæ temporalis, quod ſi non ex toto pœna ſoluitur, ſaltem ex parte. ¶Iſtis fruebatur qui aiebat, exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Quia igitur ſæpè accidit, vt homo inedia corporali, non poſsit ſe macerare, aut ex ſenectute, aut ex morbo, itemque vt aiebam ex duritie complexionis, lachrymas non poſsit fundere, quod modo præcipit Deus, vt in ieiunio in fletu, in planctu ſe ad Dominum conuertant, maximè de ieiunio de fletu, & planctu ſpiritualibus quæ ſemper ſunt in noſtra facultate intellecta volo, etſi potentes tunc ieiunare, ad id tenebantur ex Dei præcepto, ſi volebãt conuerti ad Dominum. Vnde ſequitur, quod iſtorũ aperit intelligentiam eſſe rectam, quam dudum tradebamus. *Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Vbi vides exteriores abſtinentias, propter interiorẽ ſanctificationem à Deo inſtitui. Erat autem conſuetum Iudæis, ad magnam mœroris oſtenſionem, veſtimenta ſcindere. Vt de Ezechia rege Iuda legitur 4. Regum 19. & de Ioſia 4. Regum 22. & Matthæi 26. Princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua. ¶Verum hæc ſciſsio veſtimentorum nihil ſanctificabat mentẽ, ſed mœror animi de peccatis, quia læſerant diuina mandata. ¶Hebræi autem cæremonias exteriores, & cultus externos, plurimi faciebant, & ideo Dominus ſæpè carpit Phariſæos, qui totam ſanctimoniam in cultu exteriori Dei reponebãt: hominibus placere magis curantes, quam Deo. Ideo exterminabãt facies ſuas, vt oſtentarent coram populo ſua ieiunia. ¶Deus autem non oſtentatione paſcitur, ſed veritate, quippe ipſe eſt veritas. Ideo ait, modo, *Scindite corda veſtra &c.* Non quod Deus non probet ieiunia exteriora, & alia opera bona quæ exterius fiunt, nam dixerat prius, conuertimini ad me in ieiunio fletu, & plãctu & poſt modum ſubdit, *Sanctificate ieiunium*, ſed quod præcipuũ Dei ſtudium eſt, in puritatem animi, quia hic ſi purus non ſit, cætera Deum non promerentur, quæ exterius fiunt, etſi heroica cenſeantur, quale eſt tradere corpus ad ignes, & flammas 1. Corinth. 13. ¶Eſt autem aduertẽdum, quod Deus verbis iſtis, *Scindite corda veſtra*, non intelligit ſciſsionem materialem cordis noſtri, neque hic eſt ſenſus literalis, ſed ſciſsionem noſtri animi ſumpta tranſlatione, ab ipſa materiali ſciſsione. Quãdo enim ſcindimus aliquid, ea quæ erant vnita, diuidimus, & ſeparamus. At vero, peccatores habent animos ſuos vnitos, cum rebus terrenis, & ſeparatos à diuinis, iubet igitur Dominus, vt ſcindant ſe à rebus viſibilibus, & trãferant ſe ad inuiſibilia. Et hæc ſciſsio, non aliud eſt, quam euangelica abnegatio. Nam qui ſuos affectus abnegat propter Deum, hic eſt qui ſcindit à ſe ipſo animũ ſuum. ¶Rurſus per hanc ſciſsionem vehementem dolorem de peccatis commiſsis, ſi intelligas, non ineptè intelliges. Vnde illud, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, non aliter eſt habendũ, quam tuam ipſius animam, penetrabit vehemẽtiſsimus dolor. Quandoquidem beatiſsima virgo ſummo dolore fuit affecta, quãdo Dominum vidit crucifappenſum. *Scindite.* Eſt autẽ obſeruandũ, quod vehementia doloris duplex eſt aut in gradu, aut in qualitate. Eſt autẽ vehemẽtia in gradu quam Philoſophi, & Theologi vocitant intenſionem, vnde gradus, vt octo verbi cauſa vocatur intenſiſsimus, itemque vehementiſsimus: at vero in qualitate, quãdo ipſa qualitas ex ſua natura habet excellentiam, vt minimus calor excellentior eſt quam ſumma frigiditas, & minima albedo ex propria ſpecie excellẽtior eſt quam ſumma & intẽſiſsima nigredo. ¶Iam vero, vt noſtro inſtituto hæc accõmodemus, contritio tunc eſt vehemens in gradu, quando multos habet gradus intenſionis. vt contra eſt debilis, quando exiguo eſt contenta gradu, vt ſi ſit verbi cauſa contritio vt vnum. At vero, etſi ſit remiſſiſsima vt vnum, ſemper in ſua qualitate eſt maxima. Siquidem dolere de peccatis ſolum quia diuinum numen offenderunt, & animo ſtatuere omnium eorum correctionem, & vocalem confeſsionem pro tempore ſtato ab eccleſia, aut aliàs, quando neceſsitas moriendi ingruerit, &c. Eſt ſanè excellentiſsimus de peccatis, dolor iſte, & vehementiſsimus ſecundum qualitatis ſuæ naturam. ¶Quippe vehementia qualitatis ex opere dignoſcenda venit: operatio nanque, vt commentator ait, iuxta Ariſtotelem indicat formam: at operatio huius contritionis eſt maxima, ſiquidem conciliat hominem Deo, & inferni fores claudit,

Fletus interior, & fletus exterior.

Ieiunium à vitijs & dolor de cõmiſsis ſemper ſunt ſtræ facultatis.

Pſal. 118.

Sciſsio veſtimentorum Hebræis erat lugubris.

Qualitas vehemens dupliciter eſt, aut in gradu, aut in qualitatis natura.

Contritio remiſſiſsima in gradu, eſt excellentiſsimæ ex qualitatis natura.

Lucæ 9.

Lucæ 2.

& cęleſtẽ aperitianuam. ¶Et ſi vis etiam num videre quam excellens ſit contritionis natura vel hinc diſces, quia liberum arbitrium niſi fultum diuino præſidio hanc præſtare nequit. Deus autem quæ eſt ſua benignitas, non exigit à nobis contritionem vehementiſsimam in gradu, quia ipſe ſcit infirmitatem noſtrarum virium, at exigit, ſi ſaluos eſſe cupimus contritionis veritatem. Huiuſmodi enim cõtritio ſufficit ad ſcindendum cor peccatoris, quia hæc ſeparat à corde affectum omnem peccãdi. ¶Flumine autem lachrymarum ſi te aſperſeris, ieiunijs ſi te macerueris, ſi peregrinationibus, te afflixeris, & alijs hoc genus quibus volueris caſtigationibus, te compreſſeris, ſi hæc contritio abeſt, nihil efficies cõram Deo: neque gratiã eius inibis. ¶Nihil nanq; quantumcunq; pœnale eſſe dixeris, ſatisfactorium eſt ad relaxandam pœnam purgatoriam niſi primũ veram cõtritionem habueris. Et hoc eſt quod Deus ait, vt curemus vehementer dicens, *Scindite corda veſtra.* Et re vera quam difficillima eſt, huiuſmodi cordis ſciſsio, videlicet, quod homo ſeparet ſe à ſemetipſo, quod eſt abnegare ſe ipſum. Quandoquidem vt Gregorius ait, in homilia quadam ad Matth. cap. 16. fortaſſe non eſt homini laborioſum, relinquere ſua, ſed valde laborioſum eſt relinquere ſemetipſum. Minus quippe eſt abnegare quod habet: valde eñ multũ eſt abnegare quod eſt. ¶Verũtamẽ vt Paulus ait, Omnia poſſum in eo qui me confortat: ideo petendum eſt diuinum præſidiũ, vt det nobis hanc contritionem, quæ eſt ſicut granum ſinapis, cui Chriſtus contulit regnum cælorum, ſiquidem etſi minima, & remiſſiſsima ſit, habet nihilominus mirabiles operationes, vt dudum tradebamus. *Et conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus eſt, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Præſtat Deus ſuper malitia, ſiquidem miſericordia Dei excedit omnia peccata noſtra. Enim vero, illa eſt infinita, & inexhauribilis, at vero peccatum finitum eſt. Aut ſecundo, vt alia tranſlatio Vatabli habet. *Pœnitentia ducitur ſuper malo.* Id eſt Deum pœnitet, ſuper vltione quam diſpoſuit facere de peccatis noſtris, ſi nos pœniteat de peccato patrato contra Deũ. Et eſt idem quod habetur

Sine cõtritione nulla ſatisfactio.

Ad Philip. 4.

Matth. 4. Lucæ 13.

betur Ieremiæ 18. Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, quod locutus sum, aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. ¶ Sæpè autem admonui, Deum se attemperare nostris moribus, vt diuina per nostra facilius habeamus. Deus igitur dicitur, quod aget pœnitentiam, non quia Deum possit pœnitere, siquidem infinitam sapientiam non posse pœnitere, de sua in agendis dispositione est, euidēs: at loquitur scriptura de Deo more nostro. Vnde sensus est, si nouerimus retractare, peccata nostra, ipse quoque retractabit supplicia contra nos ab ipso contra peccatores decreta. Et hæc translatio Vatabli concinit, cum Græca septuagintatranslatione. Quæ sic habet. *Et pœnitens super malitijs.* Quippe Deus reuocat pœnas quas instituerat infligere, si resipiscamus à scelere. Et verba vatis eò tendunt quò doceant; si Hebræi illius æui egissent pœnitentiam de sceleribus suis, & Dominus quoque, quod disposuerat deuastare terram illam per locustas, & alia insecta, opere non erat completurus: & hic literalis sensus est. At vero nihil obstat, maximè conducit generalem esse sententiam: nobis enim pœnitentibus, Deus non infliget pœnam æternam, quā aduersus obstinatos decreuit ab æterno infligere.

¶ At obijcies, Quid ergo, si ita est, quod
Malac. 3. reuocat decretum, Deus igitur mutabilis Deus est, quod impossibile esse diuinæ literæ apertè docēt, ego inquit Deus, & nō mutor. Et item 1. Regum 15. Deus pœnitudine non flectetur sicut homo, & apud Deum ait Iacobus, non est mutatio neque vicissitudinis obumbratio.

¶ Respondetur, quod Deus cum ab æter
Iacobi 1. no decreuit, de infligenda pœna obstinatis, decreuit etiam pœnam non infligere, pœnitētibus, & nouit ab æterno, quibus erat infligenda, & quibus non infligēda. Est igitur in pœnitente mutatio, quia se transmutat, de statu culpæ, in statum gratiæ Dei. ¶ At verò nulla in Deo est mutatio, qui æterno nouit, mutationem hanc status: & ideo æterno statuit pœnitētem transferre à culpa in gratiam suam. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem.* Græca sic habent. *Quis nouit si reuertetur, & pœnitebit eum?* Vatabli idem præfert translatio. *Quis scit, conuertatur, & pœniteat, & relinquat post se benedictionem?* Et idem verbum Hebræum translator noster, iam vertit hoc loco per præstabilis, iam vero per ignoscat, etsi sensus non variat, quia ignoscere est pœnitere. *Deus* autem, non est in Codice Hebræo, sed si à vulgata additur fuit declarationis amplioris gratia. Tametsi in correctioribus Biblijs non extat. ¶ Porrò continuo se offert obiectio apparens contra verba vatis, cur ait, *Quis scit? &c.* cum paulò ante dixisset, quod Dominus pœnitentibus statuta reuocaturus erat supplicia, nunc vero, id dubitat, quod paulò ante affirmarat? ¶ Respōdetur, quod verba hæc vatis sunt verba, & quidem eum non latebat quod vere pœnitentibus Deus reuocaturus erat decreta supplicia, at vero quod dubitat est, num sui cōtribules veram & Deo dignam erant acturi, vnde sibi constitutæ à Deo pœnæ relaxationem impetrarent. ¶ Aut si mauis dicito, pœnam peccatorū esse geminam, & æternam, & temporalē de æterna dubitare est nephas, quod illā Deus non infliget verè pœnitentibus, & ideo istud non poterat dubium esse huic vati, quod fidelium nullus ignorat. ¶ De temporali, non sic ratio est, enim vero poterit fieri quod verè pœnitentibus constituta à Deo infligatur pœna. Enim vero pœnæ huiusmodi, sunt antidota cō tra venenum peccatorum, & sæpè manēt ad maiorem correctionem eorum, & ad maiorem in posterum cautelam. Dauidē enim vetè pœnituit admonente eum Nathan Dei vate: at vero nihilominus, Deus post obtentam remissionem peccatorū, afflixit cum multis pœnis. Enim vero, & puer primogenitus ex Bersabee, perijt, & Absalon rebellauit, à patre suo, & factiosus fuit contra patrē suū, & dormiuit palam cū cōcubinis patris sui Dauid. ¶ Hoc igitur benè potuit latere vatē, si peracta pœnitentia ab Israelitis, adhuc ad maiorē correctionē eorū, & cautelā, constitutæ à Deo pœnæ per turmas insectorū, esset non reuocandæ: etsi fidebat diuinæ misericordiæ esse reuocādas, at ex lumine prophetico hoc nō didicerat vates, neq; eū panduntur omnia prophetis, vt neq; Eliseo causam mœroris Sunamitidis fœminæ. 4. Reg. 4. Ideo ait, *Quis scit, &c. Et relinquat*, per benedictionem intelligit copiā fructuū vt sit sensus quis scit si Deus ex sua

Aduertenda dubitatio.

Pœnitentibus semper Deus relaxat æternam, at nō semper temporalem.

ex sua magna misericordia gratam adeò habebit vestram pœnitentiam, vt post comminatam sterilitatem, relinquit nihilominus vobis frugum abundantiam. *Sacrificium & libamen Domino Deo vestro?* Vnde videlicet posſitis offerre Deo vestro sacrificia, ex frugibus, & pecoribus, & libamina ex liquidis vino, & oleo. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum. Congregate populum, sanctificate ecclesiam coadunate senes, congregate paruulos, & suggentes vbera.* In processionibus solennibus, quæ vrgente magna necessitate solent fieri apud fideles omnes congregantur, & clerus, & populus, vt efficacior fiat oratio, quæ multorum votis offertur, & hoc idem est, quod sacerdotibus iniungit, modo vates, quod instituantur processiones publicæ, in quas conueniant omnes, indicto ab eis ieiunio, quia ieiunium adiuuat preces fidelium, vt sint magis operatoriæ coram Deo Matth. decimoseptimo. & Marci nono. Est genus dæmoniorum, quod non eijcitur nisi oratione, & ieiunio. Sed quæres forsan, cur congregandi sunt infantes suggentes vbera; quandoquidem isti precari Deum nequeunt? Respondetur, non propter infantum preces; hoc præceptum fuisse à vate, sed propter matres eorum, quæ si reliquissent infantes domi anxiæ de infantibus, sollicitas Deo non offerrent preces. Aut secundo, vt visa multitudine infantum plorantium in vlnis matrum suarum, vt illis moris est, spectantes infantium ploratus populi, magis prouocarentur ipsi ad deuotas preces porrigendas Deo. Reliqua autem quæ ad expositionem horum verborum pertinent hauries, ex capit. primo. Et apud Ionam capit. tertio. inuenies simile ieiunium vniuersale fuisse indictum à Rege Assyrio, non solum hominibus, sed iumentis ad auertendam Dei iram comminatam à Iona, contra Niniuitas. *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Orationis gratia, ab actibus coniugalibus fas, esse abstinere Paulus docuit, modo ex consensu coniugum talis abstinentia fiat, id quod modo noster vates iniungit sponsis, vt ambo consentiant, ab amplexibus coniugalibus se se ad modicum continere: vt Deum purius precentur, & iram Dei populo impendentem promereantur auertere. At vero, quia forte de sponsis de futuro loquitur, aliter intelligendum videtur ad hanc, videlicet rationem, vt sponsi & sponsæ abstineant se se ab sponsalibus lætitijs, vt Deum pro auertenda tanta calamitate precentur, quæ thalamo vox Hebræa respondet, significat clausuram sponsæ, vbi contenta erat, vsque ad diem nuptiarum, & iubet prophēta, vt clausuram soluant sponsæ ad finem supradictum. *Inter vestibulum, & altare plorabunt sacerdotes.* Sacerdotibus incumbit ex officio precari Deum, pro populis sibi concreditis. Populo igitur orante in atrijs templi sacerdotes ait, vates oraturos Deum, cum fletu, & lachrymis intra vestibulum templi, & altare, scilicet holocaustorum, quod erat, sub dio. *Plorabunt.* Quia magni morbi, magnas postulant curationes. Et acerbis vulneribus acerba antidota sunt admouenda. Quia igitur graue erat peccatum Iudæorum, ideo, lachrymis, & ieiunio, & alijs castigationibus esse abstergendum iubet propheta. *Et dicent, Parce Domine; Parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes, quare dicunt in populis, vbi est Deus eorum?* Scribit formam precandi, & repetit, Parce, Parce ad denotandum affectus vehementiam: est igitur sensus dona nobis delicta nostra, ne des nos ipsos qui sumus populus te colens, & hæreditas tua, quia elegisti nos in peculium tuum, in opprobrium gentibus. *Exod. 19. Malac. 3.*

¶ Enim vero si nos presserit sterilitas per vatem tuum comminata, cogemur vagari inter barbaras nationes, vt nobis prouideamus victum, ne fame pereamus, & nationes barbaræ exprobrabunt nobis, dicentes vbi est Deus eorum, qui finit suos cultores fame perire?

¶ Vnde vides non esse necesse, pro intelligentia loci huius, ad deuastationem recurrere factam per Chaldæos vel Assyrios, vt Nicolaus censuit contra Rabbi Salomonis interpretationem, & videntur hæc verba referenda ad Iudæos, penes, quos erat templum, & sacerdotium: *Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo.* Prætetita sumenda pro futuris. Id est zelabitur Dominus, & parcet Dominus subaudi implicitam conditionem, quæ semper est subintelligenda

in diuinis promissionibus, & comminationibus, in illis si rectè egerint, in istis vero nisi resipuerint, vt in explanatione ad Oseam diximus, videlicet, zelabitur, & parcet ei si iterum egerint pœnitentiam. *Et respondit Dominus. Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis, & non dabo vos vltra opprobrium vltra in gentibus.* Item præterita, vsurpat pro futuris, id est, respondebit. Dominus per prophetam, & dicet, suppeditabo vobis copiam frumenti: quia vt inquit Rabbi Salomon, post summam illam victualium penuriam, quæ accidit sub Ioram rege Israel, successit magna fertilitas fructuum. Vnde mulier vidua, cui Eliseus, suaserat peregrinari cogente fame, hac finita est regressa in terram Israel, vt susciperetur copia fructuum, iam à Deo concessorum: quæ exularat septennio apud alienigenas quærendi victus causa. *Et non dabo.* Enim verò, Israelitæ, siue Iudæi qui dehonestabantur apud gentes diuersantes, gratia alimoniæ, quam in terra promissionis desiderabant, concessa à Deo vbertate, reuersi in proprios lares opprobria gentium eu serunt, & seruitutem gentium. quæ illis erat opprobrio excusserunt, abundantes iam victu in propria terra. *Et eum qui ab aquilone est, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inuiam, & desertam vultum eius contra mare orientale, & extremum eius vsque ad mare nouissimum: Et ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit.* Qui putant de deuastatione Chaldæa, vatem esse intelligendum, hæc vt priora omnia illo referunt. Quia Nabuchodonosor, ab aquilone venit iterum vt deuastaret Iudæam. Quoniam Chaldæa, aquilonaris est collata ad Iudæam iuxta verbum Ieremiæ ab aquilone pandetur omne malum Ieremiæ. 1. Insinuans, quod Chaldæus imperator, erat deuastaturus, terram Iudæorum.

In promissionibus diuinis & cõminationibus semper est implicita cõditio.

4. *Reg.* 8.

¶ Porrò, nos contexemus hanc literam, cum priori sequentes eundem expositionis filum, de desolatione, scilicet, illius regionis facta per locustas, & alia insecta. ¶ Per eum igitur, qui venit ab aquilone, oportebit intelligere, turmas aquilonares illorum insectorum. Quas turmas, vocauit supra exercitum, & modo & eum qui venit ab aquilone exercitum illum cuius supra meminerat, subaudit. Vnde ait Dominus, agmina ista, quæ vobis valde erunt nocitura, ego auferam à vobis, & expellam in desertam & vastas solitudines, vbi nulli possunt nocere: quia inhabitabiles sunt, *facies eius.* Quanta fuerit vis horum agminum declarat dicens, quod facies agminis, id est prior seu anterior pars eius pertingebat vsque ad mare orientale, & posterior pars eius vsque ad mare nouissimum; id est vsque ad mare occidentale, quod est mare Mediterraneum.

¶ Vt hinc possit quilibet expendere, quantum se se locustarum ista diffundebat pestis. Quippeque se porrigebat ab oriente, in occidens vsque. *Ascendet,* post quam expulero agmina ista summarum virium, & perierint, deficiente eis in desertis locis pabulo, tuc redigetur in aggeres, & fœtent valde exmmia, putrefactione qua putrescent, postquam perierint. *Quia superbè egit.* In locustis, aut alijs insectis, nulla est superba actio: at vero, sensus est, quia magnificè vos læsit, ideo maximam læsionem, quam intulerunt, regioni illi locustæ, cui nullus poterat via obsistere humana, vocat superbam actionem. Excellentiam enim, etiam inanimatorum ex translatione vocat aliquando scriptura superbiam. Vnde illud Ieremiæ 12. Quid facies in superbia Iordanis? at vero Iordanis superbire nequit, sed excellentiam illius fluminis vocat superbiam ex translatione, ab humana superbia. Et Isaiæ 60. Faciam te in superbiam seculorum, id est nominatissimum in seculis. *Noli timere terra exulta, & lætare, quoniam magnificauit Dominus, vt faceret.* Aspice morem propheticum, quem & supra in Oseæ, item annotauimus miscere lætra tristibus, & dulcia amaris. Etenim ab eo verbo, *Zelatus est Dominus,* cœpit vates, iam consolari, quos multum deterruerat. Enim vero mos diuinus est, homines curare, & blandis, & asperis sermonibus. Vtrunque enim miscet, vt ille Samaritanus, qui Ierosolymitæ curaturus vulnera, infudit oleum, & vinum. Etenim si tota res ageretur asperitate, frangeretur ingenium humanum, & desperaret Dei se assecuturũ benedictionẽ, si totum lenitate, nimia confidẽtia defluoret, & torperet, & tepe-

ret ho-

ret homo, in exequendis diuinis, ideoque prophetis hic mos est, terrere, & consolari, obiurgare, & allicere. Ideo paulò ante dixit Deus per vatem, *Zelatus est Dominus terram suam.* Zelus autem multa cum significet, vt nos fuse diximus in enarratio. nostris ad cap. 2. Ioãnis enar. 4. & æmulatione, & studium quod valde impenditur in aliqua re operanda, item significat eximium amorem, quo vir sic diligit vxorem suam, vt nullum velit parem habere in hoc amore: vel quod nullus amet vxorem suam, & ideo indignatur valde, si alium amantem vxorem videat. Et hac ratione sumitur hoc loco apud vatem, & sæpè alibi in scripturis. Et est sensus, quod nimio amore prosequebatur Deus gentem illam, instar amoris quo vir zelat vxorem. Ideo vocatur in Exodo 20. Deus tuus fortis zelotes. Et est translatio ex amore viri nimio ad vxorem.

Zelus quid significet in scripturis.

¶ Etsi nonnunquam inuidere denotet, vt in Psalmo 72. Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. ¶ Vnde perinde est ac si dixisset vates, eximio amore prosecutus est Dominus terram promissionis, id est habitãtes in ea Hebræos. Hoc autem verbum, pertinet ad consolationem, illius gentis, quod Dominus eximio amore eos prosequebatur: vnde si punire eos disposuerat, non ex odio gentis, sed ex amore eos castigare instituerat, vt pater filium, aut vir vxorem. Vnde hanc consolationem, cum multo sermone exposuisset vates, addit etiam verba præsentia. *Noli timere.* Per prosopopeiam hæc accipe, quippe fit sermo ad terram, quasi ipsa haberet auditum, & intelligentiam. Et monet vates, vt terra non timeat, sed exultet in vbertate sibi ventura, nam tanta erit, quanta oblitionem pariet anteactæ sterilitatis. *Quoniam magnificauit Dominus vt faceret,* id est, disposuit maximam vbertatem, terræ conferre. *Nolite timere animalia regionis, quoniam germinauerunt speciosa deserti.* Eodẽ loquendi tropo, loquitur vates, bestijs agri quas vocat animalia regionis. Id est gaudete vos bestiæ campi, quia iam post sterilitatem venturam, venient vobis, oppimum pabulum: quia quæ squalida, & arentia erant, germinabunt affluenter, vt vobis abundè subministrent pabula. *Germinauerunt* pro germinabunt. *Speciosa deserti,* id est, quæ erant speciosa facta sunt deserta, ex nimia vredine, hæc autem reddetur iterum amœna. Aut secundo, expones tanta erit vbertas ventura, vt etiam quæ erant deserta & inculta, reddentur pulchra germine nouo. *Quia lignum, attulit fructum suum,* lignum, pro lignis, & hæc pro arboribus attulit, pro afferent fructus suos. *Ficus & vinea dederunt virtutem suam.* De istis dixerat omnibus capit. primo. quod erant vredine, seu rubigine consumenda, nunc ait, quod Dei misericordia mutabitur rerum facies, & ficus, & vineæ fructificabunt, iuxta morem pristinum suum. *Et filiæ Sion exultate in Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* Græca. *Quia dedit vobis escam ad iustitiam.* Et est sensus, gaudendum tunc vobis erit, non in vobis, aut in viribus vestris, quas experiemini succubituras, locustarũ, & insectorum vi immensæ quæ, & vos & vestra opprimet: sed exultate, in Dei vestri misericordia, quia postquam de vestris sceleribus sumpsit pœnas, non tamen in æternum irascetur, neque in æternum comminabitur: sed tandem miserebitur abundè, dandó vobis abundantes escas, *ad iustitiam,* videlicet, vt recognoscatis Dei iustitiam tantisperdũ vos puniuit, & post modum Dei misericordiam, dum vos prosequetur suis beneficijs, allegoricos vero germanissimè referes ad Christum, qui est esca ad iustitiam, data fidelibus. Ipso tradente, ego sum panis vitæ, &c.

Prosopopeia.

¶ Vel aliter per doctorem iustitiæ, intelligit Dei vates. Nam vsus est sylepsi, vsurpans numerum pro numero, id est gaudete Ierosolymitæ, quia dedit vobis Deus doctores iustitiæ, id est prophetas manifestantes vobis ex Dei mandato, quæ recta sunt, vt cognoscatis Dei iustitiam, & Dei misericordiam. Nam diximus supra per iustitiam in scripturis intelligendum esse omne opus quod in Dei cultum impenditur. Quasi apertius dixisset, Si vobis gaudendum fore iubeo, ob vbertatem frugum venturam, magis gaudendum fore vobis denuntio, quia habetis me, & alios vates, scilicet, Isaiam, Oseam, & reliquos coætaneos. Isti autem fuerunt contemporanei iuxta Hiero. opinionem: at secundum Rabbi Salomonem, Ioel fuit istis antiquior:

quippe fuit ſub Ioram Rege Iſrael, ſub quo Ionas, Eliſeus & alij complures. Et ad hanc rationem expoſuit Nicolaus: at Theodoretus ſequens Græcam tranſlationem, de pabulis intellexit locum, & non de doctrina iuſtitiæ. *Et deſcendere faciet Dominus ad vos imbrem, matutinum, & ſerotinum, ſicut in principio.* Id eſt donabit vobis frugum abundantiam con-

Imber matutinus, & ſerotinus.

ceſſo vobis imbre matutino, qui infunde bat terram menſe, quãdo ſemina ibi ſerebantur, & ſerotinum in menſe, ſcilicet, collectionis frugum, ſicut cõcedebat hos imbres *in principio*, id eſt antequam ſterilitas ingrueret. ¶ Verũtamen ſi hæc ad bona ſpiritualia referas, quæ Dominus conceſsit fidelibus ſub Chriſto, per doctorẽ iuſtitiæ, Chriſtum Dominum oportebit intelligere. Qui verè fuit doctor iuſtitiæ: ipſe enim ob hanc prædictam cauſam ſe vocat lucem, & veritatem. Et ait, Ne vocemini magiſtri ſuper terrã, vnus eſt em magiſter veſter Chriſtus, Matth. 23. & Ioan. 13. Vos vocatis me magiſter, & Dñe, & bene dicitis, ſum etenim. Et ſuffragatur, huic expoſitioni locus ille Iſaiæ 30. Non

Chriſtus eſt primarius doctor iuſtitiæ.

faciet vltra volare doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuũ. Quæ verba etſi ab Hebræis, in Eſdram referantur, illi tamen non conueniunt. Quã doquidem Eſdras auolauit ab ipſis: nam morte ſublatus, amplius non extat, ideo ſoli Chriſto videntur congruere, qui eſt doctor iuſtitiæ æternus, quia ipſe iuſtitiam Dei in veritate docuit, & fuit potẽs opere & ſermone Lucæ 24. Et non ſoluin docuit, & quotidie docet per euangeliſtas, & Apoſtolos ſuos, iuſtitiam Dei,

Matt. 24.

quinetiam, eſt doctor iuſtitiæ, quia ſibi credentes iuſtificat per ſacramenta quæ inſtituit. Vnde ipſe Ioan. 15. Iam vos mũdi eſtis propter ſermonem meum. Et non auolat, quia ait, Ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi. ¶ Et quidem germaniſſima eſſet textus expoſitio hæc ſi antecedentibus, & conſequentibus congrueret. Quod ſi ad allegoriam referretur, veriſſimus eſt allegoricus de Chriſto ſenſus, verum ſi hic ſenſus etiam eſt literalis vt priores ſupra poſiti, fieri enim poteſt, vt vnus textus pluribus fortiatur literalibus ſenſibus, nondum exploratum mihi eſt. Siquidem quæ ſequuntur, de tẽporali frugum abundantia videtur intelligenda, vt quod dudum aiebat deſcende-

re faciet imbrem &c. Dominus autem, nẽ eſt de textu Hebræo. *Matutinus*, quod hic vocatur matutinus imber, Deute. 11. vocatur temporanea pluuia. Et Oſee 6. Veniet nobis, quaſi imber temporaneus, & ſerotinus. De iſtis pluuijs enim habetur magna ratio in diuinis ſcripturis: quia erant præcipuæ in terra illa promiſsionis. Pluuia videlicet prima, quæ erat ſationi opportuna, vt ſemina ſata terra conciperet: & poſtrema, quæ maturationi frugum erat neceſſaria. Quanuis igitur, demus alias pluuias intermedias fuiſſe ibidem; at vero harum, præcipuè fit mentio, ob commemoratam cauſam. *Et implebuntur aréæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam miſi in vos.* Ex hac litera non obſcurè patet vatem, de huiuſmodi deuaſtatione ſemper ſermonem habere. Et quod aliquot annis durauit deuaſtatio illa ſummaque victualium inopia: quippe ait, reddam vobis annos, hæc infecta vocat Deus fortitudinem ſuam, ideſt oſtenſionem ſuæ infinitæ potentiæ. Quoniam per animalcula quædam, tantam immiſit perniciẽ in terram, quantam nulla vis creata poterat amouere. ¶ Et aduerte tropum loquendi, ait enim, quod locuſta, & alia infecta, cum robigine comediſſe annos, cum tamen annus comeſtibilis non eſt, cum ſit tempus quoddam: at tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius, & huiuſmodi, non eſt alimentum, quod comedi poterit. ¶ Veruntamen, eſt metonymiæ tropus ſumitur enim cauſa pro effectu. Annus enim eſt cauſa fertilitatis, aut ſterilitatis frugum, vnde comedere annos, eſt fertilitatem, quam facit annus abſumere. Quo ritu loquendi, dicimus anniſm eſſe ſterilem vel vberem, nempe ab effectu.

In terra ſancta duæ pluuiæ erant præcipuę & ſummi momenti tempora nea & ſerotina.

¶ Si iuuat tamen tropologiam audire huius loci, ſcito ſatis cõgruere locum hunc dogmati Theologorum aſtruentium per pœnitentiam veram, hominem reſurgere ad maiorem gratiam, & gloriam, quam ante lapſum habuerat. Et oportet meminiſſe ſupra nos capit. 1. enarraſſe per locuſtam, bruchum, erucam, &c. Subaudienda eſſe quatuor criminalia vitia, quæ ſunt nobis familiariora, ſcilicet, ſuperbiam, luxuriam, iram, & gulam. Hæc

Tropologicus ſenſus.

igitur

igitur quatuor exedũt in primis omnem vbertatem ſpiritualem, animæ rationalis peccatum enim mortale, deurit vniuerſa quæ Deo hominem gratum faciunt.

Differitur quæſtio de reſurgente à peccato an reſurgat ad maiorẽ gratiam.

¶ Porrò, ſi vera adſit reſipiſcentia, iuxta horum ſententiam reddit pœnitentibus annos quos comederunt locuſtæ, & brucus &c. Quia quidquid peccatum abſtraxit, totum reſarcit imo etiã amplius pœnitẽtia donat. Et propterea proditum eſt Lucæ 15. quod erit gaudium in cælo magnum ſuper vno peccatore pœnitentiam agente magis, quam ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non egent pœnitẽtia. Cur magnum? quia non ſolum ſurgit ad æqualem gratiam, ei vnde ceciderat, ſed ad maiorem. ¶ Et propterea filium prodigũ Lucæ 10. cum recipit pater, ait cito proferte illi ſtolam primam, ideſt præcipuã & inſignem veſtem, precioſaque ornamẽta donate illi. Et aduentum filij qui mortuus fuerat & reuixerat magno inſtructo celebrat conuiuio pater, vt inſinuaret ad maiorem amicitiam eſſe iam receptum filium fugitiuum, quam fuerat illa vnde lapſus fuerat. ¶ Quod ſi quos ſanauit Chriſtus corporali ſanitate vt claudos paralyticos & alios huiuſmodi vel alijs aliorum morborũ generibus correptos, maiori vt creditur ſanitate, eos donauit, quã erat illa qua potiebãtur, priuſquã morbo corriperentur, cur non idem credere erit conſentaneum de ijs quos ſua gratia ſanos facit quotidie, ſanitate ſpirituali? Quando quidem magis cordi Deo eſt, mentem ſanare languidã, quam corpus ſanare ægrotum. ¶ Sunt porrò Theologi, qui hoc placitum non amplexentur credentes, pœnitentem reſurgere poſſe ad maiorem ſanitatem mentis, ſi talis ſit pœnitentia, quæ hoc poſcat. Itaque iuxta qualitatem pœnitentiæ vel contritionis gratiæ quantitatem ad quam reſurgit autumant eſſe menſurandam. Nanque ſi contritio ſit remiſſa ad remiſſam quoque reſurget gratiam.

¶ At vero, quomodo ait Paulus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ? Etenim ſi ſemper ſurgunt ad maiorẽ Dei amicitiam, ſanè perſpicuum eſt quod lapſus, diligentium Deum, ſemper cooperatur in bonum: ſi vero aliquando ad minorem, imo ſi vera eſt horũ ſententia plerunque erit in minorem: quia plerunque contritio pœnitentium eſt remiſſa, nõ videtur quod fuerit lapſus in bonum, ſiqui-

dem, ſi ſit caſus à magna gratia, & reſtauratio in multo minorẽ non videtur quod ſit proſſus in bonum, etſi bonum eſt vtcũque amicitiam Dei dirutam reſtaurare: vtra pars huius quæſtionis ſit vera, nouit ille, qui omnia nouit. Prior autem ſententia, ſatis fouetur ex abundanti miſericordia Dei erga peccatores. Poſterior autem fouetur ex tremenda Dei iuſtitia. Ego in quarto libr. Sentent. multa de hoc dubio diſſerui, qui volet inde hauriet. *Et comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum: & non confundetur populus meus in ſempiternum.* Ex maxima vbertate fructuum terræ, horreis redundantibus frumentis, & torcularibus vino, & oleo, ſequitur, ſaturitas veſcentium. Siquidem quando copia ſuppetit fructuum, & panis, & cætera victualia comeduntur, non parcè, ſed ad ſaturitatem vſque. Vnde conſequitur laus diuini nominis, qui dat omnibus abundanter, & non improperat. ¶ Et materia laudis erat tunc Iudæis ampliſsima, imo & omnibus Iſraelitis: quippe quos ſupra modum vexauerant infecta, Deus etiam ſupra modum liberauit à tam immani exitio infectorum.

¶ Quoniam vtrunque fuit diuinæ potentiæ, & quod tanta poteſtas infectorum illos numaniter affligeret, & quod ab hac tanta atrocitate tyrannidis Dei nutu aſſererentur. *Et non confundetur*, ideſt non patiemini opprobrium quod paſsi eſtis hactenus vagantes inter gentes, & illis ſeruientes, propter alimenta: id quod vobis fuit non mediocri confuſioni, & pudori. *In ſempiternum*, Hebraicè, in ſeculum, ideſt in longum tempus, quouſque, videlicet veſtra peccata, vt patiamini non exigant, hæc vel alia maiora ſupplicia. *Et ſcietis quia ego in medio Iſrael, ego ſum.* Experimento didicetis, quod ego curam exiliam de vobis habeo. Hoc enim eſt eſſe in medio Iſrael, ideſt eſſe inter Iſraelitas, vt miſericordiam ſuam illis impendat. Et vide, vt meminit modo Iſrael, ſub quo comprehendit modo duodecim tribus, vt ſupra annotabamus. ¶ Diximus autem ſæpè in prophetarum minorũ volumine Iſrael diſtingui à Iuda, quia per Iſrael tradebamus decem tribus ſubnotari apud illios, per Iudam vero duas. Imo in lib. 2. Regum 10. itidem reperias aliquando diſtincta, vnde illud & conſtituerunt

regem Dauidem in Hebron, & regnauit Dauid ſuper omnem Iudam, & Iſraelem. *Et ego Dominus Deus veſter, & non eſt amplius, & nõ confundetur populus meus in æternum.* Liquet ex prioribus, quid velit vates verbis iſtis quia aperta ſunt.

¶ *Et erit poſt hæc effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri, ſomnia ſomniabunt: & iuuenes veſtri viſiones videbunt.* Moris prophetici eſt, quando conſolantur ex temporalium bonorũ promiſſione populum, cui vaticinia edebant, ſupremæ conſolationis, venturæ per Chriſtum interſerere mentionem. Quia conſolationes illę temporales erant vmbra venturæ conſolationis per Chriſtum. Vnde quia conſolatus fuerat vates in Dei perſona duodecim tribus, quia quanuis Iſraelitarum maxima pars erat aliena à cultu Dei veri, cæterum inter eos aliqui, qui partes Dei veri ducebant ſuaſu ſacrorum vatum, qui erant inter illos, ſcilicet Eliæ, Eliſei, Ahię Silonitis, & aliorum compluriũ, poſt huiuſmodi igitur conſolationẽ quæ tota erat repoſita in copia temporalium bonorum, quibus orbati fuerant, ex ingruentibus copijs inſectorum, ait vates. Et erit poſt hæc &c. locum hunc, Petrus Actor. 2. expoſuit, de aduentu Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos, & diſcipulos Domini, & ideo non eſt opus facto, quod vagemur quærentes ſollicitè eiuſdem interpretationem. Effundam de ſpiritu meo, effuſio abundantiam ſignificat. Vnde ſignificatur, quod Deus erat effuſurus, magnam copiam ſpiritus ſui, vt re vera accidit, ſiquidem repleti omnes ſpiritu cæperunt loqui varijs linguis, vt Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Et nunquam in lege Moſi, Spiritus ſanctus legitur viſibiliter donatus, vt in noua & nunquam legimus, quẽquam fuiſſe tunc repletum Spiritu ſancto, quod ego meminerim, at vero in noua frequenter legimus. Non ſolum viros repletos, ſed etiam fœminas, nanque de Eliſabeth proditum eſt à Luca repletam fuiſſe Spiritu ſancto, & exclamauit voce magna, & dixit, vnde hoc mihi &c. Legimus tamen in Michęa capit. repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, iudicio, & virtute. Non tamen ait, ſe eſſe repletũ Spiritu ſancto, vt de Diuo Petro legimus Actor. 2, & de diſcipulis Domini, & de Paulo Actor. 13. Et cauſam horũ ſcire eſt prompta, quia antequam Dominus aſcenderet ſuper cælorum iuga non fuit impartitus abundanter Spiritus ſanctus, vt poſtquam ille aſcendit fuit diſtributus, Domino teſtante, Expedit vobis, vt ego vadam, ſi non abiero paracletus, non veniet ad vos. Et rurſus conteſtatur Ioannes, nondum ſpiritus erat datus, quia Ieſus, nondum fuerat glorificatus, id eſt nondum fuerat effuſa Spiritus ſancti plenitudo, *Effundam* poſt aſcenſionem meã, in cælos, ego effundam abundantiſsimè de ſpiritu meo, ſuper omnem carnem, id eſt ſuper omnes homines & obſerua locum, vnde aptiſsimè elicitur vana contentio Græcorum contra Latinos, videlicet contendentium Spiritum ſanctum non procedere à filio, ſed à patre per filium. At vero nunc ait Chriſtus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Quod ſi dixeris verba hæc dixiſſe vatem non in perſona Chriſti, ſed Dei patris. Equidẽ ſi verba priora ad Chriſtũ referũtur, *Filiæ Sion exultate, & lætamini, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ*, vt multi credunt cum gloſſa interlineali referẽda, hæc item ſub perſona Chriſti ſunt habenda, videlicet. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnẽ.* Siquidem ipſe qui datur in doctorem iuſtitiæ, effundet de ſpiritu ſuo, Quid quod cum omnia ſint in ſancta Triade vnum, niſi vbi obuiat relationis oppoſitio, ſi pater effundit de ſpiritu ſuo, item & filius eundem ſpiritum effundit. ¶ Verum de re hac nos in primo ſentent. diffuſè diſſeruimus, *Super omnem carnem.* Sed nunquid, in omnes homines, diffuſus eſt Spiritus ſanctus? non ſanè, cur ergo ait, Super omnem carnem? Legimus enim in cœnaculo illo quod erat in mõte Sion, ſolum in centum viginti homines, plenitudinem diuini ſpiritus deſcendiſſe. ¶ Reſpondetur, ſub illa linguarum viſibili forma, ſolum deſcendiſſe in Apoſtolos, & diſcipulos Domini, quos Dei ſpiritus afflauit pleniſsimè, eos imbuens doctrina cæleſti, ad docendum Chriſti euangelium & viribus inſtruxit diuinis, ad reſiſtendum contradicentibus. ¶ Cæterum in omnes fideles tunc item deſcendebat Spiritus ſanctus ſub plenitudine, itemque ſub forma viſibili, vt de Cornelio extat Actorum 2. vt ex viſibili ſpecie, Spiritus ſancti fidem conciperent fideles, de Spiritu Sancto inuiſibili, in primitiua Eccleſia.

Actor. 2. 4. & 13.

In ſancta Triade omnia ſunt vnum niſi vbi obuiat relationis oppoſitio.

Actor. 2.

Poſt

Spiritus ſanctus deſcendebat viſibiliter in baptizatos in primitiua eccleſia.

Poſtmodum vero fundata iam fide, ceſſauit ille viſibilis Spiritus ſancti deſcenſus: nihilõminus tamen, in baptiſmo inuiſibiliter datur Spiritus ſanctus, ſub ea plenitudine ſub qua, ante Chriſti legem, nunquam fuit conceſſus. Quia datur ad regenerandum hominem in filium adoptiuũ Dei. Vnde continuo à baptiſmo, referantur baptizato fores cæleſtes, quæ prius clauſæ erant. In cuius rei ſignũ, ſub Chriſti baptiſmo confeſtim, aperti ſunt cæli, & vidit ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper Chriſtum Matth. 3. Quod ergo ait, *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Ea loquendi ratione accipiendũ, qua & illud quo proditum eſt, Ioan. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdũ. Quod ſanè multifariam exponitur, vt nos etiam expoſuimus in enarrationibus noſtris ad Ioan. cap. 1. Verum in præſentiarum ſat ſit dixiſſe, eſſe intelligendum locum ſecũdum diſtributionem, quam vocant logici accommodam. Scilicet non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum. Vt illud omne animal fuit in arca Noe, quod verè enunciatur, quia de qualibet ſpecie animalium fuit aliquod in arca Noetica. ¶ Quia igitur diuinus ſpiritus, euulgato euãgelio fuit effuſus in omnes nationes ſiue Iudæorum, ſiue Græcorum, ſiue Latinorum, &c. & apud Deum nulla eſt acceptio perſonarum in diffundendo ſuo ſpiritu, Actor. 20. Quia in omnem terram ſonuit tuba Euangelica, quia de omni tribu, natione & lingua vidit Ioãnes Apocal. 7. cælo adorantes Deum & agnum; ideo rectè dicitur. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Et obſerua, quod diuinæ literæ hominem, iam appellant ex parte nobiliori, vocãtes eum animam, vt de Iacob legitur in Deutero. 10. Quod ingreſſus in Ægyptũ cum ſeptuaginta animabus, id eſt hominibus. ¶ Iam vero eundem nominat, ex parte inferiori & ignobiliori, & iſtud frequentius. Vt in Pſalm. Videbit omnis caro ſalutare Dei. Et apud Iſaiam. Omnis caro fœnum. Et apud Ioann. Verbum caro factum, vt etiã modo effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, ideſt ſuper omnem hominem. Rabbi Salomon expoſuit locum hunc eſſe implendum tempore Meſsiæ, & fidelior eſt interpretatio eius, quam quorundam Catholicorum, qui credunt impletum eſſe verbũ iſtud, non ſub Chriſto, ſed in exitu à captiuitate Babylonica. Quia tunc, donati ſunt prophetico ſpiritu Aggæus, Zacharias, & Eſdras. Sed quid, quia tres vel quatuor vel decem, vel centum ſi voles donati fuerint prophetico ſpiritu ideo prædicebat vates, quod erat effuſurus ſuum ſpiritum ſuper omnem carnem? ſane hæc vniuerſalis ad ſuã veritatem, non eſt contenta quibuſdam, ſed plures poſcit afflari ſpiritu Dei. Et quidem iſte Rabbinus, aptè multa ſcripturæ loca ad Chriſtum refert, at ineptè ad venturum refert, perſiſtens in ſua & aliorum perfidia Iudæorum. *Prophetabũt.* Prophetare, nõ ſolum accipitur pro prędictione venturorum infallibili, verum etiam pro intelligentia prophetici ſermõnis, aut diuinorum verborum, rectæ & ſyncera intelligentia.

Diſtributio accommoda in ſcripturis.

Homo in ſancta ſcriptu. iam appellatur à parte nobiliori, ità à viliori.

¶ Vnde Paulus. 1. Corint. 14. Qui autẽ prophetat, eccleſiam Dei ædificat: vbi prophetare, vt apertè ex cõtextura Apoſtolica inſinuatur, eſt idem quod exponere fideliter populo fideli, diuinam ſcripturam. ¶ Et ſanè fideles Chriſti, hoc dono ſunt potiti, ſcilicet intelligentia certa ſanctarum ſcripturarum. Vnde Luc. 24. Dominus aperuit ſenſum ſuorum diſcipulorum, vt intelligerent ſcripturas. Et quando donatus fuit Apoſtolis Spiritus ſanctus, ad hoc item donatus fuit, vt rectè haberent ſcripturarum ſanctarum intelligentiam. ¶ Vnde Dominus, loquens demittendo in diſcipulos Spiritu ſancto, inquit, ille docebit vos omnia, quæcunque dixero vobis & docebit omnem veritatem. ¶ Porro quantum attinet ad prophetiam vt eſt prædictiua venturi infallibilis, diſcipulos Apoſtolorum eam habuiſſe, Actor. 21. Traditur in Tyro fuiſſe quoſdam, diſcipulos prophetantes. ¶ Item fuit in Apoſtolis huiuſmodi prophetiæ donũ, vnde Paulus, ſpiritus manifeſtè dicit, quod in nouiſsimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa, &c. Et ſicut Paulus fuit hoc dono inſignitus, alios Apoſtolos, & diſcipulos Domini eodem fuiſſe donatos, quis prohibet credere? Et filias Philippi Euãgeliſtæ Acto. hiſtoria docet fuiſſe prophetiſſas. Et Agabbum fuiſſe item prophetam, cũ quibuſdam alijs Ieroſolymitis, qui venerant Antiochiam, eadem hiſtoria cõmemorat. ¶ Viſionem ante Petrum habuiſſe ex ea-

Ioan. 14.
Ioan. 16.

2. Tim. 3.

Acto. 21.
Acto. 11.

dem hisio.accepimus, quando vidit linteum,de cælo descendens, quatuor initijs subnixum, vbi erat ex omni genere animalium multitudo non mediocris. Paulum item visionem habuisse admirandam admodum & insolitam, ipse docet, scribens Corinthijs, dum ait, se raptum vsque in tertium cælum, &c. Nam, si te turbat,quod non dixit se vidisse, sed audiuisse arcana verba,vtique cessabit turbatio,si consideras mentalem auditum, esse intellectualem visum gustum & tactum. Quippe,intellectus propter sui eminentiam perfectiones,quas sparsas habēt sensus quinque, ipse vnus in se colligit omnes.Accedit eodē quod Stephanus Acto. 7.Vidit Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Adhæc Apocalypsis Ioannis, quid est nisi liber sacrarum visionum? & idem intelligito per somnia, quod per visiones,quia frequentius visiones accidūt per quietem,quando sensualis tumultus,conquiescit. ¶Item legimus Matt.27.Quod multi mortui surrexerunt,& apparuerūt alijs,testificantes Christi Domini resurrectionem;quorum apparitio visio quædā miraculo plena fuit.

¶Et obserua quod in diuinis literis visio,non semper vsurpatur pro imaginaria visione,imo aliquando pro reali. Vnde Matth.17.Nemini dixeritis ait Christus visionem hanc,donec filius hominis resurgat à mortuis.At vero, realiter Apostoli viderunt Dominum transfiguratū, & Eliam,& Mosem,& Danielis. 9. Ecce vir Gabriel quem videram in visione à principio,at reuera vidit Gabrielem casi in corpore assumpto , at vero verè Gabriel Angelus erat.¶Porro autem forsan obijciet quispiam, cur hic traditur futuras visiones & prophetias, sub tempore Messiæ,quasi aliquid singulare sub tempore illo,cum tamen sub veteri testamento frequentissimæ fuerint & visiones & prophetiæ.

Visio non semper imaginaria spectra denotat.

¶Respondetur quod à tempore secundi templi,iam cessauerant visiones & vaticinia vsque ad Christi tempora vt ex libris Machab. est colligere. Vnde hoc præ dicebatur ex hoc loco,quod sub tempore Messiæ erant visiones diuinæ,& sacra vaticinia excitanda,quæ iampridem absorpta erāt. ¶Adhuc forsan insultas,quid est ergo quod traditur Mar. 11.Lex , & prophetæ vsque ad Ioannem. Igitur,ibi finem accepit prophetia sub Ioanne? sed si tunc finem accepisset, quomodo ipse Ioannes fuit Propheta, & plusquam propheta?quomodo parentes eiusdem fuerunt imbuti prophetico spiritu, & pleni Spiritu sancto prophetauerunt? Verum quia sancti prophetæ,qui fuerunt sub lege veteri, omnes intendebant in Christū tunc venturum,& Ioannes digito monstrauit palam iam adesse,quem prophetæ veteres, in summis habuerunt videre votis,& quem lex suis vmbris , & typis nunquam non proclamabat,ideo ait, lex & prophetæ vsque ad Ioannem. *Sed & super seruos meos,& ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* Primo dixerat effundam de spiritu meo, nunc ait effundā spiritum meum,& est declaratio prioris sententiæ, forsan enim aliquis audiens, quod Deus esset effusurus de spiritu suo, in homines crederet,quod portionem sui spiritus esset daturus hominibus,id quod nonnulli arbitrati sunt, insipientissimè Deus enim est indiuisibilis, cum enim sit spiritꝰ diuidi nequit,ideo,exposuit quod dixerat dicens,effundam spiritum meum idest impartiar fidelibus munera spiritualia largissimè & sicut Iudæis quondam Deus concesit, bona temporalia abundantissimè,ita fidelibus suis Christus,spiritualia donat, elargitur affatim. Nicolaus tradit ex Hebræorum placito fuisse apud eos,nouum caput Ioelis prophetę, à verbo illo, *Posthæc,& c.* Et illud propter gerendorum nouitatem,quæ istis verbis continentur.Cæterum sancti prophetæ, Messiæ nunquam non faciunt mentionem,sine noui capitis diuisione. *Et dabo prodigia in cælo,& in terra,sanguinem,& ignem;& vaporem fumi.* Ordina.glossa, hæc retulit,ad primum Christi aduentum.Siquidem ante diem resurrectionis, quem subintelligendum putat per diem magnum,& horribilem, præcesserunt tenebræ quia sol obscuratus est & factæ sunt tenebræ super vniuersam terram.Et terra item concussa est,& lapides scissi,& monumenta defunctorum sunt reserata. Et luna in sanguinem versa,quia Iudæi significati per lunam,quia lunaribus curibus, annos & tempora metiūtur cōuersi sunt in sanguinem, dicendo,sanguis eius veniat super nos,& super filios nostros. *Et in monte Sion erit Saluatio.* Quia Isai. 2. de Sion exiuit lex & verbum Domini de Ierusalem. Apostoli enim in Ierusalem prædicauerunt sanctum Christi euangelium. Et in templo quod in monte Sion ædificatum erat id temporis, Dominus prædicauit legem suam,& mirabilia exercuit non modica. ¶Porrò autē, quia verba huius prophetiæ conuenire videntur cum signis præscriptis in euangelio Matthæi 24. quæ præuenient diem finalem iudicij :ideo vaticinium hoc congruentius exponitur,de secundo aduentu Christi,scilicet,quando veniet nouissimè iudicaturus viuos & mortuos,& seculum per ignem. Sicut enim magna quæ sunt futura in hoc orbe , ex signis cælestibus plerunque præsignantur , vt inundationes, sterilitates,fames,bella atrocia,mortes virorum insignium, ex cometis , & astrorū concursibus, dijudicantur ab astrologis; priusquam contingant. Et mortem vnius hominis, multa videmus in ipso iam iam morituro præcedere signa,quæ instantis mortis sunt prognostica , vt Hypocrates libr. suo de prognosticis commemorat. Non est igitur miratu dignum, si vniuersi orbis finem, multa & tremenda prodigia atque portenta mirabilia præcedant. Siquidem ea Deus omnipotens præmittit,cum vt non casu, credat quispiam, mūdum esse finiendum;sed ex cōsilio & omnipotentia factoris Dei: tum vt mortales qui id temporis extabunt stupefacti ex terrore insolitorum prodigiorum , redeant ad cor,& Deo,se committant , impetraturi suorum peccatorum veniam.

Magni ea fusis ex cælo sæpe præmonstrantur ab astrologis.

¶Ideo Dominus ait, Erunt signa in sole, luna & stellis. Et hæc quidem signa quæ in cælo erunt in luminaribus,& stellis,& quæ in elementis,sanè super naturam,vniuersam erunt . ¶Siquidem solis deliquium quod tunc erit, vniuersale deliquium erit, id quod erit portētum supra totam naturam. Quandoquidem solis deliquium,cum sit ex coitu cum luna,& luna sit multis partibus sole minor , fieri nequit,vt coitus minoris opaci, obumbret; & obscuret ex toto maius luminosum; sed solum partem eius: tametsi aspectibus humanis,sitis in hoc vel illo loco,videtur sol totus obscurari: at non totus, sed pars eius obscuratur,secundum naturæ ordinem:qui tamen tunc peruertetur. ¶Obscurabitur enim ex toto sol, ex diuino miraculo,videlicet, quia Deus suspendet eius illuminationem : & casus stellarum , etsi non erit stellarum quæ sunt in cælo infixæ , vt nodus in tabula : erit tamen in solitarum coruscationum , & ita de reliquis signis. Et causa est , quia sicut totum vniuersum contra naturam suam, mutabitur,& finem accipiet , ita quoque signa,quæ talem finem portendent , erūt supranaturalia. Mihi animus nō est hæc prolixius persequi, quia in declama. ad Isaiam declamatione quadam de iudicio finali exactius persecuti sumus;ideo breuiter transcurremus. *Sanguinem,* quia pro pē illos dies erunt bella multa cruentissima,& Antichristus multorū fundet sanguinē, *ignem* cuius meminit psaltes,ignis dicens,Ante ipsum præcedet , & inflammabit in circuitu inimicos eius , qui ignis conflagrabit vniuersa , quæ sunt in orbe mixta,& iustos purgabit, vt possint euolare in patriam. *Vaporem fumi* , siquidem ex deustione resultat fumus,vnde ex magna illa incensione vniuersi maximus itē resultabit vapor fumi.Philosophi vaporem distingunt à fumo: etenim vapor est exhalatio calida, & humidā: fumus vero, calidus & siccus est: verum hoc loco confunditur vtrunque. *Sol conuertetur,* prosequitur signa quæ erunt in cælo & iam ex posuimus,qualis erit hæc conuersio , per suspensionem,videlicet illustrationis solaris:quia sub eo tempore non illuminabit orbem. *Luna* ista conuersio erit non in substantia lunæ , sed ad apparentiam, quæ videbitur sanguinolenta: vt sæpè vapores sursum lati videntur valde rubri, vt sanguis,quia multo vapore,multa quoque miscetur lux , nam inde nubes rubēt. *Ante quam dies magnus* , dies iudicij finalis est magnus dies,quia Deus demonstrabit tunc omnipotentiam suā destruendo vniuersa iuxta,quæ fecerat: & horribilis itē, quippe,etsi iustis erit dies summæ exultationis, quia id temporis recipient corpora sua , & erunt plenè beati , & anima, & corpore,cæterum impijs erit horribilis, vnde Dominus ait,tunc plangent se omnes tribus terræ. *Et erit omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Hoc testimonio vsus est Paulus,scribens Romanis capit. 10. quō probet Deum non acceptare personas,sed esse Deum vniuersorum, vnde quicunque inuocauerit nomen Domini , siue Iudæus is,siue Græcus,siue cuiusuis alterius nationis , sit,saluus erit. ¶Modo tamen verè inuocet , vt psaltes ait,Pro-

Portenta & prodigia finem mundi prænunciātia erūt supra vires naturæ.

Matthæi 24.

Prodigia ante diem iudicij finem multis prodigijs præsignabit.

ait, Propè est Dominus omnibus inuocã tibus eum inuocantibus eum in veritate. Ille autem inuocat in veritate, qui primũ rectam habet fidem de diuinis: Etenim sine fide impossibile est placere Deo, sed quia fides sine operibus mortua est, siquidem mors est: ideo ille inuocat in veritate, qui habens fidem veram, verè dolet de peccatis suis. Ad propositum autem, vatis sensus hic, est in diebus illis quando dies ille magnus aduentabit, tanta erit rerum afflictio, & pressura, sub Antichristo vt nulli pateat euasionis locus, sed hoc vnicum remedium tunc erit inuocare nomen Domini, vt salus contingat spiritus, & corporis à gehennę incendijs. Domino enim testante Matth. 24. Tribulatio illorum dierum erit vehementissima, qualis nulla præcesserit, neque subsecutura est. Quia nisi Deus breuiassent dies illos non fieret salua omnis caro, sed breuiabit Dominus propter electos, qui inuocabunt Dominũ & eripientur à tyrannide Antichristi. *Quia in monte Sion, & in Ierusalem erit saluatio.* Per mõtem Sion intelligitur ecclesia Catholica, itemq; per Ierusalem vnde quidam istum referunt locum, ad ecclesiam Catholicam extra quam nulli salus æterna contingere poterit, verum videtur sensus hic allegoricus, magis quam literalis. ¶Est porrò pro literali cõtexendo obseruandum, quod Antichristus, homo peccati, qui à Paulo appellatur, extollet se adeò, vt se profiteatur esse Deũ, vnde. 2. ad Thessa. 2. inquit, cum reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui aduersatur. Et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut loquitur, aut vt legit Augustin. colitur Deus. Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. ¶Vnde habetur quòd Antichristus, post victorias & triumphos contra gentes sibi non adhærentes vt loquẽs de Antichristo insinuat Ezechiel, cap. 38. &. 39. sub nomine Gog. veniet quans. Ex triũphis Ierosolymam, & sedebit in templo, Dei, quod vt videtur tunc in monte Sion, restaurabitur forsan ab Antichristo, & ibi sedens in throno, exiget adorari, à suis sectatoribus vt Deus. ¶Tunc autẽ interficiet eum Christus, spiritu oris sui: ideſt vt creditur per Sanctum Angelum suum Michaelem, quo interfecto, erit saluatio fidelibus, non solum qui ex gentibus conuersi sunt ad fidem sed etiam Iudæis, quam tunc patefacta nequitia Antichristi conteretur eorum peruersa duricies, & conuertentur ad Dominũ Iesum. Et hoc est quod ait in Sion erit saluatio; quia interfecto Antichristo in Sion, inde deriuabitur salus ad credentes prius in Christum, quorum fidẽ ipse Antichristus deturbauerat, quippequi pœnitebunt & reuertentur ad Dominum Deum suum. Item erit saluatio, Iudæis rebellibus & cõtumacibus; qui hærẽtes Antichristo, quẽ acceptabũt, in suum Messiam, quum per ipsum exerint infelicissimum Antichristi exitum, in verum Messiam se transferent, vt illi de inceps morem gerant. *Sicut dixit Dominus*, forte per Ezechielẽ vatem Dei, capitibus citatis, etsi obscurissimè, dixerit aut dixit ab æterno apud se ipsum statuens, suo tempore Antichristum perdendũ in salutẽ fidelium, & ad conuersionem salubrẽ Iudæorum. *Et in residuis, quos Dominus vocauerit, vel vocabit.* Hoc dicit propter superstites Iudæos, qui post mortem Antichristi residui erunt: nam hos Dominus vocabit ad euangelicam gratiam obtinendam, vt saltes ait, conuertentur ad vesperam, & famẽ patientur (tubaudi Christianismi), vt canes duo igitur singularia mysteria, hic vates vniuerso orbi prædixit, & descẽsum spiritus Sancti in Domini Apostolos, & discipulos, & aduentum secundũ Christi vt iudicet totũ orbem.

EXPLANATIO
IN IOELIS. CAP. III.

VIA ecce in diebus illis, & in tempore illo, cum cõuertero captiuitatem Iuda, & Ierusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas, in vallẽ Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi, super populo meo, & hæreditate mea Israel. Quod sit vatis in hoc capite institutum, non est vsquequaque perspicuum. Siquidem Theodoretus refert verba capitis ad reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica. Et glossa ordinaria, eundem sensum non silet. Porrò isti autores tetigerunt hanc expositionem, vnico verbo, ideo re infecta ad alia transierunt, vt autem ego eam prosequar, sit hæc expositio. Assertis à captiuitate Babylonica Iudæis, ego conuocabo gentes omnes, ad iudicium, & ostendam illis quod male egerint cum populo meo, illum diuexando multis & grauissimis vexationibus. Cæterũ quãdo congregatæ fuerint istæ gentes ex Dei iussu, vt venirent ad iudicium in vallẽ Iosaphat, post quam libertate sunt donati Iudæi, non constat ex scriptura. Nisi dicatur quod ista congregatio, non fuit conuentio in locum Iosaphat omnium gentium, sed quia ostendit gentibus, eas valde affligendo, propter illatam afflictionem Iudæis, quod iniquè egerint contra Dei populum, ideo ait: congregabo gentes in vallẽ Iosaphat, vt, scilicet, Iosaphat, non sit proprium nomen vallis illius, quæ est iuxta montem Olearum, sed potius appellatiuum, quia interpretatur vallis Iudicij, vnde vocare ad iudicium, est commeritas de gentibus sumere pœnas, quia afflixerunt tyrannicè populum Dei. Quanuis enim Deo permittente, incidit Dei populus, in manus barbaras, ad vltionem suorum scelerum, nihilominus gentes torquendo tyrannicè populum Dei peccatum immanitatis admiserunt, contra humanitatem, quam homo homini præstare debet. Sumere igitur Deum de gentibus pœnas, vocat Propheta, disceptationem cũ gentibus. Et deducere eas in vallem Iosaphat, est eas in temporalis pœnæ damnationem adducere, siquidem iudicium in scriptura, damnationem aliquando denotat, vt iudicium sibi manducat, & bibit, qui indigne Eucharistiam edit & quæ sequuntur in vate, concinunt huic expositioni, videlicet. *Quos dispersérunt in nationibus, & terram meam diuiserunt.* Siquidem Iudæi, & Israelitæ, dispersi sunt in nationibus, postquam abacti sunt in captiuitatem. Et videtur quod ad omnes tribus referatur sermo hic: quia meminit hæreditatis suæ Israel. Quia vt sæpè annotaui, etsi Israelitæ fuerint idololatræ, at vero non omnes erant idololatræ, sed aliqui inter eos erant Dei cultores, vt de Tobia patet, & de Abdia, qui pauit Prophetas Domini sub Achab, &c. *Terram meam.* Meus ait Deus est orbis terrarum, vocat tamen illam terram duodecim tribuum, terram suam, ex speciali prærogatiua, illi terræ concessa. Vnde Ob in id Exodi. 19. vocatur Dei peculium gens Hebræa, & terra illa quæ data est cultoribus Dei solum: expulsis in fidelibus ab ea. ¶Hanc terram diuiserunt hostes Hebræorum, nam superantes bello illos, quæ erant Hebræorum sibi diuiserunt, vt moris est victorũ à victis subtrahere omnia, & interse diuidere. *Et super populum meum miserunt sortẽ,* victores enim, sortes mittunt, super bona deuictorum, postquam iam habent victas personas in seruos, & bona personarum iure belli sibi vendicant. *Et posuerunt puerum in prostibulo*, ideſt pueros Hebræorũ, dabẽt in mercedem meretritiam, aut pueris abutebantur, vito Sodomitico. *Et puellam vẽdiderunt pro vino vt biberent.* Ad magnum contemptũ Hebræorum hostes Gentiles, vendebant puellas, pro vino vt biberent illi ex odio namque Hebrææ nationis, istud operabantur: & redundabat in iniuriam Dei, quem colebant Hebræi. Et seminarium odij dispar cultus erat. Et ob hanc causam Deus per vatem, hæc exprobrat gentibus. *Verum quid mihi & vobis Tyrus, & Sidon.* Tyrus supra diximus, & Sidon quales, quamque celebres fuerint Phœniciæ vrbes. Et harum meminit vates vrbium, quæ erunt præcipuæ Palæstinorum, & terræ promissionis finitimæ, & quæ magno odio inuehebantur in Iudæos, ob disparitatem cultus vt diximus, & ideo semper isti, Tyrij & Sidonij vt etiam Idumęi, & Moabitæ se gerebant immaniter contra Israelitas, & de huiusmodi gẽtibus maximè intelligitur quod supra dixerat congregabo omnes gentes &c. videlicet omnes gentes confines, cum terra promissionis. Et alij prophetæ item vaticinati sunt mala ventura istis nationibus ad vltione Dei populi Isai. 15. & 17. 21. Numer. 1. Nam per onus vltio denotatur. *Numquid vltionem vos reddetis mihi,* stulti nũquid vos vultis capere vltionem de me? obserua vt in se sumit sui populi personam, vt Dominus Iesus accepit in seipso personam fidelium, dicens Paulo, Paule, Paule cur me persequeris Act. 9. Ad quam rationem increpare, volens Deus, mala, quæ gentes commiserant cõtra populum suum, ait: Numquid vltionem vos reddetis. *Nũquid vltionem.* Ideſt numquid ego vos affeci iniuria vnquam quod iniuriam illatam, vultis mihi rependere? Substituit se loco populi sui, vt dicebam dudum. *Quod si vlciscimini vos contra me, cito velociter, reddã vicissitudinem vobis super caput vestrum.* Quod si studetis vlcisci, contra me, ideſt contra populũ meum

festi

festino, sumam de vobis pœnas in vltionem vltionis illatæ populo meo. *Argentum enim meum, & aurum tulistis, & desiderabilia mea, & pulcherrima tulistis, & intulistis in delubra vestra.* Prosequitur clarius iniurias illatas à Palæstinis populo Dei, quippe spoliauerunt templum Dei, & opes Israelitarum, & ad iniuriam diuini numinis ornauerunt sua delubra ex spolijs Hebræorum. Vnde non solum agit hic vates Dei nomine de iniurijs factis suo populo, sed etiam sibi illatis. Quoniam, qui contemnit templum vbi colitur verus Deus, ipsum Deum contemnit: quia templum, est tanquam domus Deo vnicè dicata ad cultum & honorem Deo, ibidem exhibendum. *Et filios Iuda, & filios Ierusalem vendidistis filijs Græcorum, vt löge faceretis eos de finibus suis.* Superat es Palæstini Iudæos, & eos bello subigentes, filios Iudæorum distrahebant in exteras longeque sitas nationes, vt in Græciam: vt confractis Iudaicis viribus, ex dispersione Iudæorum, non possent se Iudæi coadunare, ad superandum impetum Palæstinorum. *Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos: & conuertam retributionem vestram in caput vestrũ.* Ego ait, Deus faciam potentes, quos vos infirmastis, & quos dispersistis ex industria, ne vobis aliquando insultarent, ego colligam, & adunabo: vt illatam à vobis illis iniuriam refundam in vos ipsos iniuriæ autores. *Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Iuda.* Quod operati estis cõtra Iudæos, ipsi operabuntur contra vos, vt retalient vobis opera vestra, quæ contra eos feciſtis. Vendent enim me autore filios vestros, & filias vestras Iudæi, exteris nationibus. ¶ Putant aliqui hoc impletum fuisse, ætate Machabæorum, quia 1. Machab. cap. 15. traditur, quod Cenzebeus princeps militiæ Antiochi, fuit profligatus à Iudæis. At vero ex scriptura hac neq; ex alia canonica constat, quãtum meminisse possum, quod tunc Iudæi vendiderint Tyrios, & Sidonios, & alios Palæstinos, Græcis, aut alijs nationibus. Vnde neque potest referri locus: hic ad tempus, sub quo asserti sunt Iudæi, à captiuitate Babylonica. Siquidem tunc non fit mentio, quod diuenderint Iudæi illi asserti Tyrios, vel Sidonios, vel Palæstinos alijs nationibus. ¶ Verum, siue ex alia constet, aut non constet scriptura, scimus, quod vera prædixit vates hic, quanuis quomodo sit impletum vaticinium non liqueat. *In manibus*, id est per potestatem Iudæorum. Siquidem manus potestatem denotat, in sacris literis, vt in manu tua Dñe sunt omnes fines terræ, idest in potestate tua, & in ditione tua sunt omnia constituta. *Et venundabunt eis Sabæis genti longinquæ.* Alius vertit in gentem longinquam, quia credit Benedictus Montanus, quod Sabæi erant proximi Iudæis, & ideo non est sensus, quod Sabæi erant gens longinqua, sed quod Iudæi erant venditur Tyrios, & Sidonios Sabæis, & quod isti erant venditurі Tyrios &c. in partes remotissimas. *Psal. 94.*

¶ At vero, Saba, si scribatur per ש schim, significat vrbem insignẽ Æthiopiæ, quã Cambyses rex Medorum ex fororis vocabulo appellauit Meroen. At vero Meroe (vnde à quibusdam creditur Magos venisse adoraturi Dominum, & reginam Sabæam 3. Regum 10.) longè sita est à Iudæa, si autem Scribatur ס Samech, Genes. 10. dicitur Ebila. 1. Paralip. 1. est Arabia felix, quam incolunt Sabæi populi, vnde & thura Sabęa. At vero vates non de secunda Saba, sed de prima meminit: quia vox Hebræa, hic posita, est Sebaim per ש Et Vatablus, similiter transtulit *genti longinquæ* in dat iuo. Et Græca item *venundabunt eos in gentem quæ procul.* Iudæi, referente Hierony. in comment. tum hunc locum in suum fauorem exponunt. Promittunt enim sibi ex hoc vaticinio Ioelis, quod tandem in vltimo tempore adueniente Messia, sint ipsi cõgregãdi à Domino, & reducẽdi in Ierusalem. Nec hac felicitate contenti, ipsum Deũ aiunt, Romanorum filios & filias, traditurũ eis, vt vendant eos Iudæi, Persis, & Æthiopibus, & cæteris nationibus, quæ vicinæ sunt: sed & Sabæis, genti longissimę: quia Dominus locutus sit, vt populi sui vlciscatur iniuriam. Quod tamen commentum est delirium Iudæorum hucusque habentiũ velamen super oculos mentis suæ, ne videant lucem illam, quæ ait, Ego sum lux mundi qui sequitur me non ambulat in tenebris. Hieronymus vero in tropologiam locum retulit, dicens, quod Deus suscitat quotidie eos, quos varius error eduxerat de finibus suis. Tu interim obserua, vt Hierony. etiam intellexit Saba, esse regionem longinquam, cuius hic

Ex Meroë creditur à quibusdã Magos ve nisse adoraturi Christum.

ius hic fit mentio. Alijs vero arrisit, totum, quod hactenus dixit vates literaliter de fidelibus, qui sunt veri secundum spiritum Iudæi, & veri Israelitæ vt Dominus dixit de Nathanaele, quod erat verus Israelita, in quo dolus non erat, & quã aptè hoc nomen congruat fidelibus ex Paulo ad Rom. demonstrauimus in explanationibus super Oseam, de quibus etiam Ioan. præcursor Domini dixit verba illa, Potens est Deus, ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Per hæc insinuãs gentes, quæ stupidæ ad res diuinas sicut lapis erant, ex diuina opera suscitandas per baptismi gratiam, in adoptionem filiorum Dei. Affligendi igitur istis sunt valde ab Antichristo, aduentante die iudicij, Dominus asseret eos ab hac afflictione. Ideo ait, quia ecce, idest diligenter obseruate. quod in nouissimis diebus, id est, sub diem finalis iudicij, quando spirituales Iudæos, & Ierosolymitas, idest fideles suos Dominus eripuerit à captiuitate Antichristi, id est à maxima, quæ tunc sub Antichristo, erit tribulatio, tunc Deus cõgregabit omnes gentes, quia tuba illa sonante, Surgite mortui ad iudicium, resurgent mortui omnes incorrupti, à primo homine, in vltimum vsque, & congregabuntur in *vallem Iosaphat*, quæ est in latere montis Oliueti, vnde Dominus ascendit regnaturus cum patre, & appellata est vallis Iosaphat, vel à rege Iosaphat, qui ibi forte habebat peculium, vel aliàs. Aut rectius vt Chaldæus vertit, in *planitiem manifestationis iudicij*. Non enim in valle illa poterunt congregari omnes homines iudicandi, neque Christus ibi est descensurus ad iudicandum, & friuola est, vt inquit Glossa ordinaria, & puerilis hæc opinio. Sed intelligere oportet Dominum in spatio aereo, & sublimi quod correspondebit, valli illi se collocaturum, & iusti in aerea, erunt item, à dextris Domini. Impij vero, qui erunt deturbandi ad tartareas sedes, erunt à sinistris: non tamen, quod erunt iudicandi omnes in valle illa se se penetrantes. ¶ Aut dicendum est, vt annotabam in priori expositione, descensurum Dominum in vallem iudicij, itaq; non vsurpatur vallis Iosaphat, vt ex nomine illo proprio regis Iuda denotetur, sed est nomen appellatiuum itaq; iuxta hanc rationem, quicunque locus, aut quæ uis planities fuerit, vbi Dominus venerit ad iudicãdum, dicitur hic vallis Iosaphat, vel Iehosaphat, id est iudicij. Appellatur enim à iudicio ibi celebrando vallis iudicij. Vt Bethel Genes. 10. appellatur Bethel à visione diuina qua potiturus ibi Iacob erat Genes. 28. quæ vrbs Luza vocabatur, id est, Amigdalum. Quæ item Bethauen, ab idolo, ibi à Ieroboan constituendo. Vt Hieronymus testatur libr. de locis Hebraicis. Quanquam magis consentaneũ videtur scripturæ, quod in valle prædicta quæ est in latere montis Oliueti, ad sensum præfatum Dominus exercebit finale vniuersaleque iudicium. Siquidem Domino ascendẽte in cælum ex mõte illo olearum, duo angeli astiterũt Apostolis, quibus dixerunt, viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum, hic Iesus, qui à vobis assumptus est in cælum quem admodum eum ascendentem vidistis in cælum, sic veniet. Id est, vt vidistis ab hoc monte ascendentem, in cælum triumphaturum, sic ad hunc montem de cælo descendet iudicaturus, quando secundo, scilicet venturus est iudicare viuos & mortuos. Et quia Christus, se locans in aere correspondente huic valli, summa maiestate exercebit iudicium, ideo dicit, *Quoniam ibi sedebo vt iudicem omnes gentes.* Vt de Matthæi 25. Cum sederit hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel, quæ omnia sunt intelligenda non quod sedebunt in ipsa valle, sedibus ibi constitutis, sed supra ipsam vallem, in spatio aereo illi correspõdente. ¶ Quod si sensus iste est literalis, sensus verborum prædictorum Ioelis, idem locus multis potitur sensibus literalibus, id quod frequens est diuinæ scripturæ, verum si fortè dicat aliquis, quod etsi fides doceat Dominum venturum ad iudicandũ, at quod verba vatis ad literam, significent hoc iudicium, non esse omnino peruium, non videbitur mihi ineptus, sic dicẽs, & quod allegoricè, sunt referenda ad diuinum iudicium vniuersale at secundum literam, de iudicio particulari, ex quo Deus temporalibus supplicijs damnabit, gentes aduersantes Iudæis, vt ex Theodoreto retulimus. Et ipse contextus literæ præ se fert habet enim verba vates cum Tyrijs, & Sidonijs, & Palæstinis vt prædictum est. Quod si ad iudicium finale referas prophetiã, per hos Tyrios, & Sidonios, &c. oportet

Actor. 1.

Matthæi 25.

oportet intelligere hostes Ecclesiæ, qui per illos adūbrātur. *Clamate hæc in gētibus sanctificate bellum suscitate robustos. Ascendāt, & accedant omnes viri bellatores.* Verba hæc ironicos legi possunt, vt sint verba vatis deridentis impetum, & apparatum belli, adornati contra Iudæos si sequimur priorē expositionem. Quasi dixisset, præparate bellum adornate acies contra Iudæos, quos Deus instituit protegere, contra vestram insaniam & tyrannidem; quia nihil proderit vobis, & est tropus vsitatus in diuinis literis, quale illud est, ecce
Gene. 3. Adam, quasi vnus ex nobis factus est. Aut secundo legi possunt per futurum. *Clamate*, id est præconis voce promulgabitis vos gentes inter gentes vicinas, bellum. *Sanctificare*, id est adornate bellum. Nam verbum Hebraicum, & denotat sanctificationem, & item præparationem ad aliquid magni faciendum, suscitabitis robustos, & viros bellatores excitabitis ad bellum. *Concidite aratra vestra*, id est concidetis aratra vestra tantus erit belli ardor, & bellandi tanta erit libido, quanta, vertet aratra in gladios, & ligones in lanceas. Diuerso modo prædixit Isaias futurum sub tempore Messiæ, videlicet quod lanceæ, & gladij erant vertenda in vomeres, & in falces. capit. 2. nam quia mistus est amator & cautor sanctæ pacis ideo prædicebatur, quod instrumēta bellica erant vertenda ab eo in instrumenta agriculturæ. At vero diabolus, quia est hostis pacis, ideo sua industria instrumenta agricolarum vertuntur in bellica. *Infirmus dicat, quia fortis ego sum*, id est nemo excuset infirmitatem aut imbecillitatem virium: *Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini.* Vnde videtur, quod nō de omnibus gentibus sermo iste sit habēdus, sed quod dixerat supra cōgregabo omnes gentes, nunc exponit, de gentibus confinibus Iudæis, de Tyrijs, scilicet, Sidonijs & reliquis, vt supra est memoratum. ¶Significat igitur sermo hic, quod gentes istæ confines erumpent, & congregabuntur magno ardore belli, ad belligerandum contra Iudæos, at vero quod suo malo magno sunt bellaturi contra eos: quia Deus puniet illas acerbe, quod est iudicare gentes illas: siquidem iudicis est punire delinquentes. Vnde pæna subditur. *Ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.* Quasi dixisset, postquā summa diligentia, & belli pompa, & apparatu armorum, bella inires, contra Iudæos meos cultores, & eos deturbaueris ex suis sedibus, ego vltionem sumam, de te, loquitur in numero singulari; quia innuit totum cætum gentium confinium terræ sanctę. Et hoc est quod ait, ibi ideſt in terra sancta deijciet Dominus principes, & magnates, vos. Palæstina. ¶ Nicolaus refert hunc locum, ad tempus Antichristi, vt sit sensus, quod Antichristus, promulgabit bellum, aduersus Christi fideles, & adornabit contra ipsos suas acies, vt superet eos. Itaq; hæc vatis verba referūtur ab ipso in persona Antichristi, at Antichristi pæna subditur. *Ibi occumbere faciet Dominus robustos, &c.* Ideſt Dominus dissipabit in Iudæa vires & potentiam exercitus Antichristi & rectè, quidem, exposuit ipse, si posset hæc expositio aptari prioribus verbis, quod quidem nisi fallor non potest satis aptari, nisi violenter aliquantulum aptetur. Etsi commodè conuenit cum clausula sequenti, videlicet. *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat*, si tamen hæc pericope, referatur ad iudicium finale vt prędiximus Cui tamen obstant, quia non omnes gentes orbis terræ ascedent in vallem Iosaphat, vt iudicentur extremo illo iudicio. Nanque Iudæa, vbi est vallis illa decliuior est multis partibus orbis, ex quibus gētes venientes ad iudicium non ascendent, sed potius descēdēt ad vallem Iosaphat, id quod forte ex maiori parte verum est, de gentibus in confinia illius terræ sanctæ incolentibus quod ascendebant quando Iudæam conscendebāt. ¶Quo circa videtur quod vsus sit vates, hypotiposi diuinis eloquijs consuetā, ad energiam videlicet orationis augendam, rem ob oculos ponere. Ideo ait consurgant gentes & ascendant, in vallem Iosaphat, in vallem inquam iudicij, id est veniant gentes, ad iudicium meum diuinum. Est autem hic dictio Hebræa Hemeg vel vt Hebræi huius æui proferunt Ameg. Pro qua transtulit, noster trāslator, vt & Græcus interpres vallem. Significat autem Hebræis profunditatē, vel profundum. ¶Vt iam sit sensus hic cōsurgite gentes, & venite ad iudicium Dei profundum, quod sane absconditum est à vobis. Nanque cum valde vos secure agetis, veniet & contra vos repentinus vester interitus. Sicut & de die finali iudicij prodi-

2. Petr. 1. *1. Thes. 2.* proditum est, dies Domini tanquam fur veniet, & epulantes, & conuiuantes, obruet repentina illa postrema calamitas, vt in diebus Noe, Matth. 24. Sicut igitur iudex suos reos congregat ad iudicium, & sedet iudicaturus, vel damnaturus eos, ita Deus ait per suum vatem se facturum, cōtra gentes, ad vindicandum sui populi iniurias: quas pro suis ducit. Per quæ omnia vt semel dixerim, nihil aliud intendit, nisi quod Dominus sit damnaturus gentes in circuitu terræ sanctæ degentes, ob causam commemoratam id quod typus est ventu ri iudicij finalis, vt prædictum est. *Mittite falces, quoniam maturauit messis, venite & descēdite, quia plenum est torcular: exhuberant torcularia.* Qui arbitrantur, caput hoc ad literam esse declarandum de finali iudicio, hunc locum exponunt, dicentes, verba hæc esse Dei iubentis angelis, vt mittant falcem, ideſt, vocent ad iudicium quia messis, ideſt, electorum numerus maturuit, ideſt, iam est completus, vnde in Matthæi. 13. legimus. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum, triticum autem cōgregate in horreum, vbi messem vocat Christus tempus iudicij, & messores vocat angelos executores diuini iudicij. Nā exibunt tunc angeli & separabunt malos de medio iustorum. Et rursus, cum comparat ibidem regnum cælorum sagennæ missæ in mare, ex omni piscium genere congreganti quam educentes, & secus litus sedentes elegerunt bonos pisces in vasa sua, malos autem foras miserunt. Cæterum, & si hæc vera sunt, non tamen videtur expositio hæc germana textui: siquidem hoc loco per messem, & per torcularia redundantia, non iustorum merita, sed iniustorum summam iniquitatem, subaudit vates, vt sequentia continuo aperiunt, subdit, quia multiplicata est malitia eorum. Itaque non agitur de præmio iustorum, sed de pœnis inferendis Moabitis, & Amonitis, Tyrijs, Sidonijs, &c. & alijs gentibus, confinibus terræ sanctæ. Ideo ait, maturuit messis torcularia sunt exundantia, ideſt, non est deferenda vlterius harum gentium punitio, quia iniquitates eorum iam peruenerūt ad malorum summum, vt quando messis maturuit, aut vua maturuit, non est differenda segetum sectio, & racemorum vindemia, vnde in Genes. 15. proditur Amorrhæorum, & aliarum gentium, necdum esse completam iniquitatem, ideo non esse tum expellendos ex proprijs sedibus. Et Threnorum. 4. Completa est iniquitas tua Sion, quia aderat tempus captiuitatis Babylonicæ. Et. 1. Regum. 20 Memoratur, scito quod completa est malitia eius, ideſt, decretum est vt opere compleatur. *Complementū peccati bifariam intelligitur in scriptura.*

¶ Itaque cum peccatum est adeò consummatum, quod illius punitio non est diutius differenda, completum dicitur in Scriptura: aut quando iam decretum est, vt opere exequatur, qui illud conceptum habet, vt de Saule traditur loco dudum indicato. ¶Istud igitur est, quod insinuatur modo per messem & torcularia plena, quod gentium illarum confinium Iudæorum terræ, non esse à Deo iam dilatandam punitionem, quia eorum peccata contra Iudæos, iam exundabāt. Ad hanc rationem item Theodoretus exposuit, etsi breuissimè & apud Abdiam, traditur Idumæos esse deuastandos, quia peccauerunt valde in fratres suos Iudæos. Et quidem si de die nunc iudicij ageretur finalis, nō solum de impiorum supplicijs, sed de piorum etiam præmio ageretur, vt Matth. 13. de zizania & tritico, & rursus de piscibus bonis & malis fit mētio, hosque eijciendos foras, illos vero in vasa reponendos. Vt zizanium esse deurendum, triticum vero congregandum in horreum refertur. ¶Quod vero ait, *Mittite falces*, verba sunt Dei, ad vltores, qui erant sumpturi pœnas de Moabitis, Idumæis, & alijs iam cōmemoratis gentibus. Nanque Babylonij, Assyrij, Ægyptij, &c. debellarunt prædictas nationes: & vlti sunt peccata quæ ipsi admiserunt in Iudæos. ¶Et falces vocat gladios, & alia bellica instrumenta, quibus in bellis agitur. Et vsurpatur modus pro modo, *Mittite*, pro mittetis, hoc est, ò vos Chaldæi, Assyrij, vos debellabitis nationes confines Iudæis, & per vos ego capiam vltionem de peccatis eorum. *Populi, populi, in valle concisionis, quia iuxta est dies domini, in valle concisionis.* Defectiua est oratio, quasi diceret, ò quantum turbæ, quantumque tumultus, erit in valle concisionis, & vocat vallem concisionis, quam dixerat vallem iudicij, seu Iehosa-

phat. Enim vero quia iam decretum, & veluti decisum erat apud Deum iudicium de perdendis gentibus commemoratis, ideo vocat iudicium concisionem, vt etiam decreta, curiæ Romanæ, vocantur decisiones curiæ.

¶ In die igitur, quando vos gentes dabitis pœnas de malefactis vestris contra populum meum erit multa confusio populorum vestrorum, multusque tumultus vt solet accidere irruentibus violēter hostibus in gentem aliquam omnia enim id temporis sunt deturbata, & plena confusione, & horrore. *Iuxta est dies Domini*, breui aduenier vobis calamitas summa, & deuastatio, de die Dñi supra, satis memini mus. *Sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Defunctis vita neq; sol, neque luna, neq; stellę lucent, significare igitur volens vates magnā futuram defunctorū in bello stragē, ait, *Sol, & luna, &c.* vel vt supra dicebamus, phrasim esse Hebræam, calamitosissimos diès vocare volentes Hebræi, hoc loquēdi vtūtur tropo, *Sol & luna*, &c. Nanq; lux & claritas gaudium denotāt, vt tenebræ mœrorem. Vnde, signum lætitiæ sunt vestimenta candida, vt Grego. tradidit in homilia paschali, explicans cur angeli in vestibus albis, apparuerunt mulieribus visitātibus Domini sepulturam. Et vestibus nigris, se onerant, qui lamentātur defunctos. Et homines, mœsti corde solis charitatē, refugiunt & latibu latenebrosa quærūt, quia asserunt, se tenebrosa, habere corda, quando imbuti sunt doloribus, & angustijs, vnde Albertus elucidans hūc locū ait sol & luna tegitur, quando nulla claritas gaudij in maioribus vel minoribus inuentur. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: & mouebuntur cæli: & terra & Dominus spes populi sui.* Hæc si ad finale iudicium referas facilis est relatio, id enim tēporis virtutes cęlorum mouebuntur & stellæ de cælo cadent Matth. 24. & vt canit Ecclesia, in respōsorijs defunctorū cæli tūc mouendi sunt & terra. Quanquā vt aliquando admonui, tūc cæli quiescent à suis motibus, vnde dicet aliquis, si cessabunt à suis lationibus, canitur ab Ecclesia, quod cæli tunc mouendi sunt & terra, vsurpans locum hunc Ioelis? ¶ Respondetur, quod dubio procul cæli desistent à moribus suis, siquidem motus cęlestis, est per quem generationes, & corruptiones in hoc mundo sublunari perpetua serie texuntur, cessantibus quibus non est necessarius cælestis motus: tunc autem nulla erit generatio aut corruptio, verūtamen, quia cæli, mutabunt, tunc volubilitatem suam, in quietem æternam, ideo, trahūtur mouēdos vel quia in aerea regione quæ cælum item dicitur, magna erit nouitas, coruscationum, & apparētium stellarum. ¶ Cæterum vt filum prioris expositionis, contexamus, quā duximus esse magis literalem aduertendum est, quod in templo Salomonis, quod fundatum erat in monte Sion, era arca testamenti vel fœderis quærat in sancto Sanctorū, quod situm habebat, in abditissimo, templi loco, erat propitiatorum, quod ipsam tegebat fœderis arcam, & hoc propitiatoriū, erat tanquam sedes Dei obumbrata vtrinque, ex cherubinis se inuicē spectātibus. Vnde in Psalm. 79. Qui sedes super cherubim, manifestare corā Ephraim. Et inde Dominus, alloquebatur Pontificibus summis oraculo suo eos erudiens, de gerēdis in plebe, quādo opus facto erat, vnde ibi reputabatur sedere Deus, ceu iudex, & magister illius populi. Quo circa, quod ait modo Dominus de Sion rugiet insinuat, quod Dominus, tanquam iudex qui sedebat super cherubim, non ferēs amplius fraudes, & iniurias Idumæorum Moabitarum, &c. contra plebem, suam rugiet, tanquam leo, cuius rugitus stupefacit cætera animalia. Et ob hoc sæpe apud Oseam se contulit Deus leoni, rugiet igitur, hoc est, decernet contra prædictos, iudicium horrēdum, cuiū iam hic meminerat vates. Et quod sequitur. *De Ierusalem*, &c. repetitio est prioris. Theodoretus istud retulit ad tonitrua, quæ appellatur vox Dei in scriptura. 1. Reg. 12. clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuias. Ego vero pace eius dixerim, non video vt conueniat hæc textui, nisi dicamus deum exteruisse gentes prænominatas ex tonitruis factis Ierosolimę, quod qui volet recipiat. *Cæli mouebuntur*, figurata est locutio hæc, per cælos enim proceres illarum gentium, vt reges & principes, Idumæorum Moabitarum, &c. per terram vero ex promiscua plebe homines subintelligit; & quia omnes isti erant deturbandi, à suis sedibus, & perdendi, ideo ait cæli, &c. Et Dominus. Quia confusis, & perditis nationibus circūstantibus, vnicū refugiū se esse Deus demōstrauit Iudæorū, vindicās eorū iniurias quas acceperūt in iuste, à vicinis nationibus. ¶ Vnde dignissimū erat, vt in Dño Deo, ipse collocaret totam spē suā. Quoniam pauperū, idest debiliū ipse est adiutor, & oculos superborū ipse humiliabit. ¶ *Et scietis quia ego Dñs Deus vester, habitans in Sion, monte sancto meo.* Et scietis, quod is qui à vobis colitur in templo Salomonico, in monte Sion constituto, ipse est verus Deus vos saluans, & eripiens ab omni malo. Traditur, autem quod Deus habiter in Sion, & quod sedeat in templo suo, &c. Non quia ibi Dēus esset contentus & circumscriptus, vt nos sumus inhabitaculis, & sedibus nostris sed propter specialem operationem, quam Deus ibidem exercebat: videlicet magisterij docendo plebem per Pōtifices, degerendis in particulari; quando Deus, ibi consulebatur. Et item exercebat iudicis officiū; quia reputabatur, ibi sedere super cherubim, vt causas suæ plebis iudicaret, fouendo suos, contra tyrannidem aduersariorum. Nam ibidem petebatur auxilium à Deo & vindicta, contra aduersarios. Vnde traditur. 3. Regum. 8. Tu exaudies (subaudi preces supplicantium in templo), in cælo, & facies & iudicabis seruos tuos, condemnans impium. Et idem infra tu facies iudicium eorum. *Et erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.* Quidam istud autumant intelligendum, de Ecclesia triumphante, quippe in ea, non sunt commixti pijs impij vt in militante, cæterum, innuitur, ex hoc loco quod prius calcabatur Ierusalem, ab alienigenis, at post modum Dei munere, erat futura sacrosancta, & non polluenda impuris nationibus. Porrò cælestis patria nunquam fuit pollura, ab habitatione impiorum, quia pollutum non transibit per illam Apocaly. 21. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, vnde videtur potius referenda ad Ierusalem illam materialem quæ erat metropolis regni Iudaici, Et sensus est deuictis à vobis hostibus vestris, quæ sunt finitimæ nationes, non transibunt per terrā vestram infideles vos imperio, suo subdentes. Nam imperium infideliū sæpe polluit fideles vt nunc videmus Græcos, imperio Turcarum subditos, pollutam & non syncerā habere fidem. At dices & quidē istis tēporibus satis polluta est Ierusalē, quippequæ à Saracenis calcatur & Iudæi omnes polluti sunt, fidē Christi non recipientes. ¶ Respon. verba huiusmodi, & alieni non transibunt per eam amplius, esse subaudienda, si vos perstiteritis, in vera fide, & religionis diuinæ synceritate: Vt nos sæpè diximus supra. ¶ Quo fit, quod cum Iudæi, nō hæc præstiterint, ideo promissio diuina suspendit effectum suum. Nam etiam ante aduentum Domini polluebatur ex transitu gentium terra illa, quandoquidem erat subiecta Romano Imperio, cui quotannis pendebat tributa, vt ex ea angelica denarratione patet. *Et erit in die illa stillabunt montes dulcedinē, & colles fluent lacte.* Pro *dulcedinem*, est vox Hebræa עָסִיס Asis. quæ significat vinum dulce, quale mustum vel plotus dulcis ex vuis, vel alijs fructibus expressus est à verbo Hebraico Asas, quod interpretatur expresit, calcauit. Hæc autem verba, vt pleraque alià multa sanctorum vatum figurata locutione sunt habenda, iuxta illud aperiam parabolis os meum, vnde dixit Tertullianus hunc edisserēs locum aduersus Marcionem libr. 2. Aliaspecies erit, qua pleraque figuratè portenduntur, per enigmata, & allegorias, & parabolas, aliter intelligenda, quam scripta sunt. Nam montes leginus distillaturos dulcorem non tamen vt sapam de Petris, aut defrutum de rupibus speres quare per hæc variis verba abundantiam bonorum temporalium oportebit subintelligere. Hoc enim sibi vult destillatio musti, & lactis defluxus, vt & illud Exodi. 3. introducam vos in terram manantem lac & mel per defrutum intellige mustum valde decoctum per sapam vero, mustum non adeo decoctum, quod hispane appellatur arrope vini igitur, & lactis copia futuram hæc verba portendebant Iudęis. ¶ Quod si allegoriam desideras, sanè montes sunt Ecclesiæ primores doctores & prælati, & sacerdotes, isti in Ecclesia Christi stillant dulcorem, doctrinam enim euangelicam destillant plebibus fidelium, quę quidē suauissima, & dulcissima est, iugum ait meum suaue est, & onus meū leue. Hāc diuini verbi dulcedinem de gustabat Petrus quando Ioan. 6. dicebat. Quo ibimus Dñe, quoniā verba vitæ habes. Neq; alien⁹ erat ab hoc gustu regius

3. Reg. 8.

Exod. 25. & 26. ad. Hebr. 9.

Allegoricus sensus.

Matt. 11.

ille Propheta, dicens quam dulcia fauci-
*Psal.*118. bus meis eloquia tua super mel ori meo.
*Psal.*18. Et rursus dulciora super mel & fauum.
¶Et quidem prompta est obiectio, quid obsecro sancte vates, dulcia vocas elo-
quia Dei? num legem illam Mosaycam dulcem vocitas, quæ testante Petro, iu-
gum intolerabile erat, quod neque Apo-
*Actor.*15. stoli, neque maiores eorum portare pote
rant? Sanè non ob hoc Dauid, commen-
dabat de dulcedine eloquia illa Dei: sed quia Dei afflatus spiritu, in eloquijs illis veteribus, præsentiebat, Christum ventu
runt, doctrinam eius euangelicam, in-
veteribus illis vmbris prægustabat: ideo
aiebat dulcia sibi eloquia Dei super mel & fauum. An non dulcia recte dicebat, eloquia Dei quæ promittebāt Messiam venturum, qui esset referaturus clausi re-
gni cælestis fores, & confracturus esset vincula limbi, admodum morosa, & de-
ducturus animas sanctas, Dauidis, & alio
rum sanctorum in lucidas angelorum se-
des? Dulcorem item gustabat diuini ver-
bi Ezechiel. 3. Qui librum ab eo deuora-
tum commemoratur sibi dulcem fuisse instar mellis. Nam spiritus Domini super mel dulcis, Eccles. 24. ¶Gustant autem huius doctrinæ dulcedinem non omnes, sed qui expurgatum habent palatum, mentis à vitijs, & concupiscentijs. Enim uero ægrotus, qui palatum habet infectū humore cholerico, sacarum si degustet amarum esse dijudicabit. Et vertit pala-
tum ægrotans, dulcia in amaritudinem.
Hæretici dulcedinē diuinæ doctrinæ vertunt in amaritudinem suæ hæreseos.
¶Et huiusmodi sunt hæretici, omnes qui diuinæ sapientiæ euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ dulcorem, suis argutijs, & vanis glossematibus, vertunt in amaritu-
dinem suarum hæreseon. In quos facer vehitur, Isaias capit. 5. dicens, Væ vobis, qui ponitis amarum in dulce, & dulce in amarum. Quippe amaritudinem suarum hæreseon, tradunt esse apostolicam do-
ctrinam, & ecclesiasticam doctrinā, quā apostoli, & successores, ab exordio na-
scentis Ecclesiæ docuerunt tradunt esse hæreticam. Vt non longè ab hac ætate nostra impudens, blasphemat Lutherus. Porrò insultat quispiam, dicens, & quid tu vocas dulcedinem, quod catholici do
ceat confitendum esse vocaliter, confessa rio nudandum esse conscientiæ arcanum item obiectabit aliquis, nihil dulcoris ha bere doctrinam, tradentem inimicos esse diligendos, id quod euangelica est præce
ptio: & alia hoc genus sunt quam plurima. ¶Veruntamen hæc omnia vnico ver bo soluuntur, Dominum veracissimè di-
xisse, Iugum meum suaue est, &c. Enim vero spiritus est qui adiuuat infirmita-
tem nostram, Roma. 8. & sufficientia no-
stra ex Deo est 2. Corinth. 3. Quod sio-
nera superant vires nostras natiuas, non superant vires nostras supernaturali Dei fauore, fotas. Nam si cui præciperetur, vt lapidem grandem reuolueret, & suam ex
cusaret imbecillitatem, at præcipiens, ex hiberet adiutores, quibus facilis esset re-
uolutio, vtique, etsi onerosa erat præce-
ptio, & intolerabilis, at ex adiutorio fa-
cilis redditur, & admodum tolerabilis, ita dicito in proposito.
¶Sanè sancti, qui iam coronis triumpha-
libus fruuntur in cælo, dicunt Eccles. 51. Modicum laborauimus, & ecce multam inuenimus requiem. Cur ita? beati, mo-
dicum ne est vos, & vestra alinegare? mo-
dicum ne est, in carne viuere, & non se-
cundum legem carnis? Modicum ne terre-
ni cum essetis, terrena despicere, & cæ-
lestibus inhiare? Modicum ne est, quod est summum omnium, mortem occum-
bere pro Christo, & vniuersa visibilia ob illius amorem despicere? Nimirum mo-
dica, hæc arbitrantur beati collata ad ma
gnitudinem præmiorum, quibus sunt do
nati. Amara igitur ne dixeris, quæ tanto-
rum gaudiorum dulcedinem pariunt. Vt neque laboriosa iudicantur, quæ ad tam immensam requiem, nos promouent. Mi
lites enim cum obtenta victoria opi-
mis fruuntur spolijs, militarium labo-
rum, & periculorum obliuiscuntur: & ea nihil esse ducunt, quando ouantes de ho-
stibus triumphant. Et qui maria traijciūt, vt Indos petant, maris acerbissima peri-
cula, negligunt, modo auro, & argento Indico expleātur: & demum nullus tam difficilis rigidus ve est labor, qui dul-
cedine sperati præmij non mitescat. Ex quo fit vt dulcis sit dicenda Christi do-
ctrina, & suauis, quæ immensum gloriæ pondus operatur in nobis, vt Paulus te-
statur 2. Corinth. quarto.
¶Accedit eodem, quod non solum mon tes prædicti dulcedinem stillant, doctri-
næ euangelicæ, sed etiam stillant dulce-
dinē eximiam, administrantes plebi chri-
stianæ, Christi, & ecclesiæ sacramenta.

Nam

Nā quæ obsecro dulcedo maior homini contingere poterit, qui cum esset laqueis infidelitatis irretitus, & peccati profun-
dissimis tenebris obrutus, at per baptismi quem suscepit gratiam, infidelitatem de ponit, & tenebras peccatorum à se excu-
tit, & ex filio Satanæ, se transfert in fi-
lium adoptiuum Christi. ¶Et rursus fi-
deli quanta est dulcedo, qui cum esset in amaritudine suorum peccatorum lapsus à baptismali gratia, at per sacramentum pœnitentiæ, quasi per secundum baptis-
mum (hac nanque nomen clatura appel-
Pœnitentiæ sacramentum secundus baptismus. litabant patres pœnitentiam, vt ex con-
cilio Trident. Sessio. 14. liquet) renoua-
tur, & restauratur ad Dei amicitiam, quā amiserant. ¶Et demum omnia Christi sa-
cramenta sunt velut mōtes stillantes dul cedinem diuinæ gratiæ. Omnia ecclesiæ sacramenta conferunt ritè suscipientibus gratiā gratum facientem, cui omnis dul-
cedo collata, terrena amaritudo est cen-
senda. *Et colles,* per colles, laicos si intelli gas non errabis, nam vt colles sunt humi
liores montibus, ita status laicalis est infe
rior statu ecclesiastico. Enim vero, om-
ne agens quatenus est agens, nobilius est patiente, status autem ecclesiasticus est status agentium, siquidem sacerdotum est docere plebes sibi concreditas, & in-
struere in diuinis doctrinis. Vt in Mala-
chia traditur labia sacerdotis custodiunt scientiam, & ab illo requirent legem Do
mini, item ad statum ecclesiæ pertinet di uinorum sacramentorū administratio: ad laicalem vero, etsi regalis sit, pertinet in-
struidiuinis, & sacramenta à sacerdoti-
bus suscipere. Lac autem rectè, vt ex Pau
1. *Cor.* 3. lo colligitur est doctrina, infirmis apta: lac inquit dedi vobis, & non escam, non poteratis, in Ecclesia autem Dei colles fluunt lacte, siquidem infirmiores a-
bundant doctrina sibi congrua ad salu-
tem. *Et per omnes riuos Iudæ ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Loco huius spinarum Hebraicè, habetur Setim. Est autem Se-
tim locus in campestribus Moab, non procul à Iordane, & Phegor monte. Vnde Iosue misit exploratores, explo-
raturos Ierichontis regionem Num. 25. Vbi fornicatus est populus Hebræus cū filiabus Moab, quia se initiauerunt sacris immundis Beel Phegor, & dederunt pœ nas suæ idololatriæ: interpretatur autem Setim flagella, expansiones, vel spinæ, item Setim vocari torrentem, qui iuxta oppidum prædictū fluit, cuius meminit modo Ioel. Cum autem scribitur per aspi
rationem Sethim, lignum significat, ex Hebræorum placito cedrinum electum. Exodi. 25. Tametsi Hebra. etiam legi-
tur pro arbore siue spiritu Setim. Verba igitur vatis abundantiam frugum pro-
uenturam Iudæis, significat. Enim vero terra Sancta, laborat penuria aquarum, cum igitur illi pollicetur aquarum co-
piā, fructuum terræ copiam, insinuare va tes intendit. Quod vero, subditur. *Et fons de domo Domini egredietur, &c.* Videtur diuinæ misericordiæ largitatem, conce-
dendam esse, eam petentibus tūc in tem-
plo Dei. Nanque sæpè scriptura Deum vocat fontem, propter exuberantiam perpetuam, suorum donorum: derelique runt inquit, per Ieremiam 22. Fontem aquæ viuæ. Et in Psalmo 4. Sitiuit ani-
ma mea ad Deum fontem viuum. Placa-
to igitur Deo per pœnitentiam Iudæo-
rum ait, Egredietur fons de templo, id est Dominus, qui sedens in templo suo puniet gentes aduersantes suis fideli-
bus, ipse, concedet affluentia dona, co-
lentibus eum in templo sancto suo. *Quod vero sequitur & irrigabit, &c.* Difficilem habet intellectum, nisi dicatur per hy-
perbolen esse accipienda. Vt sit sensus, tanta erit copia aquarum, vt etiam possit rigare arentem torrentem spinarum, qui est iuxta oppidum Setim, qui forte ex eo appellatus est spinarum, quia ob sui ariditatem, non progenerabat nisi spino-
sas herbas, ¶Aut secundo, per torren-
tem istum intelligenda est gentilitas ait aptè congruit, appellatio Setim. Siqui-
dem vt diximus *Setim* interpretatur, ex-
tensiones, flagella, & spinæ, quæ omnia congruunt gentilitati. Quando rectè di-
xeris expansiones esse, siquidem fere to-
tus orbis tunc erat gentilium delusus er-
rore; adorans falsos Deos. Rursus, quia Paulus ait, Roman. 1. Deum tradidisse gentes in passiones ignominiæ, vt per- *Roman.* 1.
uerterēt in coitu naturæ ordinem, ideo aptè dixeris gentes flagellatas esse à Deo vehementer. Nam nullum maius Dei fla-
gellum, quam Deum peccatum punire altero peccato. Et demum quia vulnera-
tam, & vlceratā gerebant conscientiā spi nis grauissimorū peccatorū idololatriæ;

Sodomiæ, & reliquorum, ideo nihil formides gentes appellare torrentem spinarum. Nationes igitur gentium, fons sacer, rigat qui egreditur de templo sancto Dei, quod est Ecclesia catholica, qui est fons vitalis, scilicet, vitæ æternæ, vtique mirabiliter eas irrigat, & irrigando eas fœcundat. Nempe baptismale lauacrum, quod spinas gentilitatis euulsit, & plantauit in ea flores & fructus vitæ æternæ. Itidem & Ezechiel 47. Vidit aquas redũdantes egredi de latere templi dextro.

¶ Vnde ecclesia in responsorijs Dominicalibus inter paschale festum, & Pentecosten, canit, vidi aquam egredientem, de latere dextro, & omnis qui biberit ex aqua saluus erit. Siquidem eo tẽpore quondam in Ecclesia frequentabatur baptismus. *Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis*, istæ nationes finitimæ erant terræ sanctæ: vt aliæ item commemoratæ. Et exponit igitur nunc vates quales luent pœnas nationes istæ, quia acerbè afflixerunt Iudæos diuini numinis cultores. Videlicet quod Ægyptus desolabitur, & Idumæa, erit in desertum.

Describũtur Idumæa, & Ægyptus.

¶ Est autem Idumæa, quam Hebræi vocant Edom, quod fuit cognomẽ Esau Genes. 25. Est autem Idumæa nomen regionis 3. Regum 11. Hæc autem est in Syria, ad meridiem Iudææ sita. Habet Arabiam ab austrõ, Phœniciam à Borea. Item vocatur Gabalene, & Amalechitis, ab Amalech, vt Iosephus lib. 2. antiq. cap. 1. indicat. Tametsi Iosephus lib. 5. capit. 3. antiqui. duplicem affirmat esse Idumæã, & superiorem & inferiorem. superiorem elegit tribus Iudæ, quæ in longum extenditur vsque ad Ierosolymam, latitudinem vero habet vsque ad paludem Sodomæ. In hac autem erant ciuitates Ascalon, & Gaza. Istam autem Palæstinam, aliàs esse dicunt, & forte de hac meminit modo vates. ¶ At vero inferior cessit in sortem tribui Simeonis, hæc circa Ægyptum est, & Arabiæ montem. Porro Idumæi non permiserunt transitum filijs Israel, per regionem suam Numer. 20. Saul hos expugnauit 1. Regum 14. Dauid autem Edomitas siue Idumæos in suam redegit seruitutem. Et nunc vates comminatur illis desolationem. Interpretatur autem Idumæa ruffa. ¶ Ægyptum autem vocitant Hebræi Misraim, & interpretatur angustiæ, siue tribulationes. Quæ sita est ad occidẽtem Iudeæ. Ab oriente vero habet Assyriam, & mare rubrum. Ab occidente habet Lybiam, & Cyrenen, à meridie vero limitem, qui Siennem ab Æthiopia diuidit atq; oceanum à Septentrione mare magnum. Sinumque Arabicum, irrigatur autem fluuio magno Nilo. Huic nobilissimæ prouinciæ item desolationẽ, minatur vates, & subditur causa, *pro eo quod iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.* Rependam vicem Ægyptijs, & Idumæis, eo quod intulerint iniurias Iudæis cultoribus meis. Ægyptij violenter oppresserunt Iudæos, at Idumæi fraudulenter agebãt in eos. Allegoricos autem per AEgyptios, adumbrari credunt quidam, tyrannos principes: qui Sanctos martyres violenta morte, de medio abstulerũt. Per Idumæos vero hæreticos, qui corrumpentes sensum rectum scripturarum fideles auertũt à vera fide Iesu Christi, & hos omnes vertendos docet vates in desolationem, qui tandem omnis potestas, & fraudulentia peribit, & regnabit Dominus solum cum sanctis eius in diem iudicij. *Et Iudæa in æternum habitabitur.* Pro æternum in Hebræo, est *Olam*, quæ dictio significat æternum, aut longum tempus, siue seculũ. Vnde sensus est, q; repensa iniuria AEgyptijs, & Idumæis cultores Dei, qui temerè fuerant ab eis, afflicti, in pace habitabunt Iudæam per longum tempus: nisi eorum subsequens, impedimẽto sit culpa, quo minus, eam multo habitent tempore. Qui referunt sensum ad diem finalem Iudicij, per Iudæã, & Ierusalem, subaudiũt ecclesiam triumphantem, hæc subactis mundanis & iniustis hominibus, quos subiget tunc Christi potestas, dicẽs, Ite maledicti in ignem æternum, habitabit cælestem patriam in æternum. Nam Iudæa interpretatur confessio, vt Ierusalem, pacis visio. Quæ congruunt cælestium habitationi. Sancti enim confitebuntur in æternum Deum, confessione laudis, & videbunt diuinam claritatem, quæ erit visio infinitæ pacis. *Et Ierusalem in generatione, & generationẽ*, repetitio est prioris. *Et emundabo sanguinem eorum, quos non mundaueram, & Dominus commorabitur in Sion.* Per sanguinem subaudi iniurias, & vexationes iniustas, quas AEgyptij, & Idumæi, & aliæ finitimæ nationes intulerunt Iudæis.

Duplex Idumæa Iosepho Palæstina quæ.

¶ Tunc

¶ Tunc autem Deus emundat sanguinem, quando dignas sumit de iniuriam inferentibus pœnas. Quippe tunc satisfit passo iniuriam, quando vindicta, de iniuria sibi illata sumitur. *Eorum* est relatiũ sine antecedente, vt sæpè accidit in scripturis. Quanuis igitur Deus videatur, ali quando conniuere facinorosis, dissimulans eorum facinora, vt inducat eos ad resipiscentiam, at vero tandem pœnas sumet de ipsis: & circundabit illatas iniurias. Si autem ad diem iudicij libet referre, tunc emundabit Deus sanguinem sanctorum suorum: quia impij dabunt tunc pœnas æternas, & anima & corpore, de iniurijs factis sanctis. Et quanuis iam torqueantur in inferno animæ eorum: at vero corpore non torquebuntur in illum vsque diem. ¶ Aut hoc dixit Ioel, quia tunc omnibus patebit vindicta, quam Deus accipiet de impijs hominibus, propter iniurias illatas suis sanctis: ideo ait, emundabit sanguinem. Nanque sæpe in scriptura tunc dicitur res fieri, quando cõstat factam esse. Vnde dicent tunc impij de sanctis Dei. Nos reputabamus vitam eorum insaniã, & finem sine honore: ecce quomodo cõputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Sap. 5. Quia re vera terreni principes, affligentes martyres, & sanctos alios Dei, ducebant eos esse insanos, vnde aiebat Paulus, nos 1. Corinth, 5: stulti propter Christum. Et rursus, predicamus Iesum Christum Iudæis quidem scandalum gentibus autem stultitiam: & demum euangelica vita infidelibus omnibus est insania. ¶ At vero id temporis palam fiet, quod impiorum vita fuerit insania & lætabitur iustus cum viderit vindictã suorum hostium & lauabit manus suas in sanguine peccatoris, id est lætabitur de pœnis impiorũ. Vnde ibidem ait, Sapien. 5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum. *Et Dominus commorabitur in Sion.* Id est pacificè colet Dominus à suis cultoribus in Sion: & sacerdotes & ministri Domini, consueta Domino offerent sacrificia, quorũ oblatio pacifica impediebatur ab Ægyptijs, & cæteris finitimis, bellis, & iniurijs torquentibus Iudæos.

Finis Explicationis in Ioelem.

EXPLANATIO IN DEI VATEM AMOS EDITA À MAGISTRO MICHAELE DE PALACIO.

Prologus in Amos Prophetiam.

AMOS Propheta, & numero Prophetarum duodecim tertius ex pastorali officio, fuit ad Prophetalem dignitatem diuina gratia promotus, vt etiam Dauid de post fœtantes fuit à Domino, & prophetico lumine illustratus, & ad Regiam celsitudinem sublimatus. Imo & Abraham, Isaac, & Iacob, pastores cum essent ouium, & quibus occupati negotijs, item luce prophetica fuere donati. Vnde de Abraham Genes. 20. legitur, Propheta est, & orabit pro te. Et Genes. 27. Isaac spiritu prophetico prætulit Iacob, Esau. Et Genes. 49. Iacob filijs suis iam iam moriturus prædixit ventura eodem spiritu prophetico præditus. ¶ Vt & Moses Exod. 3. minans gregem ouium in desertum fuit mirabili spectaculo, deterritus & ad prophetandi munus item ascitus ipso dicente, Prophetam de gente tua, & de fratribus suis sicut me suscitabit tibi Dominus. Deuter. 18. Vt enim Deus Apostolos, non proceres seculi elegit, sed piscatores, & telonearios, vt scilicet Apostolicum munus nemo referat in naturam, sed Dei speciali tribuat muneri: Ita quoque prophetandi munus, vt nemo tribuat vel mundanæ sapientiæ, aut stemmatibus, & imaginibus maiorũ prophetiam, sed solum diuinæ gratiæ imbuenti mentem hominis, prophetiæ claritate: idcirco pastores & idiotas elegit, ad hoc munus obeundum, vt Amos vatem fecit, ex Tecuano pastore. Etsi cum ipse sit Deus omnium, & nobilium, & ignobilium, item nobiles non reijcit: Vnde Isaiam stemmate regio clarũ, eodem munere est dignatus. ¶ Fuit autem Amos, hic non parens ille Isaiæ, est Epiphanius Episcopus Constantiæ, Cyprianus lib. de vitis Prophetarum, istud asserat. Amos hunc fuisse parentem Isaiæ: Cæterum reclamat ipsa Veritas. Nanque Isaias fuit regio genere illustris, vt nos in dilucidationibus ad Isaiam disseruimus, hic autem fuit armentarius: vt ipse de se testatur infra. ¶ Accedit eodem, quod

Amos, Amozt.

Amos, qui fuit parens Isaiæ scribitur in principio per Aleph & in fine per Zade. At vero Amos hic armentarius in principio scribitur per Ain, & in fine per Samech. Vnde etiam variam sortiuntur interpretationem. Nam Amos, Isaiæ pater interpretatur robustus, & Amos vates, hic auulsus. Genus autem huius fuit ex trib. Zabulon deductum, vt Epiphanius loco citato, & Isidorus Hispalen. Archiepiscopus lib. de patribus, tradiderunt: fuit patria Tecuanus. Tecue autem distat à Bethlehemitico oppido, sex milliaribus testantibus supradictis autoribus. Vbi est diffusa planicies vegetandis pecoribus aptissima. Ideo illam colebant pastores, quia pastorali suo obeundo muneri erat vtilissima Tecuana camporum illa latitudo, alioqui frugibus ferendis inepta. ¶ Fuit coætaneus Isaiæ, & Osee, Ionæ, Naum, & Ioel, &c. quia vaticinia sua edidit, sub temporibus Oziæ Regis Iuda, & sub Ieroboan filio Ioas Regis Israel. Et aptè concinit nomini prophetica, qua donatus est scientia, Siquidem interpretatur Amos, auulsus, vt dudum aiebam: at vero auulsi à seculi negotijs, sunt digni diuina scientia, quæ inquit Isaiæ 28. docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Respondet ipse ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus, vel si interpreteris onerans, cõgruit illi nomen, quia maximum indixit onus Israelitis,

raelitis, vt patebit infra. ¶ Nimirum vbera sunt, quibus mundani lactantur, seculi, honores, & deliciæ, atque diuitiæ: vnde qui istis immersi sunt, non donantur diuinorum scientia: at vero ab istis auulsi, & ablactati, idonei sunt, qui diuina sciant, & Dei scrutentur mysteria. Vt Amos auulsus à mundanis rebus se inseruit diuinis callendis secretis. Hũc Amos Amasias sacerdos multis affecit in Samaria vbi prophetabat iniurijs, & tandem filius Amasiæ Ozias vecte tempora Prophetæ transfixit. Vt Hieronymus in præfatione ad Amos, & Epiphanius, & Isidorus meminerunt. Etsi scriptura, solum meminerit Amasiam reprehendisse Amos vaticinantem contra Ieroboan, vt infra cap. 7.

ARGVMENTVM IN Amos prophetiam.

HABET Amos argumentum commune cum cæteris sacris Dei vatibus. Siquidem ipsis vnum est institutum, nempe taxare peccata eorum, quibus vaticinia ediderunt, & prædicare illis, vt resipiscant à sceleribus suis: vt ex digna pœnitentia Dei quam læserant amicitiam sibi denuo concilient. Prophetat autem contra gentes finitimas Israelitis, deinde contra decem tribus, & tertio contra tribum Iuda: contra regnum, scilicet Iuda, & contra Salomonicum templum. ¶ At vero, primo sumpta est vindicta, de decem tribubus, & dein de tribu Iuda, & tandem pessundatæ sunt gentes. Postremo, prædicit regnum Christi: id quod vt supra memorabatur, est scopus omnium sacrorum vatum. Omnes enim prophetiæ, summum autorem prophetarum Christum, spectant.

INCIPIVNT EXPLANATIONES in Amos Prophetam à Magistro Michaele de Palacio.

CAPVT PRIMVM.

VERBA *Amos qui fuit in pastoralib⁹ Tecuæ.* Hebraicè, qui fuit inter armentarios de Tecoa. Et in correctioribus Biblijs, non pastoralibus, sed pastoribus habetur, id est qui fuit in numero pastorum, qui in Tecoa pascebāt armenta sua. Et pater, quid sit Tecua, territorium, vel planities latissima camporum, segetibus infœcunda, & herbis, & graminibus abūdans, vegetandis pecoribus, commodissima. *Tecua planicies valde diffusa.* ¶ Cur autem elegerit pastorem hunc Deus & reges, & proceres aut illustres sapientia neglexerit viros, diximus in prologo. Et demū, hoc est diuini instituti infirma huius mundi eligere, vt fortia confundat. Pastorem igitur gregum delegit Deus, vt illum constitueret animarum pastorem. Namque Prophetæ, sunt pastores mentium, tantisperdum peccata carpunt, & pœnitentiam commendant. Et non solum tunc pauit iste sua prophetia, animas verbo Dei, sed quotidie ipse cum suis collegis vatibus, pascit mentes fidelium omnium, vt etiam Petrum ex piscatione, subduxit Christus, ad apostolatus primatum, dicens illi ex hoc & piscaberis homines. *Prophetæ sunt pastores animarum.* *Verba quæ vidit,* dicet continuo aliquis verba non videntur, sed audiuntur, qua igitur ratione, ait, quæ vidit? Respon. phrasim esse consuetissimam Hebræis, per verbum intelligere ipsum gestum, aut ipsam rem vt supra est à me annotatum iuxta illud, non fuit verbum in domo Dei, quod non ostēderet, Ezechias nuncijs Chaldæorū, id est nihil rei fuit in templo, quod nō palam faceret Ezechias Chaldæis. *Isai. 39.* Et sæpè aliàs, vnde sensus erit, verba, id est, visa, vel spectra quæ vidit Amos super Israelem, id est, dispositiones diuinæ, & ordinationes, quas vidit Amos contra Israelitas, seu cōtra decem tribus. Aut secundo respondebis, sensus exteriores, esse diuisos in carne nostra, itemque interiores, aliud est visus, aliud auditus, &c. at vero, in mentem, cum sensus trāsferuntur, vt quando mente dicimus videre, gustare, audire, &c. hæc omnia in mente idem sunt, solo nomine discrepāt. Quo circa, ait vates, se vidisse verba; quia visio, hæc mentalis erat, & hæc visio item est auditio, perceptio nanque visorum, est visio, & auditio, &c. Eodem modo loquitur Isai. 2. verbum quod vidit Isaias. Et Iere. 1. videte verbum Domini. ¶ Aut tertio dices visum esse excellētissimū sensuum. 2. de anima, quia plures nobis rerum differē tias demonstrat; ideo visum transferimus in alios sensus, vnde Dominus palpate & videte; quia spiritus ossa nō habet. Et rursus; quia vidisti me Thoma, &c. Vbi tactum appellauit visum. Ideo in vulgato sermone, eadem est loquendi phrasis, dicimus enim videte, quæ vobis verba dixerim. Et vide vt optime sonat cymbalum, &c. *In diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboan filij Ioas, Regis Israel.* Signat tempora Regum sub quibus prophetauit, vt certitudo suæ prophetiæ, omnibus sit indubitata. *Ante duos annos terræmotus.* Ex tat quorundam placitum, hunc terræmotum fuisse, illam templi commotionem ex qua limina tēpli Salomonici sunt permota quando Isaias. 6. capit. vidit Dominum excelsum, & eleuatum: verum hoc placitum stare nequit. Siquidem, huiusmodi commotio, non appellatur ibi terræ motus, sed templi motus. Et præterea; quia, si cōtendis fuisse terræmotum, quia templum

templum fundatum erat in terra, fatearis oportet quod accidit post mortē Oziæ. Vt Isaias testatur, dicens, in anno, in quo mortuus est Ozias, vidi Dominum, &c. At vero terræmotus hic, de quo fit à vate mentio fuit viuente Ozia, vt probat locus Zachariæ 14. Sicut fugistis ait, à facie terræmotus, in diebus Oziæ regis Iuda. ¶ Scribitur autem 2. Paralipo. 26. Quod hic Ozias, insolescens victoria cōtra suos hostes habita, ingressus est templū Domini, & tentauit adolere Deo thura, super altare Thymiamatis: vsurpant sacerdotale munus; propter quod lepra fuit infectus, & eiectus à templo: & terræmotus item accidit, in testimonium tanti sceleris. Quem terræmotum hic vates præuidit futurum, & ideo ait, biennio ante terræmotum. Hunc autem Sacra scriptura annalium Regum, non commemorat, sed solum hic vates. *Et dixit Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est vertex Carmeli.* Priora verba exposuimus Ioelis 3. Etenim Dominus ex propitiatorio dabat responsa, & vt dixit in Sion, reputabatur Deus sicut sedens, iudex, vt vindictam decerneret, contra impios, & præmia pijs. Ideo ait rugiet tanquam leo, quia iudicium à Domino proferendum erat futurum grauissimum contra Israelitas: videlicet ipsos fore captiuādos ab Assyrijs. *De Ierusalem dabit vocem suam*, per prophetas suos proferet iudicium: est que repetitio prioris. *Lux erunt* pro lugebunt speciosa habitacula pastorū, & exiccabitur vertex Carmeli. Metaphorica est locutio, id est, pulcherrima omnia vestra siccabuntur: id est pessundabuntur. *Quid Carmelus.* Est autem Carmelus mons, & duo exprimuntur Carmeli in scriptura, alter Tyriorum frugifer, maximè vini, excelsusque valde, in Galilæa, non longè à Ierusalem, in tribu Asser. Ideo traditur Genes. 49. Asser pinguis panis eius, propter fertilitatem terræ, quæ illi obtigit in sortem. *4. Reg. 18. Isaiæ. 33.* Et situm habet iuxta Ptolemaidē ciuitatem, & mare, Iosue. 19: hunc montem frequenter versabat Elias: & Nabal habitabat in monte hoc 1. Regū. 25. *Lege Iosephum lib. 3. de bello Iudaï.* huius est frequentissima mentio in scriptura. Et de hoc monte, verba ista Amos sunt audienda. *Cantic. 7.* Est autem alter Carmelus in Iudæa qua itur in AEgyptum ad meridionalem plagam, de qua Isaiæ 23. & Iosue 15. Quia igitur Carmelus memorata fertilissima erat, dicens, Amos siccandam fore, subaudit extremam miseriam imminentem Israelitis ex captiuitate Assyriaca. Siquidem Assyrij vniuersum Israeliticum regnum pessundederunt. *Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum: eo quod triturauerint in plaustris ferreis Galaad.* Vindicta Dei super sceleribus gentium finitimarum Israelitis. Exorditurque vates, videlicet contra Damascenos, est autem Damascus metropolis Syriæ, deinde contra Philistæos, quorum metropolis est Gaza. Tertio, cōtra Tyrios. Quarto, contra Idumæos. Quinto, contra Amonitas. Sexto, contra Moabitas. Septimo, contra regnum Iuda, quarto tandem contra regnū Israeliticum, quod id temporis iam diuisum erat à regno Iuda. *Nationes finitimæ Israelitis.* ¶ Et quidem verba ista Amos sunt satis difficilia: nam præferunt, post acceptam peccatorum donationem semel, atque iterum, & tertio, non esse locū amplioris donationis. Ait enim *super tribus sceleribus super quarum non conuertar.* Et videntur verba Hieronymi in prologo, ad hunc prophetam primo præfixo, hoc idem præ se ferre. Super tribus impietatibus, inquit, super quatuor, non conuertam eum. Tertio indulgentiā peccatorum dare posse significat: quem quarto, eadem peccata admittentibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiam daturum annuntiat. *Dura verba Hieronymi.* ¶ Nam per ignis similitudinem, quem in prædictas gentes mittendū præ dixit grauem, atque irreuocabilem Dei iram, ad euersionem earundem ciuitatum processuram, voluit demōstrare, hæc ille. ¶ Vbi vides Hierony. verba durissima, Deum quarto repetentibus idem crimen non concessurum pœnitentiam, neque indulgentiam. Et capit. 5. infra prophetæ verba huic quoque placito suffragari videtur. Cecidit inquit, virgo Israel, & non adijciet, vt resurgat igitur post lapsum iteratum tertio, vt cap. 1. exponitur, non est locus veniæ: vt scilicet peccator resurgat per pœnitentiam à lapsu suo in culpam. ¶ At glossa ordinaria, quæ fertur Strabi, locum hunc eodans refert ad tropologiam, primum ait peccatum, est in cogitatione, secundum in consensu, tertium in opere, quartum vero est de prædictis non pœnitere. ¶ Qui ergo, de præfatis culpis pœnitet, Dei clementiam sibi conci-

conciliat, qui vero non pœnitet iam quato peccat, & Dei clementiam à se fugat.

Nullũ est peccatum sine deliberatione.

¶ At vero, peccatum cogitationis nullum est, nisi deliberationis consensus accedat quippe motus primi, culpabiles nõ sunt, non enim subsunt libero arbitrio. Nanq; fieri nequit, quin visis tangamur, id est ex visu, auditu, tactu, & ex aliorum sensuum apprehensione, necessario tangimur. Quo fit, quod si apprehensio sensualis imperetur à voluntate, vt videns mulierem ad concupiscendam eam, hic mœchatus est iam in corde suo, verum si visio à voluntate non imperetur, aut si imperatur, nõ gratia mali finis, vtique si hoc non obstante, ex apprehensione sensuali, titillatur mens ad malum titillationẽ illã inculpatam iudicabis, si rectè iudicaueris, nisi nouus illi consensus deliberatus accedat. Quia quanuis non fuerit prius imperata à voluntate fuit nihilominus postea voluntati grata. Iam ergo cogitatio sola cũ sit naturalis, inculpata est: non ergo sunt tria illa peccata secernenda. Nam si voluntatis approbatio, accedat iam est peccatum consensus. ¶ Accedit eodem quia peccatum consensus, si pœnitentia purgatur, etiam si in opus non prodeat, at verò peccatum cordis quod secundo loco enarratur, si non accedat pœnitentia, clementiam Dei fugabit; quanuis nõ sit in quarto loco constitutum, vt Strabus putat. ¶ Adde istis, quia Amos, cum ait super quartum non conuertar, subdit causam quare Deus ad quartum peccatum, non inclinabit vultum suæ misericordiæ. Quia inquit, (cum loquitur de Damascenis peccatis). Triturauerunt in plaustris ferreis Galaad. Et cum loquitur de sceleribus Gazeis, subdit causam, cur ad quartum non se cõuertet eo quod transtulerint captiuitatẽ perfectam. Non ait, quia non pœnituerunt, eo non conuertar, sed propter causas expositas à vate, & ita, est videre in cæteris causis. Præterea, quia non ait super tribus conuertar, imo ait super tribus, & super quatuor nõ conuertam subaudi eum, & refert Damascum vt sit sensus, super nullis conuertar, siue tribus siue quatuor vt postea elucidabitur. ¶ Alij vero, vt Armacanus, in quæstio. Armenicis ex verbis prædictis, accepit occasionem, errãdi turpiter. Credidit enim Deum concessurum peccatori pœnitenti vsque ad certum peccatorum numerum, veniam, at vero, transgrediens hunc numerum, occlusam habet & pœnitentiæ, & veniæ, ianuam. ¶ Et fulcrum, aut columen huius placiti quod habuit, aliquando sectatores, est verbum Dei super tribus sceleribus, & super quatuor nõ conuertar. ¶ Benedictus Montanus in cõmen. ex nomine ipso Hebraico, quod interpres noster, est interpretatus sceleribus, ipse vestigat, huius loci Explanationem. Est autem Hebraica vox Pashgh quæ vox significat defectionem, præuaricationem, seu quod Theologi vocant delictum, à verbo Pashgh, quod interpretatur rebellauit, vnde credit tria esse genera peccatorum, seu defectionum id temporis communia omnibus infidelibus, videlicet idolorum cultura, & incestus seu turpitudo coitus, & homicidium. Ista enim crimina sunt grauissima, & istis incumbebant omnes gentes: istis autem iniquitatibus addebãt quartum finitimæ Israelitis nationes, scilicet, inhumanitatis, & crudelitatis peccatum, cõtra Israelitas inquos propter vicinitatem regionum, tenebantur humaniores, sese præstare, quam in cæteras longe ab eis sitas nationes. Propterea ait, super tribus sceleribus Damasci, ideſt, quia fuit Damascus idolorum cultor, & iniqui coitus sectator, & sanguinis effusor, & super quartũ; quia videlicet inique egit in Israelitas cultores meos non conuertar? legit autem hunc locum interrogatiue. Et conuersionem refert, non ad clementiæ diuinæ in peccatores conuersionem, vt à Hierony. & vulgo exponitur, sed ad vltionem & vindictam vt sit sensus hic, an non vlciscar scelera tria Damascenorum, & quartum quod tribus alijs addiderunt? ¶ Ego vero, vt ab hoc vltimo exordiar, non video, cur verbum conuertar hic positum sit in malum vsurpandum, & non in bonum, quod negatur Damasco impendẽdũ. ¶ Quãquam enim, conuerto in scriptura, nonnũquam significat, vltionem Dei, at vero hæc significantia, ex sibi adiunctis innotescit, vt Iosue. 24. Si dimiseritis Dominum, & seruieritis dijs alienis, conuertet se & affliget vos, atque subuertet, post quã vobis præstiterit bona. Vbi conuersio vsurpatur ex adiunctis pro conuersione ad vltionẽ Dei de populo impio sumendam. ¶ Itidem. Neem. 4. conuerte opprobriũ super caput eius & in Psal. 7. conuertetur dolor eius in

Conuersio Dei vt plurimum in scriptura vsurpatur in bonum.

eius in caput eius. cæterũ absolute, si proferatur, vt in hoc loco, non significat, non vlciscar? sed potius non miserebor eius: *Non conuertam eum*, ideſt non ero clemens! Damasco. Quia legitur sine interrogatione à Vatablo, qui transtulit. *Non reuocabo eum*, verbum conuerto transtulit in reuocabo, id quod significat, non miserebor Damasci super tribus, & quarto peccatis. ¶ Itaque verbum conuerto ex sua significatione; significat mutationem vnius, in aliud, & quãuis Deus non mutetur in sua essentia, mutat tamen suam operationẽ, vnde si quando, est, afflicturus, quẽquam, quem iam non affligit, conuertit se ad clementiam: Si autem contra conuertit se ad vindictã verum in diuinis eloquijs, nisi ex adiectis aliud denotetur, conuersio Dei, ad bonum est ad misericordiam, (scilicet, impẽdendam, & non ad vindictam sumendam. Græca quoque translatio sine interrogatione legit. *Super tribus impietatibus* Damasci, *& super quartum non conuertam eum.* At dices, idem sensus persistit, siue dixeris, non conuertar id est non vlciscar legãdo interrogatiuè, & non cõuertar, id est, nõ miserebor. Nã interrogatio huiusmodi, est violẽta, & trahitur in sensum cõtrariũ, ideſt valde vlciscar de Damasco, at vlciſci, est nõ misereri: Sane, si legatur sub interrogatione, non variatur sensus; cæterum si legatur, vt & legit nostra translatio, & aliæ translationes indicatæ, sine interrogationis nota, prorsus variatur sensus, vt palam videre cuilibet promptum est; aliud enim est non vlciſci, aliud non misereri. Quantũ vero, spectat, ad id quod primo, asserit per tria scelera, esse subaudienda tria illa genera peccatorum, & per quartum inhumanitatem in Israelitas. Porro, si libet hæc disserere, obiectio prõpta est, contra hanc explanationem siquidem inhumanitas, & crudelitas, quam quartum peccatum esse, Benedictus asserit, non est recẽsendum in quartum, siquidem sub sanguinis effusione, comprehenditur quam dixit esse genus tertium peccatorum. Accedit eodem, quod, quando recensetur peccatum Iuda, itidem dicitur super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor non conuertam eum, & subditur, eo quod abiecerit legem Domini, id quod pertinet ad idololatriam, quam tamen Benedictus, primum esse docet peccati genus & vates videtur recensere, pro peccato quarto: Et demum, cum de Israelitis meminit, de contractibus iniquis meminit, scilicet, eo quod, *Pro argento iustum*, &c. Ob quam causam vt præcipuam, prædicere videtur, euersionem regni Israeliti ei: Præterea, videtur gratis dictum, quod propter illa quatuor peccata, simul sint desolatæ illæ nationes. Siquidẽ Iosue. 24. desolationem septem nationum idololatriæ imputantur, & Deute. & iitidem traditur quod propter idololatriam gentes illæ incolæ terræ promissionis, ad introitum filiorum Israel in terram sanctam fuerunt deletæ. Si autem ait, oblitus fueris Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, soluerisque illos & adoraueris, nunc prædico tibi, quod omnino disperees, sicut gentes quos deleuit Dominus, &c. Vbi propter idololatriam, ait gentes illas deletas fuisse, nom memoratis alijs, peccatis. ¶ At Paulus ad Rom. 1. non memorata deletione regnorum docet gentes propter idolorum seruitutem, traditas fuisse in reprobum sensum, vt faciam quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, malitia, &c. ¶ Rursus si quartum peccatum est crudelitas, & inhumanitas, quã finitimæ nationes exercebãt in Israelitas, quod obsecro erit quartum peccatum, propter quod regnum Iuda, & regnum Israeliticum fuerunt extincta? at vero idẽ ordo, & forma sermonis eadem, seruatur à vate, dũ ait super tribus sceleribus, &c. siue loquatur de nationibus, siue de Iudæis, siue de Israelitis. ¶ Ad hæc, illa quatuor quæ ipse enarrat peccata, non sola, sunt causa deletionis regnorum, imò Domino docente, omne regnũ in se diuisum desolabitur, quo circa schismata sunt causa etiam desolationis regnorũ, vnde Græcorum imperium fuit dirutum; quia Græci, se se abstraxerunt ab obedientia Romanæ ecclesiæ. ¶ Adde istis, quod nomẽ Hebraicũ Paschagh, non solum defectionẽ, vt ipse inquit denotat, sed generale nomẽ est, ad omnem iniquitatem: quia interpretatur iniquitas, vnde vt aiebam generale nomen cum sit, oportet ostendere, vnde coarctetur ad significanda illa tria peccata quæ benedictus dicit hoc loco significare. ¶ Quam ob rem alia via tentanda est, ad expositionem loci meo iudicio obscurissimi. At hoc in primis admonendus est lector, quod Amos, videtur elucidator Ioelis Prophetæ. Nanque; quæ hic vniuersa-

Læsio religionis diuinæ est causa subuersionis regnorum, imo omnium malorũ ideo timeant sibi Germani.

Matt. 12.

uersaliter prædixit, de calamitatibus venturis Israelitis & Iudæis, ob sua scelera, & quod gentes vicinæ Israelitis, & Iudæis erant daturæ deo pœnas grauissimas; quia iniuriam intulerunt Iudæis, cultoribus Dei, vt dilucidauimus in cap. 3. super verbo illo congregabo omnes gentes, istud idem enodatius tamē prosequitur Amos modo. ¶ Ex Gregorio autem ex homil. 25. licebit aliam inuehere elucidationem loci huius, & quidem satis aptam super tribus, & quatuor ideſt super septem peccata, septenarius autem numerus significat in scriptura infinitam multitudinem, vt sit sensus, si semel, atque iterum & certio peccassent pepercisse eis, at vero quia finem non imponunt peccatis, sed in dies multiplicant peccata, ideo eorum non miserebor; imo puniam omnia peccata eorum. Et quidem verum est quod septem apud Hebræos significat magnum numerum, & septies vices sepæ replicatas, vt Kimhi ait, vnde Prouerb. 24. sepiens indie cadit iustus, non significat, quod præcisē septies iustus labatur, sed quod pluries cadit in die, & resurgit item Genes. 4. omnis qui occiderit Cain septuplum punietur, ideſt multas dabit pœnas. Et Psal. 13. argentum igne examinatum, probatum septuplum, ideſt valde, & per multoties probatum. ¶ In hac autem expositione, solum restat scrupulus, quia, quartum ipse transtulit, & non quatuor supertribus, & super quartum nō reuocabo, eum, vbi videtur, quod quartum, non sit aggregandum tribus, vt reddant septem, sed specialē sit peccatū denotare. Vnde, eius expositio, germanior videtur, nostrę translationi quam suæ nisi ipse dicat, quod quartū, nomen vsurpatur pro alio nomine numerali quatuor. Et tunc expositio videtur sine offensa. ¶ At vero, dicet aliquis, ecquid nonne quantumcunque quilibet replicet peccata, si tandem verè pœniteat, misericordiam obtinebit, Domino testante, si peccauerit in te frater tuus, non dico tibi vsq; septies, sed septuagies septies, dimitte ei, quod homo, homini absque termino debet donare offensam; quid quod Deus homini? igitur quare inquit modo si super peccatis septem non cōuertam eum? Respondetur, quod remissio, seu clemens Dei conuersio duplex est, aut ad donandum culpam, simulque pœnam æternam pendentem ab ipsa culpa; aut ad donandū pœnam temporalem; ad donandum quidem culpam, & pœnam æternam, Deus semper se conuertet, si homo conuertat se ad Deum. Vt testatur per vatem conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. Quantum vero attinet ad pœnam temporalem quæ etiam donata culpa superstes est, soluenda non semper Deus hanc remittit; quia amicos suos etiam iustificatos hac torqueri, ad eorum profectū spiritualem sinit. ¶ Sic ergo, quod ait, super quatuor non conuertam eum, habendum est verbum ideſt nō miserebor. Damasci, quantum ad pœnam temporalem quam vates, subdit, vt postea explicauitur. Ceterum Damascenorum, Deus misereretur donando culpam, & simul æternam pœnam, si ipsi vere pœnituissent, de suis scelaribus. Deus enim non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. ¶ Nicolaus vero indicat Hebræorum super hoc loco explanationem, videlicet, quod homini peccanti, etiam tertio idem peccatum, Deus donabit peccatum, at si quartò idem repetit, Deus nō donabit. Quod placitum, ipse differens, ait quod si Hebræi isti intelligant, nō esse donabile simpliciter idem peccatum, quarto repetitū erroneum esse placitum, si vero velint, esse difficile donabile: vera asserunt: modo, difficultatem, non regerāt in diuinam potentiam, quæ super at vniuersa peccata nostra, sed peccanti succenseatur ille hęc difficultas. Et quidem, ratio huius placiti, hæc potest exhiberi; quia quarto si repetatur, mala actio, iā ingeneratur habitus ad peccandum, at vero habitus ad culpā, difficilem reddit hominem ad virtutem contrariam. ¶ Porrò, quarto repetere peccatum non tam in tentum figit habitum, vt sit maxima difficultas hæc concedenda. Nanq; 5. Metaphysi. hanc maximam difficultatem, vocat Aristo. impossibilitatem; modo vulgato loquendi, ex quo valde arduam habentia assecutionem, vocamus impossibilia, vt quod rusticus aliquis, promoueatur ad regnum. Ideo mihi plausibilius est enucleare locum super tribus, & quatuor non conuertam eum id est, non miserebor Damasci; quia multiplicauit peccata, sine termino, ideo non conuertam eum ea, scilicet, conuersione, quæ satis sit, ad donandam pœnam temporalem, quam per vatem meum, sum comminatus. ¶ Et quidem si vaticinium hoc consideratur, desola pœna temporali me minit: & quo ad hanc sæpe Deus non miseretur vt diximus paulo ante; quia sæpè punit iustos iam, & amicos suos, propter peccata commissa. Et huic expositioni videt suffragari. S. Theodoretus, dicens, quod pertria & quatuor, scelera, nō sunt intelligenda, aliquot specialia & certo numero comprehensa crimina, sed multitudinem peccatorum Damasci. Quasi dicat, iā non amplius patiens ero ferens peccata Damasci; quia innumera sunt & iā diu est q̄ ego ea tuli, & laboraui sustinēs, ideo iā iam: puniam ea. ¶ Pœna autem quæ sit, futura Damasco subditur solum tēporalis. ¶ At quæret quispiam, cur tot scelerum, Damasci solum meminit vnius, Propheta Amos, scilicet, crudelitatis, quā exercuit Damascus contra Galaaditas, & item in sequētibus, crudelium quorūdam facinorum fit mentio? nisi quando peruenit narratio prophetica, ad Iuda, & Israel, quanquam, & huius facinus nōnihil atrocitatis habet, liberos, scilicet, vendere homines vt postea docebit Amos. Respon. ex eo esse; quia peccata cōtra humanitatē debitā proximo, sunt manifestiora, vnde Dns quādo veniet iudicare viuos & mortuos horū peccatorum solum memorabitur: scilicet, esuriui & dedistis mihi māducare, &c. Matt. 25. propter eādē causam. Nam in manifestis ad quę natura humana non est propensa imo ad contrarium, offendit, in alijs certum est offendisse. ¶ Porro, vrget contra prædicta, quæ ex Hiero. obiecimus, & ex hoc vate allatum iam testimonium. ¶ Hieronymi siquidem verba sunt satis dura, nisi glossemate aliquo mollescant, videlicet. Quando ait, quod quarto peccanti, Deus neque dabit pœnitentiam, neque indulgentiā (id quod vt referebant fuit dogma Hebræorum interpretum) sit intelligendum, quod indigni sunt illi replicantes multoties peccata, quod Deus illis impartiat indulgētiam, & pœnitentiam. Quia repetitio eiusdem culpæ multiplex, videtur augere diuinæ legis contemptum, vnde non toties repetentes culpas, digniores sunt, quod Deus illis impartiat, pœnitentiam, & indulgentiam. Quamuis simpliciter, omnes peccatores sunt indigni indulgentia, & pœnitētia: at abusiua collatione, qui minus peccant, digniores, sunt ideſt, non sunt tam indigni, quā illi qui deposita fronte peccata pro libidine replicāt. ¶ Testimonio autē, cecidit virgo Israel, respondetur glossam Strabi, intellexisse locum, quod peccātes etsi pœnitudine abstergant sua peccata, & restaurent Dei amicitiam nunquam, tamē habebūt tantam gloriam, quantam ij qui nunquam aberrarunt. Vnde in Concilio Hilerdensi, quod indicatur in volumine decretorum dist. 15. videtur, idem decerni, quod ij qui altari ministrant si lubricum carnis patiantur, per actam pœnitentiam, in suo ordine ministrent, at vero in sublimiorem non prouehantur. ¶ Porrò autem locus ex Amos. c. 5. indicatus, si literali & germano donetur sensu hāc sententiam non firmat. Enim vero, per virginem, subaudit populum Israeliticum, qui dicitur, virgo ex translatione, siquidem tātis perdum fidei, & diuinæ legis synceritatem obseruabat, virgo censebatur, non propriè, sed per metaphoram, siquidem quæ est virgo propriè, semel corrupta, corruptionem restaurare non potest: at vero semel amissa fides reparari potest. Vt quotidie fit, quando hæretici deposita hæresi, regrediuntur, ad ecclesiæ Romanæ obedientiam. ¶ Quia igitur Israelitæ, fidē Dei violarunt, quam aliquando immolatam tenebāt, & propterea, regnum Israeliticum fuit extinctum & nunquam reparabitur, ideo ait cecidit virgo Israel, à regia subaudi dignitate, qua fulgebat, & nō resurget; quia irreparabilis fuit regni huius iactura. Vnde ex hoc literali sensu exile est, quod colligi poterit argumētum, quo probetur post lapsum, non contingere posse gratiæ diuinæ etiā ad maiorem gradum restaurationem, si quidem non solum reparari poterit ad æqualitatem eius vnde accidit lapsus; imo ad aliam longe maiorem. An non Paulus post lapsum surrexit ad maiorē gratiā? & Petrus post amarum fletum, ad longe maiorem fuit restitutus accepta spiritus Sācti gratia in die pētecostes? Et Magdalena, postquam lachrymis terfit Domini pedes vtique, ad maiorem surrexit Christi gratiam quam habuerat antequam laberetur à circuncisionis gratia. Et quis obsecro poterit, de re hac singula denarrare, deficeret me tempus, si conarer singulatim exempla recensere lapsorum, qui ex pœnitentia, ad maximam fuerunt Deo opitulante gratiam, quod si ad maiorem gratiam, itē & ad maiorem sunt prouecti gloriam. ¶ Disputationem

Septenarius numerus multitudinē magnā denotat, & Hebrais.

Matt. 18.

Pœna temporalis dimissa culpa sæpe superstes est.

Nicol. exponitur,

Placitum Hebræorū de remissione peccatorum.

tionē tamē hāc interim missam faciamus, quam in.4.lib.sententiarum prolixius diſſeruimus. Concilium autem Hilerdenſ fuit prouinciale concilium, & ideo, non maximæ est autoritatis, quod si veritate constat, solum est in casu pœnitentiæ publicę: nam qui hāc subibant, ad maiora nō poterant promoueri, verū iam abolitus; est publicæ pœnitentiæ ritus. Quid quod nunc non agitur de dignitatibus tempora libus, sed de resurrectione à peccato post lapsum: quam tradimus non turbari ex te ſtimonio prophetico vt visum est, *Damasci*: Damascus potens, & insignis Phænices ciuitas, quæ quondam totius Syriæ tenuit principatum. Terminus Iudææ ad septentionem. Ezech. 47. Isai. 7. 2. Reg. 8. sic appellata vt Stephano placet à suo cō ditore Damasco Mercurij, & Alimedes filio. Iustinus autem, credidit libr. 36. à Damasco rege. Hierony. vero, lib. de q. Hebra. à Damasco Eliezer procuratore Abrahæ, nomen traxit Gen. 15. Nunc autem est Saracenorum metropolis. Tertulianus autem. lib. 3. aduersus Marcionē Damascum, scribit, esse ciuitatem Syrophenices, quæ quondam Arabiæ esse partem, credebatur. Sita inter duos montes, scilicet, Libanū, & Antilibanum, ex qua Paulus per murum demissus fuit acto. 9.

Vnde denominata Damasc⁹ variæ sententiæ.

Eo quod triturauerint plaustris ferreis Galaad exponit causam, cur non esset Deus miserturus Damascenorum, scilicet, quod triturauerint rastris ferreis Galaaditas. Galaaditæ erant incolæ vrbis Galileæ vltra, Iordanē ad orientem, Gene. 31. vt tradidimus super Oseam vbi dimidia tribus Manasse accepit possessionem cum tribubus Ruben & Gad. ¶ Scribitur autem. 4. Reg. 8. quod cum Benadad rex Syriæ, cuius vt aiebā: Damascus erat caput & princeps, ægrotasset, morbo, quo est mortuus. At vero Hazael qui erat subditus Benadad, venit ad Eliseum, qui dixit, illi quod esset successurus Benadad in regno Syriæ. Prædixit autem, successionem regni, Eliseus flēs, & causam fletus exponēs ait, Hazaeli Eliseus. Scio, quę facturus sis Israeli mala. Ciuitates eorum munitas igni succēdes, & iuuenes eorum interficies gladio, & parulos eorum elides, & prægnantes diuides. Quæ mala fecerat iam ille Hazael, quādo Amos cępit prophetare sub Ozia, rege Iuda. Et propter hanc immanitatem & summā crudelitatem, Amos prædixit, comminuendum regnum Damascenum. Triturare autem, idē est atque cōminuere Galaaditas, instar frumentorum, quæ in aera, vt purgentur triturārtur. Per plaustra subintellige rastra ferrea, est autem rastrum instrumentum dētatum confrin gēdis glebis idoneū vt Ver. 1. Geo. rastris glebas qui frāgit inertes. ¶ Item legimus. 4. Reg. 13. quod iste Hazael, valde afflixit filios Israel, cunctis diebus Ioachaz filij Iehu regis Israelis, qui patri suo succesſit. Mortuo autē Hazaele rege Syrię, quē percussit Ioas rex Israel, filius Ioachaz regnauit filius eius Benadad, pro patre suo Hazaele. *Et mittam ignem in domo Hazael, & deuorabit Domos Benadad*, per ignem deuastationem, & desolationem, modo consueto scripturæ subaudies, prædicit igitur destruendam esse familiā Hazaelis, & euertēda palatia regia, quæ possederat Benadad filius Hazaelis, Nicolaus autē credit legendum hoc loco Benadad. Vt primus sit Benadad, cui succesſit Hazael in regno Syrię ex vaticinio Eliſei vatis Dei & postrem⁹ sit Benadar, de quo hic fit mentio. Græca tamen lectio habet filij Ader. ¶ At vero in biblijs Hebraicis, quæ ego habeo, nō Benadar, sed Benadad lego, videtur autem quod huiusmodi regni Syriaci calamitas quam hic prædicit Amos, fuerit alia ab ea, quæ scribitur. 3. 4. Reg. 13. videlicet quam prędixit Ioas filio Ioachaz ipsum fore illaturum Syriæ, dicēs si percussisses quinquies, vel sexies, aut sæpties percussisses Syriam vsque ad consummationem; nunc autem tribus vicibus percuties eam. ¶ Cū ergo, quæ hic prædicuntur ab Amos præseferant consummatam plagam Syriaci regni videtur hæc alia, à prædicta per Eliseum, quæ nō fuit consummata plaga. *Et conteram vectē Damasci*, vectibus obduntur fores, & sub bello vectes fortissimi, adhibētur foribus, ne facilis pateat aditus hostibus, contritio igitur vectium, denotat fores Damasci, esse violētia bellica reseradas hostibus suis. *Et disperdam habitatorem de campo idoli.* Appellat Damascum, quia planum situm habebat campum appellauit idoli & quia Damascus, erat idololatriæ obnoxia. *Et tenētem sceptrum de domo voluptatis.* Subaudi conteram, vel cōminuam, subaudit regem Syriæ, esse perdendum, & Damascū desolandam. Per domum voluptatis, subnotat, domum regiam vbi rex suis frueba

tur de

tur delicijs. Scribitur autem 4. Regum 16. quod sub Achaz rege Iuda, Damascus fuit euersa, vt hic Amos prædixerat: & quod Rasim rex Syriæ fuit interfectus à rege Assyriorū Teglath Phaasar, & quod Damasceni fuerint translati in Cyrenen, vt hæc prophetia tum futurum esse docet. *Et transferetur populus Syriæ Cyrenen.* Cyrene nomen regionis Africæ 4. Regū 16. quæ & Pentapolis appellatur: quia cōstat. 5. vrbib⁹, videlicet Hesperia, Apolonia Ptolemais, Arsinoe, & clarissima harum Cyrene. *Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Gazæ, & super quartum non conuertam eum, eo quod transtulerunt captiuitatem perfectam, vt concluderent eam in Idumæa.* Gaza vrbs præcipua apud Palęstinos, vt Damascus apud Assyrios. Genes. 1c. 1. Regum. 6. & Acto. 8. Vt igitur contra Damascum prædixit Amos, futurum ei exitium, modo contra Gazam similiter prophetat. Quasi dixisset non parcam Gazitis, neque miserebor eorum, propter inueteratam, quam habent consuetudinem peccandi. Istud enim subintelligit, per *non conuertam eum*, vt supra expositum est.

Lege Pli. lib, 5. cap. 5. Pompo. Mela. lib. 1. Strabo. 17.

1. Reg. 6.

¶ Et tu interim considera fugiendam esse consuetudinem in peccatis. Vnde scribitur Eccles. 5. Ne adijcias peccatum super peccatum in peccatores enim respicit ira illius. Et sicut in morbis corporalibus, qui addit morbum morbo, infirmat vires naturæ, vnde erit sibi valde difficile mortem euadere, quia tandem infirma natura impetita morbis succumbet. Ita prope modum, qui addit peccatum supra peccatum, languidiorem in dies sentiet animū, ad virtutis studia. Vnde tandem obfirmabitur in culpa, vt ab ea vix possit se extricare.

¶ Nanque si ex vno peccato fit homo non idoneus, ad conuersionem in Deum: quia nisi cælitus adiuuetur, non poterit se extricare à fune peccati; cui se sponte inuoluit: vtique si secundo peccauerit, minus idoneus erit, adeòque poterit replicare culpas, vt existimet se iam non posse abhorrere à culpa consueta. Imo credat culpam diu consuetam non esse culpam, quia consuetudo cum sit altera natura. 7. Ethicorum capit. decimo. teste Aristote. indicate Euenum poetam. Qui assuescit diu peccatis, illa vertit in suam naturam. Vt puella, cuius memi-

7. Ethi. c. 10. 1. Rhe to. capi. 7.

nit Commentator Aristotel. quæ cum ab ineunte ætate napello vesceretur, iam prouecta, veneni infectionem non sentiebat: quia veneno illo, vtebatur pro cibo: ad quam rationem sunt ij, qui longas trahunt in peccando moras, quibus iam videtur peccati venenum, non esse venenum mentis, sed eo vtuntur proalimento. Nisi quod multum inter hæc discriminis est: enim vero, venenū si semel hausſtum modice nocet, quo pluries hausſeris nocebit minus: at vero peccatum semel admissum nocet, & quo pluries assueueris ei, multo vehementius nocebit. Et sicut is qui facturus iter longum, si in ipso initio itineris, oberrat à recta via, quo longius se produxerit, eo magis aberrabit, adeò, vt in fine, errorem viæ cognoscens, si ad viam rectam, se se reducere, fategerit, non sine magno sudore, fatiget. Similiter, qui semel deuiat à via Dei, quo magis assueuerit peccatis, à via recta, quæ ducit ad astra, eo magis declinabit. Quocirca, si vnquam Deo miserante, huiusmodi conetur se ad viam veritatis reducere, multum est illi sudandum, vt veterem, quam detriuit in peccando viam declinet, & in recta se se constituat.

¶ Quo fit, vt ij qui ex consuetudine peccant, grauius peccent quam ij qui citra consuetudinem. Siquidem consueta valde arrident nobis, vt dissueta horremus. Nam autore Aristotel. primo Rhetoric. capit. sexto, & nono. Consuetudine fiunt iucunda, quæ prius non erant iucunda. Habet nanque consuetudo vires magnas instar naturæ, & si fortior est natura vires autem consuetudinis quantæ sint leges ostendunt, in quibus fabulosa, & puerilia plus possunt, quam veritas. Vt inquit Aristotel. secundo Metaphysic. text. Cōm. 14. Et nos ipsi experimur consuetudinem, siue in bonis, seu in malis, esse difficilem euulsu, siquidem consueta sunt valde nobis nota, vt ait Aristotel. secundo Metaphysic. loco dudum indicato.

Consueta amamus & dissueta aut non consueta horremus.

Peccantes ex consuetudine magis peccāt cæteris paribus, quā sine cōsuetudine.

¶ Quia igitur, consuetudine quæ facimus iucunda nobis sunt: idcirco, qui peccat ex consuetudine delectabilius peccat, quā qui peccat, non ex consuetudine, quare grauius peccat.

¶ Si quidem delectatio, vt bona facit meliora, ita mala facit peiora. Quia et-

go, qui prauam ducunt consuetudinem in peccaris elongant se valde à Deo, & difficiles se exhibent diuinæ motioni, oppediente praua, & obstinata consuetudine: ideo indignissimi sunt, qui trahantur à Deo: item indignissimi sunt, quorũ Deus misereatur. Quibus propheticum hoc occinere possumus, *in tribus sceleribus vestris & in quatuor, non conuertet vos Deus.* At vero ea est Dei miseratio, vt frequenter, etiam obstinatissimos, quosque ad se trahant & eorum misereatur. Et impœnitens cor eorum, atque mentis duritiam secundum quam thesaurizabant sibi iram in die iusti iudicij Dei, Deus emollit, vt iam ex sua pœnitentia, thesaurizẽt, sibi misericordiam, vt quam misericordiã est cõsecutus Manasses ille qui post multiplicia peccata, multam est adeptus suorum peccatorum remissionem, quæ non solum multa fuerunt, sed etiam horrenda valde, impia, & nefandæ crudelitatis. Impia quia idola coluit, crudelia quia sanguinem sanctorum fudit. Magdalenã item, nobis tacentibus scriptura manifestat innumera habuisse peccata. Nam nihil aliud significat ille termo euangelicus, septem dæmonia ab illa Dominum abegisse, nisi peccatorum maximam multitudinem. ¶ Admonui enim supra septenarium numerum Hebræis, multiplicationem magnam subnotare. Igitur, non obstante productissima peccandi consuetudine, vnde & mulieris peccatricis sibi nomen vulgo iam vendicarat, Christus est misertus illius, adeò vt largam indulgentiam peccatorum illi concesserit, dicens, Dimittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum. ¶ Nam vbi abundat delictum, ex maxima peccandi consuetudine, sæpè ex Dei clementia abundat & Dei miseratio. Neque opus facto est, in vniuersa huius rei discurrere exempla, quia passim sunt obuia legentibus acta sanctorum. ¶ Neque tamen omniũ obstinatorum, & qui longam ducunt consuetũdinem in peccatis, nectendo peccatum peccato, vt filum filo, miseretur Deus, sed sæpè eos sinit in stercoribus suarum culparum computrescere, Ioelis 1. computruerunt iumenta in stercore suo, & iuxta illud Apocal. 22. qui in sordibus est, sordescat adhuc, cur tamen, quosdam ad se trahat, & alios efficaciter non trahat, quos eadem tamen ligat culpa-

Ad Rom. 2.

2. Parali. 33.

Luc. 7.

Ad Romanos 5.

rum consuetudo, imo aliquando fortior noli scrutari, si vis non errare. ¶ Hoc certum tamen tene, quosdam horum ad se Deum trahere, vt in ipsis resplendeat suæ misericordiæ operatio, & alios sinere in sua peccandi consuetudine perire, vt diuinæ iustitiæ in puniendis peccatis pareat seueritas. ¶ Et quidem seueritas iustitiæ in quibusdam gratiorem facit misericordiæ suauitatem in alios: quia opposita, iuxta se posita magis lucẽt. ¶ Porro cum omnes sint indigni misericordia, quod Deus hos dignetur, & illos dedignetur hic suspenditur calamus hæret lingua palato, mens attonita non differit, sed admiratur Dei mysteria. In malis igitur nõ est consuescendum, ne difficultas conuertendi nos ad Deum, nos opprimat, quam diuinus sermo apud Ioãnem insinuat: dum Dominus Ioan. 11. voce grandi excitat quatriduanum Lazarum. Qua tamen vocis magnitudine, non est visus excitatus à mortuis, viduæ filium, aut Archisynagogi puellam. Hos enim sine clamore, à morte reuocauit ad vitam: illum vero nõ sine clamore, & fremitu. Neque hoc vacare mysterio dixerim, imo hoc latere arcanũ, quatriduanos, id est consuetudinarios peccatores, de quibus noster vates ait, esse in tribus sceleribus, & in quatuor egere magna Dei miseratione, & proprio ipsorum non mediocri conatu esse opus facto, vt ad Deum conuertantur, de quibus dixit Eccles. 1. peruersi difficile corriguntur. Nam alij, qui non tanta consuetudine tenentur peccandi facilius ad Deum attrahuntur. Vt autem consuetudo hæc peccandi fugienda est, ita in sanctis operibus exercendis, est amplectenda. Nam cõsuetudo in bonis est optima, & in malis est pessima. *Eo quod transtulerit captiuitatem perfectam.* Hebraicè, eo quod acceperit captiuitatem perfectam. Israelitæ, nonnunquam bellum gerebant, cum Idumæis, & isti superantes illos, in captiuitatem iure belli eos redigebant: quos cum seruos accepissent, hostiliter captos, non pecunia emptos, malè tractabant, vt solet fieri apud gentes barbaras, quæ seruos durissimè vexant. At vero Israelitæ seruitute hac oppressi apud Idumæos, euadebant hanc seruitutẽ defugientes ad Philistæos, seu Palæstinos: isti vero inhumanissimè tractantes cõfugiẽtes ad eos Israelitas, solatij gratia, Idumæis eos rursus tradebãt,

Matth. 9. Luc. 7.

Qui magna occurrantur cõsuetudine peccandi difficilè corriguntur.

Idumæi

Idumæi autem fugitiuos seruos, denuò recipientes, multo peius, vt moris est eos cruciabant. Hoc autem gestum, erat valde crudele, transfugas seruos, qui non erant emptitij serui, sed ex belli infortunio serui, confugientes ad alios, vt humanius secum ageretur, eos non solum orbare humanitatis solatio, sed etiam eos conijcere in maiorem cruciatum. Et ideo reprehenditur à vate, & punitionem diuinam, tantæ inhumanitatis, contra Palestinos exequitur modo, dicens, *Eo quod transtulerit*, vocat captiuitatem perfectam ipsos Israelitas captiuos, qui quia eam molestissimam sentiebãt captiuitatem, quia pessimè cum eis agebatur vocat eos captiuitatem perfectam, quasi dicat apertius captiuitatem miserrimam, nihil habentẽ solatij. Nam quo durior est captiuitas, eo perfectior est, in genere captiuitatis. Enim vero quæ aliquo miscetur solatio, istud habet minus ab absoluta captiuitate. Vocat autem quod est malum, scilicet captiuitatem, perfectam, eo tropo loquendi, quo vocamus Febrim perfectam, quæ valde vrit vitalia membra: febriculam vero imperfectam febrem. Si quidem etiam malum non solum pœnæ quale est, captiuitas, sed culpæ in suo genere habet perfectionem. Vt Aristoteles docet. 5. Metaphy. inde vocamus perfectum latronem, qui subtilem habet furandi machinationem. ¶ Quam vero sit Deo displicẽs isthæc ad seruos crudelitas traditur in Deuter. capit. 23. in hæc verba. Non trades seruum Domino suo, qui ad te confugerit, habitabit tecum in loco, qui ei placuerit: & in vna vrbium tuarum requiescet, ne contristes eum.

¶ Palestini autem, valde discedebant ab hoc Domini mandato, quia non solum Israelitas seruos ad se confugientes, non permittebant apud se quiete perfrui, verum etiam, admodum contristabant eos: tradendo eos dominis crudelibus prioribus, quorum crudelitatem exhorrescentes Israelitæ diffugerant ab eis in Palestinam: quam tradunt mediam esse inter Israelitas, & Idumæos. ¶ Vocant autem Hebræi Palestinam, Peleseth. Et est Syriæ regio quæ Hebræis appellatur Philistijm: ad mare mediterraneum pertingẽs, sita ad occidentem Iudææ. Vt Iosephus meminit lib. 1. Iudai. antiquita. capit. 12. Et Pompo. lib. 1. & Plin. lib. 5. c. 12. & 13.

Perfectũ etiam repe ritur in genere mali.

Palestina media est inter Israelitas, & Idumæos.

¶ Palestini autem nonnunquam vocantur Philistijm in scriptura nonnunquam allophili. Quod si obieceris præhabitis, præceptum commemoratum ex Deuter. non ligasse Palestinos, aut Idumæos, quippe, solum constringebat Israelitas, quibus mandabatur. Respon. annuendo, nihilominus ex præcepto clarè innuitur, Deo displicere valde, quod huiusmodi serui transfugæ prodantur ijs, qui eos redegerunt in seruitutem. Sed vel sunt seruandi, ab ijs, ad quos transfugerunt, aut dimittendi liberè, vt proficiscãtur quo animus eorum eis suggesserit. Quid quod videtur natutale præceptum, & quatenus naturale, non vt legale, omnes ligabat. *Vt concluderem eam*, Id est vt traderem captiuos Israelitas, Idumæis. *Et mittam ignem in murum Gazæ & deuorabit ædes eius. Et disperdã habitatorẽ de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & conuertã manum super Acaron, & peribunt reliqui Philistinorum.* Deuastandam esse prænuntiat vates Palestinã, quæ quinque ciuitatibus cõstabat, quæ Pentapolis Græcè dicitur, & hoc loco recensentur quatuor, & illis annumeranda est alia quæ appellabatur Geth. Vt ex lib. 1. Regum cap. 5. & 6. discimus. Nanque Philistæi, quinque annos aureos, & quinq; mures aureos fecerunt iuxta numerũ prouinciarũ, & vocat prouincias vrbes illas egregias Palestinæ. Quod vero mittam ignem videtur insinuare, incendium murorum, & arcium, & palatiorũ regis. *Et tenentem*, idest regem, qui vel erat Ascalonita, aut in Ascalone habebat palatiũ regium. *Et peribunt reliqui*, hoc ait propter Gethæos, qui erant etiam Palestini, quos tamen, non recensuerat. Hæc autem mala, quę hoc loco vates præsensit ventura istis Palestinis ob causam commemoratã, sunt illata eis per Chaldæos. Hæc dicit Dominus, *super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non conuertam eam, eo quod concluserint captiuitatẽ perfectam in Idumæa: & non sunt recordati fœderis fratrum. Et mittam ignem in murum Tyri & deuorabit ædes eius.* Apertus est sensus ei qui superiora obseruabit. Sunt autem qui hæc mala completa esse, per Alexandrum Magnum qui Tyrum adequauit continenti, alij à Chaldæis extermina tam fuisse Tyrum arbitrantur. Quid Tyrus, & Sidon, supra expositum. Diximus enim Tyrũ fuisse ciuitatem maritimã, metropolim Phœniciæ. Quõdã insula diuisa

Nabuchodonosor primo conatus est Tyrum adiungere cõtinẽti dein Alexãder Macedo.

septingentis passibus à continenti mari prælato, at vix credibili opere comportatis aggeribus, primo per Nabuchodonosor, Ezechielis, 26. & re tũc infecta, tandem, & sic capta est Tyrus, & euersa per Alexandrum Magnum adiuncta est continenti. Et est in tribu Nepthali, vicesimo fermè milliario à Cæsarea Philippi. Cuius fit mentio Iosue 19. Isai. 23. & Matth. 11. Quod vero ait, *Non sunt recordati Tyrij fœderis, &c.* Subnotat fœdus vetus inter Salomonem, & Hyram regem Tyri. 3. Regum 5. vbi Hyram Salomonẽ vocat fratrem. ¶ Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum, eo quod persecutus sit ingladio fratrem suum: & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suũ, & indignationẽ suã seruauerit vsq; in finẽ. Esau & Iacob fuerũt vterini fratres à Iacob deriuabãt genus Israelitæ, ab Esau Idumæi, ideoque Israelitæ appellantur fratres Idumæorum, more consueto Hebræis qui consanguineos, & ab eodem stipite deducentes genus, appellant fratres. Iacob autẽ ab Esau fuit odio habitus propter primogenita Genes. 27. & transfudit in posteros suos idem odiũ, adeo, vt Nume. 20. legatur Idumæos, Israelitis non permisisse transitum ad terram promissionis, & ibidẽ traditur, quod Edom rex Idumæorum armatus cum infinita multitudine, occurrit filijs Israel, ne transirent per regionem suam. Non obstante fraternitate. Vnde Moyses misit legationem regi Edom, dicens, Israel frater tuus. Et non obstante, quod transitus huiusmodi offerebatur innoxius. Ait enim non transibimus per agros tuos, neque per vineas, per viam tritam transiemus. Et si biberimus aquas tuas, &c. non erit difficultas in pretio, & nihilominus, rex Idumæorum obstitit armatus cum copijs suis transitui. Istud autem fuit inhumanitatis singularis, fratribus seu consanguineis, viam regiam non permittere ad transitum, ne torquendo iter summos alios paterentur labores. Propterea ait, eo quod persecutus sit gladio fratrem suum, id est Israelitis obstiterit armatus. *Et violauerit misericordiam*, id est, non exercuerit misericordiam cum Israelitis, quibus maximè debebatur, propter consanguinitatis vinculum, & quia laboribus Israelitarum, quos hauserant in exitu ab Ægypto consulebatur. Permisso enim transitu via recta agebatur. Imo cum debuissent Idumæi Israelitas fouere, & tanquam peregrinis, viscera misericordiæ, illis proferre, contra fecerunt, quia ira succensi sunt contra eos, & à suis finibus abegerunt, & oblata per legatos pace, bellum obtulerunt. Et hoc est quod ait, *Tenuerunt vltra furorem suum.* Id est odium quod concepit Esau, contra fratrem suum Iacob Numer. 20. decernens ipsum occidere, hoc idem odium seruauerunt posteri eius, & tenuerunt in visceribus suis, contra Israelitas fratres suos.

¶ Quid autem sit Idumæa supra exposuimus, propter hanc crudelitatem ait Dominus, *Mittam ignem in Theman.* Vt enim supra contra capita prouinciarum vates, primo prædixit pœnam, vt contra Damascum, quæ erat caput Syriæ, contra Gazam, quæ erat caput Palestinæ, cõtra Tyrum, quæ erat caput Phœnices propter crudelitatis peccatum, ita modo contra Theman, quæ erat caput Idumææ propter crudelitatis immanitatem comminatur exitium. Appellata fuit hæc ciuitas à Theman filio Eliphaz ex Ada vxore Genesis 36. Item fuit dux in Idumæa Theman dictus. Interpretatur autem australis. Vnde loco eius quod nos legimus in propheta, Deus ab austro veniet, Hebraicè legitur de Theman veniet. Edom autem est mons Seir Genesis 36. sic appellatus est, item Esau Edom: Eliphaz autem fuit primogenitus Esau, qui fuit dux Theman. Bosra autem ciuitas de media tribu Manasse, data Leuitis Iosue 21.

Abac. 3. Theman, Edom, Bosra.

¶ *Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quartum non conuertam eum: eo quod secuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum.* Iam quinto loco vertitur propheta ad Ammonitas. Est autem aduertendum ex histor. Genesis 19. Loth ex duabus filiabus suis, duos habuisse filios, & Moab, ex maiore natu filia, & Ammon, ex minore. ¶ Vnde duæ sunt deriuatæ nationes, Moabitarum altera, altera Ammonitarum. Isti autem Ammonitæ fuerunt crudeles, in Israelitas: siquidem cupiditate ardentes possidendi aliena quæ erant Galaaditarum, irruentes bello in Galaaditas, eosque superantes, prægnantes mulieres dissecabant immanissimè, vt pereuntibus infantibus non superessent, qui possent

possent perturbare, quæ ipsi tyrannicè occupauerãt. ¶ Hebraicè loco prægnantiũ, scribitur Aroth quod significat montes, à verbo Ara, quod significat gerere cõceptũ infantem in vtero. Et quia montes, sunt instar vteri, quippe intra conceptas habent venas aquarũ, ideo etiã appellãtur Aroth seu prægnãtes. Vnde si mõtes trãsferas facilis est explanatio, Ammonitas, dissecuisse montes Galaaditarũ violenter vt suam dilatarent possessionem. At vero mihi placet quod noster interpres vertit grauidas, seu prægnantes. Enim vero inuehitur vates in crudelia facinora nationum finitimarũ Israelitis, vt hactenus est prosecutus: quare cũ sectio montium nõ sit crudelitatis scelus, sed auaritiæ opus aptius est transferre prægnantes, quã mõtes, qui propriè non sunt prægnantes, sed solũ ex translatione. Quanquã insatiabilitas auaritiæ Ammonitarũ, alibi per Ieremiam reprehensa est cap. 49. Ad filios inquit, Ammõ. Hæc dicit Dñs. Et paulo infra. Cur igitur hæreditate possedit Melchon, Gad, & popul⁹ eius in vrbibus eius habitauit. Et subdit auaritiæ repensionẽ, ideo ecce dies veniunt dicit Dñs, & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitũ prælij. Et erit in tumultum dissipata. Est autẽ Melchon, idolum filiorum Ammõ 4. Reg. 13. & vt videtur caput regni illorũ: quia idolum suũ, in capite regni constitutum habebãt. Vnde Dñs ait, per Ieremiã euertendũ esse idolum Melchon, insinuans principiũ regni esse desolandum. Rabbath autem, Hebraicè scribitur Rabba, & videtur præcipua vrbs Ammonitarũ, quã dominus prædicit desolandam: vt ij qui aliena rapiunt propria perdant, & alienis quæ vsurparũt nõ fruãtur. De hac Rabbath scribitur Deut. 3. esse vrbem filiorum Ammon. Possidere igitur Melchon, Gad, est vsurpare Ammonitas possessionẽ Galaaditarũ, siquidẽ Gad suę hæreditatis iura in Galaad simul cũ tribu Ruben. Deut. 3. Num. 31. Iosue 3. Quod si forte dixeris ex hoc loco Ieremiæ, videtur transferendũ esse montes, & non *prægnantes*, siquidẽ cõuenit Amos cũ Ieremia in retributione peccati Ammonitarum, quia vsurpauit Melchon, id est Ammonitæ, terminos Galaaditarum, id quod erat inexplebilis auaritiæ peccatũ, & non sceleris crudelitatis. ¶ Respõdetur, quod excindere prægnantes, ne infantes postquã adoleuissent vsurpata suorũ maiorũ, sibi vindicarent, etiam pertinebat ad auaritiã mixtam tamen cum summa atrocitate, *Et succendam ignem in muro Rabbath*, tradã incendio, ciuitatẽ Ammonitarum, scribitur Ammon, vt significetur natio filij Loth per duplex, m. m. at vero Amon, rex Iuda, cuius fit mentio Matth. 1. per m. vnicũ. *Et deuorabit ædes eius in vlulatu in die belli.* Id est palatia, & sublimia ædificia, ignis deuastabit, quando hostes potentes irruerint in Rabbath, vlulabunt, id est, vociferabunt, contra Ammonitas. *Et in turbine, in die commotionis.* Afflictionem summam Ammonitis venturã vocat turbinem, seu tempestatem, & commotionẽ, quia vrgente bello, nihil integrum stat. *Et ibit Melchon in captiuitatem, ipse & principes eius.* Non solum idolum Ammon vocabatur Melchon, sed & rex Ammonitarum Melchon dicebatur ex deriuatione vocabuli. Nam interpretatur rex eorũ, *Dicit Dominus.* Ideo infallibiliter eueniet, quia Deus per vatem suum sanctum prædixit, & decipi Deus non potest, neque decipere, vides vt multis verbis expressit propheta, acrem, & durissimam expugnationem regni Ammonitarum, factam à Chaldæis.

Rabbath, Melchon Gad, Galaad.

EXPLANATIO
IN AMOS. CAP. II.

HÆC dicit Dominus super tribus sceleribus Moab, & super quartum non conuertam eum: eo quod incenderit ossa Regis Idumææ, vsque ad cinerem. Hactenus prosecutus fuerat vates, truculentiam nationum finitimarum, aduersus Israelitas & exposuerat, quam accepturus esset Deus vindictam de huiusmodi truculentia, & crudelitate. Nunc vero, vt se demonstret esse Deum omnium, quia nõ Iudæorum erat Deus solum, sed etiã gentium patefacit, qua ratione Deus etiam, irascatur contra eos, qui crudeles sunt in alias gẽtes. Siquidẽ Moabitæ, & Idumæi nõ erant populus Dei, sed barbaræ gẽtes, non colentes Deũ, sed idola. ¶ Nihilominus, quia Moabitæ immanẽ crudelitatẽ exercuerũt cõtra Idumæos, videlicet, qđ mortui regis Idumæorũ, ossa redegerint in cineres, cum alioqui ab orco, vt prouer

bio fertur cessare debet omnis liuor, ideo ait Deus se Moabitarum non esse miserturum vt supra est declaratũ. ¶ Moab autem interpretatur ex Patre, & appellatus est hoc nomine, filius Loth, ex maiore filia genitus, ideo dicitur ex patre Gen. 19. à quo denominata est vrbs Arabiæ, quæ Areopolis teste Eusebio, appellatur. Itẽque regio Arabiæ tota Moab, nuncupatur. Et regnũ filiorũ Loth ad orientem Iudææ situm, eadem nomenclatura appellitatum est: proximum mari rubro, & Iordani. Item 1. Reg. 12. nomen est regis.

Moab.

¶ Hoc autem loco pro rege Moabitarum sumitur. Tametsi immane hoc facinus, qđ hic denarratur nullibi cõstet ex alia scriptura præter istam. Vnde quidã tradunt. Quendã regẽ Moab, cõbussisse ossa cuiusdã regis Moab, & cineres in quos ignis resoluit illa ossa, accepisse & miscuisse cum calce, incrustandis parietibus sui palatij. Alij hoc referunt ad filiũ regis Moab, cuius historia texitur 4. Reg. 3. ¶ Si obseruasti attentius, quæ hucusq; vates hic denarrauit perspicuũ tibi erit, quã Deo sit amica misericordia, si quidẽ vidisti infensissimã habere Deũ crudelitatẽ, quæ est contraria Misericordiæ. Vnde inter attributa diuina, hoc item recensetur, quod sit patiens, & multũ misericors, imo quod miserationes eius sint super omnia opera eius. Vnde quia Deus beatificat misericordes, dicens, Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiã cõsequentur, & cõtinuo sequitur, quod sæuos truculẽtos, tenaces, & asperos homines in alios Deũ odio habere ipsosq; reprobatos habere: nisi asperitatẽ, & sæuitiã conuertãt in misericordiæ lenitatẽ. ¶ Et quidẽ supplicia ingentia quibus hos sæuos homines Deus affecit, noster vates satis cap. 1. edocuit & modo docet. ¶ Fuerunt autem philosophi ex stoa, stoici nũcupati, qui misericordiã damnãt, eamque profligandam à mente sapientis cõtendũt, vt est videre apud Senecã, qui oppido patrocinatur huic philosophorũ secte. ¶ Enim vero, vt argutãtur misericordia impedimento est electioni, & cõsilio, Salustio testante in hæc verba, Omnes homines qui de rebus dubijs cõsultãt, ab ira & misericordia, vacuos esse decet. ¶ Secũdo, misericordia, nõ est intellectualis virtus, quia ad appetitũ pertinet cõmisereri neq; est virtus moralis, siquidẽ est affectꝰ partis sensitiuæ. At vero omnis affectus sensualis procul arcendus, & abigendus à viro sapiente. ¶ Tertio, quia Nemesis, laudatur in sapiente homine, at vero Nemesis contraria est misericordiæ, igitur si illa commendatur, hæc venit reprobanda.

Deo amicissima est misericordia.

Rationes stoicorum contra misericordiã.

¶ Quod vero sit cõtraria Nemesis misericordiæ Arist. lib. 2. Rheto. ostendit. ca. 9. Siquidẽ misericordia est cõpassio, de alieno malo, at vero Nemesis, est indignatio de alieno bono. ¶ Rursus misericordia est dolor de alieno malo seu tristitia: at vero dolor, & tristitia, longe debent esse à viro sapienti. ¶ Porro autẽ quomodo isti inficiantur sapiẽtes nõ debere esse misericordes, cũ alioqui Deus ipse sapientissimus, misericors, & miserator est, & omnipotẽtiam suã parcendo maximè, & miserãdo manifestat? ¶ Quãuis enim in Deo, nõ sit affectus, vel passio, aut cõpassio, qa cũ diuina simplicitate, hæc summè pugnãt, cæterũ operationes diuinæ summæ sunt misericordiæ. Placet autẽ, vt hæc enucleatiꝰ edisserãtur, finire misericordiam, & iuxta peripateticũ placitũ, & iuxta Augustini traditionẽ, quã sectãtur scholastici Theologi. ¶ Finit autẽ Aristo. misericordiã. 8. cap. 2. Rhet. esse dolorẽ quendã, ex apparenti malo corruptiuo, ac contristatiuo eius qui non dignus est pati, quod ipse putat se, aut aliquẽ suorũ pati: idq; cũ propinquũ videatur. Est igitur dolor misericordia, quia affectus est quidã partis sensitiuæ, quo tristamur de alienis malis, videlicet, quæ corrũpũt nos, vt sunt mors, verbera vel morbus vel cõtristãt, vt carceres exilia, paupertas, cõtumeliæ, si modo qui patitur indignus est, qui talia patiatur: vt potiùs cõmiseremur iuuenis qui flore iuuẽtutis de medio sustollitur, quã de grãdeuo sene si moriatur, quia putamus iuuenẽ indignè pati mortẽ, qui ex ordine naturæ victurus erat, quam nõ putamus esse indignã seni, qui iã expleuit tẽpora vitæ suæ. ¶ Etsi videmus quẽpiã iniustè pati mortis suppliciũ, quia citra culpã, interficitur tristamur, & condolemus ei, at vero, si iustè mortis patiatur supplicia? vel quia latro est, vel quia seditiosus vel ob aliã causam non miseremur, imo lætamur, quippe dignus est huiusmodi morte. ¶ At vero natiuum est iuuenem commisereri aliorum iuuenũ, & senes senum, & medicos, medicorum, & iurisperitos iurisperitorum, &c. Si quid calamitosũm patiantur indignè. Siquidem ob similitudinem, vel naturæ, vel

Stoici refelluntur.

Quid misericordia Aristotel.

Misericordia est de malo alterius, quod indigne sustinet.

Misericordia est ad similes.

ræ vel officij vel status, vt reges Regum, & Principes principum, &c. commiserentur. Quia existimãt, quod sibi simile patiuntur, hoc idem posse eos pati. Ideo ait, quod ipse putat, se aut aliquem suorum posse pati: idem de consanguineis, aut affinibus dicito: quia propter eandem rationem horum magis miseremur. Veruntamen, tanta potest esse sanguinis cõiũctio, & propinquitas, vt nõ sit ad mala eorum misericordia vt pater filiorum, vel mariti vxoris, &c. Nanque misericordia est compassio ad malum alterius, quod indignè patitur: at vero ad huiusmodi personas valde coniunctas non est compassio, sed potius passio. Nam sicut nemo sui miseretur, est enim misericordia ad alterum: ita quoque ad personas qui reputantur vnũ esse nobiscum, non est cõmiseratio, neque compassio, sed potius passio quædam ex malis ipsorum, quæ ferunt, vnde mater si viderit filium suspẽdi, quia verbi causa latro erat, quanuis dignissimè suspendio tradatur nihilominus vehemẽter dolebit de filij suspendio, sed non compatietur: vt quodam exemplo Aristoteles manifestat de Amasi, cuius filius cum ad mortẽ duceretur, non est compassa, sed cum amicum filij mendicare aspexisset compassa est. Quod ergo malum patiuntur qui nobis sunt valde coniuncti, non est miserabile malum, id est faciens aut prouocans ad misericordiã: sed vocatur Græcis *deinoy*, id est graue malum, seu terribile, vel difficile malum. Alia igitur sunt miserabilia, alia terribilia, vel difficilia mala iuxta Aristotel. ibidem, illa sunt corruptiua omnia & contristatiua: quæ accidunt, indignè nobis notis amicis vel familiaribus: terribilia vero sunt quæ accidunt alijs nobis valde coniunctis, siue dignè, siue indignè patiantur. ¶ Quod vero ait Aristot. cum id propinquum videtur. Ideo ait, quia mala, quæ acciderunt olim vel quæ accident in futurum procul hæc non sunt miserabilia, id est, non prouocant audientes illa iam olim accidisse, vel olim futura ad commiserationem. Nanque cum sit tristitia de præsenti malo, quæ longe sunt à nobis siue præterita siue futura, non prouocant ad commiserationem, vel valde exiliter prouocant, vt cum legimus ventura fidelibus mala sub Antichristo, non compatimur, aut cum legimus, innumera mala, quæ passi sunt Iudæi referente Iosepho, vel quæ aliæ nationes passæ sunt, non compatimur, aut non similiter compatimur, atq; si essent præsentia, aut propepe futura. Quamobrem, ecclesia catholica, vt fideles prouocet ad compassionem mortis, & vulnerum Christi, quotannis repræsentat Domini mortem & crucem, non solum voce, sed signis exterioribus, vt quæ iam olim præterierunt repræsentatione, videantur præsentia.

Misericordia nõ est ad se ipsũ neque ad valde coniunctos.

Quæ sint miserabilia & quæ sunt dissicilia mala non miserabilia, sed magis mala quã miserabilia.

¶ Ex istis infertur, quod qui iustos esse credunt, & alios omnes iniustos, vt Pharisæus ille, qui iactans suam coram Deo sanctimoniam aiebat, Non sum sicut & cæteri hominum, &c. Isti igitur, nõ sunt misericordes, quia mala quæ alij patiuntur non opinantur indignè, sed dignissimè sustinere, sicut neque qui extrema sustinent mala, non miserentur, siquidem nihil amplius mali sibi fore inferendum arbitrantur, quam id quo ipsi premuntur. Ideo non compatiuntur. Itaque miserrimi homines, non sunt misericordes, vt neque fœlicissimi qui se securos, à lapsibus fortunæ censent: siquidem isti non putant se passuros aliquid mali, ideo de patientibus non commiserentur: illi vero quia extrema sustinent mala, alia quæ alij patiuntur non curant.

Qui non sunt misericordes.

¶ Similiter & ij qui irati sunt valde non miserentur, perturbatione eos non sinente alijs condolere. Quia futurum malum simile illi quod alter sustinet non considerant sibi posse contingere: ideirco, nõ condolent. ¶ Senes autem, & propter ætatis defectum, & propter experientiã, quam habent ex logo rerum decursu, ideo sunt misericordes: quia considerant sibi talia mala, quæ patitur is cuius ipsi miserentur posse ipsos sustinere. ¶ Itemque docti sunt misericordes, quia ex multa ratiocinatione colligunt, eisdem malis, quæ vident in alijs, posse ipsos succumbere: item viri imbecilles, & morbiculosi, item & fœminæ propter sexus infirmitatem, sunt compassiuæ misericordes.

Qui sunt misericordes.

¶ Porro autem, dicet continuo aliquis, & quomodo prædicamus Deum misericordẽ, si vera sunt quæ Aristot. hactenus docuit? Misericordes esse infirmos senes, qui non sunt felicissimi, & rursus, si commiseratio enascitur, eo quod alter patitur indignè, cum omnes homines simus dignissimi pœnis quas sustinemus, quippe mala quæ patimur, peccata nostra commerue-

rũt, qua ratione Deus, qui est potentissimus, beatissimus, qui alienissimus est ab omni malo canente psalmo, Non accedet ad te malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo, poterit hominum cõ misereri? Respondetur misericordiæ affectum procul esse à Deo, vt sæpè traditũ est, neque de hoc vertitur disputatio, sed de misericordia, vt pertinet ad appetitum intellectiuũ. Hæc quidem in Deo est: at vero, vt cætera omnia attributa diuina, sunt multo eminentius in Deo, quam in nobis, quippe non vniuocè, sed analogicè prædicantur de Deo, & nobis, scilicet, sapientia, scientia, potentia, & cætera huiusce modi: ita etiam & misericordia. Ideo Deus est summè misericors, quia vult à nobis expellere mala nostra. Et quia potentissimus est, & beatissimus, ideo vehementius curat nostram à nobis miseriam depellere, & suæ nos beatitudinis participio donare. Et quanquam coram ipso, nõ iustificabitur omnis viuens, at sæpè homines ab hominibus patiuntur iniurias, indignè, vt nobis sunt testimonio, sancti martyres, qui innocentes multa pro Christi gloria sunt perpessi tormenta. Et demum mundus plenus est clamoribus pupillorum, & viduarum, & infirmorum hominum, qui à potentioribus iniustissimè opprimuntur. Horum Deus quisapientissimus est, & omnia clarissimè cernit videt iniurias, quas tolerant, & quia potentissimus, & optimus est vindictam sæpè sumit, de inferentibus iniurias, vt in hoc vate perspicuè aduertere quilibet valebit.

Deus est misericors alia ratione quã homines sumus misericordes.

9. de ciuitate Dei. cap. 5.

¶Iam vero, de misericordia iuxta Augustini diffinitionẽ quædam proferamus. Finit Augustinus esse misericordiam alienæ miseriæ in nostro corde compassionẽ, qua si possumus subuenire cõpellimur. Et quidem hæc finitio, diuersa est à peripatetica. Siquidem, non ita modat essentiam misericordiæ, vt peripatetica. Rursus, quia Aristoteles nihil meminit de subuentione, quam Augustinus putat esse necessariam misericordiæ. Et quidem Aristoteles, non dixit hoc esse misericordiæ necessariũ, quod misericors si potest subuenire patienti miseriam subueniat. Aristoteles namque de affectu meminit misericordiæ, qui est dolor quidam vt præfinitum est: at vero, ad doloris essentiam, vel ad affectus substantiã, nihil exigitur subsecutio effectus. ¶Est enim ira appetitus

Collatio diffinitionũ Arist. & Augu. de misericordia.

vindictæ: cæterum etsi ira non expleatur accepta de aduersario vindicta, non ideo, non est ira, ita etsi is, qui condolet miserię alterius, ei non subueniat, nihilominus cõ dolet, vt faciunt auari, qui condolent pauperibus, at verò potentes subuenire, non subueniunt. ¶Porrò autem Augustinus intelligendus venit, non de affectu miseri cordiæ, sed de ipsa virtute misericordiæ. Est enim quædam moralis virtus, quæ dicitur misericordia, notior Theologis, quã moralibus philosophis. Hæc sanè virtus est in appetitu intellectiuo, est enim voluntarius habitus, vnde efficaciter displicet nobis miseria proximi. Efficaciter autem si displicet miseria necessum est, eam qui hoc habitu gaudet, à proximo patiente excutere. Hoc enim est efficaciter dolere, vel displicere sibi miseriam alterius. Aliàs si potentes subuenire, non subuenimus, non sumus verè misericordes, vt Ioã. dixit, si quis viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera misericordiæ suæ ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Insinuans potentem subuenire indigenti & non subuenientẽ, non esse præditum Dei charitate. Ita eodem modo de misericordia virtute dicendum venit.

Cur misericordia est virtus appellanda.

¶Et ratio quidem est perspicua quia autore Arist. 2. Ethic. c. 3. Ars, & virtus versantur circa difficilia. Quãobrem misericordia, vt sit virtus oportet illi tribuere, obiectum difficile operatu, est autem difficile malã aliorũ ab illis ex nostra substantia, aut ex nostra opera gratis depellere.

¶Vnde rari sunt qui eleemosynis incumbant, & sedulo vtilitati proximorum incumbant, quando scilicet oportet, & quomodo oportet. At vero condolere miseriæ alterius facile est: quia natiuũ est omnibus hominibus, nisi sint stipites, sicut stoici quidam volebant debere esse sapiẽtes, qui neque tristarentur de malis suis, neque de alienis. At isti philosophantur, aduersus naturæ humanæ ingenitam conditionem. Vnde in condolentia aut in cõmiseratione sola, nõ est collocata virtus: sed in commiseratione quando oportet, & quomodo oportet, & propter quid oportet. Itaq; affectum commiserationis, natura subministrat vt cæteros affectus: at vero virtus quos natura subministrat affectus moderatur, & corrigit, & hoc cũ sit difficile ob id promeretur virtutis nomen misericordia, vt & cæteræ virtutes.

Philosophi stoici contra naturam conditionẽ hominũ philosophantur contra quos Arist. 2. Ethic. c. 3.

¶At

¶At dicet aliquis non est difficile, obolũ offerre pauperi, est sanè verum, at vero misericordia, non ad vnum obolum solum se profert, imo ad vniuersa, quæ potest ab alio depellere mala qui ea præditus est: tam, videlicet, ad corporis mala, quam animi mala. ¶Enimvero, etiam sunt opera misericordiæ spiritualia, vt corporalia quæ recensentur, Matth. 25. Istud autem, est difficile valde, quod illa omnia qui potest subministrare subministret, quando, & quomodo oportet. ¶Rursum quæritat quispiam, quid ergo qui pretio conducti consilium dant insipienti, vt Iurisconsultis est mos, & procuratoribus causarum, num isti sunt appellandi misericordes? nõ arbitror: subueniunt enim alijs, nõ ex compassione ad eorum miserias, sed ex amore ad eorum pecunias. Misericordia autem ex compassione subuenit non ex pretio, Paulo testante, Hilarem datorem diligit Deus non ex tristitia aut ex necessitate. 2. Corin. 9. ¶Dare igitur stipendium, & recipere, contractus est iustitiæ, quæ mercedem porrigit propter laborem, non tamẽ est opus misericordiæ, nisi materialiter, quando propter subuentionem miseriæ, pretium exhibetur.

Hæc autem virtus misericordiæ, maxima moralium prædicatur à Theologis, secutis Augustinum in lib. 9. de Ciuit. Dei. cap. 5. vbi indicat Ciceronem, commendantem Cæsarem in hæc verba, nulla de virtutibus tuis, nec gratior, nec mirabilior misericordia est. Et est locus Ciceronis in oratione pro Q. Ligario. Quanuis locus hic probaret supposito, quod Cæsar omnibus esset ornatus virtutibus. Verum siue probet siue non probet, locus hic Ciceronis, refert nihil, quãdoquidem ratio adest, quæ id colligat, videlicet, esse maximam misericordiæ virtutem, moralium. ¶Et dixerim moralium, quia cũ virtutibus Theologicis, non est conferenda. Quippe Theologicæ virtutes habent Deum pro obiecto, & fine, fides enim, spes & charitas in Deum spectant: at vero misericordia habet obiectum creatum, non Deum ipsum pro obiecto. ¶Porrò neque puto omniũ moralium esse maximam misericordiam. Siquidem exceditur à iustitia legitima. Iustitia enim legalis, excedit omnes morales virtutes etiam ipsam misericordiã. Quippe misericordia etiam comprehenditur sub ipsa iustitia legali. Misericors enim facit quod debet subueniendo alijs, & ideo operatur secundùm iustitiam legalem, vn de secundùm Aristot. iustitia legalis, quia leges iustæ de omni bono opere distant, primatum tenet omnium moralium virtutum. 5. Ethic. c. 1. vbi inquit, quod neque Hesperus neque Lucifer est ea admirabilior. ¶Cæterum si ad particulares virtutes conferas, misericordiam excellit eas, vt pote, si conferas ad iustitiam particularem, excedit eam: & ita de reliquis virtutibus. Tu intellige si cætera sint paria, vt si pauperi indigenti, conferas argentum in eleemosynam, dignius est opus, quam si illud soluas creditori tuo, istud autem est iustitiæ opus, illud misericordiæ. Etiamsi magis tenearis, soluere creditori, quam pauperi porrigere modo extrema non occupet indigentia, vbi omnia sunt cõmunia. Porro vt ad id vnde sumus digressi remeet oratio, inde videlicet, vt probemus miseri cordiam esse præclarissimam moralium ad sensum prætaxatum virtutum. Et sumo mihi in fundamentum Aristot. doctrinam. 5. Ethic. cap. 1. tradentem esse iustitiam perfectissimam virtutum, quia est ad alterum: cum igitur misericordia etiam sit ad alterum: vt discernamus alterutram esse altera nobiliorem, oportebit discutere, vtra harum sit meliori modo ad alterũ. Quod si misericordia melius se habeat ad alterum, citra controuersiam, ipsa nobilior est iustitia commutatiua, & distributiua, de quibus est modo sermo. ¶At vero, misericordia melius se habet ad alterum, quam iustitia. Enimuero, iustitia ex debito, se habet ad alterum, nam vbi non est debitum ciuile, iustitiam ne requiras, vt nos in libris nostris de contractibus, satis expressimus: at vero misericordia non ex debito operat, sed ex gratuita liberalitate subuenit indigentibus. ¶Rursus quia iustitia, solum spectat contractus ciuiles, at misericordia ad multo plura se tendit. Quoniam misericordia, ad spiritualia & corporalia se diffundit. Sunt enim quædam misericordiæ spirituales, quæ longe clariores sunt, quam corporales. Illustrius enim est animam pascere verbo Dei, quam carnem nutrire alimento corporali. Itẽ quia præclarius opus est, & cunctis spectabilius, & amabilius, pascere pauperes, visitare carceres, potare sitientes, operire vestibus nudos, &c. quam vendere iusto pretio merces, & emere: aut quam conferre dignis be-

Iustitia legalis est omnis virtus. 5. Ethic. c. 5.

Misericordia est maxima virtutum quo modo sit habẽdum.

Probatur misericordiam esse præclariorem iustitia.

neficium expulsis indignis. Aut dignioribus, conferre beneficia, vel honores, magistratus, scilicet, & prætorias repulsis dignioribus. ¶Enimuero maximi beneficij ducitur apud mortales omnes depellere miserias ab alijs. Vnde misericordia, consinis, & satis est germana charitati, & sæpè vendicat sibi opus misericordiæ nomen ipsius charitatis. Et nulla alia morali virtute, magis imitamur dominum Deum, quã misericordiæ synceris studijs. Et Deus hoc nomine maximè se cõmendat apud mortales, quia misericors est siquidem Deus, vt misericordiam elargitur, nobis se præbet valde amabilem verum, vt iustitiæ opera exercet, se exhibet valde timendum. Quod si dixeris, ecquid nonne iusti homines iustum Deum imitantur, vt misericordes misericordem, cur ergo datur palma virtutum misericordiæ potius, quam iustitiæ cum sit iustus Dominus, & iustitias diligit? ¶Respondetur, in Deo vnum esse & iustitiam, & misericordiam, sola enim ratione discrepant hæc in Deo per respectum ad creaturas: quibus cum miseretur, Deus est misericordia, cum vero punit pro meritis est iustitia, cæterum quia proprius est Deo miseri semper & parcere, quam punire. Enim vero, ad misericordiam nobis impendendam, nihil est in nobis, quod Deum attrahat, sed ipse potius ex sua benignitate, se prouocat, vt nostri misereatur. Quippe si merita nostra expectaret, nunquam nostri quandiu in peccatis iacemus misereretur, ideo anticipat nos misericordiæ eius & quo citius anticipant nos diuinæ misericordię, eò vberius nostri miseretur verum multa sunt in nobis, quæ iustitiam eius prouocant. Nam si non reliquisset in nobis semen sicut Sodoma, & Gomorrha fuissemus, Isai. 1. Quamobrẽ, cum Deus sit propensior ad miserendum, quam ad puniendum, misericordes hanc Dei propensionem imitantur magis: ideo clarior est misericordia, quã iustitia. ¶At dicet forsan quispiam, & quid non satis nobis est charitas, quę diligit Deum propter se, & proximum propter Deũ, superfluit igitur virtus misericordię. At vero, à quærente, ego item quæram, & quid si charitate orbati sumus, vt plerunque fideles eorbantur, nonne tunc necessaria erit misericordia, vt commisereamur proximi, vt oportet, & quomodo oportet? Et sanè si argumentum conuinceret, eodem colligerem nullam virtutem moralem esse nobis necessariam, quia satis est charitas. Quid quod charitas, est tanquam domina virtutum moralium, quæ tunc vocat ancillas ad arcem, quando opera moralium virtutum quæ rectè ab ipsis prodeunt, dirigit in Deum vt in vltimum finem, virtutes igitur morales indigent charitate, propter meritum: quia charitate submota nullum est meritum. 1. Corin. 13. At vero charitas eget moralibus virtutibus propter ministerium: nam illis vtitur vt ancillis, ad humanas operationes exercendas. *Prou. 10.*

¶Quia igitur maxima est misericordiæ virtus, ideo, in voluntate, & non in concupiscibili reponenda est, vt & iustitia, eodem fruitur receptaculo. ¶Porrò autem, dicet aliquis, cur dixit Aristoteles, misericordiam esse dolorem de contristatiuo, aut corruptiuo alterius, quod indignè patitur, quid ergo si patitur dignè, eius non est miserendum? fac igitur diuitem ex vitio suo, quia luxuriosè viuens prodegit facultates suas, vt de Prodigo illo Lucas commemorat, num huic petenti eleemosynam, non erit porrigenda? Siquidem dignã suæ vitæ sortitus est paupertatem. Quid quod dominus præcipit, orate pro persequẽtibus vos, benefacite his qui oderunt vos. At vero inimici nostri indigni sunt quorum misereamur, & quæ patiuntur mala, si quæ videmus eos pati dignè patiuntur quia iniustas cõtra nos vt supponimus ducunt inimicitias. ¶Respondetur Aristot. sermonem habuisse de affectu misericordiæ, & rectè dixisse, hunc affectum excitari in nobis, quando videmus alium mala pati iniustè. Et quo indigniorem cernimus esse, vt mala patiatur, quæ patitur, eò maiori misericordia in eum ferimur. ¶At vero virtus misericordiæ Christianæ, altius se rapit, vt misericordiã Dei infinitam, pro suo modulo sapiat, videlicet vt misereatur eorum etiam, qui digne sustinent quæ patiuntur detrimenta. Vnde pater cælestis misertus est prodigi, qui substantiam suam prodegerat cum meretricibus, & ea paupertate premebatur, qua cogeretur ex porcorum vesci siliquis. Et quotidie miseretur peccatorum, qui indigni sunt venia, & dignissimè patiãtur mala quibus multi torquentur. Quocirca misericordes nos oportet esse, etiam erga inimicos, quanuis indigni sunt nostra misericordia, & pauperibus, qui ex sua culpa, lapsi *2. Rhet. c. 8.* *Lucæ. 15.* *Misericordia christiana.* *Matth. 5.*

lapsi sunt in paupertatem, misericordia item impendenda est, vt simus filij patris cælestis qui facit solem oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quam vero Deo sit cordi misericordiæ huiuscemodi officium ex dictis liquet. Etenim vates noster, multa & grauissima comminatus est mala nationibus finitimis Israelitis propter crudelitatem, quã exercuerunt contra Israelitas, imo & contra alias nationes: vt de Moabitis expresit contra Idumæos. Vnde Dominus misericordibus se præstat misericordem, & sæuis & truculentis, si licet sic fari sæuum se demonstrat. Vt de illo proditum est seruo, cui cum Dominus eius, Matth. 18. misericordiam præstitisset remittendi debitum, ipse nihilominus crudelem se exhibuit, alijs conseruis, cui Dominus: Serue nequam ait, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego misertus sum tui? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Et ibidem subdit, Sic faciet pater vester cælestis vobis, si nõ dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. ¶Et hoc idem insinuans Matth. 7. ait, In qua mensura mensi fueris remetietur vobis, idest, si fueritis misericordes, ero misericors, si tenaces & duri, tenax ero & durus. Quia cũ sanctis sanctus eris, ait Dauid, & cum peruersis perverteris. Vnde legimus. 1. Reg. 25. Nabal illum Carmelitam, erga Dauidem & socios fame pressos, humiliter petentes vitę subsidium fuisse durum, & immisericordem, & ideo emortuum est cor eius, & factus est quasi lapis, iusta quidem pro delicti qualitate pœna fuit affectus, sicut enim ipse exhibuerat se durum alijs, ita cor eius induruit sibi, quasi lapis: vt scriptura testatur. ¶Et quidem est mirabile dictu, quod Dominus iudicaturus viuos & mortuos, de operibus misericordiæ solum sit exacturus rationem, à iudicandis, Matth. 25. vt palam scilicet faciat, quod misericordes consecuti sunt æternam misericordiam, & duri, & tenaces, eam non consecuti, æternam ingredientur miseriam. Vnde Paulus hanc tenacitatem dissuadens, ait, Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictione, de benedictione meter vitam æternam. Quasi dixisset clarius, qui auari sunt, & tenaces, tenaciter agetur cum eis: qui vero largas pro ratione facultatũ subministrauerint eleemosynas, vberrima præmia reportabunt. Et quidem immisericordes, qui opem indigentibus non subministrant, sunt crudeles homicidæ. Nanque ex verbo Ambrosij, tales sunt dicendi, ait, pasce, fame morientem, quod si nõ pauisti, occidisti. Idẽ dicere poteris, vestinudum, qui ex nuditate, moritur brumalibus vexatum frigoribus, quod si non vestisti, occidisti, & ita de reliquis. Nos in declamatione de misericordia ad Isaiam, plura alia disseruimus dẽ misericordia, quæ huc vocare piget, qui volet indidem hauriat.

¶Supereſt argumenta Stoicorum absoluere, Stoicorum igitur referente Aristot. 2. Ethic. cap. 3. hoc erat dogma virtutem esse vacuitatem omnium affectuum. Et indicante Augustino loco prænotato, in hominem sapientem, nullus debet cadere affectus, siue timoris, siue tristitię, siue gaudij, siue misericordiæ, &c. ¶At vero vt ipse Augustinus cap. 4. & 5. meminit. Epictetus Stoicus, in libro quodam, de re hac edito indicat Zenonem, & Chrysippum Stoicæ doctrinæ primatum habentes, in animum sapientis non debere esse affectus; distrahentes eum à virtute ad culpam, tradidisse. Quia si huiusmodi affectus dominãtur, iam tunc sapiens nõ est, qui illis subditur. Verum affectus non dominantes, sed subditi animo sapientis, non Stoicam disciplinam rectè admittere. ¶Quocirca, misericordia, si hominem flectit, vt iustitiã peruertat, vtique hæc misericordia non est in anima sapientis, aut studiosi viri, quem vocabant ipsi sapientem. Item si ea sit tenacitas, vt nulli parcat, neque alicuius miserea tur rursus, huiusmodi affectus non est studiosi, cæterum si miseretur, quando oportet, & quomodo oportet, &c. sapiens admittit huiusmodi affectum; vnde Exodi 23. traditur pauperis non miserearis in iudicio. Qui igitur miseretur pauperis vt violet iustitiam, hic non est misericors, sed mollis: qui vero, quando oportet non miseretur, crudelis & durus est. Ideoque misericordia, inter hæc duo commoratur vitia, inter mollitiem, seu effæminationem, vt sic dixerim, & duritiem. Item de alijs affectibus tradunt dicendum commemorati sectæ Stoicæ principes. Id quod verum est, & consonum sane philosophiæ peripateticæ, & Academicæ, & Euãgelicæ doctri- *Solnuntur argu. Stoicorum.*

doctrinæ non dissonat. Vnde Paulus. 2. Cor. 7. Quæ secundùm est tristitia pœnitentiam in salutem, stabilem operatur: seculi autem tristitia, mortem operatur, & multa ibidē, de re hac loquitur. Atqui tristitia secundùm Deum est, quæ non absorbet mentem ad malum operandum, sed ad bonum faciendum: tristitia autem, quæ trahit mentem, ad Dei offensam; hanc vocat seculi tristitiam, & hanc esse mortiferam, affirmat. Vnde Christus sapientia patris cœpit tedere, & in agonia positus prolixius orabat, & Apostolis suis quos Spiritus sanctus imbuerat dixit, tristitia implebit cor vestrum. Et denique Stoici, qui vacuitatem omnium affectuum putant esse virtutem, reddunt homines stupidos, & stipites, quia humanam naturam volunt ab homine tollere: quia humanum est istis affici affectibus, siue sapiētes, siue insipientes: nisi quod sapientes illis bene vtuntur: insipientes vero abutuntur.

Humanū est affectꝰ pati.

Soluuntur argumēta Stoicorū.

¶Primo igitur dices argumento, misericordiam virtutem, non impedire electionē, & cōsilium: imo illa adiuuare. Item misericordiam affectum, si non declinet in mollitiem, quia tunc vitium est. ¶Secundo dices, affectum misericordiæ esse in cō cupiscibili: at virtutem, esse in voluntate: quia cum sit maxima in alium, optimam sibi deligit sedem voluntatem. ¶Tertiò dices ex Arist. 2. Rhet. cap. 9. Nemesim esse indignationem iustam quia est de prosperitate illius, qui indignus est tali prosperitate, vt qui indignatur, si viderit, quempiā indignum promoueri ad publica gerenda munia. Vnde Nemesis ex parte obiecti, est contraria misericordiæ. Nam hæc commiseretur de malo, quod indignè quis fert illa indignatur de bono, quo quis indigne fruitur. At vero ex parte modi non sunt contrariæ; quia sibi conueniunt, siquidem indignari de bono, quo quis indignè potitur, & commiserari de malo, quod quis indigne sustinet etsi sunt de contrarijs obiectis bono, scilicet, & malo at vero secundū modum nō sunt contraria; quia Nemesis, & misericordia, super indignitatem quandam feruntur, illa de bono accidenti indigno, hæc de malo contingenti etiam indigno. Aut si formalius loquamur vtraq; misericordia, & indignatio respiciunt malum: etenim, malum est quod indigne quispiam patiatur malum, & malum item quod indignus fruatur bono, vnde ex parte hac non sunt contraria misericordia & Nemesis. ¶Istis autē missis, iam hora est, vt nostrum vatem audiamus, quāuis hæc autem expediens fuit aliquantulum differere. Quia cū de misericordia sit frequentissima mētio in diuinis literis, placuit cōferre philosophica, diuinis, vt hæc, ex illo rū collatione magis clarescerent & vt explorata maxima misericordiæ celsitudine, quippeq; præfert omnibus moralibus virtutibus, quia etiam religionem, quæ est virtus habens in obiectum cultum diuinū exteriorem superat. Docente vate Osea, misericordiam volo, & non sacrificium, id est magis volo misericordiam, quam sacrificium, & cōtestante S. Ambro. lib. de offijs vbi ait, quod pro alendis pauperibus, pro redimendis captiuis vasa etiam initiata, idest consecrata diuino cultui confringere, conflare, vendere licet. Quapropter misericordiam exercere, semper oportet, esse in votis nris, sed de re hac hactenꝰ. *Et mittam* ignem, in *Moab, & deuorabit ædes in Carioth: Et morietur in sonitu Moab: & in clangore tubæ. Et disperdā iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo dicit Dominus.* Deuastandum regem Moabitarum, & palatia Carioth, quæ erat ciuitas insignis in regione Moabitarum euertendam, & magistratus Moabitas & primores, esse perdendos prædicit vates ob crudelitatem, ab ipso commemoratā vt qualia Moab intulit alijs, talia & ipse recipiat. Quia Deuter. 25. iuxta mensuram delicti erit & plagarum modus. De Carioth fit mentio Iere. 48. vbi connumeratur inter ciuitates Moabitarum, quas ibi prædicit desolandas, vt nunc Amos. *Hæc dicit Dominus super tribus* sceleribus *Iuda, & super quatuor non conuertam eū: eo quod abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit.* Septimo loco procedit vates contra tribum Iuda, postquam inuectiuā propheticam texuerat contra nationes finitimas, verum non Iudæ tribum, carpit specialiter ex crudelitate exercita in alias nationes: vt carpserat, nationes sæpe iudicatas, sed primo in genere eos reprehēdit de scelere iniustitiæ contra legem Dei, vt eā iustitia legitima est omnis virtus, teste Arist. 5. Eth. ita & iniustitia illegitima est peccatū omne. Quia non volens obedire legi Dei in omnia peccata labetur. Pro mandatis, legitur Hebra. cæremonias. 4. exprimit quo modo non obedierint duæ tribus

Quid Nemesis.

tribus, scilicet, Iuda, & Beniamin diuinæ legis, quia cæremonias à Deo præceptas in diuino exercendo cultu non obseruauerint. *Deceperunt enim eos idola sua*, falsus cultus idolorum decepit has tribus, sicut & decem alias tribus, ideoque ob veterem consuetudinem in superstitioso cultu idolorū, & ob alia peccata, quæ sub hoc quod erat caput omnium peccatorum, indigni erāt vt à Deo conuerterentur, & veterem consuetudinem exponit verbis subdēdis. *Post quæ abierunt patres eorum. Et mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ierusalem.* Simili docet esse agendum pœna contra prædictas tribus, ei quam dixerat, contra alias nationes Deum esse processurum. Et ita fuit quia Chaldæi, deusserunt igne templum Domini, & palacia seu nobilissimas principum domos combusserunt, quando in captiuitatem deduxerunt Iudæos.

Hæc dicit Dominus, super tribus sceleribus Israel, & super quartum non conuertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calciamentis, vltimo loco agit cōtra decē tribus, simili forma locutionis, qua & cōtra cæteros commemoratos egerat hactenus. Hos autem taxat de auaritia, ideo ait, eo quod vēdiderit Israel, idest, Israelitæ pro pecunia iustum, idest, iustitiam concretum pro abstracto. Hoc est, cum causam agerent Israelitæ contra alios Israelitas, qui iniustam causam habebat, contra alium corrumpebat iudicem pecunia, vt iustam causam habentem damnaret. *Et pauperem pro calciamentis*, vel pro pari calciamentorum. Hoc quoque verbo taxat effrænem cupiditatem Israelitarum, qui pro re vilissima, quam intelligit per calciamenta vendebant causam iustā pauperum. ¶Sunt qui aliter elucident locum recensentes, quatuor scelera Israelitarum, primum fuit venditio Ioseph, Genes. 37. secundum fuit adorare vitulum conflatilem, Exodi. 32. Tertium in negatione Dauid. 3. Reg. 12. quando fecerunt schisma in regno Dauidico, constituentes sibi Regem Ieroboam. Quartum fuit, Christum negantes, quod summum fuit omnium scelerum. Verum quia hic solum procedit Amos, contra decem tribus, scelera autem numerata, non solæ tribus decem admiserunt, sed & aliæ tribus. Nam adoratio vituli generale fuit peccatum, neque excipitur tribus Iuda. Itemque Christi negatio. Quid quod, consequentia non iuuant hanc expositionem, videlicet, vendidistis pauperem pro calciamentis, ideo videtur, exponendum esse locum vt exposuimus ad literam. ¶Quod si scisciteris, cur loco vltimo, vates agat contra decem tribus respon. causam esse, quia Prophetæ primarium institutum est in hos inuehi, ideo eorum postremo memoratur, quia reliquus prophetæ sermo, ad calcem vsq; prophetiæ, cum Israelitis maxime est habendus, declarando eorum scelera speciatim. ¶De duabus autem tribubus Iuda & Beniamin, quasi perfunctoriè pertractat, pertractationem prolixiorem, remittens Ieremiæ, & Ezechieli, & Danieli: quia cōtra has duas prolixius egerunt: sub quorū temporibus duæ tribus extremas passæ sunt miserias. *Qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum: & viam humilium declinant.* Sæuitiam Israelitarū, contra alios Israelitas pauperes, ostendit. Quasi dixisset apertius, adeò habetis despectos pauperes, & eos opprimitis, velut si haberetis eos conculcatos pedibus vestris, obrutos luto, & puluere, vocat humiles directos, quos dixerat pauperes. Declinare autem viam pauperum, est eorum non commiserari. At vero in Ecclesiastico cap. 4. legimus commiserendum esse pauperū. Oculos, inquit, tuos ne transuertas à paupere. Et infra. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram, idest, ex pauperis despectu. Et rursus. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam. Declina, idest, inclina aurem tuam. ¶Quocirca isti Israelitæ meritò carpūtur à Propheta: quia nō inclinabāt oculos suos pauperibus: imo declinabant viā humilium, idest, pauperes contemnebant, & viscera misericordiæ illis claudebant. ¶Aut per humiles, intellige viros sanctos, qui id temporis erant. Nam omnes sancti viri humilitatem valde colunt, est enim humilitas autore Gregor. fundamentum omnium virtutum. Vt enim culmina domorum, quæ in altum se valde tollunt, in humili fundamento radices habent, & figunt stabilimentum, ita virtutes, quantumlibet heroicas eas dixeris, nisi humilitate constituantur, necesse est se præcipitio dare. Horum humilium viā, idest opera, & verba declinabant praui Israelitæ. Prophetas ridentes, & Sanctorum aliorū opera, contemnentes, vt moris est impijs hominibꝰ, iustos & pios subsannare homines, vt Christum ipsum deridebant etiam Phari-

Humilitas est fundamētum virtutum.

Pharisæi *quia auari erant*, Lucæ. 16. *Et filius & pater eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum.* Postquam culpauit eos, de auaritia & de crudelitate in pauperes, iam nunc de salacitate, eos reprehendit, non quacunque, sed incestuosa ex qua pater & filius coibant eandem puellam. Vnde violabant nomen sanctum Dei.

¶Fideles enim quia profitentur legem sanctam Dei, & profitētur, se esse cultores veri Dei, qui est sanctus supra omnem sanctitatem, est enim fons & origo totius sanctitatis: ideo si professores diuini veriq; cultus, non habent tales mores, quales professionem decet videntur violare nomen diuinum, quod colunt. Vnde Paulus, hoc ad Rom. 2. insinuans ait, nomen enim Dei blasphematur per vos inter gētes. Id quod obiecerat prius Ezechiel. 35. suis contribulibus Iudæis. ¶Siquidem ex corruptione morum, putant infideles, corruptam esse legem fidelium, quare, & vituperant eam falso credentes vitia fidelium, à sua lege proficisci: cum alioqui procedat ab eorum arbitrio, quod procliue est ad malū: vt & cæterorum hominum, nisi sedulo ab eis curetur, ipsum Deo opitulante corrige re. Vt item infideles ædificantur si obseruent integros esse fidelium mores. Vnde 1. Petri. 2. Conuersationem vestram, inter gentes habentes bonam: vt in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Et paulò infrà, vt benefacientes obmutescere faciatis, imprudentium hominum ignorantiam. ¶Itaque vt ex sinceritate operum quam vident infideles lucere infidelibus Deum glorificant, ita ex corruptione, Deum blasphemant. ¶Propter quam causam Dominus ait, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est, Matth. 5. Et ad Philippen. scribens Apostolus cap. 2. qui incorruptam vitam ducebant coram gentibus infidelibus, inquit, inter quos lucetis sicut luminaria in firmamento cæli.

Fidelium mala conuersatio infidelib⁹ valde nocet vt bona valde proficit.

¶Memini me audisse quendam pro concione, dicentem, Christianos pessimè audire, apud Indos, quando primum subiugati sunt imperio Hispano, atque hoc referebat verbum esse Indorum, cum audiebant nostrates coram eis concionantes, & regnum cælorum concrepantes, si Christiani isti, aiebant, qui huc venerūt, nos subiugaturi in cælum sunt ituri, nobis nō est animus illo eundi: quia cum tam pessimis hominibus, non placet commorari: vides ne quomodo blasphematur nomen Dei propter corruptos fideles. Vides rursus, quanti referat incontaminatos gerere mores, tantisper dum inter infideles, fideles agunt. *Et in vestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare: & vinum damnatorū bibebunt in domo Dei*, legimus in Deut. 24. Si autem pauper est, nō pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum: vt dormiens in vestimento suo, benedicat tibi. ¶Isti autem Israelitæ immemores huius præcepti, crudeliter agebant in contribules suos. Nam vestibus quas ipsi ab eis extorserāt in pignora pro debitis pecunijs, abutebantur. Siquidem accumbebant in eis noctu sternentes eas in lectis suis. Imo in cultum idolorum dormientes iuxta aras, illas illò deferebant accubituris super eas. Est autem contractus pignorationis, alienus ab huiusmodi vsu pignoris. ¶Enimvero, qui recepit aliquid in pignus; non potest inuito domino, eo abuti, siquidem pignoratio non transfert dominium rei pignoratæ, cū igitur is apud quem est pignus repositum, nō sit dominus pignoris, eo vti minime licet, vt nos abundè in praxi nostra Theologica diſseruimus. *Et vinum* Israelitæ, qui iudicandi alios habebant facultatem, vt magistratus eorum, atque prætores, pauperes iudicando, damnabant in certa vini quantitate, illis porrigenda: id quod bibebant in templo Dei. Vnde ex duplici nomine redarguendi, & quia vinum iniquitatis bibebant, erat nanque illa damnatio iniqua & vinum ex rapina: & item quia vinum ex iniusto iudicio comparatum, bibebant in loco sancto, vt si fures diuiderēt furto sublata, in domo Dei, vbi potius docetur restitutio furti, & damnantur fures. Et hoc loco bibere vinū, præ se fert ebrietatem, vt scilicet vacarent ebrietati Israelitæ, ideo imponebant mulctam vini iniustam pauperibus. Nam de mulcta iniqua videtur locus hic accipiendus. Siquidem prædixerat Israelitas esse contemptores pauperum, & quod vendebant eorum iustitiam. ¶Quod vero ait, *in domo Dei sui* referri etiam potest ad phana idolorum: quia adiecit sui, vel ad templum Dei, vt enim exaggeret Israelitarum petulantiā, ait

Non licet vti pignore.

ait in domo Dei sui, quem cū debuissent ibidem colere sanctis operibus offendebant tamen crapula, & ebrietate ibidem debacchātes. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo Cedrorum altitudo, & fortis ipse quasi quercus: & contriui fructum eius desuper & radices eius subter.* Deuter. 2. & latius Numer. 21. proditum est filios Israel, redegisse in ditionem suā Deo concedente Amorrhæorum regem Sehon, cum gente sua & illis deletis Israelem possedisse terram, & opes eorum. Et quia Amorrhæi, erant potentes valde, & opulentissimi, ideo altitudo eorum esse altitudinem Cedrorum traditur per altitudinem, sublimitatem potentię subaudiēs. Nanque fortissimos, Moabitas vt ibidem traditur Sehon rex Amorrhęorūsubegit. *Et fortitudo eorum* confertur quercui quæ fortissima arbor est, & est hyperbolica locutio. Cedri quas profert Lybanus mōs, sunt productissimæ. Vnde Eccles. 24. cō memoratur quasi Cedrus exaltata sum, in Lybano: significatur igitur, maxima potestas, & mundana gloria Amorrhæorum. *Per fructum eius* intellige prolem Amorrhæorum, & per radicem parentes. Sensus igitur est, deleui parentes & prolem Amorrhæorum, propter Israelitas. Et hæc eò tendunt, quo Deus demōstret, exprobet ingratitudinem Israelitarum erga Deum. Quippe tantorum beneficiorum in ipsis collorum immemores Deum beneficentissimum sprenerunt. *Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti & duxi vos in desertum quadraginta annis vt possederitis terram Amorrhæi.* Amorrhæi populi erant habitantes trans Iordanem ad orientem Iudææ Genes. 5. Et item filius Chanaan Genes. 10. Exitus autem de Ægypto, traditur Exodi 14. Qui fuit celeberrimus, & diuinam potentiam maximè cōmendans & amorem diuinum, & munificentiam diuinā erga Israelitas magnopere testificans. *Et suscitaui de filijs vestris in prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos: nunquid non ita est filij Israel, dicit Dominus?* Postquam exprobrauerat ingratitudinē eorum ex beneficijs illis collatis corporalibus, nunc idem inculcat vates in Dei nomine enarrans beneficia spiritualia, illis impensa. Siquidem prophetiæ donum, contulit Israelitis. Nam prophetas illis concesit ex suo genere, & alijs nationibus munus dropheticum non contulit. Istud autem fuit spirituale beneficiū, prophetæ enim dirigebant Israelitas in agendis, & illuminabāt mentes eorum vt Deū sine errore cognoscerent. Nazaræi autem erant viri tunc religiosi submoti ab strepitu, & negotijs seculi vnde interpretatur Nazaræus separatus, vel sanctificatus si scribatur per Zain. Si vero per Zade, significat custoditum, aut floridum, &c. Hoc autem loco, significat sanctificatos, quia scribitur per Zain, & Græca habent sanctificatos.

¶Vnde Sanson scribitur Iudic. 13. fuisse Nazaræus, & de Nazaræis, fit mentio, Numer. 6. Deuter. 33. ¶Est autem singulare Dei beneficiū, quod ex hominibus quosdam sibi dedicet, & sanctificet, vt isti sanctificati precibus suis promereantur Dei gratiam, ad sanctificandum alios non sanctificatos. Quanuis enim de condigno solus Christus promeruit gratiam omnibus hominibus, quippequi vere fuit sanctificatus, quem pater ait, Ioan. 10. Sanctificauit, & misit in mundum vos dicitis, & Lucæ 2. Quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei. Et obiter tu intellige, Christum tradi fuisse sanctificatum, non quod ex nō sancto, factus fuerit sanctus: vt nobis accidit, quando ex peccatoribus iustificamur. ¶Siquidem Christus ab instanti suæ conceptionis fuit verus Deus & homo, ideo continuo fuit ille homo Christus sanctus sanctorum, & quatenus Deus, & quatenus homo. At vero vocatur sanctificatus à patre, quia pater ostendit eum esse sanctum, patefaciens verbo, & opere Christum esse filium Dei vni genitum. Aut si mauis ex eo dicitur sanctificat⁹, quia humanitas Christi ex vnione hypostatica ad diuinum verbum reddita est impeccabilis: quæ alioqui sibi relicta, peccabilis erat. ¶Christus igitur aptè appellatur Nazaræus, quia teste Paulo Hebr. 7. Sanctus est, & impollutus, segregatus à peccatoribus. ¶Itemque secundū aliam vocabuli interpretationem, aptissimè sibi congruit Nazaræi nomē: quia floridus est, vt in Canticis commemoratur. Ego inquit sponsus Cantic. 2. Flos campi & lilium conuallium, & scite campi flos, & conuallium lilium. Flores enim campi citra culturam enascuntur, & succrescūt, & item lilia conuallium. Nam quæ sunt hortorum flores, & lilia, hæc indigent cultura humana: quotidie enim sub æstu rigantur

Christus quomodo dicatur sanctificatus.

gantur, vt ſemper ſint vernantes. Chriſtus igitur, quia ſine ſemine virili, ſed opera Spiritus ſancti fuit conceptus, ex inconta minato virginis vtero, ideo rectè ſolus ipſe promeruit de condigno gratiam primam ſuis fidelibus, verum, vt ſummæ gratiæ fuit humanæ naturæ talem ſanctificatum concedere Deum, ita diuini muneris erat, quod Deus donaret Iſraelitis, Nazaræos, ideſt ſanctificatos viros, qui Deo cõciliarent populum: habet autem eccleſia, huiuſmodi ſanctificatos, ſeu Nazaræos, & ſi non ſecundum ritum antiquæ legis, ſecundum tamen diſpenſationem euangeli cæ gratiæ. An non dices Nazaræos, omnes martyres fuiſſe confeſſores, atque ſanctas virgines, quippe qui ſuis precibus nobis iugiter precantur veniam? Et rurſus eccleſia Dei in carne etiã nũ degẽtes plures habet Nazaræos, quia religioſi viri, eccleſiæ doctores, & prælati quorũ intereſt verbo, & exemplo concreditos ipſis paſcere greges rectè appellabis Nazaræos. ¶ Quod ſi Deus exprobrat ingratitudinem horum Iſraelitarum, quia ex genere ſuo creauit prophetas, & Nazaræos ſibi addixit, & hoc meritò: quia iſtud erat ſingularis munificentiæ. Enim vero ſi rex quiſpiam ex quadam familia ſuorum ſubditorũ, ſibi deligeret in familiares ſibi, atque amicos, vtique nobilitaret oppido familiam illam, & ſi illa ingrata eſſet regi, iure optimo eſſet exprobranda illius ingratitudo. ¶ Quid quod vituperanda erit, & abominanda, inueterata ingratitudo Iſraelitarum, qui à morte Chriſti extiterunt vſque modo? Quandoquidem verbũ Dei patris ſibi coæternum carnem humanam ex genere ipſorũ accepit quod eſt Chriſtus Dominus, qui eſt Dominus omnium prophetarum. Et Apoſtolos, atque diſcipulos ex eodem ſibi addixit genere, qui ſuperant omnium Nazaræorum ſanctitatem, nam primitias Spiritus ſancti accepe runt, quos conſtituit Chriſtus principes ſuper omnem terram, vt docerent omnes gentes viã ſalutis æternę. ¶ Adhæc ſi Dñs exprobrauit incredulitatem ſuorũ Apoſtolorum, quia ijs qui viderant eum ſurrexiſſe à mortuis non crediderant, quanto magis exprobranda venit incredulitas Iudæorum, qui neque Apoſtolis neque diſcipulis Domini, qui fuerunt teſtes oculati reſurrectionis & Aſcenſionis in cælum dominicæ, & numeroſis alijs miraculis, & teſtimonijs fidem non habent? Quam ob rem ipſis à morte Chriſti vſque modo illud accidit, quod Pſalmidicus præuiderat dicens, Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & angelus Domini perſequens eos. Siquidem in dies labuntur amplius, dum amplius lapideſcit eorum perfidia, & eorũ mens denſius obtenebreſcit, dum à luce Dei quæ eſt Chriſtus diſtantius elongãtur. *Et propinabatis Nazaræis vinũ: & prophetis mandabitis dicentes, ne prophetetis.* Nazaræorum erat religio, abſtinere à vino, verum Iſraelitarum peruerſitas, Nazaræorum ſanctitati inuidens eos corrumpebant vini potatione. Et prophetas Dei tacere faciebant, ea enim erat horum obduratio: vt Dei vates conſultius eſſe ducerent, illis non prophetare, quam prophetare, Eccleſ. enim 32. vbi non auditus non eſt ait, ne effundas ſermonem, & Dominus item præcepit, Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas coram porcis Matth. 7. Et vnde rectè dixit Ethnicus ille, fruſtra niti, & nihil aliud quam odium quærere extremæ dementiæ eſt. Vnde & illud, *in tempore illo ſapiens tacebit.* Et non ſolum hac ratione tacebant prophetæ Domini, imo & alia, quia à principibus eis mandabatur ſilentium. Vt infra capit. 7. Amaſias, dixit Amos, quid vides? id eſt eur prophetas? gradere in terram Iuda. Et apoſtolis magiſtratus Iudæorũ præceperunt, ne euangelizarent, Actor. 5. Quibus Petrus reſpõdit, melius eſſe Deo parere, quam hominibus. Siquidem ſi ex prophetico ſermone, aut euangelica prædicatione, nullus ſperatur profectus audientium, imo timetur offenſa, tunc ſatius eſt ſilere, quam loqui: verum ſi multorum ſperatur profectus, tunc ſanè ſcandalum Phariſæorum, negligendum eſt, imo rumpendum eſt ſilentium, & dicendum cum Petro, melius eſt obedire Deo quam hominibus. Maximè ſi nulla ſperatur opportunior occaſio, prædicandi diuini verbi, quam ea, quæ tunc offertur. Tunc enim non habet locum quod Saluſtius aiebat, non enim ſtructa nititur tunc prædicator, imo vtiliter nititur, ad profectum multorum: quod ſi odium generatur in maleuolis, in pijs Dei amor ſeminatur. ¶ Modo tamen, quoad fieri liceat, & verbo, & facto offenſam, etiam Phariſaicã deuitet. Nam ſunt multi concionatores effrænes, linguaces, qui temere

Pſal. 34.

Amos 5.

Iudæorũ maxime improperãda eſt incredulitas & perfidia.

Marc. vltimo.

Quando tacendum, quando loquendũ ſit prædicatoribus.

temere profundunt verba pro concione reprehendentes vicia auditorum. Quod ſi generali ſermone id fieret, nullus offenderetur: at ſæpè etſi perſonam in quam inuehuntur non nominant ex proprio nomine ex circunſtantijs tamen quas pro ſuggeſtu proferunt, etiam rudibus eam patefaciunt Id quod ſeminarium eſt odij concipiendi contra huiuſmodi prædicatorem: vnde non molleſcit auditor, vt reſipiſcat, ſed potius induratur, vt non reſipiſcat. Maxima igitur prudentia neceſſaria eſt declamatoribus diuini verbi, vt lucrentur Deo animas auditorũ, ſi quas viderint in peccatis iacere, videlicet ea vtetur arte, vt peccatorum grauitatem exponat, periculum illorum doceat gehenna deterreat, vita æterna mulceat. Ipſos autem peccatores, qui ſint neque inſinuet. Prædicatores enim non ſunt iudices, ſed doctores chriſtiani populi: & ſuggeſtus non eſt tribunal, ad proferendam ſententiam contra reum, ex allegatis, & probatis, ſed eſt cathedra cæleſtis magiſterij, ad erudiendum inſipientes in via Dei. Iudicibus autem fas eſt, imo illis ex officio incumbit, reos publicare ex ſua ſententia, ad punitionem ſuorum delictorum, & ad exemplum aliorum: at vero doctoribus, non hoc incumbit, ſed per diuinas ſcripturas, & per ſanctorum patrum documenta, populum fidelium ſanam, & irreprehenſibilem tradere doctrinam. Lac exprimendo paruulis in Chriſto, adultiores cibo ſolido paſcendo: tu interim obſerua circa verbum illud, *Propinabatis vinum Nazaræis*, eſſe graue peccatum, prouocare religioſos viros vt violent religionem, quam ſunt profeſſi.

¶ *Ecce ego ſtridebo ſuper vos ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Plauſtra, quo onuſtiora ſunt, eò ſtridunt vehementius. Et quid compreſſerint ſubtus rotas valde dilacerant, ex nimia enim ponderis grauitate, qua ſunt onerata, neceſſe eſt, vt quæ ſubtus preſſerint vehemẽter comminuant: in quem prope modum, Dominus ait, ſe geſturum cum Iſraelitis. Quorum cum iam ingratitudinem ſingularem expreſsiſſet, ingratitudinis ſupplicium expreſsit verbis iſtis. Et ſenſus eſt, ego vos grauiſsimis affligam pœnis. Vt plauſtrum onuſtum fœno, valde affligit ab eo oppreſſa. *Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam.* Ideſt me caſtigante veſtra ſcelera, nullus poterit eluctare, quia contra diuinum conſilium, nulla eſt poteſtas, quæ illi poſsit repũgnare. *Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam: & robuſtus corde, inter fortes nudas fugiet, in illa die, dicit Dominus.* Ampliatio eſt prioris ſermonis, id eſt neque pedites, neque equites, neque robuſtiſsimi quique euadent meam vltionem, quam commeruerunt ex ſceleribus ſuis. Quia tandẽ traditi ſunt ſub Aſſyriorũ poteſtate, vt ſupra non ſemel eſt commemoratum. Vſurpatur autem hic, vt alias ſæpè ſingulare pro plurali, vt fortis pro fortibus, velox pro velocibus, &c.

EXPLANATIO IN AMOS. CAP. III.

AVDITE verbum, *quod locutus eſt Dominus ſuper vos, filij Iſrael: ſuper omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti.* Perſiſtit adhuc vates, in exprobranda ingratitudine fœdiſsima horum Iſraelitarum, & in prænuntianda Dei iuſtiſsima vindicta quam Deus cepit de Iſraelitis per Aſsyrios. Et prophetia hæc videtur proferri contra duodecim tribus: quia ait, & ſuper omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti. Nam promptum eſt, quod omnes duodecim tribus eduxerit Deus de terra Ægypti, *Eduxi* eſt mutatio perſonæ, pro eduxit Dominus *ſuper vos*, id eſt contra vos. *Dicens, tantum modo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* Deus ſolum elegit Iudæos ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, vt eſſent ſibi populus familiaris. Id quod eximiæ fuit charitatis erga Iudæos ſymbolum, quandoquidem non erant ſanctiores ex ſe parentes Iudæorum, quos elegit Deus quam omnes alij homines, cum Thare pater Abrahæ, fuerit idololatra, & Abraham ab ea ſubductus ex diuina clementia fuerit: quia credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Vnde traditur Eccleſiaſt. vigeſimoquarto. Omnes homines de ſolo, & ex terra vnde creatus

Diuinæ volũtatis non eſt petẽda ratio.

tus est Adam: in multitudine disciplinæ Dominus seperauit eos, & immutauit vias eorũ. Et ex ipsis benedixit, & exaltauit. Et ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit. Et ex ipsis maledixit, & humiliauit. Siquidem nationem Hebræã sanctificauit Deus, & cæteras nationes, in suis permisit esse pollutionibus: quanuis alioqui omnes essent terreni homines & peccatores, vt primus homo. Neque aliam causam huius delectus Ecclesiasti. asſignat, nisi quã Paulus etiam exhibuit, quia omnes homines sunt sub diuina potestate, sicut lutũ, quod est in manu figuli. In cuius est collocatum arbitrio, plasmare, & formare lutum, seu ad honorem, vt quando format vasa ad cibum, vel potum apta, aut ad contumeliam, vt quando matulas, vel vasa lotij facit ad excipiẽdas corporis nostri immunditias, id quod vt per transennam, enodemus intelligere oportet rectè, ne tibi paret fidei offendiculum, cum audis Deum facere vasa in contumeliam.

Ad Romanos 9.
Isaiæ 45.
Ierem. 18.
Aduerte Pauli intelligentiam.

¶ Enim vero Deus in exordio orbis creans primos homines, eos fecit vasa honoris, & non contumeliæ. Quando quidem sanctos creauit protoplastos nostros. Ecclesiast. 17. At vero ipsi violantes Dei mandatum, se se reddiderunt vasa contumeliæ: & posteritatem totam vasa in contumeliam esse fecerunt. Omnes enim in Adam peccauerunt ad Roma. 6. Vnde Adam fecit omnes homines esse vasa in contumeliam, quippe omnes qui ex naturali cõcubitu nascimur infecti lepra originalis culpæ: quippe qui nascimur filij iræ. At vero Deus ex vasis iræ nos formar ex sua benignitate in vasa misericordiæ. Non tamen omnes ad hanc rationem format in vasa misericordię, sed cuius vult misereatur, & quem vult indurat. ¶ Porro figulus ex arte sua facit vasa quædam honesta, & alia inhonesta & vtrunque figulinæ artis opus est. Cæterum quod quidã homines ab æterno figulo vasa fiãt honoris, diuinę gratię est, quod vero alij sint vasa iræ, non est diuinæ artis operatio, sed nostræ culpæ est damnatio. ¶ Quam obrem comparatio hæc qua diuini vtuntur autores, non opus est, vt conueniat in omnibus, vt vidisti: verum quia vasa iræ à Deo permittuntur, vt in peccatis degant, & in eisdem vitam finiant, ideo ex phrasi scripturę, permissiuę, tradũtur fieri à Deo

Ephes. 2.
Ad Romanos 9.

vasa iræ apta in interitum. Sicut & illud Isaiæ, Ego cõtaminaui principes vestros, *Isaiæ 43.* ideſt permisi, vt contaminarẽtur. Et illud, Ego indurabo cor Pharaonis, & alia hoc *Exod. 7.* genus quæ passim lectitantibus sacras se *Exod. 10.* se offerunt musas, de istis hactenus, quia *Exod. 14.* satis de illis. v. Senten. disseruimus. *Idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Oportet, propter contexturam, aliquid subaudire, ideſt, quia vos elegi in populum mihi peculiarem, & alios populos neglexi, ideo animaduertam in vos acrius, quia ingratiores mihi estis reliquis. Nam qui constringebamini ex specialib⁹ beneficijs vobis collatis supra omnes gentes, ad singularem mihi præstandam obedientiam, contra tamen euenit, perulcaciores enim estis, omnibus aliis nationibus. *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?* Græca sic habent, *si ambulabunt duo in idipsum, omnino si non notum fecerit sibi ipsis.* Et quid velit litera hæc, non est obscurum, at quorsum modo hæc dicuntur, nõ est ad modum perspicuum. certũ enim est, quod si duo, vel multi disponant simul abire in locum aliquem, an requam abeant, consultant inuicem de negotio ab eis absoluendo. Vt si qui disponant, in regis abire curiam, primo conuenitur inter ipsos, de re tractanda in regis curia ab eis, verum sub verbis istis metaphoricè, subnotat vates quanti fiant prophetæ apud Deum. Siquidem quod loquuntur, ex ore Dei loquuntur. Non *2. Petri 1.* enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto afflati locuti sunt sancti Dei homines Petro testante. Ideoque prophetæ sancti ambulant cum Deo, vnde nihil promunt in Dei nomine, de quo nõ sit conuentum inter Deum & prophetam, quod illud sit promendũ. ¶ Et est solutio tacita obiectionis Israelitarum, quia obloquebantur prophetis comminãtibus eorum exterminationem per Assyrios, non accepisse illud vaticinium à Deo, sed ex proprio cerebro esse confictum: ideo non esse eis credendum. Vt accidit Ieremiæ, qui coniectus est in carcerem à Sedechia rege Iuda, non credente Ieremię, & item de alijs sanctis prophetis: quos increduli putabant, esse phanaticos, & non esse missos à Deo. ¶ Hanc igitur tacitam obiectionem soluit modo vates, dicẽs, quod prophetæ simul ambulant cum Deo, quia cũ procedũt ad vaticinandum

nandum à Deo legantur: qua propter, si à Deo mittuntur, quæ promunt vaticinia à Deo habent quare veracissima sunt: quia Deus neque falli, neque fallere potest. *Nunquid rugiet leo in saltu nisi habuerit prædam?* Id est nunquid rugiet leo in saltu, & præda non erit illi. Quia consuetum est leonibus rugire, quando prædam habent paratam. Vnde rugitus leonis signum est prædæ.

¶ Qua metaphorica locutione insinuat, quod si Deus rugit per suos prophetas comminando, exterminium Israelitarum aut aliarum gentium, quod certissimum est signum venturi exterminij, quod intelligit per prædam.

Lege Oseæ ca. 11. & Ioelis capit. 1.

¶ Deus sæpè se confert leoni rugienti, quando comminatur per vates suos summa ventura mala, alicui nationi, vt supra in cæteris prophetis expensum iam est. Et declarat modo, quod dudum dixerat conuentum esse inter Deum & suos vates, de re quam ipsi vates, prædicunt venturam in nomine Domini. *Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* Repetitio est prioris sententiæ, Idem insinuans, Deum non frustra comminari per suos prophetas, sed quod comminatur certissimè accidet. Tu semper intellige, nisi sententiam comminatam per prophetam, pœnitentia delinquentium non mutauerit: vt contigit Niniuitis. At forsan obijciet quispiam, & quid nonne nonnunquam, rugiente leone propter prædam, quam satagit rapere, præda euadit capturam? Sanè aliquando accidet: at raro, quia leo est fortissimus animalium? Vnde vehementius firmatur verbum vatis, si enim præda rugitum leonis vix euadet, comminationem potentissimi Dei quomodo vos euadetis? *Nunquid cadit auis in laqueum terræ absque aucupe?* Quasi dicat non. Rursusq; idem alia metaphora repetit, ad maiorem vehementiam orationis. Sicut enim aues non capiuntur ab aucupe, nisi præmisso laqueo in terra posito, ita & vos Israelitæ, capiemini irretiti laqueis Assyriorũ, qui vos abducẽt in miseram captiuitatem. Assyrios confert aucupibus, & exercitum Assyriacum laqueo, & Israelitas auibus. *Nunquid auferetur laqueus de terra cum omnino nihil ceperit?* Non aufert laqueum auceps, donec aliquid capiat, ita & Assyrij, semel atque iterum oppugnarunt Israelitarum regnum, donec tandem expugnatum ceperunt, & ad captiuitatem coegerunt eos. *Si clanget buccina in ciuitate, & populus non expauescet?* Clangente buccina, tempore scilicet belli, populus audiens expauescit belli concursum: cur igitur vos Israelitæ audientes vestrum exterminium, proclamari à prophetis meis, non timetis verba eorum, sed potius eos irridetis: confertur prophetia clangori buccinæ classicæ, nam sicut hæc excitat ad prælium animos, & fugam aliquando mouet: ita prophetia debet excitare animos ad pœnitentiam, vt euadamus Dei iram.

¶ Vnde Dominus Isaiæ præcepit, exalta sicut tuba vocem tuam. In explanatione *Isaiæ 58.* ad Oseam capit. quinto. multa diximus de buccina, ideo ampliori expositioni supersedenduni est. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* Quasi dicat non. Nam istæ interrogationes sunt violentæ. Israelitæ non credebant ex diuina ordinatione sibi calamitosa timenda, sed rerum cursui, siue casui tribuenda, id quod fuit imperitorum quorundam philosophorum, vt Protagoræ, & aliorum erratum. Contra quos sermo hic vibratur vatis dicentis, nullum malum accidere posse, nisi Deo disponente. Deo enim nihil accidit, vel accidere potest, ideo Deo nihil est casuale, aut fortuitum. Quandoquidem ab æterno omnia præuidit, quæ futura sunt. Adde quod quæ à Deo sunt, ordinatissima sunt, Paulo testante ad Romanos 13. At vero casus est extra ordinem rerum, ideo enim casus appellatur: Quia neque accidit secundum ordinem naturæ, neque secundum ordinem humanæ prudentiæ. Cæterum quia à Deo præuidetur, & non potest accidere nisi disponente, aut permittente Deo: idcirco Deo, nihil est casus aut fortuna, quæ alioqui per accidens apud nos & non per se habent causas. 3. Physic.

¶ Considera autem, quod hic locus non docet, Deum facere peccata nostra: Deus enim non est autor nostri peccati, quia si Deus faceret nostra peccata, peccata nostra non essent peccata: quia vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.

Nostrum peccatum si à Deo fieret non esset peccatum.

¶ Quocirca, peccatum esset valde bonũ, si à Deo fieret. Quare nõ esset peccatum: nam peccatum est valde malum. Quod

vero hic traditur, de calamitosis successibus, quibus erant subdēdi Israelitæ ob sua facinora est intelligendū: vt sit sermo de malo pœnæ, non culpæ.

¶ Pœnas autem Deus infligit propter scelera nostra. Et quidem pœnæ sunt valde bonæ: quippeque à Deo immittuntur sceleratis. ¶ Siquidem ordo iustitiæ optimus est, & hunc obseruare, est item optimum. Cum ergo punire facinorosos, sit ordo iustitiæ, vtique, punitio huiusmodi est valde bona: quia diuinæ est operationis. ¶ Vocatur tamen malum huiusmodi supplicium quadamtenus ratione: quia molestum & valde tediosum impijs iubi re suæ impietatis pœnas. Ideo appellatur, malum secūdum quid, non tamen simpliciter vocabis malum: quia sola culpa simpliciter est mala: quippe violat ordinem diuinæ legis, quæ est simpliciter bona. ¶ Et ipsa consequentia textus insinuat non esse modo sermonem, de culpis, sed de pœnis. Siquidem vates vt aiebāt, hoc vult demonstrare, pœnas comminatas per Dei vates Israelitis, non esse futuras à casu vt ipsi ducebant, sed esse à Deo ordinante infligendas, propter eorum facinora, ideo subiecit. *Non est malum in ciuitate*, quod Deus non fecerit. Quod vero ait *in ciuitate*, vsurpatur numerus singularis, pro plurali. Quasi dicat quicquid mali acciderit vbique gentium Deum habet autorem: nam mala quæ patimur, propter nostra peccata, à Deo infliguntur. ¶ Theologi scholastici, disputantes num malum culpæ Deum habeat autorem, siquidem nemo peccare potest sine Dei concursu ad opus peccati: distinguunt in peccato duo, & materiale, quod est ipsum opus, & formale, quod est ipsa operis obliquitas à diuina lege. Vt in homicidio, est ipsa actio occidēdi, & hoc est materiale, & est obliquitas actionis contrā Dei legem, scilicet, Non occides. Hæc autem duo sunt inuicem separabilia.

Pœna temporalis & æternaquā luunt peccatores est simpliciter bona.

In peccato duo materiale, & formale.

¶ Etenim fieri potest, quod sit actio occidendi, & non sit obliqua, vt puta, quæ à iudice proficiscitur, iuxta allegata & probata. Actio igitur habet Deum autorem, siquidem eandem sortitur naturam, actio occidendi, quæ est à iudice, & quæ est à non iudice: ideo si altera Deum habet autorem, similiter & altera. ¶ At vero, discrepant vtraque actio in genere moris: quippe iudiciaria est bona moraliter, priuata vero est culpabilis. Quocirca obliquitas est in secunda, non in prima. Vnde actio secunda, quatenus obliqua non est à Deo, nanque quod est contra Deum non est à Deo: Deus enim non potest agere contra se, quia negare se non potest. At actio illa vt obliqua est aduersatur Deo. Rursus illa obliquitas non est Dei effectus, quia est aliquid: sed pura priuatio, ideo non eget diuino concursu vt sit, si quidem non habet esse reale, sed est priuatio rectitudinis debitæ operi nostro. Verum de istis nos abundè in primo Sententiarum disseruimus. *Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum, ad seruos suos prophetas.* Memini me annotasse non semel, *Verbum*, in sanctis scripturis polysimon esse, idest variæ significantiæ: & hoc loco pro re vel opere vsurpatur. Id est non faciet Deus quicquam, quod non reuelet seruis suis prophetis. Et est sermō de pertinentibus ad correctionem Israelitarum, & ad eorum correctionem. Siquidem per prophetas suos Deus corripiebat illos, & arguebat illorum scelera & pœnitentes consolabatur, & duros deterrebat. Propterea paulò ante dixerat vates, prophetas ambulare cum Deo, & quod prophetis conuentum erat cum Deo.

Deus est autor peccati quoad materiale: quia materiale peccati non est peccatum.

¶ At obijcies, cur vocat seruos prophetas, cum videbatur potius vocandos amicos, euangelica attestatione, iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæ audiui à patre, nota feci vobis. Si igitur prophetis Deus reuelauit omnia arcana sua, indigni sunt qui dicantur serui, sed potiùs illustriore nomenclatura sunt appellandi, qualis est amici appellatio.

Ioan. 15.

¶ Respondetur, Apostolos, fuisse sanè seruos ex natura sua, siquidem ex creatione, omnes creaturæ seruitute diuina affectæ sunt. Vnde psaltes, omnia seruiunt tibi: at vero ex gratia Dei sunt promoti ad amicitiam diuinam. Vnde Paulus nunquamnon se appellat seruum Christi: cum quia creatura Christi, tum quia redemptus à Christo, ob quas quoque causas prophetæ serui erant Dei, & quia creati à Deo, & quia tandem redimendi per sanguinem Iesu Christi: verumtamen dignificauit, & nobilitauit hos seruos suos, Deus illustrans eos prophetico spiritu: qua quidem ratione, ex seruis, eos constituit sibi amicos: quanuis solum prophetiæ

tiæ donum, non sat est, diuinæ conciliandæ amicitiæ, Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus &c. *Leo rugiet, quis non timebit?* Rugitus Dei, metaphoricè dicitur, vt annotabamus supra & significat vehementes Dei comminationes, de grauissimis malis, quæ prædicebat venturā per suos prophetas, aliquibus nationibus. Comminante igitur Deo, quis non timebit? id est dignum est, vt timeamus: quia est omnipotens, & voluntati eius nemo est qui possit resistere. Et non est in cælo desuper, aut in terra deorsum, qui possit nos eruere de manu Dei nisi pœnitentia digna peccatorum, quæ sola potest omnipotentem flectere, vt comminata auertat à nobis mala. Quod si leone rugiente bestiæ syluarum expauescūt, quid quod Deo irato, eius iram, homines timeant? *Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Id est si est consensus inter Deum, & suos seruos prophetas, nam isti Deo, vt legitimi serui morem gerunt, Deo igitur mittente prophetas ad prædicendum impijs suum exterminium fieri non potest, quin ipsi prophetent. *Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti: & dicite congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius: & calumniam patientes in penetralibus eius.* Id est diuulgate in palatijs, Palæsthinæ, nā per Azotum Palæsthinam subaudit, & publicate, in palatijs Ægypti, & dicite congregate exercitum, ò vos Palæsthini, & Ægyptij contra Samaritas per quos subaudit decem tribus, quarum erat metropolis Samaria congregate in quam copias vestras, & videte, id est vindictam sumite de sceleribus Israelitarum, quæ sunt in ipsis. Hebraicè, pro *Insanias*, tumultus, vel confractiones legimus. Significat autem tumultus iustitiæ violationem, nam ex huiusmodi violatione resultant tumultus, & turbationes, & seditiones, & confractiones populorum. Græca habent videte mirabilia, & mirabile vsurpatur in malum, idest horrenda visu facinora, & insinuat multa fuisse illorum scelera, contra proximos: quia ait, *& calumniam patientes in penetralibus eius.* Id quod dixerat supra cap. 2. quod pauperes grauabuntur à iudicibus Israelis, & item ab alijs, scilicet diuitibus, & potentibus inferiores calumniosè premebantur. *Auditum facite* tempus vsurpatur pro tempore, idest tāta vestra est scelerū multitudo, vt iam non se se possint continere intra regularum terminum vestrarū, ò Israelitæ, eorū notitia: imo iam latè se diffundet ad palatia, regum Palæsthinæ, & principum Palæsthinorum, & ad palatia regis Ægypti, & procerum eius: vt omnibus etiam gētibus idololatris vestra sit nota iniquitas, & vos iustissima cibo minētur ratione. ¶ Vel aliter. *Auditū facite*, idest vos prophetæ in quos incūbit, propalare Israelitarum peccata, euulgare sedulò facinora Israelis, nationibus Palæsthinorum, & AEgyptiorum, qui quāuis sint impij idololatræ, vos nihilominus dānabunt, quia ea facinora reperiūtur apud vos ò Israelitæ, qualia gentibus ignaris Dei, non sunt nota. Sicut Paulus reprehēdēs Corinthios, dicit, omnino auditur inter vos fornicatio qualis neque inter gentes reperitur. Et obserua vt ad condemnationem Israelitarum, qui cognoscebant Deū verum, Deus vocat idololatras Deū verū ignorantes. Vt Dominus in Euangelio regina austri surget in iudicio, & condemnabit generationem istam. *Nescierūt facere rectum dicit Dominus: thesaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus suis.* Sicut ex phrasi scripturæ scire, est approbare, ita nescire est reprobare, vel detrectare. Nescire igitur facere rectum, est negligere facere opus bonum. Thesaurizare autem in scriptura vsurpatur & in bonum, & in malum. Vnde Paulus thesaurizas tibi iram, Roma. 2. Ite modo, thesaurizare iniquitatem in domibus, est aggregare diuitias ex iniquitate partas. Nam per metonomiam vsurpatur causa pro effectu: id est iniquitas, & fraus pro diuitijs ex fraude & iniustis contractibus comparatis. In bonum vero quod vsurpetur notius est, quam sit modo memorandum. Vnde Matth. 5. Thesaurizate vobis thesauros, &c. *Proprerea hæc dicit Dominus Deus tribulabitur, & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua: & diripientur ædes tuæ.* Comminata proximo capite supplicia inculcat modo, ea amplius exponens. Et subnotat terram decem tribuum, esse obsidendam vtique ab hostibus Assyrijs, vt nulli pateat ex Israelitis suffugiū, quia vndique cingentur angustijs: hostilibus. *Hæc dicit Dominus*, id est firma sunt verba mea quæ promam, quia illa prænuncio, tanquā Domini propheta referēs

Deut. 32. Iob. 10. Osee. 5.

De monte Samariæ cap. 4. lege infra.

Matth. 12. Lucæ. 11.

1. Cor. 5.

verba quæ accepit à Domino, vt traderem Israelitis, subdit autem cõtinuo quæ sunt verba Domini dicens, *Quemadmodũ si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ. Sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, & in grabato Damasci*, loco *plaga*, vt vertit noster translator Hebraice habetur Bipeat. Pea vero angulum significat, verum quia quatuor plagæ mundi, sunt velut quatuor anguli mundi, vulgata editio transtulit, *plaga*. Et Hebræi, quatuor plagas mundi vocant, Piot sensus, autem vatis hic est, obsidentibus vos Assyrijs coangustabunt vos vndique, & non permittent vos effugere, aut euadere vltionem quam ego per prophetas meos sum contra cõminatus: quia sic decet meam iustitiam, vt peccata vestra, non maneant inulta cæterũ, adhuc cum quibusdam ex vobis misericordia cõsueta mea vtar. Siquidem me annuente, nonnulli effugient, hanc vltionem. Erunt tamen pauci admodum. Et intelligetis paucitatem saluandorum ex vobis, proposito hoc exemplo, si enim vidistis vnquam pastorem strenuè defendentem ouem aut capram sui gregis, à leone dilacerante. Sanè vix eripiet vel duo crura, aut auris cartilaginem, quæ extrahet magno conamine ab ore leonis atrociter inuadentis gregem, ad hanc rationem, agam vobiscum. Ego enim sum velut pastor vester, & vos tanquam grex meus. Rex vero Assyrius, potenter cum suis copijs vos inuadet, meo tamen permissu: ego autem ab Assyrio, vt ab atroci leone, quosdam paucos Israelitas asseram: vt pastor minimum est, quod eripiat ab ore grassantis in gregem leonis. Quanuis enim, possem vos omnes eripere, quia nulla potestas quicquam poterit, contra meam: at vero mea iustitia, non hoc postulat, quæ vos obscelera vestra tradet in manibus leonis, verum quia misericors sum, non omnes peribitis, sed paucos ex vestris ego liberabo *in plaga*. Hebraicè in angulo lectuli, aut in parte lectuli, si vis legere plagam: nam plaga, etiam partem denotat. Idest, quanuis abscondantur in angulis lectuli Israelitæ, inde leo prædictus extrahet eos, & quanuis, quidam effugient in Damascum, non euadent tamen vngues huius furentis leonis, nam ibidem, etiam si sub grabatis delitescant patebunt nihilominus Assyrijs, vt interficiantur, aut in

בפאת *à nomine fœminini generis.*

פאה *quod est angulus inde bipeat in angulo.*

captiuitatem abigantur Vatablus, pro *grabato*, legit *sponda* Damasci, est autem sponda latus lecti: nam spondæ sunt tabulæ quædam quæ lectum sustinent: at sensus nihil variat. Et fortè aptior sensus erit si referamus ad ægros cubantes in spõdis Damascenis, quibus prædicitur hic, quod eis nõ parcet exercitus Assyriacus. Si libet ad allegoriã locũ referre, Deus est sicut pastor elector, & electi sunt oues pascuæ eius, at diabolus tãquã leo rugit quærens quem deuoret: at Deus eos eripiet à faucibus leonis, qui alioqui pauci erunt collati ad reprobos: quia multi sunt vocati & pauci electi. *Audite, & cõtestamini, in domo Iacob, dicit Dominus exercituum; quia in die illo cum visitare cæpero præuaricationes Israel super eum visitabo, & super altaria Bethel.* Verba sunt Dei alloquentis ad suos pphetas. Audite, scilicet, ò mei prophetæ, & contestatione vtentes, asseuerate, Israelitis, quod ego qui sum Dominus exercituum vobis loquor videlicet, magna asseueratione asseuerate illis quod in die animaduersionis meæ in Israelitas, tum ego animaduertam acriter contra eos, & contra suam superstitionẽ colendi vituli, in Bethel. Quia rex Assyrius per quem ego, puniam acerba punitione eos, deuastabit eos, & demolietur profana altaria ipsorum. Hic obserua, quod per domum Iacob, decem tribus intelligit propheta. Quanuis in euangelio Lucæ 2. per domum Iacob subnotauit angelus catholicam ecclesiam, quæ quia dæmonum supplantat myriades, rectè domus Iacob appellitatur. *Et amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram.* Id est desolabitur altare, cum suo vitulo aureo, qui ibidem magna superstitione colebatur. Et meminit huius altaris, quia vitulus, qui colebatur in Bethel maiori cultu venerabatur, quam ille qui in Dan. Erat enim locus ille Bethel, magnæ venerationis propter patriarcham Iacob, qui ibi resedit, & quieuit ab itinere & vnxit ibidem lapidem, in Dei cultum. Vnde sub primario altari cætera prophana altaria, quæ erant multa apud Israelitas, Amos subaudit desolanda à rege Assyrio. *Et percutiam domum hyemalẽ cum domo æstiua & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ dicit Dñs.* Superstitionẽ vanã Israelitarũ abolendã denũciauit, & nõ solũ illã sed ipsos Israelitas, superstitiosos abolendos modo enuntiat. Erant autem in illa regione consuetæ domus hyemales, & æstiuæ, ad tẽperandum æstum solis & rigorem hyemis, vnde legimus Iudi. 3. quod rex Moab Eglon erat in cænaculo æstiuo, quando callide fuit interfectus ab Aod, Israelis id temporis iudice.

3. *Reg.* 13.

Gene. 28.

¶ Vocat autem domos eburneas; quia forte regum illorum palatia ornabantur ex incrustamentis eburneis, quarum meminit Psalm. 44. à domibus eburneis, tanta erat apud illos diuitiarum facultas, aut eboris copia, qualem apud nostros desideramus. *Edes multæ*, idest celebrioribus ædibus hostis furor non parcet: nam vilibus sæpe hostes parcunt; quia ineptæ sunt ad defensam: legimus porrò. 3. Regum. 22. Achab, domus eburneas fecisse.

Allegoricus sensus.

¶ Per istos autem Israelitas superstitiosos, non inepte licebit subaudire allegorice Hæreticos nam sicut isti Israelitæ se subduxerunt à regno diuinitus instituto, quod erat regnum Dauidicum, & postmodum delapsi sunt ad Ieroboam pessimum regem & Deo ingratissimum, qui erexit duos vitulos aureos adorandos ab Israelitis, ne si concessissent templum sanctum Ierosolymis ædificatum, ille orbaretur regno: ita Hæretici, discedentes, ab obedientia Romani Pontificis, sibi confingunt vitulos Aureos, varia, scilicet, dogmata, multis flosculis exornata rhetorum, & pigmentis diuersis sophismatum deaurata, hæc proponunt suis obseruanda, vt doctrinam Catholicam ecclesiæ negligant. At vero Dominus eis prædicit per vates suos, idest per ecclesiæ doctores, sua altaria idest dogmata hæretica quæ ipsi contra catholicam religionem ingenij calliditate construunt esse tandem demolienda, & ipsos, esse desolandos, vnde vt videmus hæretica dogmata Arij, Eunomij, Macedonij, Eutichetis, Nestorij, & aliorũ hæresiarcharum esse funditus abolita, cum suis autoribus. Et quãuis Lutheri dogmata, etiam num videamus habere fautores, at vero altaria Lutherana, & vituli Lutherani pessundabuntur vt & altaria cæterorum hæresiarcharum. Etsi illa iam pridem euersa sunt ab ecclesia Catholica, quæ sua censura illa damnauit vt impia, & blasphema.

EXPLANATIO
IN AMOS. CAP. IIII.

AVDITE verbum istud vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis: & confringitis pauperes quæ dicitis dominis vestris afferte, & bibemus. Hebraicè, pro *pingues*, legimus Basan. Est autem Basan regio Og regis, quæ pascuis, & nemoribus abundans cecidit in sortem, dimidiæ tribus Manasse Isaiæ 2. Numer. 21. quæ & Auothiair appellatur Deuter. 3. & terra Raphaim. Per montem autem Samariæ ipsam Samariam intellige, quæ ædificata erat supra montem qui mons. 3. Regum 16. appellatus est, Semer Hebraicè, Semron, siue Simeron, aut Sameron, quod fuit nomen domini mõtis, Vnde & mons nomẽ accepit. Hic enim Simeron, montem hunc possedit. Amri autem empto monte ciuitatem in vertice montis huius extruxit, & nomine prioris possessoris appellauit, Simeron, vel Semer, & interpres noster vertit in Samariam. Lege Ioseph. lib. 3. capit. 2. qui etiam credit ab Amri rege Israelitici populi conditam esse Samariam: hæc autem est vrbs Syriæ inter Iudæam, & Galilęã media cuius modo fit mentio. Hac reges Israelitæ pro regia vsi sunt. Et ab Herode postea reædificata, & in honorẽ Augusti Cæsaris dicta Sebaste. Et ab Stephano Neapolis denominatur.

Samaria vnde dicta & à quo ædificata & reædificata.

¶ His præmissis, hoc cap. inuehitur in fœminas principes Israelitarum, postquã inuectus est vates superioribus vaticinijs: aduersus viros principes. Et has fœminas ex sermone suo subnotat fuisse valde deliciosas, & cibis & potibus plus quam satis erat indulgẽtes. Quia huiusmodi sunt corpore succulento, & bene habitæ, quia egregiè se pascunt. Istæ autem eisdem erant inuolutæ criminibus, quibus & viri principes. Quia consilia dabant maritis suis, vt egenos spoliarent & pauperes opprimerent, vt ipsis suppeteret, vnde largius nefarijs voluptatibus indulgerent.

¶ Vel aptius cum ordinaria glossa referas ad optimates decem tribuum, qui quia erant effœminatis moribus, derisoriè ex fœminino nomine vocat eos vaccas, nõ boues masculos. Dixit autem pingues, & vt aiebam, Hebraicè, est Basan.

Enim vero, quia regio Basan, cuius erat rex Og, Psalm. 134. erat regio pascuis abundans, & nemoribus densissimis opaca, vnde & quercuum Basan, propter earum densitatem fit mentio in scriptura, vt Zachariæ. 2. Vlulate quercus Basan, propter abundantiam igitur graminis, & fœni, ibidem nutriebantur vaccæ obesis corporibus, ideoque vocantur isti optimates, vaccæ Basan. Pinguedo porrò ista referri potest vel ad succulentiam, & bonum habitum corporis, ad abundantiam diuitiarum. Nanque homines peropulentissimos pingues etiam dicimus. *Qui habitatis in monte Samariæ.* Hebrai. vt diximus in monte Schimeron: qui vt aiebam dudum, fuit primus dominus montis vbi fuit ab Amri extructa Samaria ciuitas metropolis decem tribuum, *Quæ calumniam facitis egenis.* refricat crimina, quæ eisdem optimatibus supra capit. 3. obiecerat. Est autem istud familiare diuinis autoribus, idem sæpè sæpius, atque sæpissimè replicare. Magister enim cum natus est discipulos rudes, lectionem sæpè replicat illis, vt tandem assequantur. Et rursus, quæ volumus in aliorum mentibus esse admodum infixa, repetimus pluries, vt obliuioni non sit locus. Vnde Dominus item sæpè idem in euangelio multis, & varijs inculcat ob eandem causam parabolis. ¶ Verum quia occidit miseros discrambe repetita magistros, varijs loquendi formis, varijs metaphoris, & figuris vtuntur prophetæ, ne repetitio in auditoribus ingeneret fastidium. *Quæ dicitis dominis.* Qui referunt hæc ad fœminas, ad hanc rationem alium locum explicant videlicet, vos vxores quæ dicitis dominis vestris, id est maritis vestris, nam hac appellatione Sara appellabat Abrahamum virum suum, afferte nobis ex rapinis vestris, & turpibus lucris, & bibemus, id est inebriabimur. Porro mihi magis arridet, alia explanatio, quæ locum hunc totũ ad viros refert. Et sensus est inferiores dicunt suis superioribus, scilicet, plebeij optimatibus, afferte, id est facite nobis copiam, item malè contrahendi, vt vobis licet, liceat nobis, & inde bibemus ad satietatem sub quo subaudit, id est vacabimus voluptatibus, ventri nostro seruiemus, vt vos ipsi seruitis. Græca pro afferte, habent *Date*, date, scilicet licentiam, vt nos faciamus, quod vos ipsi facitis. Etenim cum capita populorum degunt corruptis moribus, corruptio serpit in cęteros inferiores. Imo ipsi superiores, vt non reprehendantur aut nõ contẽnantur ab inferioribus, conniuent illis, scelera eorum, vt talis sit populus qualis sacerdos, & talis populus qualis eius princeps. Et sponte permittunt huiusmodi proceres, vt cæteris liceat, quod ipsis licet, vt si iudex primarius subornationibus, violat iustitiam, suis iudicibus inferioribus, idem permittit. Etsi ille extorquet vi pecunias, vel caruillis excogitatis, & isti idem præstabunt.

Basan regio opulẽtissimis pascuis decora.

Samaria Hebræis Schimerõ vel simeron.

Diuini autores, idem sæpe repetunt sub diuersa tamẽ forma sermonis.

¶ *Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferentibus.* Alia translatio sic habet. *Auferet vos in frigoribus, & nouissima vestra in ollis piscium.* Et huius sensus est hic, vos ò Israelitæ, qui delicatissime pro genio vestro, vitam ducebatis, Deus ex sua iustitia auferet vos, à regione vestra Samariæ per manus Assyriacas & in frigora deducemini, idest patiemini multum frigoris, quia nudos vos relinquẽt Assyrij, vt solent captiui ambulare, & rursus, tandem nouissima vestra, idest vsque ad finem vitæ vestræ, nutriemini piscibus, qui sunt alimenta captiuorum, vt plurimum, quia sunt vilissimi pretij. Alia translatio auferet vos in lanceis (idest spinis) & postremam partem vestram in ollis pisciculorum, vt sit sensus, sicut piscator homo piscatur pisces ita rex Assyrius vos exercitu suo, piscabitur, & vos & vestram posteritatem deducet in miserrimam captiuitatem. Atqui varietas hæc translationum, vt non semel denarrando alios Prophetas, anno tabam ex multiplici significatione vnius verbi Hebraici accidit. Nam alter translator arripuit sibi alteram significationem, alter vero alteram, id quod & modo accidit. Porrò vulgata editio, item, obscurum habet sensum, est autem sensus subdẽdus, videlicet. Dixerat irrisoriè optimates Israelitarum esse vaccas pingues, nunc vero persistens, in metaphora cæpta, subdit leuabunt vos in contis, contus autem significat latinis, lanceam seu hastam longam, at duriorem, cæteris hastis. Aut perticam acumine ferream carnes autem vaccarum in perticis huiusmodi, solent deferri ad macellum, vt igitur insinuet vates à rege Assyrio, cogendos esse Israelitas, ad macellum ideſt, ad internecionẽ, ideo ait, metaphorico sermone leuabunt vos in contis. Et quod subdit, *Et reliquias vestras*, ideſt si qui superfuerint viui, quibus gladius Assyriacus pepercerit, quia forte confugient ad arces munitas, vt ibi, se tueantur: ignis tamen adhuc illis non parcet: siquidem loca illa munita vbi se tutelæ gratia exceperint, ab hostibus igne supposito, incendẽtur, vnde ipsi Israelitæ ibidem excepti, incendentur, quasi essent in ollis feruẽtibus. *Iurauit sancto suo* Deus, vt sæpe annotaui, vtitur modo loquendi humano, vt pote qui loquitur hominibus. Sicut qui loquitur rusticis hominibus, quanuis alioqui sit sapientissimus, at vt percipiatur ab ignaris, loquelam suam attemperabit, auribus audiẽtiũ. Et ex quiret sibi vocabula rudiora, quæ sunt vsitata rusticis, quibus loquitur, vt hac vtens ruditate sermonis, percipiatur à rudibus auditoribus. Aliter enim perderet oleum, & operam, si fermone cultissimo, illis promeret sententiam suam. Hanc item rationem obseruauit Deus loquens per suos vates hominibus, nõ enim prophetæ linguis loquuntur angelicis, sed nostro familiari sermone vtũtur, vnde omnis modus loquendi hominibus Hebræis illius temporis consuetus est prophetis familiaris, vnde quia talis loquendi modus non est nobis, qui non sumus Hebræi consuetus, inde accidit Græcis, & latini, & alijs nationibus non Hebræis, obscurissimos videri ad intelligentiam Dei prophetas. Quanuis, & aliunde obscuritatem offundunt legentibus, ex magnitudine arcanorũ, quæ obscuritate sermonis prædicta obtegũtur. Quapropter cum sit consuetissimum hominibus iurare per sancta, vt confirment, quæ ipsi loquuntur. Nam iureiurando præstito certa redduntur, quæ simplici sermone elata incertitudine laborabãt. ¶ Vnde Paulus ait, iuramentum finem esse omnis controuersiæ, ideoque & Deus volens vt certissima haberi verba sua, quæ hominibus loquitur, vtitur iureiurando. Ideo ait, *Iurauit Dominus in sancto suo*. Ideſt per sanctitatem suam Græca, per sanctos suos, ideſt per se ipsum, qui est sanctus Sanctorum. Alij referunt ad cælum, qui est locus sanctus Dei, quibus ego non subscribo, siquidem Paulo docente, qui iurat per maiorem se iurat, Deus igitur non iurauit per cælum, quod est creatura sed cum non habeat Deus maiorem per quem iurare posset, reliquum est, vt per se metipsum iuret, vnde ad Hebræo. 6. per semetipsum iurauit Deus. Et Isai. 45. In me ipso, ideſt per me ipsum iurau, ait Deus, item & Ierem. 22. Et ipse iurauit Deus in anima sua, seu per animam suam. Non quod Deus sit animatus, hoc enim diuinæ simplicitati prorsus repugnat. Siquidem omne anima tum est coinpositum ex anima, & corpore, at verò, cum omne compositum, dependeat à suis partibus ex quibus constatur, Deus dependeret à suis partibus, vnde non esset Deus: siquidem, quod ab altero pendet Deus non est. Deus enim, est primum ens, à quo cuncta habent esse, & ab illo pendent. ¶ Porrò metaphorica est vatis locutio anima enim est vitæ principium. 2. de anima, iurat igitur Deus per animam suam, ideſt per vitam suam, & quia vita Dei est ipsemet Deus, iurare per vitam suam, est iurare per seipsum, sanè verbum simplex Dei, firmissimam habet veritatem: Deus enim neque falli, neque fallere potest, est enim Deus verax, & omnis homo mendax Roman. 3. Cæterum vt aiebam, sureiurando vtitur, vt nostris se accommodet ingenijs, & moribus. Propterea res grauissimas, & summi momenti negotia quæ ob sui difficultatem videbantur hominibus incredibilia factu, Deus iureiurando constituit, vt certissimas eas fore hominibus persuaderet, inde illud Lucæ. 1. Ius iurandum quod iurauit patribus nostris, daturum se nobis, vt sine timore de manu inimicorũ nostrorum liberati seruiamus illi. ¶ Hinc perspicua est soliditas quorundam hæreticorum inficiantium fas esse iurare. Quando quidem si Deus interposito iureiurando rem quam loquitur facturus constituit, homines si idem præstiterint cur erunt culpandi? Quod vero istis videtur suffragari est ille locus Matth. 5. ego autem dico vobis non iurare omnino: neque per cælũ neque per terram, &c. ¶ Verum hic locus si secundum dialecticas regulas exponatur, non negat fas esse iurare sed solum iurare præcipitanter, & indiscretè. Nam non iurare omnino, est non iurare quomodolibet. Et non iurare quomodolibet est iurare certa quadam ratione. Nam hæ duæ æquipollent orationes. Ne iuretis omnino & iurate, aliquomodo. Nam

Vatabli translatio.

Benedicti Montani translatio.

Cur Deus iurat.

Hæretici negantes fas esse iurare sola-rare stoligari est di sunt.

do. Nam nonomne dialecticis est aliquid. ¶ Quod si hæc dialectica expositio non displicet, quæ D. Bonauen. placuit solum prohibet Dominus ibi iuramenta falsa, & indiscreta; & permittit iuramenta, secun-
Formã Ieremias prę scripsit celebrandis iuramẽtis. dum formam præscriptam à Dei vate Ieremia capit. 4. Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iniustitia. Qui falso iurant non iurant in veritate, sed peierant in falsitate. ¶ Qui autem de quacunque re leui iurant, nulla vrgente necessitate iurant non in iudicio iurant, quia imprudenter & superflue iurant, tametsi vera iurant. ¶ Qui denique secreta mala proximorum iurant, se scire, contra iustitiam iurant, etsi vera iurent, quia infamare proximum est iniustitiæ opus. ¶ Et demum iurare, est vocare Deum in testem, hoc autem opus est religionis, & diuini cultus. Quia sic vocando, Deum profitemur Deum omnia, etiam abditissima quæque, habere in suo prospectu: quod si adhuc contenderit quispiam, phrasim scripturę, aliam esse à regula dialectica; nam non iurare omnino ex modo loquendi scripturæ, significat prorsus non esse iurandum, vnde in Psalmo. 33. timentes Dominum non minuentur omni bono non est sensus dialecticus, ideſt non minuentur aliquo bono, sed nullo bono minuentur, ego autem istud non abnuo, phrasim esse scripturæ aliquãdo, vnde si hæc phrasis item modo est obseruanda, præceptum est negatiuum, de non iurando. Vnde cauillabitur aliquis si negatiuum est præceptum, obligat igitur semper, & pro quolibet tempore, id quod videtur constituere, commemoratum hereticorum placitum. ¶ Respondetur, quod item non occides, est negatiuum præceptum, nihilominus fas est, occidere aliquando, vt iudici per allegata, & probata iustè occidit furem, vel homicidam: neque agit contra predictum præceptum; quia hoc subintelligitur. Non occides propria autoritate
Præceptũ de non iurando omnino quomodo sit habẽdum. sed publica non prohibetur seruato tamen ordine iuris, ita in præsentia dixerim; qui iurat in veritate, iudicio, & iustitia, non violat Christi mandatum, hoc ego dico vobis non iurare omnino, siquidem hoc mandatum, prohibet ne iuremus assumendo nomen Dei in vanum, vt assumit qui falso iurat, prohibet item, ne præcipitanter, & citra considerationem, & contra iustitiam iuremus. Vnde omnis qui sic iurat agit contra Christi præceptum negatiuum prædictum. Quod vero Christi intentio, non ea fuerit, quæ prohibeat prorsus omnem iurationem, siue legitimam, siue illegitimam, inde colliges; quia Matt. 23. carpẽs Christus scribas tradentes, iuramentum quod fiebat per templum Dei, aut altare Dei non esse obseruandũ, secus si iuratur, per aurum quod templum ornat, &c. innuit manifestè, quod iuramentum per templum Dei est obligatorium, item & per altare, & per alia ibi relata. Quia qui iurat per hæc, iu- *Apostol. vsi sunt in ramento.* rat per omnia, quæ templum ornant, aut altare imbuunt, &c. Et ad hanc rationem intell exerũt sancti Apostoli Christi euãgelicam doctrinam; nanque Paulus iura- *2. Cor. 1.* uit dicẽs, testem Deum inuoco in animã meam, & rursus, Philippen. scribens. cap. 1. Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes esse in visceribus Christi: aut forte verba Domini non sumenda sunt in sensu quem faciunt sed in sensu in quo facta sunt, sensus, quidem quem faciunt, est omnino vetare iuramenta, at non in hoc sensu adita sunt à Domino sed solum fuit domini intentio coercere hominum infrẽnem licentiam quam sibi vsurpant iurando præcipitanter ex quacunque vel leuissima occasione, imo sine occasione, sed ex deprauata iam pridem consuetudine, vnde peieritatur valde ipsorum conscientia, quia frequenter peierant. Vnde vt ab hoc maximo peierandi periculo abstraheret fideles Christus dixit non iurandum esse omnino, non tamen fuit animus eius iuramenta religiosè, & obseruanter facta prohibere, id quod capit. 23. Ecclesia. docuit dicens iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. ¶ Et quidẽ si iurare esset semper malum esset homo perplexus in via Dei, adhuc citra culpam suam. Enim vero si iudex legitimè, exigit iuramentum à teste, si testis iurat per te peccat, & si non iurat item peccat, quia sibi indicitur iuramẽtum à potente indicere, & obligare, vt si verbi causa à Papa, præcipiatur in re necessaria alicui testimonium ferre. ¶ At vero, dicet aliquis quid ergo si religioni dandum est iuramentũ, semper erit edendum iuramentum, quia operatio est religiosa? *Opera religiosa sunt* ¶ Respõdebis ex genere suo iurationem esse opus religiosum, at vero indiget conuenientibus sibi circunstantijs, videlicet, *facienda.* quod

quod iuratio fiat, quando, & quomodo, & propter quid oportet, ideo qui assiduam habent iurationem, non euadunt culpam. Tametsi, quia omnibus præceptis hoc commune est, quod ex leuitate materiæ, aut ex indeliberatione, peccatum contra ipsa esse veniale, idem accidet in re iuramenti: si enim quispiam falso iurat indeliberatè, nesciens quid iuret, aut credens certo se iurare verum, non est de
In re iuramentorum nulla est iuratio venialis ex leuitate materiæ. periurio arguendus. ¶ Porrò in hac re iuramentorum, nunquam propter materiæ leuitatem, fit veniale, quod alias esset mortale. Enim vero, quantũlibet materia sit leuis sine iocosa, siue seria q falso iurat, criminaliter est inculpa. Quia Deũ vocat in testem falsitatis, id quod est valde Deo iniurium: quippequi summa veritas est. At vero, qui vera iurat, etsi citra necessitatem iuret, non est de crimine corripiendus, sed de leui culpa notandus, modo alteri non noceat ipsum infamando notabiliter, vel alias. Sed de iuramento hactenus, quia indisputationibus Theologicis plura de eo disseruimus. *Et per aperturas exibitis, vos altera contra alteram,* describit vates: quid Israelitis futurũ sub impetu ingruẽte hostium, id quod solet semper euenire ingruentibus hostibus, videlicet quod vnusquisque rapit sibi fugam, qua sibi datur rimula, Græca. *Efferemini nudi contra inuicem,* ideſt nudi fugietis, alter contra alterum; quia nullum tenebitis ordinem fugientes. *Et proijciemini in Armon.* Quidam credũt esse per Armõ intelligendam Armeniam, alij vero arcem, siue domos fortes, vt sit sensus ibitis fugientes in Armeniam, aut vos excipietis in domibus munitissimis: vt euadatis furorem hostilem. ¶ Porrò vox Hebræa, *Armona*, quæ hic habetur deriuatur à voce Aram, vt patet in biblijs Hispa. hoc loco, Arã vero significat Hebreis Syriam vt liquet ex lexico Hebra. 4. Regum. 24. hinc nomen Arami, Aramites, significat Syrum, verum; quia Armon, hebræis significat palatium, seu domum sublimem, inde Vatablus trãstulit. *Mittetis que in palatia,* vt dictum est, verum aptior translatio est, proijciemini in Syriã, ideſt arripietis fugam in Syriam, quæ erat invicinia Israelitarum nam Armenia, lõgius distat, vnde non facile erat eis Israelitis eò confugere, vt in Syriam, vt euaderent hostilem aduersitatem. *Altera, contra alteram,* Hebraicè, quæque antrorsum, ideſt effugietis per ruptũram vel per scissuram quæ primo vobis oblata fuerit. *Dicit Dominus,* cõfirmatio est sermonis. *Venite ad Bethel, & impiè agite, ad Galgalam & multiplicate præuaricationẽ. Et offerte mane victimas vestras tribus diebus decimas vestras.* Hec verba ironicè sunt interpretanda. Quasi dixisset si vobis tanta est impudentia, & contumacia vt prophetis meis aurem nõ præbeatis, tanta est vestra peccandi libido, venite igitur in Bethel, venite ad Galgala vbi vestra profana sacrificia exercetis, & ibi indulgete vobis, quod libuerit, vt pœna à me infligenda comprimat rebelles, quos admonitio frequens mea, nõ fecit mihi morigeros. *Et multiplicate præuaricationem, & offerte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras,* verba sunt irati Dei aduersus Israelitas, quasi apertius dixisset, quia mihi estis cõtumaces, ego permittam vos in dies in maiora prolabi peccata, permittam equidem vobis multiplicare peccata vestra; qua pœna nulla acerbior. Permittam offerre idolis vestris offerre, scilicet, mane victimas, tertiò quoque anno etiam decimas illis offerre, nam vsurpatur dies pro anno, vel rectius permittam vobis offerre decimas idolis vestris ter in anno, id quod erat solenne Iudæis, ter apparere coram Domino in singulo quoque anno Exodi. 23. Et simili quoque ritu colebant Israelitæ sua idola. Quid autem sit Bethel, & Galgala, quæ erant loca superstitioni idolorum exercendę dicata, non est opus denuò explanare: quippe quæ satis superq; sunt supra explanata. *Et sacrificate de fermentato laudem*, vt permisi alia scelera à vobis patrari, item & permittam & hoc aliud de fermẽtato sacrificium offerre laudis, cum ex pane azimo, in meis sit iussis, offerre mihi sacrificium laudis. ¶ Porro quibusdam placet laudis sacrificia non esse prohibita ex fermentato, fieri deo. Et si contra videtur constitui Leui. 2. omnis oblatio quæ offertur domino absque fermento fiet: nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini Grego. ad tropologiam referẽs ait, Homi. 22. de fermento laudem immolat qui Deo sacrificium de rapina parat. ¶ At vero laudis, vt omnem hostiam idolis offerre, prorsus erat prohibitum: sed istæ Israelitæ, nolebant imitari cultum Dei viui in laudis sacri-

sacrificio colendo, sua idola; ideo ex fermentato pane, ab eis offerebatur idolis laudis hostia, hacque ratione studebant in suis delubris idolis suis sacrificare. *Et vocate voluntaria oblationes, & annuntiate, sic enim voluistis filij Israel.* Erant quædam oblationes spontaneæ, quæ non ex debito erant, vnde ait, & permittam item vobis, vt vocetis, idest indicatis vestris, & annuncietis, vt voluntaria quædam offerant suis idolis & summatim hoc vult, idest permittam vobis, quod est summum scelus, cultum, scilicet, mihi exhibendum, Deo vero, vt vestris fallis idolis offeratis. *Sic enim vos voluistis*, idest hoc exigit vestra in me contumacia, & durissimum cor. Quod igitur Deus permittat, nos labi in peccata, est quia nos volumus auerti à Deo, vt hinc aperte colliges, & supra, sedulo est annotatum. *Dicit Dominus Deus*, confirmatio est veritatis: quià Dominus dixit, qui mentiri non potest. *Vnde ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris*, vox Hebræa, quæ transfertur in stuporem dentium, Nicoz à verbo Naca, descendit, Naca autem vel Nica, Hebræis significat mundum à crimine & innoxiũ esse: vnde quia ij qui sunt famelici, mundos habent dentes, siquidem ex esu ciborum dentes redduntur ex reliquijs ciborum adhærentibus immundi, ideo etiam significat cibi defectum seu famem. Quare translatio alia habet. *Dedi vobis munditiem dentium.* Idest immittam in vos famem propter vestra scelera, quæ dudum sunt commemorata Paraphrastes autem Chaldæus, vertit stuporem dentium, vt nostra vulgata lectio habet. Et Græcè, *Dabo vobis stidorem dentium.* Et congruit item lectio Chaldæa, quià ex multa inedia, dentes redduntur stupidi ad esum. *Et indigentiam panis in cunctis locis vestris, dicit Dominus.* Explicat quod obscurè dixerat perfiguratum sermonem. Nam ex munditie dentium, qui est effectus famis insinuauerat venturam Israelitis famem. *Et non estis reuersi ad me dicit Dominus.* Vestrum cor est adeo obfirmatum in malo, quod etsi vobis comminor vèteras calamitates propter vestras iniquitates, nihilominus, nõ respiscitis. Durities cordis sæpè objicitur Israelitis in diuinis scripturis, frõs inquit Ierem. 3. meretricis facta est tibi, & rursus Psalm. 34. Dissipati sunt, & non

Ex effectu insinuatur causa per metonymiam.

sunt compuncti, & Acto. 7. Vos semper ait, Stephanus Spiritui sancto restitistis, Et Dominus Matth. 23. Quoties volui cõgregare filios tuos sicut gallina cõgregat pullos sub alis suis, & noluistis, & sæpè aliàs: id quod etiam modo eisdem objicitur. *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cũ adhuc tres menses superessent, vsque ad messem: & plui super vnam ciuitatem, & super alteram non plui.* Prosequitur comminatam pœnam, & vsurpantur, vt prius præterita pro futuris. Enim vero panis indigentia, accidit quia cælitus negatur terræ pluuia temporanea, & serotina, ideo, non cõcedam vobis pluuiam necessariam segetibus. Messis porrò in regione illa prouenit mense Aprili, tribus autem mensibus cõminatur negatio pluuiæ ante messem, vt significetur defectus futurus annonæ, vt iuxta mensuram delicti, sit plagarum modus. Vt scilicet, qui aridò erant corde, aridirate segetum punirentur. Et imbribus cælestibus, orbarentur, qui diuini sermonis imbrem, respuebãt. Hanc item pœnam, esse futuram Israelitis negligentibus legem Dei, Moses longè ante prædixerat Deut. 28. *Et plui* pro pluam, id est rarissima erit pluuia, quia si vna ciuitatum vestrarũ infundetur pluuia, erit parcissimè: quia altera non infundetur. Vt non solum famè affligamini, sed siti. *Pars vna compluta est, & pars, super quam non pluit aruit*, repetitio est prioris sententiæ tropologicè referuntur verba hæc à Gregor. Homil. 10. ad Ezechie. cum mens, sanctæ exhortationis verba alia suscipit, alia suscipere recusat. *Et venerunt duæ & tres ciuitates, ad vnam vt biberent aquam, & nõ sunt satiatæ: & non rediistis ad me dicit Dominus.* Summam aquæ inopiam, hæc verba prædicabant futuram Israelitis. Quando ex multis ciuitatibus, proficiscebantur homines, ad aliam, vt sibi de aqua ad bibendum prouiderent. *Percussi vos in vento vrente, & aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum: olieta vestra, & ficeta vestra, comedit eruca, & non rediistis ad me dicit Dominus.* Percussi, pro, percutiam vos, de eruca, aurigine, multã tradidimus in explanationibus ad Ioelem, vnde patent ista. *Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio iuuenes vestros, vsque ad captiuitatem equorum vestrorum: & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras. & non rediistis ad me*

ad me dicit Dominus. Præterita pro futuris sunt legenda. Mittam, idest decreui mittere, mortem, idest pestem in via Ægypti. Enim verò, cum fame premerentur Israelitæ, legarunt iuuenes, in Ægyptũ, vt frumenta sibi pararent. Deus autẽ immisit in eis pestem, & mortui sunt correpti à peste ingruente. Et cum essent recẽs mortui, superuenerunt alij iuuenes item destinati ab Israelitis ad idem absoluendũ opus, quos itẽ affecit pestis. Vnde fetor cadauerum, ex peste, ascendit in nares rursus missorum; ad frumenta comparanda. Per castra, intellexit turmas iuuenũ missas in Ægyptum gratia, frumẽti aduehendi. *Et non rediistis.* Neque sic durissimè afflicti, cõuerteminiad me, vel aliter expone, quia ex. 4. Reg. 17. Oseas rex Israelitarum implorauit auxilium Sua regis Ægypti cõtra Assyrios, nitens, rebellare eis, idemque innititur supra in Osea vate, ca. 7. Inuocabunt ait ad Ægyptum. Id quod deprehẽdes Assyrius rex, præoccupauit legatos iuuenes, quos legauerat Oseas rex, & ipsos interfecit in via Ægypti, & equos eorum captiuos duxerunt Assyrij. Vox autem *diber*, quam nostra translatio vertit mortem, Hebræis mortem, luem, pestemque significat: ideoq; vtraque expositio cõgruit; vel quod peste sunt correpti Israelitæ iuuenes in via Ægypti, vel quod morte sunt affecti, propter rebellionem ab Assyrijs. ¶ Et si hæc secunda declaratio est congruentior: quia ait occidi in gladio iuuenes vestros. Et Græca translatio, idem habet, *mortem*, scilicet & non *pestem*. *Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam, & Gomorram, & facti estis sicut torris ereptus ab incendio, & non rediistis ad me dicit Dominus.* Præterita pro futuris, subuertam vos, sicut ego subuerti Sodomitas, & Gomorritas, & vniuersam Pentapolim, cuius modò solum duas insigniores commemorat ciuitates subuersas, vt cæteras sub illis intelligamus. ¶ Et quanuis ciuitates illæ cælestis ignis descensu fuerunt subuersæ; at Israelitæ, non eo ab igne, sed ab Assyrijs fuerunt desolati, cæterum quantum ad desolationẽ, similes fuerunt Israelitæ Sodomæis, & Gomorrhæis: & si differant in desolationis causa proxima. Quãuis tribulatio desolatoria igni confertur in scriptura. ¶ Porro, sicut Sodomitæ, & Gomorrhitę propter abominationem nefarij coitus, fuerunt traditi æterno exterminio, ita Israelitæ propter abominationem nefarij cultus idolorũ, fuerunt euersi, & exterminati vsque in præsentẽ diẽ. Quia tamẽ Dei misericordia, pauci fuerunt eruti à calamitate Assyriaca, ideo confert saluos, torri eruto ex incendio; qui erutus ab incendio seruatur, alijs lignis deustis. ¶ Id quod adumbrat ex allegoria, paucitatem saluandorum, si conferas eos inimẽsitati numeri perdendorum: id quod supra etiam annotauimus cap. 3. ¶ At vero forsan argutulus scisciabitur dicens, quid ergo si Deo germanius est misereri quam punire, vt ecclesia in quadam oratione canit, docens esse Deo propriũ misereri, & parcere; vt supra quando de misericordia agebatur. Cur igitur, plures sunt perdendi, quam saluandi. Quandoquidem si misericordiã obseruas, ad illã spectat seruare non perdere, vnde videbatur plures seruãdos fore à Deo quam perdendos, contra tamen docent sacra eloquia, nũquam non clamantia paucos esse seruandos in vitam æternam. Et ad oculum pareat, volenti considerare numerosissimam turbã infidelium & paucitatem fidelium. Et in ipsis adhuc fidelibus, paucitatem bonorum fidelium. Vnde Dominus ob hanc causam, ait Matth. 7. contendite, intrare per angustam portam, quia arcta est via, & angusta porta quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Et naturali rationi cõsentit hoc catholicum dogma, siquidem virtus. 2. Ethicorum versatur circa difficile: verum naturà humana, difficilia abhorret, & delectabilia sensualia, plurimum amplectitur, Vnde fit vt pauci sint, qui veræ virtutis viam sectentur: imo in vitia præcipites simus. Vnde & Pythagorici, hoc idem experti, in litera Y, duas hominis vias ostendebant: intenuiori, & strictiori viã virtutis, & in latiori vitiorum latitudinem. ¶ Legitimã est igitur nostra dubitatio, cur ita? Quandoquidẽ Deus magis amat misereri, quã irasci, magis seruare, quam perdere: quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. ¶ Respondetur, esse quam verissimum Deo esse germanius, misereri, quam irasci, seruare, quam punire; & ideo, in orbis exordio hominẽ creauit sanctum & beatitudine naturali beatum. Nam sanabiles fecit nationes orbis terræ, & mortem non fecit, neque lætatur

Pauci sunt saluãdi collati perdendis.

Quomodo cum infinite misericors sit Deo multo plures perduntur quam beantur.

tur in perditione viuorum Sap. 1. simul atque creatus fuit, at vero homo elegit sibi iter exterminij, & si ipse perstitisset in concessa sibi innocentia, nullus mortaliū perderetur, omnes enim seruarentur. Et hoc erat diuinæ misericordiæ institutum, seruare omnes homines, vt fuit seruare omnes angelos. Ideo continuo ab exordio ipsorum eisdem concesit vniuersa, quæ ad eorum incolumitatem seruandam conducebant, scilicet, gratiam, & fidem suam. ¶ Porro autem sic Deus est misericors, quod nō est mollis, vt sic iustus quod non est crudelis. Est autē mollities, sic vti misericordia, vt violetur iustitia. Quia igitur spectabat ad Dei iustitiā violatores legis suæ punire ideo præuaricatores angelos, de cælo deturbauit, & præuaricatorem hominem, de paradiso expulit, & ipsum cum sua posteritate irę suæ subiecit. ¶ Verum quia angeli non propagantur ab vno, vt homines ab vno primo deriuantur. Imo ex creatione sola Dei esse angelicum consecuti sunt, idcirco, peccatum angelorum solum infecit autores; & ideo non tota natura angelica fuit perdita, imo maxima pars fuit seruata, siquidem ex Apocaly. didicimus, draconem solum traxisse secum tertiam partem stellarū. ¶ At vero, quia ab vno homine, ceu à fonte quodam scaturit tota humana posteritas, infecto fonte, necessum erat, vt riuuli inficerētur, vnde & nati sumus omnes filij iræ, & sub indignatione diuina.

Angelicæ naturæ maior pars fuit seruata.

¶ Cæterum etsi tota posteritas Adam fuerit infecta originali culpa Deus autem, miseretur hominum, eos mundans à culpa hac, nunc per baptismalem gratiam, olim vero, per circuncisionem Iudæos, gentes vero quas mundauit, sub lege naturæ degentes per nobis nondum nota sacrificia: quanuis certo credimus suos cultores Deum nunquam destituisse; vnde eorum paruulos Deum mundasse, per oblationes quasdam, vel sacrificia, quæ Deus inspirauit eorum parentibus pijs erga Deum. ¶ Veruntamen ea modo magis vrget mota dubitatio, cur ergo totius posteritatis lapsæ non miseretur Deus, sed solum eligit quosdam, quos sanctificat, & alios sub sordibus suis, vitam finire permittit? Sanè, istud nobis est vitio vertendum non diuinæ misericordiæ. Enimvero, iam ipse Deus voluit omnium hominum misereri, creās hominem rectum,

Cur minor pars humanæ naturæ fuerit à Deo mundata.

quam rectitudinem posteritas tota frueretur, si ipse perstitisset in concessa sibi rectitudine, verum ipso lapso collapsa est eius posteritas, & quæ tota frueretur Dei misericordia si non collaberetur, tota sub iacet Dei iræ collapsa, siquidem vt aiebā Deus sic est misericors, vt ex sua misericordia non violetur eius iustitia. Hoc autem spectabat ad Dei iustitiā animaduertere in peccatum protoplastri, quia contempsit Dei sibi amplissimè donatam misericordiam: & ipso cōtemnente tota posteritas, in ipso virtualiter, quodammodo contempsit, nam Paulus ait, in Adam omnes peccauerunt. Huius igitur cōtemptus Deus in quibusdā sumit pœnas, maiorem partem hominum sub ira sua, & indignatione relinquens, vt suæ fiat satis iustitiæ. Aliorum vero hominum, hunc mūdat contemptum ex misericordia sua cos vocans, ad se, & sanctificans per se ad Hebræos 1. Purgationem peccatorum per se ipsum faciēs. Cæterum, etsi omnes homines fuimus cōtemptores tantę misericordiæ, quæ homini primo fuerat donata, & ideo nihil possumus iustè obtendere contra Dei misericordiam, nihilominus etiānum erga omnes homines, pfundere suā misericordiam amat Deus: quia teste Paulo, vult omnes saluos fieri: & ad agnitionem diuinæ veritatis venire. Ideoque sine delectu gentium, aut nationum, Apostolis suis præcepit euangelium prædicare. Ite ait, & prædicate euangelium omni creaturæ: idest omni nationi hominum quæ sub cælo est, nihil discernendo inter eas. ¶ Veruntamen maxima pars hominum prioris contemptus diuinæ misericordię, infectionem retinens, contempsit, & huc vsque contemnit, nouam hanc Dei misericordiam: quocirca iustissimè, sub ira Dei relinquuntur: qui Dei misericordiam hucusque contemnunt vt est videre in infidelibus, & hæreticis. ¶ Si igitur minima pars hominum seruatur, non defectui misericordiæ diuinæ tribuatur, sed humanæ negligentiæ succenseatur; quæ Dei misericordiā sibi oblatā contemnit. Qui autem præuēti Dei misericordia hāc Dei misericordiam amant, & suspiciunt, pauci sunt collati prioribus, ideo pauci seruantur; & multi perduntur. Vt cap. 3. annotatum est, & nunc idem hoc cap. aduertimus. Et item ex Isa. 17. admonemur. hoc ipsum, vbi conferuntur seruati racemo,

1. ad Tim. 2.

Seruatorū à Deo paucitas torri ex incēdio erutū, & cruentibus

ouis à leonis fauci-bus à pasto re extra-ctis, & oliuæ super fertilitate olea excussa cōfertur.

mo, vel bretulo relicto post vindemiam & sicut oliuæ, quæ super sunt ex decussa olea. Tu lege declamationē nostram ad Isaiam, de re hac. ¶ His tamen non oppetentibus si aggregamus omnes electos, & angelos, & homines, plurium misereatur Deus, quam perdat. Enimuero angeli beati, & homines beandi, multis partibus superant, omnes dānatos angelos, & homines. Enimuero Deus creauit angelos maximo innumero, vnde illud, millia milliū ministrabant ei; & decies centena milliū assistebant ei, idest Hispanè dos millones de angeles. Et vsurpatur etiānum numerus determinatus, pro indeterminato, vt moris est scripturis sanctis. Quia tantus est numerus cælestium spirituū, vt sit à nobis incomprehensibilis. Quia forte excedit omnia visibilia creata: etenim cū spiritus angelici, sint Deo in natura quā simillimi, vt pote qui spiritualem habent substantiam, plures creauit angelos Deus, quam visibiles creaturas. Quia magis lętabatur in creandis spiritibus sibi valde similibus vt colligitur ex Diony. 10. ca. de cæle. Hierar. lege Tho. 1. par. q. 50. artic. 3. ¶ Vnde ex angelica natura minima pars perdita est; & maxima seruata. Non enim vt aiebam sunt ex vno angelo, cæteri propagati, sed neque poterāt propagari; sed solum creari ex nihilo; quia ex partes sunt corporis. Adde, quod nō sunt circūdati carnis infirmitate vt homo, qui terrenis ducitur affectibus quia ex terra factus est. ¶ Ideoque plures angeli, hæserunt Deo, quando prelium factum est in cælo spirituale, in quo Michael & angeli eius pugnam inierunt cum Dracone, id est Lucifero, & victus est Lucifer, & deiectus ipse cum tertia angelorum parte; & duæ partes remanserunt angelorum in columes, vt præfert locus ille indicatus ex reuelationis lib. Ioan. Euangelistæ. Quo fit, quod si tantus est numerus beatorum agminum cælestium spirituum, quod si ipsis aggregas omnes homines beādos, quod facile excedūt numerū perditorum dęmonum & hominū. Et verè assęuerabit, qui dixerit pluriū Deus misereatur, quā sunt qui perduntur, & verum esse discem? quod Iacobus testatur, Quod misericordia Dei superexaltat iudicium, id est superfertur operatio misericordiæ, operationi iustitiæ, quia miserationes Dei super omnia opera Dei quia facit so-

Deus in cōprehēsibilē nobis creauit angelorū multitudinē.

Apoca. 12

lem suum oriri super bonos, & malos, &c. *Quapropter hæc faciam tibi Israel. quoniam autem hæc fecero tibi, præpara te in occursum Dei Israel.* Idest siquidem hæc calamitosa quæ hactenus prænuntiani, illatumus sum vobis, quod superest igitur est, vt vos prę paretis corda vestra Deo, & malefacta defleatis, & flentes vestra crimina, meæ iustitiæ occurratis, vt quod disposui inferre vobis malum vestra correctione commotus mutem sententiam, & vertam malum in bonum, quia non est voluntatis meæ mors impij, sed vt conuertatur, & viuat. ¶ *Præparare*, dicet aliquis, quia ratione dit, quod nos præparemus ad occurrendum diuinæ iustitiæ, ne vindictam capiat de nostris sceleribus, quandoquidē nemo potest sese præparare, nisi à Deo primo præueniatur sua inspiratione, vt canit Ecclesia; Tua nos quæsumus Domine gratia & præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præbeat esse intentos? ¶ Respōdetur quod Deo præuenienti, & vocanti ad pœnitentiam, si nos annuimus, & per fidem rectam, timemus Deū, & dolemus de peccatis nostris tunc nos prępparamus, ad gratiā Dei suscipiendam. Nam contritio nostra, est præparatio quædam, disponens vltima animam pœnitentis vt cælesti imbuatur gratia. ¶ Quia equidē imbuti Deo occurrimus, quia propter gratiam infusam, conquiescit indignatio Dei, quæ vibrabat gladiū suum, ideſt æternam pœnam contra nos Sicut. 1. Reg. 23. Abigail irato Dauid, supplex occurrens illius mitigauit furorem, quem iurauerat effusurum, in Nabal. Quidam hæc verba referunt ad finalem conuersionem Iudæorum, quam prędicit modo vates iuxta horum placitū. Vt sit sensus postquam vos Israelitæ fueritis redacti in captiuitatem, intelligetis amarum vobis esse reliquisse Dominum, & vexatio diuina, dabit vobis intellectum, vt præparetis animos vestros per fidem, & pœnitētiam, & occurratis vestro Mesiæ, quem hactenus non suscipitis. *Quia ecce formans montes*, sub audi ipse est, *& creans ventum annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen eius.* Demōstrat, quam dignissimum Deo sit, nos prępparare & occurrere Deo, vt eius sedetur indignatio concepta contra nos. Quia Deus est omnipotens, &

Contritio est dispositio vltima animæ nostræ ad suscipiēdam gratiā Dei

omnia

omnia illi parent, ideo non euademus, in dignationem eius, nisi nos affligamus legitima pœnitētia: ipse enim format mōtes altissimos, & creat ventum inuisibilē, qui cum alioqui sit inuisibilis, mōtes etiā inaccessos, inuisibiliter labefactat quod si ventus, qui est creatura, & non ex optimis Dei creaturis tātus habet vires vt subuertere possit mōtes, quid quod ipse creator, ad nihilum si volet posset deducere non solum Israelitas, sed etiam omnem creaturam? Et ex alia item operatione Deus se longe mirabilē præbet, quia quæ sunt occultissima cordis nostri pādit per suos prophetas, & hoc est quod ait. *Qui annuntiat, &c.* Hebra. Qui annuntiat homini meditationem suam. Item ex alia discemus operatione Dei maximam potentiam. *Facies matutinam nebulam.* Et est quidem valde mirabile, quod sepe aurora clarissima rutilet luce, & tamē in momento, tota vertitur in caliginem. Item ex alia *Quia graditur*, idest vbique est, super excelsa omnia quæ sunt super terram, quales sunt cælorum machinæ, & est in terra, & subtus terram. Quia cœlum & terrā ipse implet. ¶ Dicet quispiam, cur solum vates horum meminit, ad declarandam Dei potentiam, cum sint alia Dei opera longe sublimiora? Respon. Quia volebat ex istis quæ magis ad sensum patēt, exterrefacere elationem Israelitarū. Quasi dixisset, Quid elati estis & timidi, o Israelitæ contra Deum, qui montes altissimos, ventis agitantibus subuertit? Quid gloriamini claritate regni, cum Deus auroram clarissimam, nebula obtegente subito obscurat? Quid ferimini contra Deum, quasi vero Deus nesciat vestras elationes, & fumidas cogitationes? qui enim poterit nescire qui per suos prophetas, retegit vobis vestros inanes cogitatus?

EXPLANATIO
IN AMOS CAP. V.

AVDITE verbum istud, quod ego leuo super vos planctum domus Israel: cecidit & non adijciet vt resurgat virgo Israel: Proiecta est in terram suam, & non est qui suscitet eam. Mala quæ erat Dominus illaturus Israelitis propter scelera supra relata, etiā num latius prosequitur, quam hactenus fuerit prosecutus. Et ideo tanquam dicturus rem grandem statim in exordio, captat attentionem ex rei dicēdæ magnitudine. Populum Israeliticum virginem vocat, aut ironicè, vt Hispaniè meretricem, irrisorie, vocamus virginem. Et Æthiopē Ioannem album. Quia igitur gens illa fornicata fuerat cū amatoribus multis, idest multa sibi delegerat colenda, idola vnde Ieremias, illis obiecit, frons meretricis tibi facta est; ideo spiritualē meretricem, ironicè, vocat modo virginem, vt subintelligat, longe abesse à virginitate, idest ab integritate fidei, & incorruptione morum. Aut vocat virginem habita ratione ad integritatem fidei & morū, quam Israelitarum maiores habuerūt Abraham, Isaac, & Iacob, &c. Siquidem Israelitæ quibus Amos direxit suum vaticinium, abolitā habebant Dei fidem, colendo vana idola: ob quorum inueteratum cultum Dominus prædicit illis perpetuam captiuitatem inferēdam ab Assyrijs; à qua quia nūquā erant asserendi, ideo ait cecidit virgo Israel, idest labetur, pretenta enim vlurpantur pro futuris, cecidit pro cadet, inquam ab statu fœlici quem obtinebat, ab abundantia opum, in teterrimam paupertatem à dignitate regni, in miseram seruitutem Assyriorum, delicijs à deniq; quibus fruebatur, in summam miseriam. *Et non resurget* neque solamē vobis erit, spes, restaurationis, vel regni, vel opum, &c. quia nunquam restaurabimini. *Proiecta*, abacta est virgo hæc in terram, vbi ducetur captiua, & non erit, qui eam liberet à captiuitate. *Leno super*, quod ego pronuncio contra vos lugubre carmen, quod vocat nunc planctum, quia excitabant hæc carmina lugubria planctum, vt modo excitant. ¶ Suum vaticinium tristitia prænuntians, vocat planctum, vel lugubre carmen. Itidem Ezechi. 2. prophetiā suam vocat carmen, & ve. Eusebius lib. 4. ca. 26. de demō. Hoc vaticinium refert, ad scelus quod admiserunt Iudæi Dominū in ligno suspendentes, propter quod fuerunt per Titum, & Vespasianum, expulsi à Iudæa, & dispersi perpetuo in nationes, vt Dominus prædixerat, Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas, eos, ecce relinquetur domus vestra deserta non relinquetur in te lapis super lapidem; &c. Cæterum, ex contextu sermonis, ad decem tribus, & ad captiuitatem *Matth. 23*

earundem tribuum. *Quia hæc dicit Dominus vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel.* De egressu ad bellum, hæc intelliguntur, id est redigemini in magnam paucitatem, egestate enim, & fame, peribitis adeoque, minuemini, vt millia reducantur ad centum, & centum ad decem. Hanc desolationem, illis prædixerat Moyses in Leuitico capit. vigesimosexto. Erit terra vestra dicens, deserta, & ciuitates vestræ dirutæ. *Quia hæc dicit Dominus Deus domui Israel, quærite me, & viuetis, & nolite quærere Bethel: & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee, non transibitis. Quia Galgala captiua ducetur, & Bethel, erit inutilis.* Quid sint Bethel, & Galgala supra est expositum. Bersabee autem quod interpretatur puteus iuramenti, aut puteus septem. Ber enim fontem significat Hebræis, Saba vero ius iurandum, aut septem. Et enim, vocatur puteus iuramenti à percusso ibi fœdere inter Abraham, & Abimelech rege Geraræ. Geneſis vigesimoprimo. Similiter & Isaac ibi innuit fœdus cum eodem rege Geneſis vigesimosexto. & quia Abimelech septem agnas de manu Abrahæ acceperat, vocatur puteus septimus ibidem iudicium siniſtrè, administrabant, Ioel, & Abia filij Samuelis. Iosephus autem libr. octauo. capit. decimotertio, antiquit. Iudaica. tradit hunc locum fuisse finem Israelis terræ, ab austro, primo Regum tertio. Et secundo Regum vigesimo quarto. Et ciuitas hæc cecidit in sortem filiorum Simeonis, Iosue decimononō. & primo Paralipomenon quinto. Monet igitur vates, vt Dominum colant Israelitæ, & resipiscant à vano idolorum cultu: vt possint se seruare incolumes, & euadere hostiles Assyriorum impetus. Aliàs & idolum quod erat erectum in Bethel, & idola, quæ colebant in Galgala, & quæ in Bersabee, erant consumenda, & ipsi cultores, cum suis vanis dijs, erant desolandi, cum comminationibus igitur miscet vates admonitiones salubres in nomine Domini, quia Deo magis est cordi, misereri potius, quam irasci, vt superior sermo admonuit. Quod vero nihil repetit de Bersabee, ideo est, quia sub alijs commemoratis, hæc subintelligitur item desolanda. Et vt videtur, non erat tam celebris hic locus superstitiosis Israelitis, vt commemorati. *Quærite Dominum & viuite, ne forte comburatur vt ignis domus Ioseph, & deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel.* Rursus ad pœnitentiam eos trahit vates, dicens, Quærite sedulò Dominum, vt ille quærendus est, & viuite, pro viuetis. Viuetis inquam, & vita spirituali, quia animæ vestræ mortuæ sunt in peccatis horrendis, iacentes, & corpora vestra interficientur ab hostibus vestris. Ideo quærite Dominum, id est præcepta eius obseruate, & viuetis fœliciter. Ne forte alia translatio non legit *forte*, sed neque septuaginta legunt, neque Hebræi. Sed *ne ardeat instar ignis domus Ioseph.* Et multis hoc aduerbium malè sonat, quia videtur, ex eo significari Deum latere nostra. Verum quia plerumque hoc aduerbium inuenimus translatum in literis diuinis, ideo defensio est, hoc aduerbium, quod est dubitantis, nihil dubij significare modo, sed potius arbitrij nostri libertatem denotare. Quia igitur audita comminatione diuina vibrata per vates, poterant Israelitæ, resipiscere, vt & Niniuitæ resipuerunt, & tunc cessaret comminationis executio, ideo propter hanc dubiam executionem, additur fortè. *Comburatur*, pro ardeat vsurpatur, & significatur finale exitium illius gentis, quod confertur igni desolāti & deuastanti domos, vel segetes vsque ad cineres. *Et non erit*, simile dixerat supra, *non adijciet vt resurgat.* Et sub nomine Bethel, qui erat locus celeberrimus suæ superstitionis desolationem decem tribuum subaudit, & subaudienda est præpositio in, in, Bethel. *Ioseph*, sub hoc nomine intelligit decem tribus: vt in præfationibus generalibus ad prophetas hoc est annotatum. Etenim Ieroboam, qui abduxit decem tribus à vero Dei cultu, fuit Ephraimita, at Ephraim fuit filius Ioseph, ideo ex patris nomine, significatur filius, & ex filio, Ieroboam, & ex hoc decem tribus quibus ipse imperauit. *Qui conuertitis iudicium in absynthium, & iustitiam in terra relinquitis.* Ostendit causam, vnde commeruntur, quod deuorentur ab igne, idest, ab ira Dei, quam dixit, exarsuram in Israelitas. Quoniam conuertunt iudicium in absynthium. Est autem absynthium herba amarissima, quia igitur iudices

Bersabee quid,

Aduerbiū forte quid significet quando diuinis additur.

Israelitæ siniſtrè iudicando, in amaritudinem magnam deducebant ſibi ſubditos, ideo ait conuertitis iudicium in abſynthium: & quod ſequitur idem eſt. Aut ex eo additur, quia bifariam malè agebant aut committendo malè iudicando, aut omittendo, non benè iudicando, ſed diſſimulabant, & differebant iudicium: id quod eſt relinquere iuſtitiam in terra.

Peccatum commiſſionis, & omiſſionis.

¶Hoc idem dixerat ſub alia tamen ſermonis figura, capit. quarto. dicens, Audite vaccæ pingues verbum hoc, &c. quibus verbis, ſubnotabat principum illorum, & ingluuiem & laſciuiam, & ſubditorum iniuſtitiam, dicens, qui calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes. Confringuntur enim pauperes quãdo iniuſtè iudicantur, aut quando iudicium illis debitum negatur.

¶Confractio autem hæc bifariam intelligi poteſt, aut in ſubſtantia pauperum, quando hæc ab eis iniuſtè auferitur, aut in perſona, quando innocens pauper, morte, vel exilio vel carcere vel alia huiusmodi genus pœna, mulctatur. *Facientem arcturum, & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantẽ. qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ.* In gratiam huius loci obſeruare expediet quod Orion, & Arcturus, ſunt imagines quædã cæleſtes: ſunt enim imaginũ cæleſtium, quædam ſeptentrionales, videlicet ab eclyptica linea ſeptentrionem verſus. Aliæ vero meridionales ſunt ab eclyptica linea, verſus auſtrum. Aliæ vero ſunt ſedem habentes in ipſa eclyptica; qualia ſunt ſigna duodecim quæ Zodiacum exornant. Septentrionales autem imagines ſunt numero viginti, quarum eſt vna Cynoſura, ſiue Buccina, ſiue vrſa ex poetico figmento appellata minor, quæ ex ſeptem componitur ſtellis. Item in harum numero eſt vrſa maior, vulgo, Plauſtrum appellatur. Hanc item Arcturum nuncupãt quæ fit ex viginti tribus ſtellis, at Arcturus eſt de numero ſtellarũ primæ magnitudinis. In numero autem meridionalium eſt Orion, quę conſtituitur ex triginta octo ſtellis. Vnde Ariſto. libr. primo, problema. Sectio prima. capit. tertio. docet in ortu Orionis, & Arcturi & Pleyadum in hoc mũdo inferiori commotiones excitari. Meminit quoque Iob harum imaginum, & ſtellarum: magnificans enim Dei potentiam, vt modo magnificat Amos, ait capit. nono. Qui facit Arcturum, & Orionas. Et capit. trigeſimoſeptimo. Ab interioribus egrediatur tempeſtas, & ab Arcturo frigus. Siquidem Arcturus eſt ſeptentrionalis conſtellatio, & ideo frigus cauſat. Et capit. trigeſimo octauo. Girum arcturi poteris diſcere? Quia verſus polum vrſæ mouentur. Lege de iſtis Ptolomæum in Almageſto, & tabulas Alfonſinas. Capite igitur quarto, memorarat quædam ſublimia Dei opera, ſcilicet, ſubuerſionem montium, à ventis flantibus, & flatu impetuoſiſsimo, montes ſubuertentibus & auroræ lucentis, à nebula cooperiente ſubito verſæ in caliginem &c. Nunc vero, alia ſublimiora Dei opera, etſi non tam patentia, vt priora, quippe illa ſæpè experiuntur homines etiam ruſtici. Quæ autem modo narrantur, ſapientibus aſtrologis magis patent, quam vulgo. Et enim illi nouerunt diſcernere cæleſtes imagines: id quod inſipientibus occultum eſt. Etiam ſi Arcturus, vnde arcticus polus, nota eſt ſtella, vt eſt Bootes, ſeu Buccina.

Viſa maior.
Viſa minor.
Orion.
Arcturus.
Cynoſura, id eſt, canis cauda.

Arcturus conſtellatio ſeptentrionalis.

¶Hæc igitur magnificentiſsima & nunquam ſatis laudata, miſtaque digniſsima Dei opera, in medio exponit vates, vt digniſsimam eſſe reprehenſionem Iſraelitarum inde doceat: qui Deum infinitæ potentiæ. Dominum, non amarent, & ad idola infirma & inania, animũ ſuum conuerterent. *Facientem* oportet ſubaudire, in tota hac periodo, verbum hoc relinquitis, aut contemnitis vel æquipollens. *Qui vocat aquas maris*, videtur ſuffragari vulgari placito. Vulgo enim creditum eſt nubes deſcendere in mare, & inde onerari aquis, quas exonerando, pluuias ſtillent, id quod eſt rude placitum. Nam nubes, ex vaporibus terræ ſurſum latis coaleſcunt, neque ipſæ deſcendere poſſunt in maria: quia ſua leuitate quam ex ſolis calore concipiunt, ſunt media in regione ſuſpenſæ, donec reſolutæ in ſtillicidia euaneſcant. Verum quia iſti vapores à ſole excitantur etiam ex mari, ideo vates, ait, Qui vocat aquas maris, & effundit eas in terram. Nam ex vaporibus huiuſmodi marinis ſurſum in mediam regionẽ latis, nubes concreſcunt, & concretæ ex frigore mediæ regionis aereæ, ſoluuntur in pluuias. *Dominus eſt nomen eius.* Inter nomina varia Dei, eſt & iſtud

Opinio vulgi de generatione pluuiarum elidit.

iſtud, ſcilicet, *Dominus*. Quia ipſe eſt ſolus Dominus omnium: à Deo enim deriuatur dominium in homines. Nanque creato homini, dedit præſidentiam ſuper piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs terræ. Itemque vnus homo habet dominium in alios homines, ex iure naturæ corruptæ, nam immutata natura per peccatum protoplaſtorum, ius naturæ item fuit immutatum, quoad dominium. Quippe ſi natura perſtitiſſet humana, in ſplendore natiuo, quo fuerat condita, neque eſſent Reges, neque Imperatores, neque heri neque ſerui, neque Domini, neque famuli, ſed ſolum eſſet ius paternum, iuſque vxorium, non ius herile, aut regium.

Ius naturæ fuit immutatũ ex collapſa natura humana.

¶Verum quia collapſa natura, iam alia moderatione rerum egebat, ideo reſpublicæ ad ſui legitimam moderationem, elegerunt principes, quibus reipublicæ poteſtatem conceſſerunt: vnde factus eſt homo homini Dominus.

¶Et quia pro varia libidine dominandi, prælia ſunt commiſſa, victores facti ſunt Domini eorum quos prælio ſuperabant. Et quia collapſa natura, quidam ſunt inopes, alij vero locupletes, fuit neceſſum, vt liberi inopes ſe ſubderent ad famulatum locupletibus, vt ſuam leuarent inopiam.

¶Et iſtud dominium quia eſt ſecundum ius naturę, quod à Deo eſt, ideo omnis dominatio, à Domino Deo eſt, vt nos latius 3. libr. Sententiarum, & in praxi Theolo. tradidimus. Pro *Dominus* habetur hic Hebraicè *Iehoua*, quod eſt nomen, quod vocant Græci tetragrammatõ, id eſt quatuor literarum, de quo nomine nos in primo libr. noſtrarum diſputat. Theologic. abundè diſſeruimus. *Qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum, & depopulationem ſuper potentem affert.* In biblijs Hiſpanis. Qui *arridet* in tranſlatione Hieronymi. Hebraicè. *Qui contorquet vaſtatorem ſuper fortem*, Græca ſunt apertiora. *Suſcitans contritionem ſuper robur & miſeriam ſuper munitionem inducens.* Vt ſit ſenſus Dominus eſt nomen Dei, qui robuſtiſsima quæque cum ſibi placet deuaſtat, & munitiſsima quæque cum ſibi arriſerit ex ſuo ſapientiſsimo Conſilio diſsipet, Quaſi dixiſſet clarius ò Iſraelitæ quid efferimini contra Deum, confidentes veſtris opibus, & viribus ſcitote quod ipſe irridet potentias potentiſsimorum, quia cum maximè tumuerint, ipſe in nihilum eos deducet.

¶Obſerua quod Deus neque ridet, neque irridet ſermone ſi vtaris proprio: at vero ex tranſlatione dicitur irridere iuxta illud, Qui habitat in cælis irridebit eos & Dominus ſubſannabit eos. Cum enim quiſpiam in noſtro conſpectu incaſſum conatur, qui alioqui credebat, rem habere in procinctu, vt conficeret irridetur à nobis: quia delusit eum ſua cogitatio, & ſuo conatu fuit fruſtratus.

Qua ratione in ſanctiſcriptis Deus dicatur ridere, aut irridere.

¶Ad quam rationem, Deus noſtros contra ipſum conatus irridet, quando ipſe ex ſua omnipotentia eos reddit inanes. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt.* Dixit ſcitè comicus: Obſequiũ amicos, veritas odium parit. Vnde Herodes odio proſecutus eſt Ioannem Domini præcurſorem: quia corripiebat eum, quod Philippi fratris vxorem rapuiſſet: quare, & illum capite truncauit.

¶Et Dominum Ieſum odio habuerunt Phariſæi, & Scribæ: quia arguebat ſcelera eorum. Vt ipſe cum eis expoſtulat dicens, Odio habuerunt me gratis. Et rurſus idem cum gentibus, & Iudæis expoſtulat dicens, Pſalm. ſecundo. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Et Paulus de huiuſmodi conqueritur odio ad Galatas quarto. Et vobis factus ſum inimicus vobis dicens, verum: vt autem lux eſt infeſta oculis lippientibus, at vero eſt gratiſsima, oculis ſanis. Ad eundem modum vitiorum reprehenſio, pijs & manſuetis grata eſt: at vero rebellibus eſt ſummè odioſa.

Qui ſunt qui odiunt correctionẽ iuſtam.

¶Iſti igitur Iſraelitæ, quia impij erant prædicantes prophetas, & corripientes eorum ſcelera odio habebant. Et quia perfectè eos docebant, non corruptè, vt falſi vates, ideo eos abominabantur.

¶Vnde huiuſmodi impios egregiè deſcribit Iſaias capit. trigeſimo. Qui dicunt inquit, videntibus nolite videre: & aſpicientibus nolite aſpicere nobis, ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Et ſupra capit. ſecundo. Propinabatis Nazaræis vinũ, & prophetis mandabatis, dicentes, Ne prophetetis.

¶Traditur autem in Eccleſiaſt. 19. Qui odit corripientem minuetur, & cap. vigeſimo,

simo. Peccator homo vitabit correctionem. Vnde Achab, repulit à se Michæam filium Remla, qui vera sibi annuntiabat, & adduxit falsum vatem Sedechiam placida prædicentem, & hic pseudouates, percussit verum Dei vatem: quia vera prophetabat. tertio Regum vigesimo secundo.

¶ Huius item reatus accusantur à Domino Iudæi in Euangelicis literis. Filij inquit estis eorum qui prophetas occiderunt. Et rursus, Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, &c. Matthæi vigesimo tertio. Et Stephanus, hoc idem scelus abominandi prophetas eisdem obiecit Actorum septimo. Vos inquit Spiritui sancto semper restitistis.

¶ Tales erant isti, quales sunt ægroti odio habentes medicos, illis propinantes salubria pharmaca, *In porta* olim Iudæis mos erat, iudicia forensia in portis celebrare ciuitatum Ruth quarto, vt apud nos in plateis exercentur. Et fieri poterat, quod prophetæ etiam prædicarent in eisdem portis, vbi fit conuentus egredientium, & ingredientium. Aut *in porta*, referendum est ad portas templi, vt Ieremias fecit, qui prophetauit Iudæis in porta templi Salomonici, sta, ait Dominus Ieremiæ, in porta domus Domini & prædica ibi verbum istud. *2. Regum 25.*

¶ Et quidem Ieremias est testimonio quantum abominati sint Iudæi correctiones propheticas suas. Etenim à Rege Sedechia multa mala est perpessus Ieremiæ vigesimo. Et Vriam Dei vatem Ioacim, quia vera prædicebat iuxta quæ Ieremias prædicebat, occidit gladio, Ieremiæ vigesimosexto. Et in parabola euangelica, de missis nuntijs ad vineam quos coloni lapidarunt, & occiderunt imo in ipsum filium vnigenitum Domini vineæ, etiam manus iniecerunt, & interfecerunt, satis liquet, quam rabidi mores erant Iudæorum aduersus Dei prophetas, & aduersus (quod fuit summi flagitij) Dominum prophetarum Iesum Christum Dominum nostrum. *Matthæi 20.* *Idcirco, pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide, ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.* Inculcat quod supra docuerat, & vitio dederat Israelitis, esse scilicet pauperum oppressores. Tollere autem ab eis prædam electam, idem est quod vi, aut fraude auferre à pauperibus quod suum erat. *Prædam*, id est, onus bonum, scilicet frumenti, vel vini vel olei, &c. quæ pauperes in domum suam referebant, ad alendum se & suos: at vero Israelitæ potentiores vi auferebant, aut excogitatis dolis, vt solet fieri à custodibus viarum apud nos. Qui pauperes etiam expilant, non iuxta Regis præceptum, sed iuxta suam deprauatissimam auaritiam. Et propter hanc pauperum conculcationem, & oppressionem, ait Dominus per prophetam, Israelitas non esse fruituros suarum domorum, &c. Et insinuat proximam esse, & illis impendentem captiuitatem. *Iudæi notantur à prophetis de superbia, quia abominabatur Dei prophetas & de auaritia, quia pauperes conculcabant.*

¶ Sub captiuitate autem domus ornatissimæ & affabre ædificatæ, ad solum sunt æquatæ, & vineæ pulcherrimæ dissipatæ.

¶ Obserua autem quanti Deus faciat causam pauperum, quod in vltionem iniuriæ magnæ quæ illis irrogatur, à potentioribus, dissipaturum prædicit, domos pulcherrimas, & vineas electissimas, quas diuites sibi pararunt, sublata vi, vel fraude pauperum substantia: & hoc idem passim leges apud alios propheras. Deus enim quosdam voluit pauperes, & diuites alios voluit esse: non sanè, vt isti fugerent sanguinem illorum, & ex suctu, isti pinguescant, & illi macrescant. Imo potius, vt diuites commisereantur pauperum, & illis subueniant, & leuando eorum inopiam Deo grati sint. At pauperes ferendo æquo animo suam indigentiam promereantur regna cælorum. Et pro receptis beneficijs, à diuitibus, Deum precentur, pro illorum pace, & salute. At contra sæpè accidit, pro receptis enim iniurijs, à diuitibus, pauperes eos execrantur, & Deum precantur, vt eos de medio tollat. Et sæpè orationem pauperum horũ exaudit Dominus. Nanque pauperi, ipse erit adiutor. Hic videri poteris, qua ratione sit necesse, non contemnere increpationes propheticas, & pauperibus non insidiari. Quæ duo erant maxima peccata Iudæorum, superbiam; scilicet, non obediendo propheticis monitis, & auaritia in expiandis bonis inferiorum, quos vocat scriptura nunc pauperes, quia erant impotentes *Psal. 21. Psal. 68. Eccle. 21. Deus magnam curam habet pauperum.*

tentes resistere superioribus eos grauantibus. *Quia cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra, hostes iusti, accipientes munera, & pauperes deprimentes in porta. Ideo prudens in tempore illo tacebit.* Causam subdit, cur domus ædificatæ miro artificio, & sumptuoso lapide erant dissipandæ, & vineæ erant desolandæ Israelitarum, quia cognouit Dominus scelera Israelitarũ, & grauia eorũ peccata: & quia erant hostes, iusti ideſt odio habebant ipsam iustitiam. Nam qui amant calumniari, & insidiari alijs, hostes sunt iustitiæ, vsurpatur enim concretum, iustum, pro abstracto, scilicet iustitia. *Deprimere autem pauperes in porta*, est iudicio, quod tunc celebrabatur in ciuitatis porta, opprimere pauperẽ. Nam iudices illi Israelitæ pretio subornati, causam pauperum iustam negligebant absoluebant enim reum diuitem, & damnabant actorem iustum pauperem. *Ideo* id est, quia vos iudices, & Senatores terræ vestris iudicijs turbastis terram, nullum erat præsidium pauperum, nisi recurrere ad Dei prophetas, qui vos grauiter increparent, propter iniusta iudicia vestra. At vero hoc præsidium iam infirmum est, quia vestra adeò increuit iniquitas, vt prophetas Dei subsannetis. Vnde fiet quod qui vos reprehenderet perdat oleum, & operam.

¶ Quare prudentiæ erit, facere potius quam loqui. Cæterum, quia correctionem negligitis, & correctionem procul facitis à vobis, vobis impendit, summa vestri, & vestrorum præfata calamitas. *Quia tempus malum est.* Tempus cum sit mensura motus, secundum prius & posterius, quarto Physicorum de se bonum est, quia creatura Dei est: & ideo valde bona est. At vero vsurpatur, tempus pro ijs quæ sub tempore fiunt, & ideo iam vocatur bonum, iam vero malum. Quia igitur quæ erant apud Israelitas id temporis, omnia erant turbata, ideo ait, tempus esse malum. *Quærite bonum, & non malum vt viuatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis.* Increparat durius vates Israelitas, nunc mollius eosdem admonet, sicut ille Samaritanus apud Lucam, qui curandis vulneribus sauciati, infudit oleum, & vinum. Et hic mos est propheticus duris miscere blanda: vt ex vtroque temperato medicamento, suauior animi languentis sit curatio. *Sicut dixistis*, id est sicut desideraſtis, vt Dominus esset vobiscum, iram suam à vobis auferendo, & misericordiam suam vobis elargiendo. *Odite malum, & diligite bonum, & facite iudicium in porta.* Primus ad virtutem gradus est mala, id est culpas abhorrere, & secundus, virtutis officia exercere. Nanque agentia naturalia, suas non inducunt formas, nisi expulsis contrarijs. Vt est videre in igne qui primum laborat frigus ab aqua depellere, qua depulsa, suam introducit formam. *Quaratione tempus appelletur malum.* *Gradus primus ad virtutem, est odire peccatum.*

¶ Cum ergo sint virtus & vitium contraria, qui studuerit officia tractare virtutum in primis necesse est, vt studeat prunas iam conceptas vitiorum consuetudines paulatim abolere: quibus abolitis delectabiliter exercebit diuinæ legis operationes. Ideo dixit Psalm. 36. Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.

¶ Et alibi admonemur ex sacro Ieremia capit. quarto. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. ¶ Est sanè anima nostra sicut ager quidam nouellus, & incultus ex se ipsa, id est à sua creatione. Quia creata est, ceu tabula rasa in qua nihil depictum est. tertio de anima text. 12. & 14. aut sicut ager nouellus, in quo nihil satum est. *A sua creatione anima est vt tabula rasa, aut vt nouellus ager incultus.*

¶ Porro continuo vt adulti sumus, spinis peccatorum, hunc agrum plantamus: ideo monet propheta, vt has spinas, primo euellamus: peccatorum contritione, & satisfactione, & pura confessione, & post modum seminemus opera Deo grata, quæ fructificabunt vitam æternam.

¶ Vnde ride Lutherum, cui sat erat bona opera facere quæ prius non faciebamus, at spinas non iudicauit esse euellendas contritione, & confessione, & satisfactione. Quia dixit optimam pœnitentiam esse nouam vitam. Quasi dixisset pulcherrima est super spinas satio.

¶ At obsecro, vbi nam hanc agriculturæ inuenit rationem? nunquid apud agricolas, non vtique, quia isti stultissimam iudicabunt huiusmodi sationem: & ego item stultissimum iudico Lutheri dogma. *Lutherus refellitur.*

¶ Porrò cum ille semel incepit insanire, necessum fuit, ad defensam prioris insaniæ, docentis solam fidem sufficere saluti parandæ, alias contexere insanias, vt qui linum lino nectit. ¶ *Et constitui te,*

istud refertur ad iudices, quos sæpè vates arguerat de iniustis iudicijs. Quos item modo admonet, vt rectum ferant iudicium. Enim vero, quia iustitia est clarissima virtus. 5. Ethicorum, huius virtutis legitimus cultus, rempublicam conseruat in pace: & eiusdem turbatio, totam rem publicam turbat. *Si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquijs Ioseph.* Dixit forte, non quia Deum latebat, quid esset facturus, id est si erat miserturus, an non: sed quia dubium erat ex parte liberi arbitrij Israelitarum si legitimam essent acturi pœnitentiam, ideo dixit si forte misereatur &c. vt supra annotatum est. Reliquias vocat Ioseph id est ex decem tribubus superstites. *Misereatur*, pro miserebitur reliquiarum, dixit reliquias, quia regium Israeliticum erat diminuendū per Assyrios: nam vt diximus, primo fuit labefactatum per Teglath phalasar, & deinde solutum per Salmanasar. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum dominator, in omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris sunt, dicetur, Væ, væ. Et vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui sciunt plangere.* Id est, quia vos non agetis cōdignam pœnitentiam, ego non miserebor vestri. Ideoque venient super vos, iam prænunciata per vates meos mala. Prememini enim sterilitate maxima, ideoque in plateis vestris, erit planctus ab vrbanis hominibus & ab ijs, qui agros colunt, & degūt extra vrbem dicetur, similiter væ, væ, id est heu, heu. Et conuenietis omnes propter commune omnibus malum, ad lamenta communia. Erant autem antiquitus quidam, qui ex arte miserabiliter lugebant, & compositas habebant lamentationes, ad luctum excitandum & erat olim cōsuetudo hæc apud Hispanos, nam mulieres conducebantur, ad flendū mortuos, quas idioma Hispanum, endecheras appellitat, & ipsa lamenta, Endechas: & fertur vsque modo, consuetudinem hanc vigere, apud Cātabros in quodam Hispaniæ populo, Vergara appellato, *Dominus Deus*, qui scilicet habet vniuersale imperium super omnia. *Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui.* Exinopia vini, item erit planctus, quia ego qui non mutor, transibo mea operatione, per campos tuos eos vredine, & locusta, dissipans, vt non sit germen *in vineis*, & arua tua non afferent fructum. *Dicit Dominus*, vt seriorem putes tibi comminari, quoniam dicit Dominus, qui nequit fallere. *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini ista, tenebræ, & non lux.* Israelitæ irridentes vaticinia prophetarum, quæ aduersa multa illis denuntiabant ventura, aiebant, veniat dies Domini, id est vltio hæc domini, quam nobis prædicatis. Quasi dixissent, nulla erit hæc vltio, ideo optabilis nobis dies est vltionis huius: siquidem apparebit, quod vos falsa nobis denuntiatis. Et Isaiæ 28. Israelitæ vocantur illusores sanctorum prophetarum. Prophetis enim denuntiantibus Israelitis mortem sub qua comprehenduntur vniuersa corporis mala: ipsi non assentiebant vaticinio: imo irridentes aiebant, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos *Dies*: per tenebras Ioelis secundo. diximus subaudienda esse calamitosa quæque, qualia sunt sterilitas, lues, fames captiuitas, &c. quæ erant ventura istis Israelitis *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & mittatur manu sua supe. parietem, & mordeat eum coluber.* Prouerbio dicitur, incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim: Propter eos, qui conātes euadere periculum vnum, incurrunt in aliud maius. Eodem modo, qui fugiens leonis famelici furorem, incidit in vrsi immanitatem. Et qui vrsi immanitatem declinans, domum se excipit, at imponens manum parieti mordetur à colubro. Hoc idem subituros Israelitas mali prædicit vates. Hic locus exponitur ex altero, qui scribitur in Deuteronom. vigesimooctauo. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices quis mihi det vesperum? & vesperi dices, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.

¶Enim vero, qui in magnis periculis versatur, si euadens vnum, aliud sibi imminet, & euadens istud, aliud sibi impendit necesse est, vt semper paueat, & formidine concutiatur. Et maledicta, quæ hic comminatur vates, prædixerat iam pridem Moses loco dudum indicato, discolis Israelitis euentura. *Nunquid non tenebræ dies Domini, & non lux, caligo, & non splendor in ea.* Repetitio est prioris sententiæ,

tentiæ, insinuatque affligendos Israelitas grauissima afflictione, sine spe consolationis, & hoc est quod ait, & non splendor in ea.

Allegoricus sensus. ¶Talis erit, si allegoriam amas, dies illa tremenda iudicij omnibus impijs: quia tenebrosa erit eis & caliginosa: siquidem detrudentur ad tenebras & caligines sempiternas. ¶Et nulla lux erit eis, neq; splēdor. Quoniam nulla erit eis consolatio, aut spes consolationis. Etenim vana est fictio, quæ tribuitur Origeni, falsò tamen, vt quidam arbitrantur, damnatos ad infernales cruciatus, tandem reducendos, ad æternam vitam: quia eos ex multis tormentis pœnitebit erratorum suorum.

Origeni cū dogma refellitur. ¶Sed re vera aliud noster personat vates, *Dies Domini tenebræ, & non lux, caligo & non splendor in ea.* ¶Et quidem, si isti putant, quod sola illa perpessio cruciatuū, purgatos reddet illos à crimine, post multa annorum millia, cur Dominus ait, Ite

Matt. 25. maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius? Si tandem sunt restituendi, cur obsecro dicuntur maledicti? Quandoquidem si tandem sunt beādi, electi sunt & filij adoptionis sunt, quamuis electionis executio, in multum prolongetur tempus. Quod si sunt electi à Deo, igitur benedicti sunt, & non male-

Dist. 27. dicti à Deo. Nos 3. Senten. plura de hac re disseruimus *Odi*, & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cætuum *vestrorum.* Si sermo hic vt & sequens referatur ad Israelitas, facilem habet explanationem. Nanque Israelitæ, cum essent idololatræ, quæ offerebant Deo, illa Deo non placebant: imò valde illa fastidiebat. Quia cum cultu Dei, etiam miscebant idolorum suorum cultum, cū Deus tamen solum sit colendus. Vnde Israelitæ decepti confidebant in sacrificijs Deo oblatis, etiam si offerebant alia, suis idolis, ideo vt ostenderet quod hæc confidentia vana erat, peccabant enim grauissimè, Deum verum colendo, simul cum dijs falsis, ideo, ait, *Odi.* ¶Videtur autem ex sermonis contextura, quod potius referatur, ad sacrificia, & oblationes, quæ tunc duæ tribus offerebant Deo viuo. Nanque Iudæi isti, summam confidentiam collocabant in pompa illa cæremoniarum exteriorum: & has sibi putabant esse futuras maximo præsidio, contra aduersa omnia quæ à prophetis eisdem prædicebantur ventura. Cum alioqui essent impurissimis animis, illa offerentes. Vnde Ieremiæ 7. ait, Nolite contendere in verbis mendacij, dicētes, templum Domini, templum Domini. Et hoc fuit studium prophetarum ab hoc errore reuocare, Iudæos, & docere eos, apud Deum purum animum esse in pretio, quod si hic impuritate laboret, sacrificia, non esse illi grata. Vt habetur Isaiæ 1. Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, dein subdit, lauamini mundi estote, &c. Deus enim cum sit spiritus infinitæ puritatis, spirituum nostrorum in primis amat puritatem: qua submota, cætera si offeras, paruifacit. Ideo Ioan. 4. Dominus ait, Deus spiritus est, & tales quærit adoratores, qui adorent eum in spiritu & veritate. At obijcies, & quid nonne Deus præcepit populo illi huiusmodi celebrare sacrificia? præcepit sanè, ad eorū exercitium. At vero primo præcepit vt Deū amarent ex toto corde & ex tota anima, &c. Huiusmodi autem sacrificia, Deo nō esse simpliciter grata, satis ostendit ipse si quidem per suos prophetas, prædicebat, illa tandem esse abolenda, sub aduentu Messiæ. At concessa ante Christi fuere aduentum, vt populus illē propensus ad sacrificia idolorū, sacrificijs eisdem oblatis Deo vero, contineretur, in officio ne laberetur ad venerationem idolorum. *Nō capiam.* Sacrificia impuro animo oblata, Deo non placent: at vero, quæ offerebantur ex animi puritate, Deo traditur odorifera fuisse, id est grata fuisse. Vt de sacrificio Noetico Genesis, 8. legimus. *Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra non suscipiam, & vota pinguiū vestrorum non respiciam.* Et patet iam ex præhabitis, quid velit. *Auferà me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.* Sola vera pœnitentia est quæ Deo accepta est ad remissionem peccatorum: cætera autem omnia, etiam si bona sint ex suo genere, non delent peccata, si à pœnitentia destituantur. 1. Corinth. 13. ¶Si quidem sola pœnitentia est, quæ ex diametro apponitur peccatis, & à charitate Dei dimanat: ideo hæc sola delet peccata. Si tamen vera, & non falsa sit: est autem vera, quādo dolemus de admissis culpis propter offensum Deū, cū animo cōfitendi illa pœnitētiario sacerdoti, & cū animo, nō relabēdi in abominata iā crimina.

Sacrificia vetusta Deo simpliciter nō erant grata, sed solū secundum quid.

Sensus igitur hic est, non putetis, vestra sonora psalmodia, vestrisq; lyricis artificiosisque cantibus, me placandũ, ne vos premã calamitatibus multis ob vestra scelera. Siquidem vester animus est semper mihi non morigerus, quia in peccatis vestris iacetis. Græce, *Aufer à me sonitum carminum tuorum: & psalmum organorum tuorum non audiam. Et reuelabitur quasi aqua iudicium: & iustitia quasi torrens fortis.* Id est, quia duri estis, & impœnitentes manifestabitur contra vos vltionis meæ iudiciũ abundans, sicut aqua, & sicut torrens fortis, qui suo impetu, vniuersa obuiantia secum rapit & conuoluit, sic erit mea vindicta, quam sumam de vobis, quæ à mea æterna iustitia progredietur. *Nunquid hostiam & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel?* Hunc locum Diuus Stephanus indicat, Actor. 7. Porro priusquã locum enodemus, prompta videtur obiectio contra locum hunc ex lib. Numer. cap. 19. vbi traditur, quod inesse primo, anni secundi, ab exitu Israelis de Ægypto 14. die mensis, ex Dei mandato Hebræi celebrarunt Phase domino & eodem lib. capit 7. referuntur sacrificia quæ obtulerunt Deo principes familiarum, ex Dei placito, qua igitur ratione, modo hoc negatur? Respondetur, quod huiusmodi Phase, non legitur amplius in deserto celebratũ, vt etiam testatur Rabbi Salomon. Quod si hoc quod erat præcipuum illius legis sacrificium, non fuit repetitum, alia non esse celebrata credere promptum erit. Sed propter laborem itineris, & propter nubem, quæ eos obumbrabat interdiu, & columna nubis quæ eos illustrabat per noctem, quarum, quia non habebãt præscriptum ducatum, ideo non poterant celebrare sacrificia.

¶ Itaque etsi quædam celebrari prodantur fuit sane rarò: ideo huiusmodi sacrificij, vel sacrificiorum, non habetur ratio. Nam quæ sunt rarò cõtingentia, non sunt trahenda in consequẽtiam. ¶ Hoc autem commemorat vates, vt priora quæ dixerat confirmet Deo non fuisse ex primaria intentione cordi illa vetera sacrificia. Et probat, quia per desertum dum agerent Israelitæ fuerunt insignibus donati beneficijs diuinis. Siquidem pane de cælo sunt pasti, & aqua miraculosa sunt potati. Et ab igneis illis aspidibus fuerunt miraculosè sanati: & demum ne in singula prodeam, potissimis alijs multis sunt affecti à Deo muneribus: at vero id temporis sacrificiorũ frequens vsus non extabat, non ergo tanti facit Deus sacrificia illa quanti vos putatis. ¶ Et obserua, quod hic, vt & cæteri vates, quando de sacrificijs agunt, Deum illa non habuisse omnino cordi, satis ostendunt, illa nõ habuisse efficaciam ad delendum animæ sordes, ex opere operato. Vnde videtur, quod cum contritio fuerit ianua veteris legis, vt modo baptismus nouæ, quod item circuncisio ex opere operato orbata fuerit efficacia huiusmodi. Vt Sancto Thom. & antiquioribus Theologis placitum fuit, etsi Scoto & recentioribus repugnetur eisdẽ. Cæterum in nostris disputa. ad. 4. Sẽten. fuse rem disseruimus, quare non est cur in ea re modo, diutius immoremur, si tamen hoc vnum apponanus, sacrificium eucharisti cũ, & sacramenta Christianæ ecclesiæ, secus se habere, quam illa vetera siquidem exopere operato sanctificant. Quocirca etsi ab impurissimo sacerdote, celebratur missa non deponit suam efficaciam, ex qua viuis opitulatur, & mortuis suffragatur Et item à quocunque administrentur Ecclesiæ sacramenta, item suo potiuntur vigore, modo recipientis obex non impediat. *Et portantis tabernaculum Moloc vestro, & imaginem idolorum vestrorum: sydus Dei vestri Kempham figuras quas fecistis vobis adorare eas, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus exercituum nomen eius.* Hæc verba non videntur cohærere prioribus, vnde videtur digressio vatis, ad exprobrãdam idololatriam Israelitarum, ostendit enim, dignissimos esse reprehensione, de peccato hoc, quod à suis maioribus etiam traxerunt. Nam peccatũ, quo vetustius, eo reprehensibilius.

Sacrificia vetera nõ sanctificabant ex opere operato.

Peccatum quo vetustius eò reprehensibilius.

¶ Et quidem locus iste satis difficilis est: quem indicat, vt aiebam, Beatus Stephanus, sed paulò secius, quam hic scribitur. Nam, sic traditur & suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham. Et figuras quas fecistis adorare eas: & trãsferam vos trans Babylonem. Itaq; vbi habet vates portastis, Stephanus ait suscepistis, & Moloch nõ additur vestro: & in translatione Hieron. quæ fertur in Hispa. Biblijs, habetur Deo vestro. Et pro *Damascum* Stephanus habet, Babylonem. *Hebræi; & portabitis, Sicuth, regem vestrũ*, vt sit sensus, deducemini in captiuitatem & Assyrij vos cogent, humeris ferre reges vestros, idest idola vestra, quæ coluistis, in testimonium, quod illa nihil opis vobis attulerint, ne traderemini Assyrijs. Græca, habent non Rempham, sed Rompha, non extat tamen in Hebræo. Verum si locũ volumus exponere, vt retulit Stephanus, suscepistis inquit, affectu, & amore, tabernaculũ Moloch suscipere ad colendũ, scilicet illud idolum, eratis prõpti animo. Si verò legamus portastis tabernaculũ, eundẽ habet sensum, *Portastis*, affectu scilicet portastis, vt Paulus ait, Portate Deum in corpore vestro nã qui piratus erat adorare Moloch, illud portabat affectu, cultum illum, qui in tabernaculo, dicato Moloc, solebat exhiberi à suis cultoribus, affectũ & ipse exhibere, sicut dicebam portare Deum in corpore est sanctificatum habere corpus, & Deo mancipatum ita portare tabernaculũ Moloch est mancipatum esse hominẽ cultui exhibendo Maloch.

1. Cor. 6.

¶ Interpretatur autem Moloch regnans aut cõsiliarius, aut rex eorum. Et erat idolum Moabitarũ. 4. Reg. 23. & 3. Reg. 11. vnde, quod ait portastis tabernaculum Moloch, idẽ est quod portastis tabernaculum regis vestri; quia ab idolo illo regebantur Israelitæ, & de agendis illud consultabant. ¶ Pro eo autem quod nostra translatio habet, & imaginem idolorum vestrorum. Hebraicè habetur, & placentam imaginum vestrarum. Placenta autem Hebraicè dicitur, *Chium*, chium, Rempham vel placentam denotat. Est autem placenta torta adipe consperſa, qua Hispanè hojaldre nominamus Kimhi autem dicit fuisse chaiani, speciem ciborum qui præparabantur machinæ cæli offerendam, vel Saturno Ierem. 7. & 44. ¶ Tradunt autem Hebræi quod Chium, quod diximus esse idem atque Rẽpham; lingua Arabica, vel punica Saturnum significare, vel idolum & hunc Saturnum voluit Stephanus significatum, per Rẽpham cũ ait, Sydus Dei vestri, Remphã. Nam idololatræ fabricabãt stellas, similes planetæ quem adorabant, & huic syderi in honorem & cultum planetæ placentas, offerebant. Vt commemoratur Iere. 7. vt faciant placentas reginæ cæli, quã aiebant idololatræ esse lunam, & si-gloſſa voluerit Rempham esse Luciferũ, verum Hebræorum traditio non Luciferum, sed Saturnum esse docet. ¶ Quod vero ait, Stephanus trãs Babylonẽ, dissidere videtur valde, & ab Hebræo codice, & à Græca. 70. interpretum transla. vbi non Babylonem, sed trans Damascum, legitur. Babylon autem est metropolis in Chaldæa, estque ad orientem Iudææ; Damascus autem, est caput Syriæ, & est terminus Iudææ Septẽtrionalis. ¶ Et quidẽ, si de duabus tribubus fiat sermo, scilicet, de tribu Iuda, & Beniamin, manifestum est has esse translatas propter peccatum idololatriæ in Babylonem, quæ est caput Chaldaici imperij. Et ità liquet reliquas decem fuisse propter peccatũ idololatriç translatas in Assyriam. Vnde Stephanus voluit vtranque captiuitatem insinuare. Et quod Amos ait trans Damascum, insinuat, abigẽdos Israelitas in Assyriã quã & vt concederet transeũdum erat eis per Damascum. At vero quia Stephanus non indicat singulariter Amos sed ait, sicut scriptum est, in libro prophetarum, at verò in lib, prophetarum traditur captiuitas Babylonica vt in Ierem. Isai. &c. & captiuitas Assyriaca, ideo videtur, quod ad vtranque captiuitatem potest referri sermo propheticus, & Sephani verbũ; quia ait, Nunquid hostias, &c. obtulistis mihi domus Israel? vbi per domum Israel, omnes tribus si intelligas non errabis. Cæterum quia Stephanus habebat sermonem, ad duas tantũ tribus, ideo ipse dixit transferam vos in Babylonem, at vero, quia Amos ad decem intendebat, ideo dixit, Migrare vos faciam trans Damascum.

Cur Stephanus ermutauit literam Græcã, & Hebræam prophetæ Amos.

¶ Stephanus enim nõ loquebatur de istis decem, quæ iam pridem abactæ erant in captiuitatem Assyriacam. Et *Portastis*, id est coluistis tabernaculum subaudi dedicatum Moloch Deo vestro Nicolaus ad tabernaculum Moysi retulit, nescio qua ratione. Hebraicè, *Portabitis*, ad sensum supra expressum, qui erat sensus Rabbi Salomonis. Secundum quem oportet dicere hæc verba esse referenda ad captiuitatem Assyriacam, quam erant subituri Israelitæ sub Teglathphaasar, & postremo sub Salamanasar regibus Assyrijs. Nam vt ille refert Assyrij ducentes captiuos Israelitas, idolum Moloch, & alia quæ colebãt idola, imposuerũt ea in humeros Israelitarum, ad ignominiam Israelitarum, qui cum coluissent illa, non tamen eruerunt

suos cultores. Si vero legimus vt nostra translatio legit, *Pontastis*, refertur ad idololatriã, quam exercuerunt Israelitæ & Iudæi ipsi, scilicet & maiores eorum vt prædictum est. Et reuera, etsi legamus portabitis vsurpatur futurum, pro præterito, vt sæpè alias contra fit iuxta phrasim scripturæ. Itaque quia potest admitti vsurpatio temporis pro tempore, ideo ad vtrunque sensum, si locum referas non inepties

¶ Et obserua vt Stephanus indicans locum hunc, non secundum literam retulit, sed secundum sensum. Imo immutauit literam, & Hebræam, & Græcam permutans Damascum, in Babylonem, verũ hæc immutatio congruebat sensui, & ideo per

Moralis sensus. Dei spiritum quo plenus erat permutauit vnum in alterum, alioqui vtraque litera in sua veritate persistente id quod vsu venit euangelistis. ¶ Quod si libet moralitatẽ audire, scito, peccatores portare idolum Moloch quam diu in peccato decumbunt. Enimuero Moloch, & interpretatur rex eorũ. ¶ At vero peccatum, est rex

Ioan. 8. Ad Colo. 3 2. Pe. 2. eorum, qui peccatum amant, & secundũ peccati dominium viuunt. Namque qui facit peccatum seruus est peccati, vnde Paulus dixit Auaritiam esse idolorum seruitutem, & vt Petrus inquit, à quo quis superatur eius seruus efficitur vt est videre commisso hostili prælio victor euadens, victos, redigit in suam seruitutem. ¶ Est autem humana vita prælium quoddã perpetuum inuisibile tamen, quod init caro cum spiritu, & spiritus cum carne, ille tendit ad cælestia, hæc ad terrena propendia. Etenim caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, Gala. quinto. in hoc igitur confertissimo, & molestissimo prælio si spiritus superat Dei gratia opitulante superat, & fit caro eius serua spiritus. At si contra, spiritus captiuatur à carnalibus desiderijs, id temporis peccatum est rex noster, & consiliarius noster. ¶ At vero in die iudicij, quando impij detrudentur ad æternos carceres portabunt sua idola humeris suis, coram omnibus sanctis, ad ignominiam suam. Siquidem tunc vnusquisque onus suum portabit ad Gala. 6. Ad ignominiam sanè suã, quia tunc dicetur illis, ituo ipsi testabuntur palam, Quid nobis profuit superbia dicentes, quid diuitiarum iactantia, &c. Sap. 5. Et summatim vt dicamus profitebuntur sua idola. Idest peccata, quæ amabant impensissimè nihil illis profuisse, vnde vere concludent ergo errauimus, & lumen intelligentiæ non illuxit nobis.

EXPLANATIO
IN AMOS CAP. VI.

Æ vobis qui opulẽti estis in Siõ & confiditis in monte Samariæ. Huius capitis institutum, est optimatum Iudæorũ, quos intelligit per opulentos Siõ, & optimatum Israelitarum, quos intelligit per confidentes in mõte Samariæ, deflere culpas & venturas ipsis calamitates prædicere. Id quod etsi supra iam egerat, verum quia res erat prophetæ cum durissimis hominibus, repetendum censuit quod vtinam assiduè repetitum Israelitis profuisset. Porro quia Deus & natura nihil faciunt frustra, si Deus, mandauit suis prophetis, toties idem inculcare, vtique non frustra factum esse puta, etenim medicus peritus, & amãs infirmum, nihil intentatũ eorum quæ præscribit medicinæ ars, relinquit, vt si nõ hac via, saltem alia succedat infirmis salus quod si nullis medicamentis adiuuatur, sed potius adhibitis omnibus expedientibus pharmacis perit, tũc nullus poterit cum medico expostulare, aut negligentiã accusans, aut artis defectũ culpans. Deus igitur optimus cum sit animorum medicus, per suos prophetas salubria omnia exhibuit pharmaca Israelitis. Et omnẽ viam tentauit, per varias similitudines, salutis viam ostendens: & iam comminationibus, iam exhortationibus, eos volens ad se trahere ne perirẽt. ¶ Et ne obliuioni salutis monita darent illa, frequẽtissi mè repetenda voluit. Et quanquam in genere si loquamur, illis non profuerunt salutis exhortamenta, at vero particulatim profuerunt, quia inter illos impios, vt inter paleas erant pij, sicut grana. *Vobis* non est de textu, quid autem velit væ, diximus enarrantes alios prophetas. *Opulenti, &c.* Sensus est væ vobis Iudæi, qui habitatis Ierosolymam, qui in multa pace, degitis, qui multo fruimini ocio, cum tamen vobis immineat tribulatio multa. Væ vobis Israelitis, qui securissimi montem Samariæ incolitis, quasi vero nihil vobis aduersi impendat. Siquidem vobis pacificis, vobis securis,

Deus exhibet omnia necessaria hominibus pro salute æterna assequenda.

curis, repentinus vos opprimet interitus.

In monte Samariæ diximus supra plura de hoc monte, vbi ciuitas Samariæ, à quodam

3. Re. 16. rege Israel Amri, fuit constructa. ¶ Hoc

Matt. 24. idem Dominus ait, futurum in die iudicij, hominibus enim valde quietis in fæcibus peccatorum suorum, & in delicijs agentes pro sua quisq; libidine, dies Domini magnus & terribilis ingruet. Et vt Paulus do-

1. Thessa. 5. cet, Thessaloni. scribens, cum dixerint pax, & securitas superueniet illis repentinus interitus vt accidit mulieribus prægnantibus, cum securiores sunt apprehenduntur, à doloribus grauissimis partus. Israelitæ igitur securitatem suam fouebant à montibus Samariæ, aduersus autem Dominum, nulla est præsidiorum ratio. *Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel.* Exponit superbiam optimatũ, scilicet procerum illorum, qui erãt rectores, & magistri populi. Ideo vocat eos capita populorum vtitur enim translatione. Vt enim caput est nobilissima pars animalis, vnde gubernatio totius pendet corporis, ita & magistratus sunt populi. Qua trãslatione vsus Paulus Christum vocat caput Ecclesiæ, & virum appellat caput vxoris. ¶ Isti igitur magna pompa fulgentes administrabant domum Israel, idest Israelitarum negotia. ¶ Veruntamẽ, aliter videtur germanius exponendum esse locum iuxta Vatabli translationem. Videlicet, vt sermo referatur iste, ad montes Samariæ, qui fuerunt celebratissimi inter gentes: & tamen ex Domini gratia fuerunt concessi Israelitis. Vt sit hic contextus, fiduciam habetis in monte pro montibus Samariæ, qui montes fuerunt nominati & famosi apud præcipuas gentes; & tamen Dei munere, possederunt eos filij Israel. *Optimates, capita populorum*, Id est qui montes erant optimi apud capita populorum, idest apud præcipuas gentes quæ erant incolæ antiquitus illorum montium. Vt iam hinc insinuet vates ingratitudinem Israelitarum erga Deum, qui cũ fuerint donati, optima terra, & famosę nobilitatis, apud exteras gẽtes, nihilominus abusi sunt Dei munere, idola colẽtes, &c. Et quod sequitur, satis congruit cum hac expositione. *Transite in Chalanne, & videte & ite inde in Emath magnam & descendite in*

Chalanne Emath. Geth. *Geth Palæstinorũ & ad optima regna horum, si latior terminus eorũ, termino vestro est.* Chalanne, vel Calne, ciuitas est vbi regnauit Nemrod Gene. 10. quæ dicitur Babylonia. Emath vero, vrbs est Syriæ Damasci Iere. 49. vbi excæcatus est Sedechias rex Iuda, vbique hostes Israelis remanserunt. Ciuitas munitissima, ideo hic vocatur magna tribus Neptali Iosue. 13. Eusebio est Epiphania, alijs vero Antiochia magna Geth. vnde Goliat. 1. Reg. 17. ciuitas Palæstinorum, & Geth alia in Iuda à Roboan cõstructa est. 2. Par. 12. illa vero præcipua Palęstinorum fuit ciuitas. Ait igitur vates, quod conferant Israelitæ suum regnum & ditionem, cum regnis commemoratis, & videbũt quod clarioribus sunt donati possessionibus, quam omnes numerati. At vero, prõpta est dubitatio, quia longe clarius fuit regnum seu imperium Babylonicum, quam Israeliticum, & multo latius se protulit, verum hic, sermo habetur de fertilitate, & nulla terra erat fertilior terra Israelis. ¶ Verum tamen quia expresse. *Si latior terminus*, & quod videtur referendum ad extensionem regni, ideo respondetur, quod regnum Israeliticum habuit initio, multo latiora & fortiora, quã fuerint initia regni Babylonici, aut Antiocheni, vel Palęstinorum, verum proceden te tempore, illud fuit labefactatum, & illa fuerunt aucta, *Ad optima quoque, lege ad optima quæque.* ¶ *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Idest decreti estis, aut destinati estis vt succumbatis diei malo, idest tempori malo, videlicet captiuitati quæ vobis perpetua aduenier. Et nihilominus iniusta amatis operare solium, seu sedem iudiciariam, quam debebatis obseruare incolumem ab omni iniustitia, vestris maculatis iniquitatibus. *Hebra.* qui in longinquum reijcitis diem malum, solium autem violentiæ prope adducitis. Et est sensus: væ vobis, quia hoc supplendum est qui prædicentibus prophetis diem malum, & calamitosum vobis, vos illis non creditis, sed vestra opinione delusi, reijcitis vaticinia hæc prædicentia mala. At nihilominus, violentias facere, & iniusta iudicia, non reijcitis à vobis, quia hæc semper exercetis. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulũ de medio armenti*, id est væ vobis, qui luxui & delicijs vacatis & agnos saginatos, & vitulos item comeditis, cum debuissetis pœnitentiam agere de sceleribus multis, quæ contra me cõmittitis. *De medio armẽti*, id

ti, id est electos vitulos, ex ipsis armentis quales sunt bene pingues, & bene pasti: *Qui canitis ad vocem psalterij, sicut Dauid se putauerunt habere vasa cantici*. Væ vobis, qui sicut Dauid excogitauit instrumenta musica & carmina ad laudem Dei omnipotentis, vos contra vt vestro luxui vacetis, & delicijs, itē excogitatis musicas melodias, & concinitis carmina, cum tamen debuissetis suspendere organa vestri concentus & conuertere illa in planctum, & luctum propter miserias, quæ vobis. *Bibētes vinum in Phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Luxum vitæ Israelitarum hæc omnia verba reprehēdunt. ¶ Et obserua, quod vel dormire in lectis eburneis, aut carmina canere, ad nabla, vel ad alia musica instrumēta, aut bibere vinum in pateris, aut vesci agnis & vitulis optimis, aut vnguentis optimis inungi, dese nihil criminis habet. Neque hæc modo reprehenduntur, vt criminosa; cæterum reprehenduntur, quia fiebāt ab hominibus, qui debuissent cōtraria operari ad pœnitentiā suorū scelerū. ¶ Et ideo subdit vates, & nihil patiebātur super contritione, idest super calamitate, quæ erat deuastatura decentibus: quas intelligit per Ioseph, vt supra est annotatum. Et sermo hic, vt liquet ex initio capituli refertur ad primores Israelitarū, quales erat opulētissimi, illorū vt magistratus, & principes. Isti enim sunt, qui cum abundēt opibus, luxui vacant, & securos se esse credūt, contra omnia mala quia diuites se esse cernunt. *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur factio lasciuientium.* Benè dixi væ vobis, quia propter vestras iniquitates, & impœnitentia corda nunc, id est, breuiter, migrabitis in captiuitatem Assyriacam, *In capite*, id est vos principes, & optimates quorum intererat, admonere inferiores ad pœnitentiam eritis primi, qui abducemini in captiuitatem: siquidem primi estis in contemnenda Dei lege. *Et auferetur factio*, Id est contubernia, & conuiuia lasciuientium. *Iurauit Dominus Deus in anima sua dicit Dominus exercituum, detestor ego superbiam Iacob: & domos eius odi.* Quid velit hic iurandi modus, supra satis est enodatum. Detestatur Deus superbiā humanam, quia scriptum est, quid superbis terra, & cinis. Et quidem, vniuersa peccata odit Deus, cæterum superbiam maximè: quia nihil est Deo, & hominibus ea detestabilius. ¶ Habent sanè cætera peccata, multa in nobis, quæ ad ea perpetrāda, nos pelliciant. Vt ingluuies, suauitatem cibo rum, luxuria, carnalē voluptatem, ad quā ex nostra sumus propensi natura, ira, iniuriam illatam, Auaritia vitæ necessitatem, cui vt subueniant homines sibi videlicet & proli, in auaritiam sepę labuntur. Et in alia si placet poteris discurrere vitia, & idem reperias. ¶ At vero superbiā vniuersa quæ in nobis inuenimus dehortantur. Obserua enim, principium naturalium nostrorum, & inuenies nos conceptos ex modico, & immundo fuisse semine. Obserua Dei vitæ humanæ progressum, & inuenies, calamitosum esse satis & ærumnosum, siquidē homo nascitur ad laborem, vt auis ad volatum. In cibo conquirendo labor & in vita tuenda labor, si dies fuerit labor in conquirendis enim & seruandis diuitijs non exiguus est labor, si pauper fueris, labor quia inopia premeris. Si in statu sublimi te videris constitutum, labor, quia multa tibi accidēt quæ molestissima tibi erūt; et eo molestiora iudicabis, quo sublimiorē te conspexeris. Si in humili statu te deiectum aspexeris item labor, quia multa despectione, alij te peiores te despicient. Si morbo premeris, quantumlibet opulen tijs abundes, sanitatem desideras, spretis diuitijs. Si paupertate tamen torqueris sanitatem despicis, quia diuitijs non potiris, & interim fame torqueris. Et demum si in finem, & clausulam vitæ humanę oculum mentis dirigis, nihil te extollet, neque diuitiæ, neque sanitas, neque pulchritudo, neq; sublimitas status, si obseruas, hęc omnia morte consumenda, & quod cinis es, & in cinerem reuerteris. En tibi vt si exacta trutina vitam humanam expenderis, vniuersa, dehortātur superbiæ vicium: vnde in Eccle. 10. traditur non est creata hominibus superbia. Cur obsecro ait, Non est creata hominibus superbia? nō alia peccata sunt, hominibus creata? Nō sanè quia si creata essent peccata nō essēt. Quia vidit Deus cūcta quæ fecerat & erant valde bona. Veruntamen, quia ad alia peccata, ex lapsu naturæ corruptæ stimulamur, vt prędicebā, paulo ante, ad superbiam nō stimulamur, sed potius, ipsa nostræ naturæ miseria, illam summopere dissuadet, ideo dixit sapiens. Non esse creatam hominibus superbiam. *Detestor* per *Iacob*, decem tribus subaudi, aut hoc loco rectius duodecim

Omnium vitiorum detestabilissimum est superbia.

Superbiæ vitiū omnia dehortātur.

Quædā reprehenduntur à vatibus Dei, nō propter se, sed propter circūstantias quasdam.

Eccle. 10.

decim tribus. Siquidem vt admonuit cap. initio ad. 12. tribus vaticinium dirigitur istud. *Et tradam ciuitatem cum habitatoribus suis.* Subaudi in captiuitatem. Quia deposuit potētes de sede, & exaltauit humiles. *Quod si fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur.* Extremam deuastationem prædixit vates à Deo, vt omnes erunt vel captiuādi, vel peste morientur. *Et tollet eū propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo.* Magnam stragem seu multitudinem mortuorum seu cadauerum, qui futuri erant sub Assyriaca captiuitate prosequitur explicare nūc vates: tunc tanta ait, erit futura mortuorū stages, vt pauci sint vespillones, qui mādent cadauera sepulturis. Rebus enim turbatis maxime siue ex bello, sine ex peste, vel alias, quilibet sibi consulit, & negligit aliorū cadauera mandare sepulturis. Et si mandantur, non solenni pompa vt solet mandari, quando pax, quieta tenet omnia, sed vtcunque possunt propinqui mandent, aut vespillones mandant quibus hoc committitur officij, vt qua valeant, cura hument cadauera vnde foueas tunc fodiunt profundas, in quas deijciunt cadauera pleraque multa, & terra cooperiunt, vtcunque possunt. Et vt videtur prædicitur hic Israelitis, tantam futuram stragem cadauerū, sub bello Assyriaco, vt non liceat efferre mortuos ex domo præ multitudine. Imo domi combu renda sint ossa vt combusta ossa liceat efferre, quæ minoris ponderis sunt. *Et tollet eum*, pro propinquo, Hebraicè, habetur pa truus, sub quo licet quem voles consangui neum, aut affinem subaudire. ¶ Et summæ miseriæ istud fuisset quod propinqui suorum propinquorum, comburerent ossa: id quod præfefert in humanitatem: at vero, tunc erat magnæ pietatis officium, non re linquere cadauera domi fętentia. Et quia pauci erant qui sepelirent, & multi sepeliē di, cogebantur comburere cadauera, quod facilius erat, vt hac ratione minori negocio, humarentur corpora mortua. *Et tollet eum*, pro *Tollet eos*, Scilicet decē mortuos, sunt qui mysterium reconditum, vt in hoc numero putent; sed reuera, capitur numerus determinatus, pro indeterminato vt hic sit sensus etiamsi pauci domi contineātur, non erunt immunes, quia etiam peribunt. ¶ Et propinquus, pro propinquis, singulare pro plurali. *Et dicet ei, qui in penetralibus domus est, nunquid est adhuc penes te?* Idest quando propinqui qui veniunt ad sepeliendum suos propinquos, dicent ijs, qui sunt absconditi in penetralibus domus timentes Assyriorum gladiū, nunquid supersunt alij, vel alia cadauera, quæ sint comburenda? *Et respōdebis finis est.* Id est respondebit, nemo est. Vox Hebręa cui respondet Latina finis est; est *Aphas*, & sunt qui expendant hoc loco vocem significare finis est omnis consolationis, & fœlicitatis. Verum, mihi videtur, non hoc exquirere, interrogantem, an sit finita consolatio, & fœlicitas Israelitarum, sed an supersint cadauera, quæ ignibus sint tradēda, vnde rectè ergo explicabis, *Finis est*, Idest iam sunt finita. *Et dicet ei tace, & non recorderis nominis Domini.* Hoc est, noli plorare, neque lamentationem sumas pro tanta strage mortuorum; quod si lamentari ad huc iuuat, ne memineris nominis Domini. Israelitæ pij quando lamentationes sumebant, memorabantur Dei viuentis petendo auxiliū cōtra mala, quæ patiebātur, at verò impij, vt idololatræ Israelitæ, non memorabantur Dei, ideoque hic dicitur non recorderis nominis Domini, aut secūdo expones. Quasi dicat, non est cur petat auxilium à Domino, quia nostris peccatis abegimus à nobis Dominum, ideo ne inuoces nomen Dei, quia frustra inuocabimus, & ad eundem sensum reduci potest. Quod Hebraicè legitur, & non ad recordā dum nominis Domini. Alij referūt ad causalem, Idest tace, quia nō recordati sumus nominis Domini. Quasi dicat ferenda sunt nobis hæc mala, quia non sumus recordati. Idest non coluimus Deum verum. *Quia ecce Dominus mandauit, & percutiet domum maiorem ruinis: & domum minorem scissionibus.* Præteritum, pro futuro, idest mandabit, exterminationem Israelitarum, & dissipabuntur domus maiores, nobilium, & minores inferiorum, omnes inuoluentur ab Assyrio: & vsurpatur mandabit, pro disponet ad vltionem peccatorum, vniuersalem ruinam Israelitarū. ¶ Sunt qui referāt ad terræmotum, quem prædicit vates venturum in terra illa, ex cuius concussione, ea magna domus, & paruæ ruinis patebūt. *Nunquid currere queunt in petris equi? aut arari potest in bubalis? quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absyntium?* Qui curreret equo per rupes, aut qui seminaret bobus per rupes hic contra ordinem naturæ præpostere ageret, sic

vos

Increpantur iudices iniqui qui corrumpũt ius.

vos contra ordinem naturæ à Deo institutum facitis, conuertentes in amaritudinẽ iudicium, id est ipsum ius quod suaue est, quia ius est, & si ius est, iustum est, at vos ipsum ius corrumpitis, in iniuriam, & ideo suauitatem iuris conuertitis in amaritudinem iniurię, quã infertis iudicandis vobis, & fructũ iustitiæ, ideſt operationem quã debebatis exhibere secundum libramẽ iustitiæ, exhibetis secundum obliquitatem iniustitiæ: quam obliquitatem qui patiuntur, amarissimam eam sentiũt, sicut absynthium. ¶ Supra item vsus est hac eadem methaphorica locutione cap. 5. & est familiaris sanctis vatibus. Iere. 9. cibabo populum istum absynthio, ideſt extremo supplicio eos afficiam. Et Thre. 3. inebriauit me absynthio. Et Prouerb. 5. Nouissima eius amara tanquam absynthium. Peccata enim voluptifica sunt sensui: at vero gehẽna qua punientur, amarissima est. Scriptura enim nititur per sensibilia, nobis palam facere intelligibilia. Vnde per absynthiũ, quod est herba amarissima, pœnarũ acerbitatem, quæ manẽt peccatores curat ostẽdere. *Et sermo iste tendit contra iudices* Israelitarum, de quibus in exordio capitis, meminerat. *Qui lætamini in nihil: qui dicitis, Nunquid non in fortitudine aſſumpſimus nobis cornua?* Lætare in nihili, est vanã & sine causa haberi lætitiã. Qualem isti habebãt Israelitæ. Siquidem prophetis prædicentibus extremam illis impendere calamitatẽ ipsi exultabãt, quia non credebant eis. Vt supra dixerãt. vos separatis à vobis in longinquum diem malum. Quia etsi alij credebant, at procul esse ab eis diem malum garriebant. Vnde exultabant, & sibi gratulabantur vanè. Rursus vana erit gratulatio alia, quia aiebant. Nunquid non in robore, &c. ideſt nõne in industria nostra, & sagacitate nostra, & vafricie nostra assumpsimus cornua, ideſt adsunt nobis opes, & vires ad resistendum hostibus. Vana sane lætitia lætari in male partis opibus, vel tyrãnica potentia. Verum optimates isti contra quos agit modo vates, tyrannice vsurpauerũt bona suorum inferiorum, quibus opulenti erant, & potentes ad nocendum alijs. Et huiusmodi opes, & potentiam, vocat modo cornua. Vnde. 3. Reg. 22. Sedecias pseudouates fecit cornua ferrea & dixit Achab, istis ventilabis Syriam donec deleas eam, per illa cornua subnotans potestatem habere regem Achab contra Syros. *Ecce enim ſuſcitabo ſuper vos domus Iſrael, dicit Dominus exercituum gentem, & cõterent vos ab introitu Emath, vſque ad torrentem deſerti.* Emath, seu Antiocuia, & torrẽs deserti qui decurrit inter Pelusium, & Riuocorulam ciuitates sunt termini, totius terræ, quam possidebant decem tribus. Et significat vniuersalem illius terræ deuastationem per Assyrios à principio vsq; ad finem.

EXPLANATIO
IN AMOS CAP. VII.

ÆC ostẽdit mihi dominus Deus, & ecce factor locuſtæ, in principio germinantiũ ſerotini imbris: & ecce ſerotinus poſt tonſorẽ gregis. Hoc capite nouo stylo procedit propheta: quali ante non fuerat vsus, videlicet enarrando quasdam propheticas visiones: quas hactenus denarrare non consueuerat. ¶ Et qui comminationibus seueriſsimis, egerat in populum Israeliticum, nunc tamen mulcet eum, quia se sequestrẽ constituit inter Deum, & Israelitas, vt Deum placet, & eiusdem mitiget iram.

¶ Et quidem satis obscura est hæc & sequẽtes visiones. Et primo est difficultas in trãslatione. Siquidem, pro eo quod nos legimus locustæ, Hebręa correspondens est Gobei: at vero hæc vox significat exactorem. Vnde Benedicti quædam versio habet *Et ecce fingens exactores*. Quia quamuis Chaldaicè Gebim, significet locustas Iere. 14. &. 3. reg. 6. & Isa. 33. verũ videtur, quod Amos non fuerit ea vocẽ vsus vt Chaldęis erat in vsu, sed vt Hebręis. ¶ Quãuis hæc ratio Benedicti nõ cõuincat; quia apud indicatos diuinos autores vsurpatur, p locusta. ¶ Vnde mihi aptior videtur translatio Vatabli videlicet. *Tale quid oſtendit mihi dominus Deus, ecce examen locuſtarum, in principio cum renaſcens herba creſceret.* Et ratio huius translationis est, quia vox Hebræa, cui respondet Latina, *Fictor*; in nostra translatione est ioaer, ex verbo iaar, quod varia significat vnde descẽdit irat, quod testimonium, vel cætum, aut collectionem significat, vnde, Vatablus transtulit, examen. ¶ Et si prior versio legitimo potest donari sensu. Ecce fictor, vnde illud. Qui finxit sigillatim corda eorum. Ideſt qui fecit singulorum hominum singulas animas.

Collatio translationum.

Vidit igitur vates, in visione fictorẽ, exactorum ideſt Deũ. Sunt autem isti exactores quos vidit, locustæ, robigines, &c. de quibus Ioel meminerat. Nam ista infecta irruerũt magno impetu in terram Israelis, vt solent exactores tributorum ad deuastandum regionem illã. Porrò, si hęc translatio probanda, visio magis refertur ad fictorem Deum, vel formatorem, quam ad ipsas locustas, & tamen obiectum huius visionis non videtur esse Deus, sed cætus, vel collectio, seu examen locustarum, quas videt vates depascere herbas, & gramina, vnde subdit preces ad Deum porrectas, ne locustę depascant, quas videbat in visione imaginaria, absumere virentia vniuersa illius terræ. ¶ Et idem videtur posse obijci translationi vulgatæ, quæ obiectio diluitur si transferatur, *Examen locuſtarũ*. Vnde Græca sic habent ostendit mihi Dñs: & ecce fœtus locustarum & concinit cum hac expositione. *In principio germinantium*. Id est quãdo renascẽs herba crescret. Glossa ordinaria ad germina vernantia retulit, quia ait in principio germinantium. At videtur referendum ad fœnum autumnale: quod succrescit scilicet in autumno: quia hoc vocatur serotinum: vernale autem tẽporaneum est, vt supra meminimus. Et istud fœnum est apprime commodum ouibus. ¶ Et hoc fœnũ ab autoribus appellatur cordum fœnum. Quod scilicet serotina fœtura natum est. Secatur enim autumno. Vnde Colu. lib. 7. c. 3. Aluntur autumnali fœno, quod cordum vocatur. Vnde & corda frumenta vocata sunt quæ sero maturescunt. Et cordi agni serotini qui post tempus debitum nascũntur. Quia ergo vates meminit serotini imbris, refertur sermo hic ad fœnum autumnale, vt prædiximus. *Et ecce ſerotinus poſt detonſorem.* Hebræa litera, non hæc est, sed. *Et ecce herba poſt detonſionem regis.* Vt subaudiatur repullabat, ideſt, ecce herbas postquam prata regia erant falce resecta in autũno iã repullulantes istud enim videbat vates in visione prophetica. *Et factũ eſt cum conſummaſſet comedere herbam terræ*, Ideſt postquam locustæ depastæ essent vniuersas illas herbas repullulantes. Id quod re ipsa non fuit factum, sed secundum propheticam visionem. Quam tamen refert glossa ordin. (& accepit à Theodoreto in comment,) ad deuastationẽ factã per Sennacherib & de in ad deuastationem factam per Nabucho donosor; quæ adũbrat bruchus: at vero hoc loco nõ dixit se vidisse bruchos vates, sed septua. solum bruchi meminerunt. Quid quod per preces vatis, fuit impedita deuastatio locustarum realis, quã viderat alioqui in spiritu factam videbat. Verũ Sennacherib, & Nabuchodonosor, non sunt impeditæ deuastationes. Nisi quãdo sub Ezechiate tabat expugnare Sennacherib Ierosolymam, at vero tunc nõ precibus Amos, sed Isaiæ, fuit impedita vrbis desolatio. *Dixi domine Deus propitius eſto obſecro: quis ſuſcitabit Iacob, quia parvulus eſt.* Amos visionem prædictam videns, examen scilicet locustarum absumere, virentia vniuersa intelexit hanc visionem adumbrare realem deuastationem; & absumptionem herbarum renascentium in terra decem tribuum, vnde sequebatur summa illius terræ calamitas. Quare misertus suorum contribulium Deum precatur, vt tãtum malum auertat. ¶ Dicens, obsecro Domine, vt miserearis Iacob ideſt, decem tribuum qui iam Iacob paruulus est imminutus numero, & viribus, quod si hæc desolatio superuenerit illi funditus perit: & quis excitabit eum? Ideſt quis reparabit eius ruinas: Quis liberabit eũ à tanto malo? ¶ Obijcit forsan aliquis, iam ergo visio Amos fuit falsa, quia significabat futurum, quod non fuit futurum. ¶ Respondetur imo fuisse veram visionem. Significauit enim futurum quod reuera foret, nisi precibus Amos impediretur. Vt Isaiæ prophetia, contra Ezechiam. Isaiæ. 38. Morieris & non viues, fuit vera quia vere rex ille moreretur, id temporis, nisi precibus & lachrymis suis, Isaiæ vaticinium impediret. ¶ Quia huiusmodi prædictiones propheticæ, semper habent conditionem inuolutam, nisi pœnitẽtia illis obstet, aut sanctorum preces, &c. & quia sunt conditionales implicite, ideo, etsi non subsequatur, quod portendũt, nõ sunt falsæ. Si cõditio inuoluta, in ipsis fuit executioni mandata. *Miſertus eſt Dñs ſuper hoc; Non erit dicit Dominus.* ¶ Vnde videtur quod hæc visio alia sit à prophetia Ioelis, de quatuor illis generibus insectorum: quia Ioelis vaticinium fuit impletum, vt ibi diximus, istud vero fuit precibus Amos impeditum.

Cordũ fœnum quid sit.

Prædictiones propheticæ quomodo habendæ.

¶ Hinc expẽde, quãta sit vis orationis sanctorum, quæ etiam propheticis prædictionibus, & visionibus, se opponẽs prævalet aduersus illas. Tria igitur manifestata, sunt

Vires orationis magnæ.

vati

vati, & pœnæ comminationem, per locustarum imaginariã corrosionẽ. Et quod suam interponeret intercessionem, & demum pœnæ suspensionem, dum ait: *Non erit dicit Dominus.* Quippe solus Deus nouit futurorum dispositionẽ, ideo solus potuit reuelare vati huic, & cæteris quæ futura sunt, vt ille eximius testatur vates incerta dicens, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Incerta sunt nobis, futura cõtingẽtia omnia; quæ recõdita sunt in archiuis infinitę Dei sapiẽtiæ & hæc ipse patefecit suis prophetis, quãtũ protẽporũ opportunitate saterat. *Hæc ostendet mihi dñs Deus, & ecce vocabat iudicium ad ignem dominus Deus & deuorabat abyssum multam, & comedit simul partem,* Græca *vocabat indicium in igne*; Vel clarius ecce. *vocani ad litem in igne*. Hæc est secunda visio, ex qua vidit Amos prophetica visione incendium magnum, deuorare terrã Israelitarum, & tanta erat incendij vis, quod deuorabat abyssum profundam. Ideſt magnam vim aquarum. ¶ Itaque cum ignis soleat extingui ab aqua, ille tamen ignis à vate visus, erat potentior aquis, quia etiam profundas absumeret aquas. *Et Comedit* partem agri videlicet regij. ¶ Itaque locustæ primo visæ, depascebant virentia omnia, hic vero ignis secundo visus, absumebat, etiam aquas ipsas fluminum, & fontium: & cætera regionis illius deuastabãt, non re ipsa, sed solum in visione prophetica. ¶ Theodoretus, in commen. locustam, retulit ad Sennacherib, & ignem ad Nabuchodonosor. Quorum alter depastus est Israelitas, vt ipse inquit, alter vero Ierosolymitas, & combusit Dei templũ, ideo cõfertur igni. Et putat Theodoretus, Amos suis precibus nihil obtinuisse: sed neque auertisse interne cionem per visiones prædictas, præsignatas. Itaque per hæc verba. *Non erit dicit Dominus*, vel per ista. *Istud non erit*, non significatur, auersio, internecionis, vel plagæ, visæ imo negatio petitionis propheticæ. ¶ At re vera, expositio hæc dissoluit contexturam. Si quidem ante illa verba. *Non erit*, præcedit, oratio hæc. *Et misertus est Dominus*, si misertus est Dominus, igitur annuit votis prophetæ. Cæterũ Theodoretus non legit. *Et misertus est Dominus*, secutus, Græcam Septuag. trãslationem, Ait veritas Hebraica, demonstrat, Deum esse misertum Israelitarum per propheticas preces. Vnde non præsignantur per visiones has clades Assyriorum illatæ Israelitis, aut Chaldæorum illatæ Iudæis: quia iste nõ sunt reuocatę à Deo, vt iã supra annotauimus. ¶ Per vnãquamq; harũ visionũ exitiũ impendere Israelitis adũbratur propter eorum scelera, exigente hoc diuina iustitia: at vero auersum fuisse hoc exitium ab eis, ex diuina misericordia, quæ se flexit ad preces diuini vatis. ¶ Vnde videtur has visiones præcessisse prophetiam Ioelis, quia comminationes adumbratæ ex visionibus istis non sortitæ sunt effectum: at vero quia Israelitæ, abusi sunt Dei misericordia, Ioel post modum vaticinium durum contra eosdem est vaticinatus, & sine vlteriori miseratione fuit tandem executioni mandatum. Et quanquam sequatur Ioelem Amos ordine libri forsan, non huius tempore vaticinij. *Et dixi dominus Deus quiesce obsecro, quis suscitabit Iacob, quia parvulus est? Misertus est Dominus super hoc: sed & istud non erit, dicit dominus Deus. Pro Dominus meus*, lege, *Domine Deus meus quiesce obsecro*, expones, vt priora verba similia ex posita tibi dedi.

¶ *Hæc ostendit mihi dominus Deus, Ecce Dominus stans super murũ litum: & in manu eius trulla cæmẽtarij. Et dixit Dominus ad me. Quid tu vides Amos? Et dixi trullam cæmentarij. Et dixit Dominus ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israeli non adijciam vltra super inducere eum.* Hæc visio ordine tertia, intentionem Israelitarum, citra commiserationem demonstrat, ideo diuersa est à prioribus. Est autem trulla vox Latinis, varia de notãs, significat enim aliquãdo vas quoddam vinarium iuxta Varronem lib. 4. de lingua Latina, forte Hispanê Pichel. Et hac significatione, non vsurpatur in præsentia. ¶ Itemque est instrumentum cementarij, quo fabri murarij vtuntur, ad liniendum parietes murorum, cum ad pulchritudinẽ eorũ, tum ad fortitudinem, vt possint obsistere imbribus. Vnde trulissare extat apud Vitruuium, Hispanè enluzir; & vocatur trulla, Hispanè plana. Namq; hoc instrumento inducunt domificatores in crustamenta calcis & arenæ, vel gypsi parietibus. Hebraice, non trulla, sed norma habetur. Nam sic habet. *En Dominus constitit super murum ad normã extructum: habebatque normam in manu sua.* Est autem norma hæc cordula quędam cui appensus est globus plũbeus, quæ ad perpendiculum demissa ab artificibus domorum, rectitudinẽ ædificij

e. Visio.

Magna varietas inter Græca 70. Inter. & Hebræã veritatẽ.

3. Visio

ficij, vel obliquitatem obseruant. Vnde sensus est, Deum propter populi Israelitici impœnitentiam, non esse vsurum misericordia consueta, sed norma iustitiæ esse agendum in eos, tradendo eos captiuitati Assyriorum.

¶ Per murum igitur ad normam extructum, intellige Israeliticum populum, super hunc consistebat Dominus, vt sumeret pœnas iuxta illius populi, pessima merita. Et hoc est, quod subdit, ecce ego ponam normam in medio Israel: neque adijciam vltra superinducere eum. Id est vltra non pertransibo eum: ideſt non vltra præteribo vltionem peccatorum suorum. Siquidem iustitia mea, iam sæuiet in eos. Si vero trullam legimus vt translatio vulgata, ad eundem fermè sensum refertur. Nam murus litus est populus Israel, litus quidem incrustamento diuinæ misericordiæ, & protectionis, vt enim paries litura calcis vel gipsi roboratur, & ornatur: ita protectio Dei, illos roborabat & ornabat.

¶ At vero propter eorũ peccata, ablata est specialissima illa protectio ab eis: & hoc est quod ait, ponã trullam in medio eius, id est nõ liniam iam eos, vt mihi erat moris, eos protegere: sed deponam trullam, linitorium instrumentum, quia subinde mouebo ab eis auxilium meum.

Deus etsi ob peccata nostra auferat auxilium suũ quoad quędam specialia non tamẽ quo ad necessaria saluti æternæ.

¶ Subaudi, quantum ad prærogatiuas quasdam quibus potiebantur Dei, nunc re Israelitæ. Nam quantum ad spiritualia, nemini subtrahit auxilium suũ Deus, cum semper stet ad ostium & pulset, vt supra iam satis à me est dictum.

¶ Græca lectio, pro *norma*, vel *trulla*, legit *Adamantem*, insinuans, quod sicut adamas est durissimus lapis, ita Deus durè erat acturus deinceps cum Israelitis.

Allegoricus sensus.

¶ Allegoriam autem si amas, scito ex Psalmo 17. proditum esse de Deo, cum sancto sanctus eris, cum innocente innocens eris, cum peruerso peruerteris. Vnde cum homine duro durus erit Deus. Quandiu igitur in hac peregrinatione peregrinamur à Domino, Deus misericordiam suam quotidie operatur erga nos. Quia ipse cognouit figmentum nostrum recordatus est, quia puluis sumus. Quo circa, tantisperdum sumus in via, nulli clauditur misericordiæ diuinæ ianua, nulli non patet thronus diuinæ gratiæ. At vero, si impœnitentiæ duritiem in exitu ab hoc sæculo nos opprimit, iam tum deponet Deus suæ misericordiæ blanditiem, & norma suæ iustitiæ, nos dimetietur. Et in qua mensura mensi fuimus, remetietur nobis. Et quia duri fuimus ad Deum illi, toties vocant, & admonent viam salutis, non cedendo, sed resistendo, durè quoque aget nobiscum, seperans nos sua æquilibri, & perpendiculari sententia, à suo æterno consortio: & expellet nos in tenebras exteriores. Vnde illud Psalm. 59. ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.

Deus durum se præstac, duris corde siue impœnitẽtibus.

¶ Hoc idem adumbratur, in verbis illis Domini apud Lucam 19. verba facientis ad Ierosolymam, venient, ait, dies in te, & inimici tui circundabũt te vallo: & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognouisti tempus visitationis tuæ. Et eidem Dominus Matth. 23. loquitur, in hæc verba, Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, sub alas suas, & noluisti: ecce relinquetur vobis, domus vestra deserta.

¶ Quibus verbis, & linimentum muri seu parietis nostri patefecit, itemque norma diuina contra nos demonstratur. Sanè ad linimentum pertinet, quod Deus nititur à vanitate misericordiæ suæ peccatores ad se trahere, quandiu vitam hanc miseram degunt. Enim vero ad linitionem diuinæ misericordiæ pertinet, eos multis diuinis beneficijs, & vocationibus & pellicere, vt dimissa culpa, ad Deũ conuertantur.

¶ Hanc autem trullam, concessam fuisse & auferendam populo illi, prius insinuarat. Isaiæ 5. ubi alia tamen loquendi figura. Si enim cap. eximia prosequitur beneficia genti illi donata sub vineæ parabola, dicens, quod plantauit Deus vineam, in loco pinguissimo, & elapidauit eam, sepiuitque eam optimo septo, & turrim extruxit in ea, & torcular ædificauit in medio eius. Et tandem ait, Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Siquidem synagogæ hæc erant diuinæ misericordiæ linimenta, quod ori-

ginem duxerit ex parentibus ſanctiſsimis Abraham, Iſaac, Iacob, &c. & quod ad introitum eius, in terram promiſſam expulerit Deus gentes barbaras, & eam introduxerit in terram manantem lac & mel, in terram, ſcilicet, fertiliſsimã, quod ſubnotat, dicens, Vineam factam fuiſſe in cornu filio olei, id eſt, in loco præexcelſo, & pinguiſsimo, & ſæpiuit eã angelica cuſtodia, & fecit turrim in ea, quia templum Salomonicum, erat inſtar turris, & torcular fecit in ea, quippe, in templo illo erat altare, vbi offerebantur Deo ſacrificia. Hæc autem diuinæ miſericordiæ illius gentis blandimenta contempſit populus ille, ideo Deus abſtulit ab eis linimenta hæc ſuauiſsima, & norma ſuæ iuſtitiæ, eos puniuit, vt prædiximus.

¶ Quam punitionem Iſaias proſequitur loco indicato: & Dominus item patefecit. Nam primo dicens, Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina, &c. linitionem ſuæ miſericordiæ, Iſraelitis & Iudæis conceſſam patefacit: at ſubdens ecce relinquetur domus veſtra deſerta: aut ſicut Lucas expreſsius retulit, veniẽt in te dies &c. auferendam eſſe ab eis Dei miſericordiam, & protectionem, & normam diuinæ iuſtitiæ eſſe librandos ſatis oſtendit: vt noſter docuerat vates.

Tropologia. ¶ Et hoc idem vt dicebam paulò antè, cunctis accidet peccatoribus, quos Deus linit in præſentia ex ſua miſericordia, ſæpe eos vocans, ſi infideles ſunt ad fidem comparandam, ſi fideles peccatores, ad pœnitentiam habendam. Et hoc quidem ſæpe præſtat Deus, nam ait, Quoties volui congregare filios tuos, id quod non ſolum verum puta de Iudæis dictum, quin imo ad oẽs peccatores ſic ſe gerit Deus. Nanque ſæpe vult eos deus ad ſe congregare, & ſibi vnire per fidem, gratiã ſuam. Et optimo exemplo, diuinum deſiderium conuertendi ad ſe peccatores rem expreſsit: ſicut gallina ait, congregat, &c. Gallina enim amantiſsima eſt pullorum ſuorum, & infirmatur ex prolis amore, & cibum quæritat, non ſibi impartiens inuentum, ſed pullis ſuis diſtribuẽs, & Miluo prolis hoſti, ſe opponit vehementer in altum ſe tollens, obſtitura milui deſcenſui, ne deſcendens pullis noceat. Verum ſi pernicaces fuerint peccatores, & impœnitentes ſub hora mortis, norma diuinæ iuſtitiæ ſeuerius in eos aget. Et implebitur, quod ait Chriſtus ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Siquidem damnatæ animæ omnino ſunt deſertæ à Deo, itemque & illud aliud, inimici circundabunt te vallo, & coangustabunt te, vtiq; huiuſmodi impœnitẽtes, à teterrimis hoſtibus abſidentur, dæmonibus & coangustantur? quia poſt mortem, pœnitentiæ nullus eſt locus. Eccleſ. 9. Quodcunque poteſt facere manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos.

Animæ damnatorũ ſunt orbatæ diuino præſidio.

¶ Opus igitur facto eſt, ſi nolimus librari ex norma diuinæ iuſtitiæ, quod nõ ita abutantur blandimentis, diuinæ miſericordiæ. Ne nobis idem accidat, quod Iſraelitis, quorum hoc capit. fit mentio, quibus quia non profuit diuinæ dulcedinis linimentum, obfuit diuinæ iræ irritamentum. ¶ Et quidem horrendum eſt incidere, in hanc normam diuinæ iuſtitiæ. Quia non iuſtificabitur in cõſpectu Dei omnis viuens. Vnde precabatur ille Domine ne in furore tuo & arguas me, neq; in ira tua corripias me. Et aptè cecinit alius quidam, quod ſi noſtra pari penſentur crimina lance, quis queat horrendum vindicis expectare flagellum.

Qui abutitur Dei miſericordia ſentiet diuinam iuſtitiam.

¶ Et quidem commodè exprimitur durities humani cordis ex tranſlatione Græca, vt ſupra aiebam, quæ ſic habet. *Quid tu vides Amos? & dixi adamantem. Et dixit, ad me ecce ego impono adamantem in medio populi mei Iſrael.* Duricies enim illius populi optimè exprimitur ex adamantis comparatione. Nihil enim durius adamante: & nihil durius cordibus Iudæorum, qui vſque modo, in ſua temeritate perſiſtunt. Vnde Zach. 7. Iudæorum duritiem, & obſtinatiſsimam perfidiam exponitur ſatis. Poſuerunt ait, cor ſuum, vt adamantem, ne audirent legem.

¶ Et itẽ peccatoribus omnibus, qui in ſuis decernunt viuere, & mori culpis, idẽ conuenit ſermo: ſiquidem Deo vocanti non reſpondent, & Deo pulſanti frequẽtiſsime non aperiunt, ſed potius obturant aures mentis ſuę, & aggrauãt impœnitentia corda ſua: ne ſuſcipiant Dei ſermonem. Quod vero ait, Deum imponere adamantem populo illi, ſiue peccatoribus, non ſiniſtrè accipias, Deum eſſe autorem intelligens noſtræ obſtinationis, quippe Deo authore nemo redditur deterior

Deus non eſt author noſtræ duritiei.

redditur deterior, ſed eo accipito modo, quo & illud. Ego indurabo cor Pharaonis. Indurat enim tantiſper dũ permittit peccatorem extremum ſine pœnitentia claudere diem. *Et demolientur excelſa idolis & ſanctificationes Iſrael deſolabuntur, & conſurgam ſuper domum Ieroboam in gladio.* Hebræa litera, non habet Iſrael, ſed Iſaac. Et Græca lectio, ſic habet, *delebuntur aræ Riſus.* Nam Iſaac riſus interpretatur, & verè erant illæ aræ idolorum, aræ riſus: quia ridiculę erant fidelibus. Sũmæ enim irriſionis eſt ſpreto Deo vero fictitios adorare deos. ¶ Refertur autem ſermo hic vatis ad Aſſyrios, per quos Deus demolitus eſt idola Iſraelitarum. Et ait *excelſa*, quia vt ſupra diximus idololatræ, eligebant ſibi excelſa, & montuoſa loca, denſis arboribus opaca, vbi ſuos vanos colerent deos: vocat autem ironicè *ſanctificationes Iſraelis*, ipſa delubra idolorum, quæ reuerebantur ab ipſis Iſraelitis, vt ſancta. *Et conſurgam* libro. 3. Regum 12. legimus Ieroboam, qui ſcinderet regnum Dauidicum, fuiſſe primum ſacerdotem, qui vitulum in Bethel, cultu diuino coleret, nam aſcendens in Bethel, vitulo ibi conſtituto, immolauit victimas: & ſi ſermo præſens non de hoc eſt Ieroboam ſuper domum, id eſt, ſuper familiam Ieroboam. Hic autem Ieroboam, non fuit filius Naboth, ſed filius Ioas Regis Iſrael, cuius filius Zacharias ſexto regni menſe fuit interfectus à Sallum filio Iabes. Et ideo extincta fuit regni ſucceſsio in primo filio Ieroboam. 4. Regum 15.

¶ *Et miſit Amaſias ſacerdos Bethel ad Ieroboam regem Iſrael dicens, rebellauit contra te Amos in medio domus Iſrael: non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius.* Hic ſacerdos vituli aurei, qui erat in Bethel, ſimilis eſt Demetrio, qui edes argenteas faciebat Dianæ Epheſinæ Deę, hic enim videns Paulum concionantem contra deos illos inanes, & contra Dianam illam, excitauit turbas contra Paulum Apoſtolum, quia ex Pauli ſermone peribat lucrum, quod parabant ſibi cultores Dianæ ex ſuo artificio Actorum. 19. inſtar huius erat Amaſias, de quo fit modo mentio. Siquidem ex vaticinio Amos, contra idolum, ipſe detrimẽtum patiebatur ſui lucri, ex ſacrificijs & oblationibus, quæ idolis immolabantur, ideo excogitauit callide calumniam in Amos Dei vatem. Siquidem nihil meminit de idolorum cultu, ſed de Regis iniuria meminit, vt rex Ieſoboam, ſibi irrogari magnam iniuriam audiens, ſuccendatur furore, in Dei vatem, & cum exterminet: fuit autem calumnioſa iſta Amaſiæ accuſatio, quippe Amos non rebellauerat contra Ieroboam: neque factionem aliquam contra ipſum excitarat. Neque, quod Ieroboã gladio erat moriturus: ſed quod domus eius erat gladio peritura prophetabat.

¶ Et rurſus, non ex proprio, ſed ex diuino prædixerat ſpiritu: vnde non ex odio, aut ex inuidentia, prædixerat, ſed Deo iubẽte ad correctionem Ieroboam. Sicut & Ionas prædixit ruinam Niniue. At Niniuitæ, non ob hoc detulerunt Ionam, coram rege Niniuitarum, imo potius ipſe rex cum ſuo regno ad Ionæ prædictionem, pœnitentiam egerunt. *Et Iſrael captiuus migrauit de terra ſua*, in terram Aſyriorum ſubaudi, fuit ergo vaticinium contra Regem, & populum ſuum. *Et dixit Amaſias ad Amos. Quid vides, gradere fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi*, Hebraicè, non legitur. *Quid vides.* Sed qui vides, ſeu propheta: nam olim prophetæ vocabantur videntes.

¶ Et verbis iſtis diſſimulat conceptum quod coram Rege prophetæ Amaſias de prompſerat odium, eum deferens de rebellione; illudque regit, & palliat, amicitiæ verbis, dicens, Tu propheta Amos fuge in terram Iuda: ne ſi in hac terra Ieroboam manſeris, rex te inquirat, & capiat, & trucidet. *In Bethel non adijcies vltra, vt prophetes, quia ſanctificatio Regis eſt.* Suo lucro cõſulebat Amaſias, quippe ex oblationibus factis in Bethel vitulo illi aureo, multũ reportabat emolumenti propterea hoc ſuadet, ne prophetes Amos contra Bethel: quia ſanctificatio Regis eſt, id eſt, quia reges Iſrael, Ieroboam filios Nabat, & cæteri poſteri, in ſummo pretio habebant Bethel, vt locum diuinum. *Et domus regni eſt*, id eſt, ex duplici capite maximè obſeruatur vrbs Bethel, & ex vitulo, ibi conſtituto, & quia non procul eſt à Samaria vbi erat Regia regum Iſrael, ideoque à regibus frequentabatur locus ille religionis cauſa. *Reſpondit Amos, & dixit ad Amaſiam; non ſum propheta, & non ſum filius prophetæ.* Septua-

ginta interpretes, legunt. Non eram propheta, vt Hebraicè legitur. Et hac ratione, nihil habet offendiculi litera hæc, verum si legamus, non sum propheta quæ est lectio vulgata, videtur difficilis locus. Et est similis illi verbo præcursoris Domini, qui rogatus, num propheta es tu? dixit non sum. Quamuis hic locus apertior est. Siquidem, sermones sunt capiendi iuxta subiectam materiam. At vero à Ioanne quærebatur, ascriberet alijs, an ipse esset qui venturus erat an alius expectandus, itaque sermonis materia, erat scire an Ioannes esset Messias, vnde quando respondit, non sum, responsio est habenda iuxta rationē interrogationis: interrogatur autem, an sit propheta Messias, quem expectabant illi, ipse respondens autem, se non esse, subintelligebat se non esse Prophetam illum, de quo ipsi inquirebant. ¶ At verò in præsentia, non hoc iuuat, vt patet. Glossa ordinaria inquit, solum verè quispiam tunc est propheta, cum actu illustratur, prophetico lumine: quia igitur, Amos quando Amasias, illi colloquebatur, non erat actu illustratus lumine prophetico, ideo ait non sum propheta: idest modo non sum propheta. ¶ Et quidem vera narrat glossa in priore eius sententia, siquidem, prophetia non est habitus inhærens menti, quo prophetæ vti possent, quandocunque voluissent. Quia habitibus testante Arist. vtimur, quando volumus, sed est lumen quoddā actuale, quo aliquando illustrantur Dei vates: & aliquando deseruntur ab illo, vt exemplo Eliſæi. 4. Reg. 4 manifestum est. ¶ At vero quod tūc fuisset Amos orbatus hoc lumine, videtur opinabile. Vnde si legamus, non eram propheta, plana est litera, idest natura, & generatione non eram propheta, neq; officium meum erat prophetare, sed meos pascere greges: ideoque, si propheto, contra Bethel ex Dei iussu & munere fungor nunc officio prophetico. At quantum videtur mihi ex literæ contextu, verbo illi Amasiæ quod dixit ipsi Amos Propheta, Gradere in terram Iuda, respondet Amos, non sum propheta, vt sit sensus non sum prophetæ tātæ sublimitatis vt possim vbilibet prophetare, & in Bethel, & in Iuda quia armentarius sum, & hoc est meum institutum pascere armenta, à iuuentute mea, si autem propheto nunc in Bethel, illud ex noua gratia Dei est, me instituentis ex armentario prophetam. Alij credunt, hoc ex submissione verbum, fuisse, vt suam humilitatem profiteretur, vt Paulus. 2. Corinthiorum. 11. inquit, se esse imperitum sermone, id quod Pauli humilitati tribuitur à quibusdam, alijs inficiantibus, sed quod verè dixerit, se non esse apprimè doctum Græcanicis literis. Verum ego mallem, non fuisse mendacem in hoc verbo Amos, quia si humilitatem profitetur ex mendacio, virtutis actionem maculat vitio mendacij. *Sed armētarius ego sum vellicans Sycomoros.* In loco illo Thecuano, vbi Amos pascebat greges suos, erat multitudo Sycomorum, qui erant vsui, & gregibus, qui pascebantur ex folijs harum arborum, & pastoribus qui alebantur ex fructu. Vox Hebræa, Sekem, significat arborem generis ficuum. Tradunt autem has ficus scalpello, vel ferro findi, ad maturitatem. Et est copia in regione illa harum arborum. Vnde Zachæus, vt videret transeuntem Dominum ascendit in arborem Sycomorum. Alij efferunt Sycaminum vel Morosycon vt Celsus. Duarum autem naturarum esse hanc arborem Dioscorides scribit, scilicet, & fici, & mori. Et ex nomine istud commune participium præfert. Nanque sici, Græcis ficus est Latinis. Et Moræa, arbor Morus. Traduntque folijs esse Moro quam simillimam: at fructu ficum sapere: fert autem fructum, non ramis, sed caudice ipso, caprificis similem, ficorum grossulis dulciorem. Etsi interiore facto, nulla qualia sunt in fico frumenta habeat, fructum fert, ter, quaterve quotannis. *Et tulit me Dominus Deus, cum sequerer gregem: & dixit Dominus ad me, vade, propheta ad populum meum Israel.* Tulit me ad munus propheticum, quia prophetia est diuinum donum, non ex hominis natura. Neque mireris, armentarium, seu capraarium vt Græca habent promoueri in celsitudinem propheticam, qui nosti ex piscatoribus promotos esse Christi discipulos in principes orbis terrarum, & Dauidem scimus ex pastore gregario, in Regiam & propheticam dignitatem esse sublimatum, vt in præfatione ad duodecim prophetas meminimus. Et fanè,

Propheta non dicitur ex habitu prophetandi, sed ex lumine actuali prophetico.

Lucæ. 9.

Sycomorus.

Sycaminum.

Morosycō.

nè, si obseruamus Deum vniuersa fecisse ex nihilo, cessat omnis admiratio, quod ex pastoribus, aut piscatoribus prophetas, Reges, & Apostolos cōstituat Deus. ¶ *Et nunc audi verbum Domini, Tu dicis non prophetabis, super Israel, & non stillabis super domū idoli. Propter hæc dicit Dominus, vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent: & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris: & Israel captiuus migrabit de terra sua.* Propter lucrum, & commodum tuum Amasia, suades mihi, non esse prophetandum contra populum Israeliticum: & contra Bethel, vbi colitur vitulus aureus magna superstitione. Ego porro tibi dico, quod tua lucra peribunt, prorsus, & pro lucris multa & grandia patieris damna. Nanque vxor tua adulterium committet: & proles tua occidetur ab hostibus Assyrijs. Et humus tua, id est terra Israel quam inhabitas, & possessiones tuæ, funiculo mensorio, metientur ab Assyrijs: vt sibi diuidant. Et tu in terra polluta, id est, in terra hostili, morieris. Vocatur omnis terra, excepta terra illa promissionis polluta. Et plerunque quidem ita euenit, quod quærentes lucra iniusta, & immunda, patiuntur damna iusta vt cōtigit huic Amasiæ.

EXPLANATIO
IN AMOS. CAP. VIII.

Varietas translationis. Kolob, Kelob

Æ Costendit Dominus Deus, & ecce vncinus pomorum. Et dixit, Quid tu vides Amos? Et dixi vncinum pomorum. Pro vncino, Hebræa vox est Kolob, à Coleb. Vnde pro vncino pomorum Hebraicè scribitur Kolob Kaiz. Et Græca translatio habet vas aucupis. Nam Kelob significat, Corbem, seu domicilium auium. Caua Latinè hisp. jaula.

¶ Porrò Rabbi Kimhi, locum hunc Amos Kelob, Kaiz exponit pro cartallo pleno fructibus æstiualibus. Nam Koz Hebræis significat æstatem, inter alia multa quæ significat. Et has significationes secuta est translatio Vatabli, videlicet, pro vncino pomorum, transferens, *Canistrum æstiuum.*

¶ Itaque visio hæc quarta vatis, erat cartalli, seu Canistri pleni fructibus æstiualibus, quales sunt fici, vuæ & alia poma. Iuxta Græcam vero translationem, visio erat caueæ auium, quam intellexit per *vas aucupis.* Et omnes translationes istæ etsi diuersæ sint, verum in idem tendunt. ¶ Nam Græca translatio, sensum habet, captiuos esse ducendos Israelitas, ab Assyrijs, vt captiuæ ducuntur oues ab aucupibus in caueis suis. *Concordia translationum.*

¶ Translatio autem ad literam Hebreā, sensum habet, quod sicut poma æstiualia, decerpuntur ab arboribus, omninoq; nudantur arbores, suis fructibus, ita Israelitæ erant eradicandi à sua patria.

¶ Translatio autem vulgata, sensum eundem habet, ex alia tamen ratione dicendi. Nam sicut postquam poma arborum, quæ manu decerpi possunt sunt ad manum collecta, poma, quæ arborum cacumina tenent, vncinis detrahuntur, & colliguntur. Ita quoque post quam Phul Teglath phaasar percusserunt terram Israel, illæ tributis, hic captiuitate superstites, sunt deducti in captiuitatē per Salmanasar. *Et dixit Dominus ad me, venit finis super populum meum Israel.* Explicat Dominus, visionis ænigma, videlicet visionem prædicere sub vmbra vncini aut caniſtri æstiui, aut vasis aucupis exterminandos esse Israelitas per Assyrios. *Venit finis,* subaudi à me ab æterno præfinitus, propediem enim alio migrabit. *Non adijciam vltra vt pertranseam eum.* Idest, iam deinceps non parcam ei, neque differam iam amplius vltionem, à me determinatam super eos, id est contra eos. Et hoc idem dixerat propheta, capit. proximo sub tertia visione, vt ibidem fuit enarratum. Et hoc obseruabis plerunque in prophetis, quod etsi multiplices habeant visiones, at sæpè idem diuersis visionibus inculcant. Vt etiam diuersis parabolis, & metaphoris, & tropis, eandem repetunt sententiam. Quia gutta cauat lapidem, non bis sed sæpè cadendo, vt sæpissimè aliàs ego admonebam. *Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus, multi morientur: & proijcietur silentium.* Chaldæus paraphrastes, sic vertit, & vlulabunt vice canticorum carmina palatij, per palatium intelligens palatia, numerum singularis pro plurali.

¶ Et palatia vocat ædes sumptuosas, id est, in ædibus sumptuosis, quas incolunt diuites, celebrantur plurima car-

mina lætitiæ, quia nobiles diuites vacant istis delicijs: at vero, sub captiuitate, omnia vertentur in vlulatum & mœrorem. ¶ Aut si mauis iuxta vulgatam intelligere locum, sensus est apertus templum vestrum, vbi adorabis in Bethel vitulum, ab hostibus desolabitur: ideo stridebunt ex ruina cardines eius. *Multi morientur* herit magna strages mortuorũ, & proijcietur silentium. Quia maximi exci tabuntur clamores, ex maxima calamita te quam patiemini.

¶ At vero Hebraica alium habent sensum, nam aliter est transferendum videlicet, *Multa cadauera* (hostis subaudi) *pro-*
Variatrãs latio. *sternet in omni loco: ideoq; silentio.* Id est ho stilis gladius magnam stragem cadauerũ efficiet in omni loco, qui nulli ferè parcet, quin subdat eum gladio, aut premat captiuitate, *ideoque silentio.* Subaudi tum vtendum erit, id quod bifariam intel ligi poterit, scilicet, vel tantus erit furor hostium, quod nemo illis audebit obloqui, sed cedent eis silentes, vt vel sic possint vitam seruare: vel aliter, qui cadauera tunc futura sepelient, dicent inuicem, visa tanta strage, tace, nihil est quod possi mus proferre in defensam nostram. Nanque Deus contra nostra scelera operatur iustitiam suam. Sæpè nanque nos corripuit per prophetas suos, sæpè admonuit, nos autem semper repugnauimus: ideo mala quæ patimur peccata nostra commeruerunt, tacendum igitur nobis est. Idem traditur supra capit. sexto. *Verbis illis tace, & non recorderis nominis Domini. Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes, quando tran sibit meßis, & venũdabimus merces, & Sabbathum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus Siclum, & supponamus stateras dolosas.* Quod prioribus expresserat capitibus, idem repetit modo. Nam supra satis egerat contra calũniatores & despectores pauperum, qui expilabant fraudibus, eorum substantiam, & hoc ipsum modo agit.

Capi. 2. 5. & 6. ¶ Reprehenditur igitur studium iniquum Israelitarum qui desiderabant Hispanis. Et si sensus idem vtcunque constat. *Transibit meßis*, nam sub messe, quia est copia frumentorum, ideo vilior est annona, ex copia. At vero transacta messe, redditur carior, quia ex consumptione quotidiana facta est rarior. At vero Hebrai. est *Hodes*, & significat mensem, & neomeniã. Est autem neomenia dies prima mensis, quo die non licebat vendere triticum. Vnde sensus est, ò vtinam transisset mensis, id est menses, in quo subaudi, quibus copia est frumentorum propter recentem eorum mesionem. Qui menses apud nos sunt vt plurimum Augustus, & September, & Octobeꝛ, & vsq; ad mensem Maij. Nam mense Maio carius venduntur frumenta, ob defectum ipsorum. Apud illos autem, quia mesis frumentorum erat celerior, sub Aprili erat alia ratio mensium ad vendendum frumenta carius.

¶ Additur dictioni Hodes, ה, quæ litera apud Hebræos emphatica est quando præponitur dictioni. Vnde significat non quancunque neomeniam, sed certam & singularem. Vt sit sensus vtinam transeat iam neomenia illa, quæ prohibet vendere frumenta, vt nobis postea liceat vendere frumenta nostra.

¶ Chaldæus paraphrastes de mense embolysmatico, intelligit locum hũc, est autem mẽsis hic, qui addebatur tertio quoque anno annis lunaribus, vt æquarentur annis solaribus. Vnde ille annus ex embolysmo reddebatur longior annus, quia cõstabat ex duodecim mensibus integris, vt sit sensus vtinam transeat annus iste longior, postquam solent frumenta carius vendi. *Et Sabbathum*, quo erat quiescendum ab omni opere seruili, vox Hebræa Sabbath, Sabbathum, & septimam diem, & ipsam hebdomadam septem diebus cõstantem significat. ¶ Chaldæus paraphrastes, ad septimum annum, refert, quando terra Sabbathizabat, Exod. 23. Quia illo anno, neque serebatur, neque metebatur. Hoc autem anno septimo, vescebãtur, ex fructibus terræ pauperes. ¶ Quod si vera

frumenta sua pauperibus: quippequi non egebant illis. Ideo diuites desiderabant transitionem huius Sabbathi, vt postmodum pauperes pressi indigentia, conuolarent ad diuites. ¶ Verum si Iosepho creditur, & Hebræis, illo anno nihil seminabatur, neque colebatur: at vero sponte nascentia erant pauperum. Et adhuc congruit literæ, si per Sabbathum, annum septimum subaudias. Siquidem cum terra Sancta, esset fertilissima, ex sponte nascentibus, sibi poterant prouidere pauperes, vt non cogerentur à diuitibus frumenta emere. ¶ Porrò si intelligamus diem septimum Sabbathi, vt litera præ se fert, item sensus est integer. Tu tamen considera, quod isti diuites quorũ fit modo mentio, non traditur quod desiderabant anni sterilitatem sed temporis opportunitatẽ ad vendendum carius. Vnde sunt fideles nostri quidã reprehẽsibiliores, qui ex auaritiæ inflammati ardore, cum se aduertãt frumentis abundare, sterilitatem anni desiderant, vt videntes frumenta carius, ipsi amplius ditescant, & pauperes vehementius depauperentur. ¶ Quos neque Dei timor terrefacit, neque proximi charitas mollefacit, neque Regiæ pragmaticæ præscribentes pretia frumentis, quicquã persuadent, quo minus pro libito, si occasio libera datur vendant carius, quam pro taxatione regia. ¶ Et quidem sunt admonendi, vt restituant, quod pluris vendiderunt quã pro taxatione regia. Hæc enim constituit pretium iustũ frumentis, quod excedere non licet. Et non solum in crimine est excedens, sed obnoxius est restitutioni, quidquid excesit. *Aperiemus frumentum*, id est horrea frumentorum quæ ex vilitate annonæ erãt clausa, sub caritate, illa reserabimus ad vendendum.

Qui vendunt frumenta carius quam pro taxatione Regia sunt in crimine, & obnoxij restitutioni.

¶ Sed ait aliquis, quid ergo est crimini dãdum si quis clauserit horrea, quia vili venduntur frumenta, expectans tempus quo carius ereduntur vendenda? Vt si quis nõ vẽdit sub mensibus Augusti, Septẽb. &c. expectans Maium, vbi plerunque carior est annona. Respondetur istud non esse crimen, quando is qui hoc facit, non facit

Qui expectat tẽpus quo carius

sideratur caritas annonæ, sed expectatur tempus illius caritatis. Israelitæ autem nunc taxãtur, ex malo desiderio expilandi pauperum facultates. Vnde sũbditur, *minuamus*, hoc est peccatum addere peccato, videlicet malo desiderio pessimũ copulare opus minuendi, scilicet, mensurã, & augere pretium vt ex duplici causa grauarent pauperes, ex minori æquo mensura, & ex maiori æquo pretio. Et hoc est quod ait, augeamus siclum siclo, Hebrai. respondet dictio Shekel, quæ dictio significat & siclum, qui est certa moneta, & mensura, seu ponderatio. Vnde duplex resultat sensus, augeamus pretium aut augeamus mensuram, scilicet cum emerimus, erit nobis mensura maior; cum venderimus, erit alijs mensura minor.

¶ Siclus autem est moneta vsitata in sacris scripturis magis quam in prophanis, Hieronymus autem super Ezech. putat idem esse quod stater. Stater autem quatuor vncias valet argenti. Vnde correspondet tetradrachmo nostro Hispanè, real de a quatro, cuius obolus est pars sexta, & valebat, seys maraudis Hispanè, & non est sermo de siclo sanctuarij, qui valebat viginti obolos, Ezech. 45. *Et supponamus stateras dolosas*, sunt quædam quæ mensurantur, vt frumenta, alia, quæ ponderantur, vt pisces, & carnes, poma, aromata, &c. Et isti Israelitæ deprauatis affectibus, in omnibus, desiderabant opprimere pauperes cum quibus contractabant. *Vt posßideamus in argento egenos & pauperes, pro calciamentis, & quisquilia frumenti*, huiusmodi contractibus iniustis vtamur, vt spoliatis pauperibus, emamus nobis mancipia pro calciamentis, seu vilissimis pretio. *Et quisquilias frumenti vendamus.* Quisquiliæ sunt purgamenta, cuiuscunque rei, quas Græci vocãt peripsemata. Quo nomine Paulus vsus est Apostolos dicens, factos esse vt peripsema mundi: id est abiectissimos fuisse inter homines, Hispanè quisquiliæ frumentorum appellantur, ahechaduras: quas reijciũt cribrantes, à frumentis cum illa purgant. Isti ergo, deprauato animo, quisquilias, id est immundissima frumen

Siclus quid.

substātia. Hæc autē prophetæ verba, producēda sunt in eos, qui decipiunt in cōtractibus emptionis & venditionis, aut in quouis alio contractu in lege praxim nostram theologicam de contractibus, & restitutionibus. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob. Si oblitus fuero vsque in finem omnia opera eorum.* Dixerat supra. *Audite hoc*, & non expresserat, quid esset audiendum, vnde per parenthesim sunt habenda, quæ ab illis verbis, Audite, vsque modo dixerat, Est igitur vbi explicat vates quid sit audiendum, videlicet, quod iurauit Dominus *in superbiam*; vsurpatur hoc loco superbia, pro excellentia, id est iurauit per eminentiam Iacob, id est per id quod excellentissimum habet Iacob, id est per id quo gloriosissimum est in terra promissionis possessa à filijs Iacob. Est autem istud excellentissimum, templum illud Salomonicum.

Ad Hebræos. 6. ¶Est autem prompta obiectio ex Paulo, Qui iurat per maiorem se iurat, Deus igitur cùm non habeat se maiorem, per se metipsum iurat, at vero templum minus est Deo. Respōdetur templum illud esse Dei habitationem, ideo iurare per templum, Deum est iurare per se ipsum qui habitabat in templo illo. Aut aliter dicito. Iurauit in superbiam, id est contra superbiam Iacob; id est contra insolentias Israelitarū prædictas, *Si oblitus fuero*, Deus tam in præmiandis operibus bonis, quam in puniendis malis videtur nonnunquam oblitus. Siquidem videtur, relinquere iustos sub miserijs, quibus afflictantur & videtur fauere iniustis, illos sinens gloriari, & deliciari in peccatis suis. Vtrunque autem Deus qui est infinitè sapiens, non facit summò consilio. Vt inquam iusti afflictati ex maiori patientia, maiorem reportent meritorū coronam: at iniusti, ex magna Dei tolerantia, prouocentur ad pœnitentiam.

¶ Cæterum, vt tandem coronabit Deus suos iustos, supra quam ipsi putauerunt, ita tandem puniet iniustos, incredibilibus pœnis. Vnde Deus, etsi tardat præmia, & pœnas, non quidem ex obliuione: sed ex summo suo consilio, ideo ait si oblitus fuero. Idest iureiurando hoc vobis Israelitis dico me non obliuiscturum vestrorum scelerum, etsi vobis videar interim conniuere, aut prætermittere vltionem peccatorum vestrorum. At reuera, non obliuiscar vsque in finem, idest semper non vtar hac apparenti obliuione, sed animaduertam in vos vt oportebit. *Nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius. Et ascendet quasi fluuius vniuersus, & eijcietur, & defluet quasi fluuius Ægypti.* Id est, num propter iniquitates vestras, non turbabitur terra vestra? num non est iustum, vt omnes habitatores lugeant suas calamitates, quas pati cōmeruerunt? Et ascendet quasi fluuius vniuersus idest, intumescet vniuersa terra quasi fluuius. Per fluuiū intumescentē intelligit tribulationū venturarū sub Assyrijs, summam esse vim: & afflictiones incomparabiles. Nam aquarum intumescentia istud denotat aliquando in scriptura. Nam tumescentibus aquis, tranantes suffocantur, aut valde periclitantur in eis. *Et defluet*, Nilus cum statis temporibus intumescit Ægyptum operit, at vero, cum detumescit; videtur absorptus. Significat igitur, cum intumuerint vestræ calamitates, vos tanquam fluuius ille magnus absorbemini & vestra gloria euanescet tota. *Et erit in die illa occidet Sol in meridie*: & tenebrescere faciam terram in die luminis. Sæpè supra diximus familiare esse prophetis, per lucem prosperitatem: & per tenebras aduersitatem subnotare, id quod modo experiri licebit. Sensus enim est, cum vobis accidat gratulari ex magna vestra felicitate, tunc vestra felicitas deijcietur: istud est quod ait, Sol occidet in meridie. Nanque ad literam fieri nequit, quod Sol sub meridie occidat. Eusebius tamen, hæc retulit ad eclipsim solis quæ accidit medio die, sub morte Saluatoris. Porro hic sensus est literalis Sol in meridie est summè exaltatus, at cum occidit tunc summè deprimitur. Vos ergo cum in apice fueritis honorum & deliciarum deijciemini ad extremas miserias sub Assyrijs & quod sequitur repetitio est prioris sententiæ. *Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam supra omne dorsum vestrum saccum: & super omne caput caluitium. Sac* significat Hebræis indumentum grossum, & vile quo solent vti homines tempore luctuoso: id quod Latini vocant cilicium, vt olim in Hispania Regum mortem lamentaturi saccos induebant Hispanè, xergas. Apud Latinos autem saccus, & apud Græcos

cos *sakkos*, significat saccum in quem cōgerūtur merces vel frumenta, Hebræi autē tempore lamenti saccos induebāt vt profiterentur suum animi mœrorem; & capita radebant, vt supra fuit expositum. Summam igitur miseriam Israelitas passuros sub Assyrijs hæc verba subnotant. *Et ponam eum quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius quasi diē amarum.* Vnigenitorum mortem parentes summis deflent lachrymis, sic Dominus ait, populum Israeliticum, ad extremas miserias cōijciendum, vt per inde lugeant se atque mortem vnigeniti. Et nouissimum tempus eius faciet esse in fœlicissimum: *Et ecce dies veniunt dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famē panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Spiritualis est hæc pœna, & non corporalis vt priores hactenus recensitæ. Et hac pœna hucusque torquētur Iudei. Siquidem mentis cæcitate laborant. Et quod Paulus de suis coæuis dixit Iudæis semper impletur. Videlicet eos esse obductos velamine cordis. Quia diuinas dum
2. Cor. 13. legunt scripturas, non intelligunt eas iam esse impletas in Christo: imo inani spe delusi, etiam num suum præstolantur Messiam. Itaque fame laborant atque siti. Et enim diuinum Euangelij verbum, est vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris. Quo pane, qua aqua, qui non cibatur, & potatur, peribit æterno. Peccata igitur nō solū pœna tēporali puniūtur in hoc sæculo, sed etiā pœna spirituali, id quod supra fuit satis dissertū. Hanc igitur summā mētis cæcitatem qua premuntur Iudæi vates prædicit his verbis. ¶ At dices, quotidie Iudæi audiunt in suis Synagogis verbum Dei. Siquidem à suis Rabinis docētur ex lectione prophetarum. Sanè hoc non est audire verbum Dei sed deludere, quia Rabini peruertūt sensum sanctarum scripturarum & talis peruersio, non est verbum Dei, & quidem cum verbum Dei sit Christus, Iudæi desiderantes aduentum Christi, famem habent verbi Dei. Et sunt similes ijs, qui panem & aquam habentes in prospectu, fame & siti pereunt: quia illis non vtuntur. Sic Iudæi habent verbum Dei caro factum præsens & nolunt gustare, ideo fame sua culpa pereunt. *Et commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab aquilone, vsque ad Orientem.* Rursus, prosequitur temporales pœnas, mistas spirituali, & significat dispersionem Iudæorum in omnes gentes, quam hodie patiuntur. Nam dispersi sunt apud Turcas, apud Saracenos, apud fideles & deniqueper totum vagantur orbem, à mari Australi, quod est mare Rubrum, ad mare magnum Mediterraneum, vsque & Occidētale. Et ab Aquilone, quę est Septētrionalis regio, vsq; ad Orientales plagas oberrabunt. *Quærentes verbum Domini, & non inuenient.* Non sanè inueniēt, quia nō syncero animo quærūt. Petenti enim dabitur, & pulsanti aperietur, & quærenti prōptum erit inuenire quod quærit, si tamen rectè petitur, si sedulo pulsetur, si anxie quęratur. Non inueniunt ergo Iudæi Christum, quia non rectè quærunt Christum. ¶ Sunt similes ijs qui sub profundis tenebris quærunt quicquam, quod cum sit iuxta eos, non tamen inueniunt: ita prope modum, cum Christus in orbe sit regnans in cœlo, & sit prædicatus in vniuersa terra, & in sacramento lateat synaxeos, est sane iuxta Iudæos; at vero non inueniunt Iudæi Christum: quia obcæcata gerunt corda sua.

¶ Imo in suis sacris codicibus, quærunt *Ioan. 1.* Christum, & non inueniunt; quia sinistre torquent scripturas ad sua prauadogmata, vt vere dictum sit, lux quę est Christus in tenebris lucet, quia in hoc tenebricoso seculo pleno errorum caligine, lucet, & illuminat homines sibim origeros Christus; at vero tenebræ, idest Iudæi & Saraceni, & alia infidelium agmina hanc lucē non comprehenderūt. Et quidem omnes quotquot sunt homines, quærunt Iesum, quia quærunt fœlicitatem at nō inueniūt, quia non rectè quærunt. Nam soli illi inuenient hanc fœlicitatem, qui rectam concipientes ex verbo Dei fidem de Christo, illi vniuntur per Ecclesiæ sacramenta. *Deficientes virgines pulchræ & adolescētes in siti.* Vtique res miseranda est valde, virgines pulchras siti deficere, atque adolescentes. Nam cum isti sint in vegeta ætate, quod moriantur morte violēta ex siti, & fame incutit dolorem spectantibus. ¶ Etenim cum senes moriuntur, non cōpatimur eorum morti, sicut quando iuuenes, siquidē illis videtur mors iam naturalis, istis autē est violēta. ¶ Et rursum virgines pulchræ, quia ex sua pulchritudine sunt amabiles valde, ideo valde miserabile reputatur, earum mors naturalis, ne dum violenta.

¶ Insinuat autem istis verbis, virgines ducendas captiuas, & adolescentes, & ex iti

nere prolixo, æstuantes, ex non porrecto potu, esse morituros. *Qui iurãt in delicto Samariæ, & dicunt viuit Deus tuus Dã & viuit via tua Bersabee*, vocat delictum Samariæ, vitulum quẽ colebãt Israelitæ in Bethel. Ex phrasi prophetica, quæ consueuit idolum vocare peccatum. Quia est occasio summi perpetrandi peccati, nempe idololatriæ. At vero, quia Bethel, erat prope Samariam, ideo vocat delictum Samariæ. Iurare igitur per idola, est idololatria, vt iurare per Deum verũ, est vera religio, & cultus Dei veri: erat autem alter vitulus in Dan, & iurabant Israelitæ etiam per vitulum qui erat in Dan, dicentes viuit Deus tuus Dan. Obserua humanam cæcitatem & quo procedat humana peruersitas, quæ vocat vitulos, stupidos impotentes viuere, viuentes deos. *Viuit via.* Erat interim Dan, à Bersabee, & Israelitæ falsi cultus gratia peregrinabantur, in Bersabee, vt peruenirent, in Dan. Vt Saraceni peregrinabantur, in meschitam sui Mahometi, quæ sita est in Mecha Arabiæ sterilis vrbe. Iustissimè igitur acerbissimã ò Israelitæ subibitis captiuitatem: quia spreto Deo vero, inanes vobis elegistis deos, & non contenti crimine læsæ maiestatis, proximos vestros multis affecistis iniurijs. *Ideo cadent, & non resurgent vltra.* Quia perpetua captiuitate hactenus sunt detenti Iudæi, & Israelitæ.

Iuramentũ est actꝰ religionis veræ si per Deum verum vere iuretur, si per falsos deos idololatria est.

EXPLANATIO
IN AMOS CAP. IX.

VIDI Dominum stantem super altare, & dixit, Percute cardinem, & commoueantur superliminaria: auaritia enim in capite omnium. Visio hæc prophetica, est ordine. 5. Nam cap. 7. tres recẽsuit visiones, & cap. 4. adiecit quartam, nunc vero cap. 9. quintam apponit. Vt iam in fine suæ prophetiæ Amos, finalem euersionẽ Iudæorum visione hac ænigmatica prædiceret. ¶Absolutis enim prædictionibus prophe ticis, contra decem tribus, quæ prius pœnas dederunt suorum delictorũ, quia priores fuerunt in culpa, nunc vertit sermonẽ cõtra duas alias tribus, quæ postremo fuerũt à Deo punitæ. Vt sicuti imitatę sunt decem tribus in scelere, imitarentur quoque easdem in supplicio. ¶Quod vero, de duabus tribubus vates sit intelligẽdus modo, ipsa visio demõstrat, quæ est contra templum Salomonicũ, nam non loquitur de templis idolorum, quæ supra prædixerat esse demoliẽda ab Assyrijs: sed de templo veri Dei. Nam ait, vidi Dominum stãtem super altare: at verò indubitatum est Dominum non esse visum super aras dæmoniorum. Per altare autem intellige altare holocaustorum, quod erat sub dio. Super hoc altare, quod erat altare omnibus conspicuum, vidit prophetica visione Dominum stantem. Qui autem stat, vel stat ad subueniendum, ideſt vt præsto sit, ad subueniẽdum, vel stat, vt promptus sit ad nocendum. Etenim stare in bonum, & in malum significat præparatum esse. Vnde, Stephanus vidit Christum stantem à dextris Dei: nempe quia paratus erat Christus Stephanũ tueri aduersus hostes eius. Paratus inquam donare Stephano, vt persecutores suos fidei cõstantia vinceret, & paratus eundem triumphali donare corona. Nũc autem, ex serie textus stare Dominum, malum & exitium portendit. Namque subdit, *Et dixit percute cardinem.* Non declarat autem cui dixerit, nũ vati, cui loquebatur Deus an angelo. Porrò, quia opus demoliendi tantum templũ nõ erat opus vnius hominis, vt erat Amos, sed potiꝰ erat opus angeli, qui facile Deo iubente poterat totum euertere templũ. Glossa interlinealis vel ad prophetã, putat dictum, vel ad angelum executorem diuinæ iustitiæ. Si ad prophetam autem, referas, percute, ideſt denuncia percutiendum: quia Amos non percusit, si vero ad angelos executores, referas, illis iniũgitur percutiendum. Tamen, non legimus angelos demolitos fuisse templum illud, sed solum Nabuchodonosor cũ suo exercitu, ideo videtur, exponendum prophetæ dictum esse à Deo, *Percute*, id est prædicito esse percutiendũ *Cardinem.* Hebraice limẽ supremum, vel porta templi, aut atrij templi. Ianuæ enim domus, quæ sunt quadrangulæ, constant ex limine supremo, quod incumbit duabus postibus ianuæ, & ex limine infimo, quod pedibus teritur. At verò percusso limine supremo necesse est vt duo postes, quæ sunt duo latera ianuæ, commoueãtur. *Dicet aliquis*, cur dixit percute limẽ supremum, & non dixit percute postes, nam etiam percussis istis

Actor. 7.

istis cõmouetur limen supremum. Respõ detur, quod forte non vacat à mysterio: enimuero, quando egressuri erant filij Israel, ab Ægypto Exo. 15. angelus deuastator, illæsas reliquit Israelitarum domos quarum suprema limina sanguine agni, erant intincta. In limine igitur, erat protectio Israelitarum, vt igitur modo, insinuet Dei protectionem, esse auferendam à Iudæis ideo præcipit vt limẽ supremum percutiat. Et quod Exod. 15. vocatur super liminare hoc loco vocatur limen supremum quod vt aiebam, primo iussit Deus tingi sanguine agni immolati, quã postes tingerẽtur. Si vero cardinẽ velis exponere idẽ sensus erit, nõ tamẽ adeo apertus, imo differẽs est sermo, quia si cardinẽ legimus percussis cardinibus super liminaria commouentur; at vero percusso super liminari, postes commouebuntur, cæterum, siue hoc, siue altero legamus modo, idem constat sensus nam protenditur templi illius euersio, ex huiusmodi sermone. Græca, autem translatio diuersa est, scilicet. *Percute propitiatorium & commouebuntur vestibula.* Propitiatorium autem, non erat in atrio templi, vt altare holocaustorũ: quia erat in loco penitissimo templi, scilicet in sancta sanctorum. *Auaritiã*, subdit causam, cur euertendum sit templum, & ipsi cum templo, sint exterminandi, propter auaritiam, quæ est in capite, ideſt in capitibus omnium, vocat capita sacerdotes, & magistratus reipublicæ. Et hoc vitiũ erat familiare illi nationi id quod illis obijcit Ieremi. 6. & 8. cap. Omnes auaritiæ student: à propheta vsque ad sacerdotẽ, cuncti faciunt mendacium. At vox Hebræa, vulnus significat, & auaritiam vel auaritiæ studium, & videtur secunda significatio congruentior huic literæ, quam sequitur Vatabli translatio. *Vniuersorum capitibus vulnus infligo.* Aut vulnera capita omnium siue in frusta concide capita omniũ. Græce. *Disseca in capita omnium.* Quod in idem recidit. Significat igitur, tu Amos prædicito dissecandos esse pontifices & principes sacerdotum, & magistratus reipublicæ; ideſt exterminandos per Nabuchodonosor sub Sedechia. Nam sunt fugulati plerique eorum, & ducti in captiuitatem, qui superfuerunt, vr ex Iere. 39. Cõstat, &. 4. Reg. vltimo. *Nouissimum eorum gladio occidam.* Ideſt nouissimos, scilicet inferiores, plebem ve promiscuam, gladio interficiam: per gladium Nabuchodonosor, per exercitum, scilicet eius. *Non erit fuga eis, fugiet, & non saluabitur ex eis qui fugerit.* Id est, nõ euadet ex populo Iudæorum & ex maioribus eius, quispiam: etsi euadere conetur. Hoc ait, quia pauci sunt qui euaserunt, collati ad eos qui perierũt, & captiui sunt ducti, siquidẽ quidam ex eis euaserunt in Ægyptum, & in alias fini timas partes, Ierosolymorum. *Si descenderint vsque in infernum inde manus mea educet eos.* Per infernum non intelligit infernum damnatorum, quia in huiusmodi infernum nemo confugiet salutis quærendæ gratia, sed intelligit cauernas terræ profundas, nam huiusmodi dicuntur infernus, siquidem profundum terræ tenent locum; vox enim Hebræa scheol, quæ hoc loco habetur significat sepulchrum, vel foueam. Verum quia locus dãnatorum ima terræ loca habet, ideo dicitur infernus locus ille, vt etiam, purgatorius locus, & limbus qui erat olim animabus sanctis deputatus, item & infernus appellatur, non damnatorum, sed animarum sanctarum. Itemque Limbus puerorum, propterea Ecclesia confitetur, Christum descendisse ad inferos non sanè damnatorum, aut puerorum, qui citra circũcisionem aut sacrificium decesserunt, quia hos non eripuit à tenebris Christus. Quod igitur ait tale est, etsi Iudæi fugientes furorẽ Nabuchodonosor, se abscõdãt in abditissimis terręque cauernis, Deus, cui notissunt vbicunque abscondantur, manifestabit eos, & tradet in hostilem manum. *Et si ascenderint vsque in cœlum, inde detrahã eos.* Si de cœlo intelligatur hyperbole est vel aliter, etsi ad altissima juga montium, quæ videntur sua celsitudine tangere cœlos, ipsi conscenderint fugientes hostilem iram, inde me disponente, detrahentur. *Etsi absconditi fuerint in vertice Carmeli inde scrutans auferam eos.* Carmelum esse montẽ densissimis arboribus opacum, multisque cauernis esse refertum, tradunt Hebræi: vnde & latibula multa habere, conficitur. At vero ait, quod hæc latibula non prodesse fugitiuis Iudæis, quo minus comprehendatur ab hostibus suis, *Scrutans*, Deus translatitie dicit scrutari, vt est illud, scrutans corda, & renes Deus. Deus autem nihil scrutatur siquidẽ scrutari est per manifesta, abdita inquirere, Deo autem nihil abditum: quippequi omnia habeat in suo pro-

Non semper infernus inscriptura significat Gehennam.

Quomodo dicatur scrutari Deus.

prospectu, & præsentia, & præterita, & futura, vt nos abunde in. 1. nostro senten. lib. differuimus. Quatenus tamen Deus manifestat absconditissima quæque eatenus, dicitur scrutari. *Etsi celauerint se ab oculis meis in profundo maris, inde mandabo serpẽti, & mordebit eos.* Hoc intellige ex hypothesi, idest si esset possibile, quod in profundo maris se abscondentes viuerent, nõ essent etiam tunc tuti ab iram ea. Quia *Mandabo*, idest ex mea dispositione à serpentibus, seu piscibus grandibus vt sunt cete, deuorabuntur. Vt deuorauit cetus Ionam demersum in profundum maris.

Sermo hipothetic⁹.

¶ Quod vero ex hypthesi sit audiendus locus est satis manifestum, sicut ille locus Psal. 138. si ascendero in cœlum, quia nullus hominum potest viuere, in profundo existens mari, vt neq; Dauid poterat ascẽdere in cœlum. Sed intelligit si esset possibile. Quod vero ait, si se celauerint, vel subduxerint oculis meis, ne intelligas, esse possibile, nos subducere ab oculis Dei, cui omnia nuda sunt, & aperta: Sed intellige si se subduxerint ab oculis Dei, ex sua scilicet intentione, hoc prætenderint vana delusi opinione, quod se possunt abscondere à diuino cõspectu. Vt quidam Ionã Dei vatem credidisse, arbitrantur, quãdo fugam arripuit in Tharsum. Hæc igitur & alia similia in sacris scriptis verba non sunt sumẽda in sensu quem faciunt, sed in sensu in quo fiunt vt sæpe admonuimus. *Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos super eos in malum.* Sermo est de captiuitate Babylonica, & prædicit Iudæorũ principes, & nobiles, qui in propria patria non sunt occisi prophetat sub captiuitate Babylonica degentes esse tandem occidendos & tandem propositione generali concludit, Iudæos perdendos, quia Deus est iratus contra eos. Hoc enim est quod ait, & ponam oculos meos, super eos in malum, idest contra eos erit iustitia mea, vt vindictam sumam de suis sceleribus. *Et Dominus exercituum, qui tangit terram,* & tabescet: & lugebunt, *Omnes habitantes in ea.* Quod dicit tale est, quod si non creditis Deum posse, mala, quæ hactenus dixi vobis inferre scitote Deum esse omnipotentem; vt vobis hæc & multo grauiora inferat mala. ¶ Siquidem si vellet tangere terram, tota liqueseret. Et duritiẽ eius vertet in liquorẽ. Si vellet eam liquefacere: Tactus diuinus quod scias, est eius occultissima operatio. Vnde illud, tãge montes & fumigabunt; quia si Deus volet, montes præruptissimos vertet in fumum. Omnia enim parent suo imperio: ab ipso enim vniuersa habent suum esse, quocirca sunt omnia in manu Dei, vt massa luti in manu figuli, vt ex Paulo, Rom. 9. & Isai. 45. admonemur. *Et ascendet sicut riuus omnis, & decidet sicut fluuius Ægypti.* Idest Deo subest, totam terram aquis obruere vt Nilus, Ægypti terram obruit. Et Deo item subest, obrutam aquis terrã siccare omnino vt siccat Ægyptiaci fluminis inundationes & ca. 8. Nili etiam meminerat & ad Iudæos tenditur sermo hic vt ad Israelitas sermo idem c. 8. vt sit sensus. Vos Iudei instar Nili, qui est Ægypti fluuius intumuistis valde, & magnas habuistis accessiones, opibus & regno florentes, at vero, habebitis etiam instar eiusdẽ fluminis vestras decessiones, & defluxus. Ægypti fluuius statis tẽporibus valde increscit, & rursus ipse, valde minuitur, vt non extet eius accessio. Et quia Iudæi ex magna gloria, erant dejecturi per Chaldæos, ideo cõfert eos Nilo. Et tũc vos lugebitis, qui terram hanc incolitis, nam videtur, hæc clausula, iungenda cum modo exposita. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit.* Ascensio gradibus distinguitur, & quia cœlestes sphæræ sunt item distinctæ, quædã enim est infima, vt lunæ, aliæ intermediæ vt aliorum planetarum, alia suprema, vt empyreum cœlum, ideo ait, Qui ædificat in cælo, idest qui cœlestem regionem distinxit mirabili ordine, vt videatur in ea graduum, idest cœlestiũ globorum maximus ordo, inferiorum, & superiorum. Vocat autem ascẽsionem Dei, non quod Deus possit vel ascendere, vel descendere, quippequi vniuersa sua diuinitate replet: sed quia cœlestes globos, cœlestiumque globorum ineffabilem ordinem ipse sua infinita sapientia fecit. *Et fasciculum,* vocat fasciculum Dei elementariam molem, quæ tota terræ videtur inniti. Nam terra est veluti basis omnium elementorum. Nam supra terram, condita fuit aquarum magnitudo, & super hanc aëris vastitas; & super hanc ignis sphera residet. Quia autem elementa, sunt inuicem coniũcta, & colligata, vt virgę in fasciculo ideo confertur elementorum

Matt. 12. Ionæ. 2.

torum machina fasciculo. In fine cap. huius aliã addemus expositionem. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, dominus nomen eius.* Denarrarat, hactenus, tria miranda valde Dei opera, primum, quod potest si volet terram totam liquefacere, siue resoluere in liquorem. Secundo, quod ædificat in cælo ascẽsionem suam. Tertium, quod à tria elementa, constituit super terram. Nam locus aquæ natiuus, est super terram, & locus aeris super aquam, & locus ignis est aeris sphera. Quartum addit modo, quod Deus effudit aquas maris super terram, scilicet, quod Deus per Solis, & stellarum calorẽ, aquas maris vertit in vapores qui sursum lati in aeris mediam regionem, ex nimia frigiditate, quæ ibi viget, cõdensantur in nubes, & condensatæ nubes, resoluũtur in aquas stillantes super terram. ¶ Inter hęc autem quatuor sublimia Dei opera, vnum est supernaturale, videlicet tabefacere, siue liquefacere terram: nam si Deus feciſſet, supra naturam faceret: reliqua vero sunt naturalia opera, verum miranda valde. ¶ Et hæc omnia eo tendunt quò duabus tribus bus persuasum sit, Deo esse omnipotentiam ad puniendũ acerbissimis pœnis suos offensores; vnde Deum timeant, & non insolescant, contra omnipotens numen.

Vt elemẽta sunt naturaliter locata.

Moralis sensus.

¶ Si moralia amas, ædificat Deus Ascensionem in cælo, quãdo fideles suos ad pœnitentiam vocat, & ad amicitiam suam reducit. Tunc enim fideles, Dei ope adiuti ædificant Ascensiones in cælo. Siquidem per sancta opera, promerentur vita temporali expleta, in cælum conscendere. Et quo quisque sanctius operatur, eo maiorem Ascensionem in cælo consequetur. Ædificarunt Ascensiones has, sancti Apóstoli sua prædicatione fidem Christi plãtantes, sancti Martyres sanguine suo fidẽ Christi illustrãtes & sancti doctores, suis doctrinis illam defendentes, & omnes denique fideles qui fidem quam profitentur voce operibus demonstrant, has Ascẽsiones in cælo ædificant. ¶ Itemque Deus fasciculos facit super terram, sunt enim fasciculi omnes electi, iuxta illud, fasciculus myrrhæ dilectus meus: Omnes igitur dilecti à Deo, qui sunt omnes electi, sunt fasciculi myrrhæ. Myrrha enim, & habet amaritudinem & suauem odorẽ. Ex amaritudine sua præseruat à corruptione, & ex suaui odore, cadauerum fœtores purgat. Electi quoque à Deo ex Dei gratia, & ex propria diligentia, opera mortua quæ sunt peccata, à se depellunt, & odorem bonorũ operum in alios fideles diffundunt, vnde fasciculus myrrhæ huiusmodi, erat Paulus, qui aiebat, Christi bonus odor sumus. ¶ Hos fasciculos fecit Deus super terrã, siquidem electi à Deo & dilecti, quanuis corpore degant in terram, animo tamen sunt super terram. Paulo testante cõuersatio nostra in cælis est. Reprobi autem nõ sunt fasciculi myrrhæ sed fasciculi delitiarum, siquidem, nolunt amaritudinem virtutis, quæ amaras habet radices, nam ars & virtus versantur circa difficile. Amarum enim est restituere male parta: & amare inimicos, illisq; benefacere, & amarum, à carnalibus deriliq; abstinere desiderijs, ideo reprobi, has respuũt myrrhæ cælestis amaritudines, eligunt quę potius deliciari in hoc seculo. vt aiebant illi apud Isaiam, edamus, & bibamus cras enim moriemur, & alij illis suffragantes. Non sit pratum quod non pertranseat anima nostra. Isti igitur fasciculi secularis voluptatis, non sunt super terram, sed subtus terram, siquidem, terrenis desiderijs subduntur, & ad cælestia non aspirant; quia non consurrexerunt cum Christo, vt quæ sursum sunt quærãt, quæ sursum sunt sapiant, sed solum sapiũt terrena, & mundana cõcupiscunt isti sunt fasciculi Matth. 3. *Nunquid, vt filij Æthiopum vos estis mihi qui sunt alligandi ad combuxendum filij Israel, ait Dominus? nunquid non Israel, ascẽdere fecide terra Ægypti, & Palæstinos de Capadocia?* Obstinatissimos esse Israeliticos ostendit vates (& nũc per filios Israel, duodecim tribus subaudit.) Quippequi multis donati beneficijs, insaniebãt cõtra Deũ. Et cõfert illos Æthiopibus. Isti enim nunquam mutant colorem, instar quorum Israelis filij nunquam mutabant mores, idemque referri potest ad obstinatos in suis peccatis fideles, & illis occinere, quod vates Israelitis occinit videlicet filij Æthiopum estis vos similis sermone taxat Ierosolymitas Ieremias, dicens, si potest pardus mutare varietates suas, & Æthiops pollem suam, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum: insinuat esse impossibile, quod Deo possibile est; at quia homini est admodũ difficile inueteratos demutare mores, ideo Ieremias, huiusmodi mutationem confert

Galat. 3.

Philip. 3.

Isai. 22. Sapien. 2.

Iere. 13.

Cantic. 1.

confert rebus impoſsibilibus ex natura ſua videlicet Æthiopis dealbationi, &c. Et nunc noſter vates, idem inſinuat, dicēs duodecim tribubus, A Ethiopum filij vos eſtis mihi &c. ¶ Rectè nanque dixit Ariſtot. conſuetudinem, eſſe alteram naturā, ſiue in bonis hæreat conſuetudo ſiue in malis, vt ſupra fuit à me ſatis diſſertum. *Nunquid non* Refricat memoriam ſummi beneficij Patriarchæ Iacob, & ſuis filijs impenſi, vt ex refricata memoria beneficij, ingratitudinis grauitas pateſceret. Et hoc beneficium, & prophetæ, & Pſalmi ſæpè repetunt, vt maximum, & ſingulariſsimum filijs Iſrael collatum. *Et Palæſtinos de Capadocia, & Syros de Cyrene?* Porrò quiā ſibi valde gratulabantur Iſraelitæ, ideſt, duodecim tribus, in beneficio commemorato, retundit eorum gratulationē, dicens. *Et Palæſtinos*, ideſt, ne efferamini contra alias gentes ex hoc beneficio, nam etiam ego Paleſtinos aſcēdere feci de Capadocia, & Syros, ex Cyrene. ¶ De Capadocia fit mentio Geneſ. 10. Sub voce Capthorim: etſi ibi nō fit mentio, quod Dominus eduxerit *Paleſtinos* ex Capthorim. ¶ Cyrene autem eſt nomen ciuitatis Aphricæ. 4. Reg. 16. quæ alio nomine vocatur Pentapolis, ex quinq; vrbibus quibus fulget. Hæ ſunt Heſperia, Apollonia, Ptolemais, Arſinoe, atque ipſa Cyrene, vnde tota pentapolis, appellationem cepit, quæ eſt omnium clariſsima lege Pompo. Mela. lib. 1. & Plini. lib. 5. cap. 5. huius mentio fit Actor. 2. At vero ex hiſto. ſacra aliàs, non habetur quod Deus Syros traduxerit ex Cyrene: ſed ſolum ex hoc loco, vnde videtur, rem hanc tunc fuiſſe notam cunctis Hebreis: nam vt rem notā, vates illius mentionem facit. *Paleſtinos*, ideſt Philiſtæos, & quantum arbitror ſenſus germanus hic eſt, ego eduxi vos de terra Ægypti, ſicut Paleſtinos de Capadocia & Syros, de Cyrene, & quales iſti, tales vos, iſti enim ingrati ſunt mihi, neque me morantur beneficij illis impenſi, itemque vos. Vnde quos dixerat ſimiles Æthiopibus, ob obſtinationem, nunc ſimiles inſinuat eſſe Philiſtæis & Syris ob ingratitudinem: nāque iſti omnes idololatræ erāt. *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* Dixerat ſuprà, *Ponam oculos meos ſuper eos, in malum & non in bonum*, expreſsius, idem modo repetit, prædicens, regnum vtrumque, & Iudæorum, ſiue duarum tribuum, & regnū decē tribuum eſſe à Deo abolenda, quia vtrūque regnum, erat regnū peccans: ſub appellatione autem regni, & caput, & membra regni intelligit. Quia vt Iſaias ait cap. 1. loquens de regno Iuda, à planta pedis, vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas, ſiquidem principes, & populares omnes erant legis diuinæ violatores: & eodem morbo, quo regnum Iuda laborabat, regnum Iſraelitarum, ſeu decem tribuum, & conteram, verè fuit contritum regnum decem tribuum, quia omnino fuit abolitum ſub Oſea rege Iſrael. 4. Regum. 17. *Verum tamen conterens non conteram Iacob, dicit Dominus*, ideſt, etiamſi abolebo regnū Iſrael, at vero non omnes peribunt Iſraelitæ, ſed aliquot ſeruabo ex eis. ¶ Obijcies forſan principio huius capitis dixiſſe vatē, Deū maiores & minores perditurum prorſus, quomodo ergo ait, modo, ſe non deleturū Iſraelitas omnes? ¶ Reſpondetur, quod ſufficit ad concordiā vtriuſque loci, quod maxima pars filiorū Iſrael fuerit peſſundata, & minima fuerit ſalua, vt ſufficit ad veritatem huius, in omnem terram exiuit ſonus eorum, quod in maximam partem orbis, prædicatio Apoſtolica fuerit diuulgata: & nō eſt neceſſe quod Apoſtoli prædicauerint in quolibet angulo terræ. *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur in cribro, & non cadit lapillus ſuper terram.* Explicat quod dixerat, & confirmat quod nos dudū expoſuimus. Ait enim, eſſe cribrādos filios Iacob, ſicut frumēta in vanno excutiuntur. In huiuſmodi autem exuſsione, paleæ, & puluis, & zizania cadere ſolent: at vero, neque frumentum, neq; lapillos caſuros dicit. Ita quoq; Iſraelitę reprobi in diſperſione inter gētes Aſſyrias, & Chaldæas, & alias nationes, quorū eſt maxima multitudo excutientur à vobis: cæterum electi ſeruabuntur. Alludit ad verba Ioan. loquentis de Chriſto, cuius ventilabrum in manu ſua, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili Matthæ. 3. Sicut autem ſuperant paleæ frumenta, ita numerus reproborum excedit numerū electorum. Igitur lapillus hoc loco iuſtos denotat ob firmitatem, & perſeuerantiam in ſanctis operibus, alij vero referunt, ad verba Dei, quæ firmiſsima ſunt ſicut lapis,

Capadoci. Cyrene.

Strabo. libro. 17. & Amianus Mar. lib. 22.

pis, vt verbum Dei quod eſt Chriſtus is vocat lapidem. At dicet aliquis cum excutiuntur frumenta vanno, etiam lapides & globuli terrei excutiuntur, qua ratione ergo ait non cadet lapillus ſuper terrā? ¶ Ad literam ergo lapillus hoc loco non materialem, ſed myſticum ſignificat, videlicet iuſtos & electos: quos Petrus lapides viuos vocat. 1. Petri. 1. ſenſus igitur eſt, quamuis ſitis diſpergendi in nationes barbaras, iuſtos & pios ego ſeruabo vt ſeruauit Tobiam in Niniue. *In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt nō appropinquabit: & non veniet ſuper nos malū.* Non credebant impij ſanctis Prophetis, ideo quidam dicebant ex eis quod mala quæ prædicebantur, procul erant, aliqui ait bant illa nunquam eſſe futura. ¶ *In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius: & ea quæ corruerant inſtaurabo: & reædificabo eum ſicut in diebus antiquis.* Locus hic gratiam euāgelicam præmonſtrat. Enim vero, nō poſſumus locum hunc intelligere, de reædificatione corporali regni Dauidici. Etenim poſtquam ſemel fuit abolitum ſub Sedechia, nunquam amplius fuit reſtauratum ad gloriam priorē, qua fulgebat ſub Dauide, cui ſubditæ fuerūt duodecim tribus, & gentes finitimæ, vt Idumæi. Porrò in Chriſto filio Dauid fuit reſtauratum hoc regnum & reædificatum teſtante Gabriele. Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis. Non ergo fuit reſtauratum corporaliter, ſed ſpiritualiter, ſiquidem omnes nationes Chriſto colla ſubdunt, & tandem corporaliter etiā ſubdentur, in die iudicij, quādo infideles omnes, recognoſcent vel inuiti Chriſti imperium ſuper omnem creaturam. *Sicut in diebus antiquis.* Minus eſt quod dicit, quam quod inſinuat. Nanque regnum Dauidis materiale, etiamſi fuit valde gloriōſum, at vero neutiquam conferendum in gloria, cum reſtaurato regno in Chriſto. Siquidē Dauidis regnum nō ſe protulit ad omnes orbis gētes, ſed ad duodecim tribus Iſrael, & ad quaſdam finitimas nationes. At vero regnum Chriſti in totum orbem, propagatum eſt. Item illud regnum, erat ſolum corporum, hoc vero & corporum, & animorum, quippe quod eſt regnū Dei. Cuius eſt, & animā, & corpora. Adde, quod regnum Dauidis, fuit primo diuiſum per Ieroboan & tandem extinctum per Chaldæos; at regnum Chriſti extingui non poteſt; vt Angelus prænuntiauit Mariæ, & regnauit in domo Iacob in æternū, ideſt, in eccleſia Chriſtiana, quæ eſt domus Iacob myſticè, ſiquidem fideles ſunt myſticè filij Iſrael, non ſecundum carnem ſed ſecūdum ſpiritum vt Paulus ait. Rom. 9. Et concinit præcurſor Domini dicens, Potens eſt Deus ex lapidibus iſtis inſinuans gentes infideles, ſuſcitare & facere filios Abrahæ. Matth. 3. ſcilicet per imitationem fidei, quæ primo reſplēduit in fideli Abraham: qui credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam Rom. 4. Vnde Dominus, retundens gloriam Iudæorū, quod erant filij Abrahæ, dixit, vos ex patre diabolo eſtis. Quaſi dixiſſet vana eſt veſtrę filiationis gloriatio, non eſtis verè filij Abrahæ, cuius non ſapitis mores, potius filij diaboli eſtis, cuius imitamini malitiam. ¶ Reſtauratio porro huius regni Dauidis, in Chriſto, qui eſt filius Dauid ſecundum carnem, eſt diſsipatio omnium regnorum mundi, ſiquidem tandem poſt multa regna, hoc ſolū erit Chriſti regnū, quia poſt diem iudicij regnabit ipſe ſolus, abolitis vniuerſis regnis mundi. Vt in ſtatua illa ex auro argento, ferro, & luto conflata (quam lapillus vnus, ſine humana induſtria, aut vi, cadens ex monte, ſubuertit totam, & in fauillam redegit,) ſatis eſt adumbratum. Nam Chriſtus qui eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali, ſine ſemine virili de intemerata virgine naſcens & exaltatus in cruce, & reſurgens à mortuis, & ſcandens tribunal dextræ Patris, omnia traxit ad ſe. Et quanuis multi non ſunt tracti trahentur tandem; & qui voluerint trahi, in perpetuum inferni carcerem detrudet eos. Et tum in die iudicij, ſtatua comminuetur, in fauillamque redigetur; quippe regna mundana ceſſabunt, & cæleſte Chriſti regnum ſolum æternò perſiſtet. ¶ Hic igitur locus, ſolum de regno Chriſti eſt intelligēdus, vt diſſertum eſt. Et Diuus Ambroſius de eodem tredit intelligendum lib. 2. de vocatione gentium cap. 7. in hæc verba. His & alijs teſtimonijs ſcripturārum, non dubie demōſtratur, iſtam ditiſsimam, potentiſsimam, benigniſsimam gratiam, quain nouiſsimo mundi tempore, omnes gētes in regnum Chriſti vocantur: prioribus ſeculis in occulto Dei abſconditam fuiſſe conſilio.

Regnum Chriſti regnum æternum.

Eccleſia eſt domus ſeu familia Iacob myſticè.

Ioan. 8.

Regnum Chriſti vniuerſa mundi regna abolebit.

Dan. 3.

Gloria regni Chriſti ſuperat Dauidici regni gloriam: imo maieſtatē omniū regnorum.

lio. Imo certissimum est locum hunc referendum ad Christi tempora, etiã Iacobus Actorum. 15. hunc locum indicat in fauorem Christianæ religionis. ¶ *Vt possideat reliquias Idumææ, & omnes nationes eo quod inuocatum sit nomen meum super eos: dixit Dominus faciens hæc*, vt scilicet Israelitæ electi, quos seruandos à Deo esse prædixit, possideant reliquias Idumæorum sub restaurato Dauidis, per Christum regno. ¶ Sunt autem isti, quos hic insinuat, possessuros reliquias Idumæorũ, sancti Apostoli, & alij discipuli Dñi, qui fidei subiugarunt vniuersum orbem, & redegerunt in ditionem suam. Nam fideles subduntur ditioni prælatorum, qui sunt successores Apostolorum. Dixit autem reliquias Idumææ, hoc est nõ conuertẽt omnes Idumæos, sed partem eorum. *Omnes nationes* distributio est pro generibus singulorum, & non pro singulis generum. Siquidem, multi non crediderunt euangelio, neque modo omnes credunt: Paulo testante Roman. 10. Non omnes obediũt euangelio. & experientia commonstrante, immensam turbam infidelium. Verũ ex omni natione, plerique multi crediderũt, vnde Ioan. in Apocal. 7. ait. Post hæc vidi turbam magnam, ex omni tribu & natione &c. Est autem inuocatum nomẽ Christi quod est nomẽ Dei super Apostolos, & omnes fideles, qui omnes dicũtur Christiani vt olim super Hebræos fuit inuocatum nomen Dei, nam appellabantur Israelitæ ad Israel, quod interpretatur fortis cum Deo, *dicit Dominus*, ideſt certa pronuntio, quippe quæ ex ore Dei pronuntio, qui fallere nequit, vt neque falli: quia est ipse omnipotens, ideo faciet sine impedimento vllo, quæ dixerit se facturum. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ, mittentem semen: & stillabunt montes dulcedinẽ & omnes colles culti erunt.* In explanatione ad Ioelem, hæc exposuimus. Per hæc autem corporalia adumbrat vates copiã affluentissimam bonorum spiritualium futurarum sub tempore euangelij. Enim vero, quando messis durat vsque ad arationem, & quando qui vuas calcat persequitur calcandi vuas officio, vsque ad seminis iactationem, siue vsque ad seminationem maxima est frugum vbertas, ideoque dubitat figura sermonis euangelicæ gratiæ vbertatem demonstrat vates. ¶ Montes dicens stillare dulcedinẽ, si ruderarijs apũ essent refertissimi, & item colles, dicerentur stillare lac, si greges in eis pasti, ibidẽ exprimentibus vbera, lac dedissent; itaq; continente pro contento ex metonymia vsurpato, veram feciſſet qui sic loqueretur locutionem. ¶ At vero multo profundior est Prophetæ sensus: quia ad Apostolos ecclesiæ principes refert sermonem: qui prædicarunt primi euangelicam gratiam. Et quidem nihil dulcius stillare potuit humano generi, quam stillare ei remissionem omnium criminum per gratiã Iesu Christi, & apertionem ianuæ cælestis. Et nullum lac suauius potuit fugere humana natura, quam audire, quod peccatoribus lapsis post baptismalẽ gratiam, ad hoc restabat secunda tabula post naufragium, quæ erat sacramentum pœnitentiæ. Quod non semel, sed toties quoties homo peccat repetere liceat. *Colles culti*, ideſt, inferiores culti cultura spirituali erunt. Hebraicè colles liquescent, ideſt, stillabunt suauem liquorem, spiritualis gratiæ ecclesiæ doctores. *Et conuertam captiuitatem populi mei Israel. & ædificabũt ciuitates desertas, & inhabitabunt, & plantabunt vineas & bibent vinum earum: & faciẽt hortos: & comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltra, de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus*, de captiuitate Israelitarum, ideſt, decem tribuum hæc verba nõ possunt aptari, siquidem illa captiuitas fuit perpetua vt sæpe dictũ est. Neque captiuitati duarum tribuum, siquidem ait, & non euellã eos vltra de terra sua: at vero cõstat eas fuisse auulsas de terra Iuda. Nã dispersi sunt per nationes, post Romanã captiuitatem. Ideo congruentior est referre literam ad tempora Messiæ, ædificare autem ciuitates desertas, nihil aliud est, quam ciuitates gentium desertas à diuina gratia, in gratia Dei stabilire, plantare itẽ vineas spirituales, non est aliud quam plãtare fidem Iesu Christi in cordibus hominum aridorum vt Paulus aiebat. Ego plãtaui, Apollo rigauit, Deus autẽ incremẽtum dedit. ¶ Bibere autem vinum ex eis, est cum gaudent doctores sancti, de profectu discipulorum in via Dei, vnde Paulus, vos estis gaudiũ meũ, & corona mea in die Domini, facere autẽ hortos, qui sua amœnitate dẽlectent, & refocillent autores, est ordines varios monasticos excogitare,

Fideles sunt sub diuisione spirituali prælatorum.

Distributio pro generibus singulorũ obseruãda in scriptura.

1. Cor. 1.

Philip. 4

tare ad maiorem meritorum celsitudinẽ comparandam. *Et plantabo eos super humũ.* Est autem humus super quem sunt plantati fideles omnes euangelica doctrina, & ab hac nũquã euellẽtur, quia portæ inferi non prævalebunt aduersus eã. ¶ Superest modo referre pedem, in superiora huius capitis verba, quæ prædiximus in calce capitis huius esse aliter à nobis exponenda, quam sunt ex sensu vulgato exposita, illa inquam verba. *Et fasciculum suum super terram fundauit.* Puto autem per hunc fasciculum esse intelligendum templum Salomonicũ. In fasciculo enim multa ex vno vinculo colligantur in vnum, at in tẽplo illo congregabantur, & sacerdotes, & populares ex vinculo veræ religionis ad colẽdum verum Deum: & templum deniq; illud erat velut vinculum continens eos. Et quia templum illud correspõdebat in terra locatum, cœlo superne constituto vt mox referabimus, ideo videtur verbis illis. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam*, correspondere aptè, & in terra fundauit templum suum, quod erat quasi cœlum terrenum. Referebat enim cœlum supremum propter sancta sanctorum quæ in eo erant. Nanque ibi erat arca, & duo Cherubim se mutuo aspicientes, astantes propitiatorio: quod erat quasi sedes Dei, circundata duobus Cherubinis. Quæ adũ brabant Deum in cœlis residentem, cui Angeli innumeri assistunt, & Deũ ipsum, inuisibilem esse, quia supra sedem nullius creaturæ imago erat. Arcaque clausa, diuina consilia nobis abditissima esse subnotabat vt latius traditur à Nicolao Exod. 25. & Græca lectio huic sensui congruit. Quæ sic habet, *Et repromissionem in terra fundans.* At vero in templo illo verè fundauit Deus promissiones suas: quia vt ex 3. Reg. docemur Deus promisit ibidem quidpiam postulantibus, postulatorum impetrationem. Et propitiatoriũ ex ipso nomine, petentibus propitiationẽ pollicebatur. ¶ Libet autem translationẽ Chaldaicam, huc vocare, quam refert benedictus in suis cõm. vt maiori luce hæc quæ vates pronuntiat donẽtur: quæ sic habet.

Matt. 16.

Et Dominus Deus exercituum qui increpat terram, & turbat eam, & vastantur omnes habitantes in ea: & abducit super eam regem, cũ exercitu suo qui plurimus est, vt aquæ fluuij: & obtegit eam omnem; & absorbetur vt fluuius Ægypti. Qui ponit in altitudine fortitudinis maiestatem gloriæ suæ: & congregationem suam super terra colligat. Qui dicit cœtui exercitui plurimorum vt aquæ fluuij, & dispergit eos super faciem terræ. ¶ Pro eo quod nos legimus, *tabefacit*, Chaldæus transtulit, *increpat* pro *lugebant*, *vastabuntur*, & cætera similiter poteris inuicem conferre. ¶ At vero pro eo quod habet Hebraica littera ædificat in cælo ascensionem suam, Chaldæus intellexit, quod Psalmus tecinit, altissimum posuisti refugium tuum. Nam idem est quod ait Chaldæus Paraphrastes, qui ponit in altitudine fortitudinis, ideſt in loco fortissimo, & altissimo collocauit sedem maiestatis gloriæ suæ. Quanuis enim Deus sua infinitate omnia impleat, at vero in cœlo solum demonstrat maiestatem gloriæ suæ. Vnde ob eã causam Deum cõfitemur esse in cœlis. Et Dominica precandi forma, sic habet, pater noster qui es in cœlis. Et Aristoteles dixit confessum fuisse omnibus Philosophis, cœlum esse sedem Dei, quia immortalis locus Deo immortali congruit. Similiter quod dixit vates, & fasciculum *suum in terra fundauit*, Chaldæus vertit, *Congregationem suam in terra colligat.* Quæ trãslatio non longe abest à nostra expositione, siquidem in templo illo Salomonico, populus ille, quotannis tenebatur apparere ter, & ibi omnes colligebantur ad cultum Dei, aut hoc dicit, quia postquam dispersi Hebræi sunt in omnes nationes Deus suos electos, sibi colligebat, & seruabat in cultu, & fide sua, vt dixerat supra vates. *Et concutiam in omnibus gentibus &c.*

Translatio Chaldaica ab eo loco & Dominus Deus exercituũ.

1. de cælo. tex. cõ. 22. 2. de cælo. comm. 2.

X EXPLA-

EXPLANATIO MICHAELIS DE PALATIO in Abdiam Dei vatem.

Prologus in Abdiam Prophetam.

NVNC Abdiam, Hiero. ex Hebræorum traditione, ait fuisse illum cuius mentio fit. 3. Regum. 18. Qui pauit centum Prophetas Dei, latitantes in specubus ob metum impiissimæ Iezabelis, quæ interfecerat multos Domini Prophetas. ¶ Hic ergo Abdias cum esset dispensator domus regiæ Achab, veritus Dominum Deum, Prophetas latitantes, pauit: quando fames vehemens premebat Samaritas, ob idq; credit Hierony. Abdiam promeruisse gratiam Prophetandi, quia ipse pauit sub fame vehemẽti, & sub magno vitæ discrimine laborantes Dei Prophetas. Sicut scriptum est Matth. 10. Qui recipit Propheta nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet. Hic ergo mercedem Propheticam consequutus est, promotus ad sublime Prophetadi munus. ¶ Epiphanius autem lib. de vitis Prophetarum, cui consensit Isidorus lib. de Patribus vet̃eris testamenti, hunc fuisse creduntillum semicenturionem ducem, qui cũ quinquagenis coram Elia, & impetrauit salutem ab Elia, post quam alij quinquagenarij fuerant igne de cœlo delapso deusti. 4. Reg. 14. Tradunt autem hunc fuisse ortum in Sichem, vnde putant fuisse de genere Israelis, quia Sichem Metropolis erat Israelitarum differunt autem, quod Isidorus putat sepultum in Sebastea ciuitate, idest Samaria, quæ appellata est ab Herode, Antipatris filio Sebaste, idest augusta in honorem Augusti Cæsaris. ¶ Epiphanius vero fuisse sepultum in agro Bethacamar, aurumat. Est autem hic ager in regione Sichimorum. ¶ Rursus ex Hebræa traditione fertur hunc vatem fuisse Idumæum genere, at vero commotus beneficio Eliæ disciplinam Eliæ amasse, ideoque fuisse proselytum, & se transtulisse in religionem Iudaicam, & illũstratum fuisse lumine Prophetico. ¶ Sub quo autem tempore Prophetauit, creditur a multis sub Ieroboam filio Ioas, sub quo & Amos. Siquidem apud hos regula illa probatur, cuius Prophetæ, non signatur Prophetiæ tempus, referendum est ad tempus proximè qui præcesserit vatis. At vero Amos sub Ieroboam, edidit vaticinium, sub eode, n igitur & iste. At verò, quoniam veritatis continet hoc documentum in superioribus est definitum: ideo ab alijs probabilius coniectum tempus vaticinij Abdiæ esse ignotum, & ab Hebræis quibusdam ita creditur. Neque vacat ab ambiguo, quod fertur traduxisse Prophetasse Abdiam sub Ieroboan filio Ioas. Siquidem Abdias dispensator regiæ domus fuit Achab, regis Israelis, & dux semicenturio, illius quinquagenarij, qui fuit seruatus Eliæ benignitate & lucis Abdiæ humilitate. Vixit igitur sub Achab vt patet; at vt videtur qui erat dux, & dispensator, non erat admodum iuuenis vt videtur, quia huiusmodi munia, quæ sunt insignia in domo regis, non admodum iuuenibus, sed prouectioribus committuntur. At vero ab Achab rege Israel, vsque ad Ieroboan fluxerunt anni. 75. vt patet calculanti regum intermediorum tempora, quod si verbi gratia, sub Achab erat Abdias annorum. 30. quod quidem nos

Genus Abdiæ ex Epiphanio, & Isidoro.

ad minimum Prophetauit anno ætatis suæ. 85. quod quidem nos latet, quod si erat quadragenarius, Prophetauit, iam valde senex annos natus. 95. quæ omnia cum sint valde ambigua, ideo dixi rem hanc non vacare ab ambiguitate, quo scilicet tempore hic vates claruerit vaticinio. Neque videtur ex scripturis esse perspicuum. ¶ Interpretatur autem Abdias seruus Domini, & legitimo nomine suam illustrat Prophetiã, scilicet serui Dei vt Paulus suas epistolas, ex cognomine serui Iesu Christi, ideoque rectè Græcè appellatur Pheroninus, idest habens congruum sibi cognomen, vt Stephanus ex martyrij triumpho, coronati nomen aptè sibi vendicauit.

Argumentum in Abdiam.

PROPHETA vates hic contra Edom, idest Idumæos, horum exterminium prædicens, quia animo hostili infectabantur Israelitas illis cognatos: & prosperæ Iacob, idest duabus tribubus prænunciat.

EXPLANATIO IN ABDIAM PROPHETAM CAP. Vnicum.

VIsio Abdiæ titulus est prophetiæ diuersus à titulis præcedentium prophetarum, qui exordiuntur, sua vaticinia à verbo, at istud verbũ mentale erat verbũ, quod & visio, seu reuelatio Dei est. Admonuimus sæpè visionem propheticã appellari auditum etiã propheticũ. Siquidẽ hæc visio nõ est sensus visus, sed est actus intellectus illustrati lumine prophetico, ideoque quatenus est accepta ex Dei magisterio, rectè appellatur auditio, seu auditus, vt mox vocabit eam propheta dicens. *Auditũ audiuimus à Domino*, vt autẽ refertur ad res ipsas quas vates prophetat, vocatur visio, vnde ex actibus sensuũ, denominatur prophetia, scilicet ex auditu, & visu. Ierem. autem. 49. auditus solum vocatur, & non visio. Nam Abdiæ vaticinium contra Idumæos, idem est apud Ierem. ca. prædicto. & apud Ezec. 35. & Isai. 34. & 24. Porro visio & auditus, pphetia appellatur propter duo, & quia sensus exterior habet operationes certissimas quales non habet sensus interior, qui sæpè fallitur: ideo prophetia quæ est certissima, ex certissimis nostris actibus denominatur. Et præterhæc, quia cum intellectus sit eminentior sensibus, horũ continet perfectiones, ideo operatio intellectualis, quæ simplicior & certior est ex actibus sensus exterioribus appellatur. ¶ Quibus adde tertiam rationem, quia familiare est diuinis autoribus ex sensibilibus nos promouere ad diuina; quia congruit hæc methodus doctrinæ, humanæ naturæ, ideo ex visu, & auditu, vocant prophetias suas vt ex notioribus nobis, diuina nobis occulta discamus. *Audiuimus* loquitur in plurali quia exterminium Idumææ, fuit prædictum etiam per alios prophetas Isai. Ierem. Ezech. *Hæc dicit Dominus Deus ad Edon.* Enarrat suã visionem, seu reuelationem, quã nequis despiciat, vt ex suo cerebro confictã, explicat suæ visionis autorem esse Deum; qui neque fallere, neque falli potest. Quare conficitur summa attentione esse audiendum, quod ipse proponet, siquidem, Deo docente & reuelante, ipse accepit. *Ad Edom*, Edom Seir, & Esau, sunt nomina eiusdem personæ scilicet Esau, & item regionis Idumææ Geneſis. 32. & 36. fratris Iacob vterini, qui ambo fuerunt filij Isaac, & Rebeccæ dictus Edom, idest rufus vel sanguineus, propter decoctionẽ rufam, quam emit à fratre ex qua vt ex pretio vendidit primogenita sua. Etsi Hieronymus in prologo, propter ruborem credat, dictus Edom. Abhoc autem, appellata est regio in Syria, Idumæa. 3. Regum. 11. Isaiæ. 24. Alias vocatur Gabalene, & Amalechitis, ab Amalech, velut Iosephus lib. 2. cap. 1. indicat. De qua iã multa indicauimus in explana. ad Amos cap. 1. Seir item vocatus, est & interpretatur pilosus siue hirsutus. Vnde mons in

Abdiæ & Iere. vaticiniũ fere idem contra Idumæos.

Gen. 25. Idumæa Gabalene & Amalechitis.

Idumæa, qui ab Esau eius accola, & possessore, nomen accepit. Cuius fit mentio Gene. 14. Deu. 2. & sæpe alias. *Ad Edom*, ideſt contra Idumæos. *Auditum audiuimus à Domino*, iam expressimus locum. *Et legatum ad gentes misit*, legatum ideſt legationem vocat legationem executionem diuinæ iustitiæ & vltionis contra Idumæos, quam Deus per gentes scilicet per Chaldæos, & Assyrios operi mandauit. Quia igitur Deo disponēte gentes istæ sunt excitatę ad desolandum Idumæos, ideo ait legatum misit ad gentes, ideſt iam disposuit operi mandare, quod æternò decreuerat & vtitur hypotipoſi, vt rem quā agit, euidentiorem ex sensibilibus faciat.

Hypotipoſis in scriptura.

¶ Quando enim legatus mittitur, iam tū prompta est rei executio ad quam mittitur, vt igitur Propheta clarè ostenderet Idumæis, iam in procinctu esse suam desolationē per Assyrios & Babylonios ideo vtitur hac figura loquendi, vsitatissima alioqui in sanctis scripturis. Non ergo intelligas Deum creasse tunc aliquem legatum, & ipsum legasse in gentes, cum legatione perdendi Idumæos, sed sicut diximus rem istam habeto. *Surgite, & cōsurgamus aduersus eum in prælium.* Verba hæc sunt gentium, obedientium diuinæ legationi: ideo se se cohortantur, ad bellicum apparatum contra Idumæos. *Ecce paruulū dedite te in gentibus, contemptibilis tu es valde*; verba sunt Dei, per suum vatem prænuntiantis Idumæorum futuram miseriam; & perinde est acsi dixisset, vos Idumæi multum efferimini, opibus & honoribus, ego autem vestram deprimam elationem, & deducam vos in maximum cōtemptum. *Dedi* pro dabo more prophetico, siquidē prophetæ futura vertunt in præteritum, cum ob certitudinem prophetiæ, tum vt ego arbitror, quia declarant Dei æternam dispositionem; quæ quia nō noua est sed antiqua, ideo per præteritum exponunt futura quæ vaticinantur. *Contemptibilis* in

In Dei præscientia futura iam sunt facta.

præscientia Dei Idumæi erant valde contemptibiles quia erant tandem cōculeandi à gentibus. *Superbia cordis tui extulit te*, cur sit cōtemnendus, & deijciendus Edō, subditur quia deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Et quoniam qui se exaltat humiliabitur. Idumæi igitur superbi erant, & elati in conspectu suo, ideo deijciendi erant à Deo. Et hoc sæpe aduertere licet in scripturis, Deo esse odiosos superbos, & deiectos esse à Deo. Vnde illud Isai. 17. quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Et Dominus in euangelio, videbam sathanā, sicut fulgur cadētem de cælo Lucæ. 10. Quod si Angelorū elatio, quibus videbatur germanior esse, propter naturæ sublimitatem, fuit acriter à Deo punita, quia deturbati sunt ex cælestibus domicilijs, in teterrimum & profundissimum terræ carcerē, vt Iudas meminit in sua catholica epistola, quid quod humana superbia, quæ humanæ naturæ non videtur congruens, propter eius mortalitatem, & imbecillitatem acerbissimè à Deo corrigatur? *Habitatem in scissuris petrarum.* Idumæa præruptis, & ideo inuictis, & inaccessis locis obmunita erat, ideo accolæ non timebāt hostiles furores sibi confidentes in præruptione mōtiū, quibus obmuniebantur: & has præruptiones appellat vates fissuras, aut scissuras petrarum, scilicet in abditissimis cauernis rupium videlicet. *Exaltantem solium*, habitas in editissimis locis vt cū ingruerit hostium tempestas, habes vbi te excipias tutissimè, & deludas hostem tuum, ideo hoc præsidio fretus superbis in hostes tuos, & tibi polliceris firmissimam tuę vitæ, & tuorum bonorum incolumitatem. *Qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram?* Quasi dicat nemo poterit contra me, aut me captiuū ducere, extrahēdo me ex cauernis, & editissimis locis habitationis meæ. *Si exaltatus fueris vt Aquila, & si inter sydera posueris nidū tuum, inde detrahā te dicit Dominus.* Simili figura sermonis est vsus Amos cap. 9. dicēs si descenderis vsq; in infernū, & si ascēderis vsq; ad cælū. Et est sermo per hypothesim vsurpat⁹, ideſt si possibile foret, qđ ascenderes in sublime volās vt Aquila, aut si esset possibile, vt inter sydera collocareris, inde deijcerem seu deturbarē te, ad infima terrę. Quasi dixisset apertius ò Idumæi, cur confiditis in tutissimis locis & sublimibus mōtibus, quibus obmuniti à natura estis, vtiq; dico vobis, quod etsi fieri potuisset, vt in æthera raperemini aut ad sydera volaretis, inde est mihi potestas deturbandi vos, siquidē, oia mihi parēt, ita terrestria, vt cęlestia. *Si fures introissent ad te, si latrones per noctē, quo modo cōticuisses? Nōne furati essent sufficientia sibi?* Ex collatione autē quadā vēturam Idumęis calamitatē exaggerat. Quasi dixisset, pejus agent tecū vēturi hostes, quā

Deo valde odiosa est superbia.

solēt agere fures, & nocturni populatores isti em̄ sub silētio furātur quæ sibi necessaria iudicant, cætera dimittunt. At vero hostes tui, non venient vt fures, aut vt latrones qui silenter incautorum & securorum hominum, facultates expillant: porrò hostes tui, non te incautum aggredientur, sed te conscium. Rescies enim eorum aduentum, quippe aperto marte, in te ingrediuntur, & eis non poteris resistere. Ne expostulęs cum hostibus tuis, quod nō vi, sed dolo malo, te superessent. Et non solū tollent sibi necessaria, & sufficientia, sed vniuersa tua expilabūt bona: vniuersalem Idumæorum cladē, & ineuitabilē ab eis demōstrat vates, verbis istis. *Si vindemiatores introissent ad te, nunquid saltem racemum reliquissent tibi*, hac periodo idem repetit, quod dudum dixerat, etsi alijs verbis vt rem ipsam amplificet. Nā vt supra ex collatione hostium ad fures ostēdit hostes futuros grauiores furibus: ita modo collatione ad vindemiatores isti enim, quando vindemiant, racemulos relinquunt vitibus pēdentes; at vero hostes tui nihil in te relinquent. *Quomodo scrutati sunt Esau, inuestigauerunt abscondita eius?* præteritū pro futuro. Quomodo hostes scrutabuntur vestra ò Idumæi, quos sub intelligit sub nomine Esau, quia vt diximus, Idumæi ab Esau, trahebāt, & nomē, & genus, quomodo inuestigabunt thesauros tuos absconditos, quasi dicat potēter hæc facient, & sine vestra repugnantia, quia inualidi eritis ad repugnandum eis. *Vsque ad terminum emiserunt te omnes viri fœderis tui: illuserunt tibi, inualuerunt aduersum te.* Viros fœderis vocat amicos Idumęorum; qui cū eis amicitias inierant qui quidem prodiderunt Idumæos; & fallaci amicitia eos deceperunt tradentes eos hostibus suis Chaldæis. Ostendendo videlicet latibula eorū & pretiosa quæque quæ Idumæi absconderant, ne fruerentur eis inimici eorū, isti ergo fallaces amici, post quam prodiderant Idumæos amicitiam adhuc simulantes, vt obtegerent inimicitias comitabātur Idumæos, quando ducebant eos hostes eorum captiuos, vsque ad terminos eorum, ideſt ad terminos hostilis regionis, consolando videlicet captiuos, quos alioqui ipsi prodiderant. Et hoc est quod ait. *Illuserunt tibi, & inualuerunt contra te.* Et obserua vt rependit Deus vicem Idumæis, quā ipsi impenderant olim Israelitis fratribus suis, quos cùm debuissent fraterno prosequi amore, odio inuentato eos sunt infectati, vnde sub Mose, no luerunt eos ingredi per viam publicam Idumææ, vt supra diximus in explana. ad cap. 1. Amos, & postea sæpè iuuerunt hostes Israelitarum Idumæi, & alia mala, sub dolosa amicitiæ spe, suis fratribus intulerunt, vt ibidem fuit expositū. Qui igitur dolose egerunt cōtra suos cognatos, iustè, dolum sustinuerunt ab his qui profitebātur Idumæorum amicitiam. Et quidem summi sceleris esse dixerim dolosam gerere amicitiam, siquidem vt Psal. 54. cecinit, si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem vtique. Tu autem vnanimis meus & notus meus, &c. ab inimicis enim qui propatulam habent inimicitiam, declinare licet, at vero ab amicis dolosis, creditis tamen veris amicis, nullus declinat vnde amici dolosi facile imponunt, alijs & eos opprimunt vt fecerunt amici Idumæorum, qui fuerunt Moabitæ, & Amonitę qui confœderati erāt Idumæis, at vero violato amicitiæ fœdere sese iunxerunt Assyrijs vel Chaldæis vt alij putant hostibus, Idumæorū, & tulerunt Assyrijs opē, vt captiuos fuderēt Idumæos, & eosdem funditus pessundarent. *Inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ*: repetitio est prioris sententiæ. *Ponet insidias subter te, non est prudentia in eo.* Increparat dudū vates, superbiam Idumæorū, increpat modo eorum imprudentiam quia nescierunt sibi prouidere, ne corriperentur à malis vēturis. At vero prudentes fuissent, si de peccatis pœniterent vt diuinā mitigarent irā. Et nulla alia prudentia, eis posset subuenire cōtra hostes suos. Insinuat autē vates Idumæos non solum se iactasse habere opes, & gloriam eximiam, vnde superbia erant elati; sed iactabant etiā se esse prudentissimos. At vates docet eos fore ignarissimos, siquidem mala sibi impendentia, nesciebāt à se arcere, ne eis afficerentur. *Hebrai. panis tuus subte vulnus ponet*, ideſt qui tecū vescuntur pane clā te, ideſt, tibi imprudēti quia credebas eos esse tibi fideles, domesticos & stipendiarios, isti prævalebunt aduersus te & vulnus infligent tibi. *Nōne in illa die dicit Dōs perdā sapiētes de Idumæa, & prudētiā de mōte Esau?* ideſt in die quādo capientur ab hostibus suis, nihil proderit eis sua sapiētia, nihil iuuabit eos, sua bellica prudentia, ex qua sibi valde gratulan-

Moabitæ & Amonitæ amici dolosi Idumæorum.

tur. Mons Esau est mons Seir, & hic significat ipsam regionem Idumæorum vt supra aiebam. ¶ Idem est quo in Paulo legimus. 1. Cor. cap. 1. Indicans Isai. 33. Sicut inquit scriptum est, perdam sapientiã sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, vbi sapiens &c. Etsi aliorsum hęc dixit Apostolus. Etenim loquitur, de fide Iesu Christi, quam Apostoli idiotæ prædicarunt in toto orbe, non argumentis, & ratiocinationibus vtentes, sed illam miraculis persuadentes. Quam fidem nõ inuenerunt philosophi maximi, neq; prudentissimi quique homines inuestigare potuerũt, vnde per Apostolos suos Deus ostendit, philosophiam, & prudentiã humanam, vanam esse ad demonstrandam viam salutis æternæ, quæ solũmodo, per euangelicam demonstrationem verbi innotuit, sicut vana fuit sapientia Idumæorum vt se eruerent ab hostibus suis: ostendere autem non sufficere ad diuina assequenda sapientiam humanam, est eã perdere. *Et timebunt fortes sui à meridie, vt intereat vir de monte Esau* Græca. *Et pauebũt*
Gene. 36. *bellatores tui de Theman.* Fuit autem Theman nepos Esau ex filijs Eliphã, at quia significat etiam austrum, ideo interpres vulgatus, transtulit meridiem vt in Canti co illo, Dominus de Theman veniet, trãstulit ab austro veniet: verum sensus ad literam Hebræam, & Græcã est ò Themanitæ, & vocat Idumæos modo Themanitas, quia ab Esau per nepotem Theman descendebant vestri bellatores & potentissimi qui in vos & armis & viribus, formidolosi reddẽtur. Et sicut contra hostes vestros Assyrios, vestra bellica prudẽtia nihil vtile pro vobis disponet, ita neque fortitudo animorum, & corporũ vestrorum, nihil proficiet vobis, & est mutatio personæ, si à meridie legas, exponens quod à meridie irruperunt hostes in Idumæam. *Vt intereat* vsurpatur numerus singularis pro plurali, ideſt, quia formidolosi eritis & pauidi, inde, occidemini ab aduersarijs vestris. *Propter interfectionem, & iniquitatem, in fratrem tuum Iacob,* non legi
Gene. 28. mus, quod occiderit Esau Iacob, imo diuersum extat in scriptura, verum si non opere, certe animo ipsum occidit: dixit enim venient dies luctus patris, & occidã fratrem meum. Et odio prosequutus est fratrẽ suũ Iacob, ideo Iacob, valde ipsum timuit, in reditu ex Mesopotamia, adeo vt diuina visione eguerit cõfortari, & qui ex Esau originem duxerũt Idumæi, odio *Gene. 32.*
item intestino, persequebantur Israelitas *Gene. 23.*
Ezech. 35. & Dominus modonit, pernatem suum, Idumæos esse perdendos. ad vltionem iniuriarum, quas intulerũt sui maiores Israelitis. At obijcis forte, quid ergo luent peccata maiorum posteri? sanè luẽt, Deus enim punit peccata maiorũ, in tertiam, & in quartam vsque generationem. Porrò, hoc verum est, quando posteritas, retinet maiorum suorum prauitatem, vt isti Idumæi, retinebant: ideo iustum erat, vt imitarentur in pœnis, quos imitabãtur in culpis. *Propter interfectionem* Hebrai. Micabal, Cabal autem à verbo Caba, significat calumniatus est, vim fecit, accepit violentiam vnde Cabal significat calumniam, aut violentiam illatam vnde alia translatio Vatabli habet. *Propter vim, & iniuriam qua affecisti fratrem tuum.* Siquidẽ etsi legamus Gene. 28. quod Esau oderat *Gene. 27.*
semper fratrem suum, propter fraudulen *Gene. 28.*
tam, ideſt astutam subreptionem benedictionis paternæ, nõ tamen legimus quod ipsum interfecerit, imo contrarium extat in scripturis. ¶ At vero adhuc insultat quispiam, odium Esau legimus, at vero item legimus reconciliationem Esau, & Iacob Genes. 33. attamẽ nõ legimus, quod fecerit calumniã, aut iniuriam ipsi Iacob. Siquidem odium conceptũ ex subreptione primogenituræ, vnde quod cupiebat Esau fratricidium, nõ fuit opere cõpletũ imo nunquam fuit completum, sed vt videtur discursu temporis abolitũ, quia tandem inierũt amicitias. Respõdetur, quod per Esau non solum subaudimus personã Esau, sed genus ab eo descẽdens, vt in hoc vate, & sæpè alibi traditur, sicut per Iacob, nõ solũ persona Iacob, sed genus ab eo deriuatũ scriptura demõstrat. ¶ Quocirca propter vim, seu calumniã qua affecisti fratrẽ tuũ, nõ ad personas illas duas referas sed ad genus ab vtroque fratre deriuatũ. Et certũ est quod Idumæi multis affecerũt iniurijs duas tribus, imo & interfecerunt quosdam ex eis, vt mox patebit. *Operiet te confusio, & peribis in æternum.* Pudor vos afficiet, & ignominia Idumæi, & perpetuum exterminium. Quia aboliti sunt per Assyrios, idem apud Ieremiã cap. 49. traditur, & erit Idumæa deserta omnis qui transibit per eam stupebit, & sibilabit super omnes plateas eius: sicut sub-

subuersa est Sodoma & Gomorrha, & vicinæ eius, ait Dominus non habitabit ibi vir: idem habet Ezech. 35. *In die cum staret aduersus eũ quando capiebant alieni exercitũ eius: & extranei ingrediebantur portas eius, & super* Hierusalem *mittebant sortem, tu quoq; eras quasi vnus ex eis.* Explicat quod dixerat. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob.* Et sensus est
Isai. 36. cũ Assyrij sub Sennacherib Rege ipsorũ venerunt cõtra Ierosolymã, & obsederũt eam, & pessundederunt vrbes Iudæ, tu ex aduerso stabas, ideſt è regione duarum tribuũ, & prope eas, vt illis vt par erat ferres auxilium: at vero, non tulisti, imo, nocuisti: quia eras sicut vnus ex Assyrijs, ad perdendum fratres tuos Iudæos, dixi Assyrij; quia hoc credit glossa interlinealis pessum dedisse Idumæam: verum alijs est confessum fuisse Babylonios, colligũt ex Isai. 34. Porro autem ex Ezechiele discimus apertius, cap. 35. Idumæos traditos fuisse in extremũ exitiũ, quia odio habuerunt fratres tuos, ideſt cõsanguineos suos Iudæos: & quia multos ex eis interfecerũt. Vnde cõtra montem Seir, vaticinium promens ait, Dabo te desolatũ atq; desertum. Et subdes causam desolationis Seir, ideſt Idumææ ait, eo quod fueris inimicus sempiternus Iudæorũ, scilicet, & conclusseris Israel in manu gladij, in tempore afflictionis eorũ in tẽpore iniquitatis extremæ, ideſt vltimæ desolationis, vel maximæ deuastationis Iudæorũ. ¶ Hæc autẽ maxima deuastatio fuit sub Nabuchodonosore, qui templũ incẽdit, & captiuas traxit duas tribus in Babylonem: sub quo item extinctũ est duarum tribuum regnũ.

Valde increpantur à vate, qui consanguineis sine causa nocent.

¶ Tunc igitur Idumæi, deseruerunt suos cognatos Iudæos & non solũ deseruerũt, sed valde eos læserunt ducendo partes Babylonicas, cũ tamen debuissent partes ducere Iudæorũ, propter cõsanguinitatem. Vnde ait Dominus per Ezechielem loco indicato, cũ sanguinem oderis, sanguis te psequetur. Ideſt qui in cõsanguineos odio habuistis, eos occidendo vester quoq; sanguis ab hostibus fundetur. *Cũ stares, eũ* nõ est de textu Hebraico. *Aduersus*, ideſt, ex aduerso, hoc est è regione Iudææ finitimi nanq; erãt Iudæi, & Idumæi. *Et extranei*, ideſt primo Assyrij dein Chaldæi, & isti ceperunt Ierusalẽ Assyrij vero nisi Deus opẽ tulisset mirabilẽ, etiã cepissent eandẽ. *Per alienos* intelligit hostes prædictos, *Capiebant exercitũ eius*, quia Chaldæi ceperunt viros bellatores Iudæorũ, & totã malitiã eorũ redegerũt in suã seruitutẽ. *Et super Ierusalem*, capita Ierusalẽ, hostes, eam sibi sortem diuidebãt. Et Assyrij credẽtes eã in manibus habere, itẽ mittebãt sortes, vt solet fieri ab hostibus, cũ certã putant esse victoriã. *Et nõ despicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius.* Pessimè facietis Idumæi, iungendo vos hostibus cõsanguineorũ vestrorũ cũ alioqui teneamini non despicere cõsanguineos vestros in die angustiæ ipsorũ, & in die peregrinationis ipsorũ, ideſt captiuitatis Babylonicæ. *Nõ lætaberis super filios Iuda*, itẽ iure naturæ tenebamini, nõ lætari de malis filiorũ Iudæ ideſt Iudæorũ, sed cõmiserari ipsorũ. Hoc enim monebat humanitas hoc persuadebat cõsanguinitas. *In die perditionis ipsorũ.* In deuastatione, quæ parata erat fieri per Assyrios, vel quæ facta est per Chaldæos. *Et nõ magnificabis os tuũ in die angustiæ.* Describũ-
tur mala
dæos, in die angustiæ ipsorũ cũ debuisset potius afflictorũ, cõpati, & miserorũ cõmisereri. *Neq; ingredieris portã populi mei in die ruinæ eorũ*, vaticinatur qd quãdo Chaldæi irruerint Ierosolymã, & ouãtes triũpho ingressi fuerint portas Ierusalẽ, quod etiã Idumæi, itẽ ouantes ingredientur. Id quod v. tuperat modo vates, dicens neq; iustũ facies cũ ingredieris portã, pro portas populi mei, gaudens de hostiũ contra Ierosolymitas triũpho. *In die ruinæ* quãdo scilicet eos rediget Chaldæus in suã seruitutẽ. *Neq; despicies & tu in malis eius in die vastitatis illius: & nõ emitteris aduersus exercitum eius, in die vastitatis illius.* Aduertebat itẽ spiritu Abdias imbutus prophetico, quod Idumæi erãt despecturi Iudæos qñ viderint eos succubuisse calamitatibus, vẽturis, ideo increpat, Idumæorũ hũc despectũ. Quasi dixisset tu despectos habebis Iudæos ingruẽte Babylonica deuastatione, cũ tamẽ nõ debuisses despicari fratres tuos imo cõtra eis opẽ ferre. Videbat quoque spiritu Dei illuminatus Idumæos, adiutores futuros Babyloniorũ cõtra Iudæos. & hoc itẽ carpit dicẽs. Neq; debuisses emittere, vel imjcere opẽ tuã, aduersus exercitũ Iudæorũ, in die vastitatis, ideſt, cum ingruerit vastitas eius per Babyloni cas acies. *Neque stabis in exitibus, vt interficias eos qui fugerint, & non cõcludes eos in die tribulationis.* Præuiderat quoq;, Idumæos

sub Babylonica belli tempestate, exituros ad biuia, & instar sicariorum, & grassatorum infecturos, Iudæos fugientes Babylonicũ gladium, item preuiderat, quod quidã ex duabus tribubus, arrepturos id temporis fugam, vt euaderent Chaldæorum furorẽ, & se exceptũros in Idumæa, vt ibi seruarentur, at cõtra eueniebat, quoniam, eos Idumæi redigebant in seruos. Et vtrumque tanquam ingens facinus inerepat. Quasi dicat non debuisse stare in biuijs, ad interficiendos cõsanguineos tuos, non debuisses in captiuitatem eos redigere, qui ad tua imploranda præsidia confugiebant in die tribulationis inferendæ Iudæis per Nabuchodonosor & non despicies Hebræa vox respondens verbo latino despicies est there à verbo, Ra, ראה ideſt, aspexit, aut despexit aspexit inquã in malum, scilicet inuido oculo, ideo quidam transtulerunt ne aspicies, at verbum Hebræum vtrumque denotat: & sensus idem est vtcunque transferas: *quoniam iuxta est dies Domini, super omnes gentes: sicut fecisti fiat tibi: retributionem tuam conuertet in caput tuum.* Diem Domini vocat quando Dominus per Chaldæos erat sumpturus pœnas, de Idumæis & par pari illis retulit Deus. Nam vt Idumæi occiderunt, & pessundarunt Iudæos, ita Chaldæi fecerunt contra Idumæos, *fiat* pro fiet, vt sæpe alias est annotatum Propheta enim non desiderabat mala Idumæorum, sed prædicebat. *Quomodo enim bibistis, super montem sanctum meum, bibent omues gentes iugiter & bibent, & absorbebunt, & erunt quasi nõ sint.* Quod dicit tale est, vos Idumæi gaudentes de victoria Chaldæorum, contra Hierosolymitas, venistis ouantes in montem sanctum Sion, & ibidem lautè comedistis bibistis, & epulati estis, idem igitur vos patiemini in patria vestra, siquidem ipsi Chaldæi, qui secum propter potentiam suam conductitias ad bellum habent omnes gẽtes, irruent in vos ipsos, & in patria vestra, gaudentes de victoria contra vos obtenta, bibent, & gaudebunt in montibus vestris, vt qualia intulistis, talia vobis inferantur vnde vos deglutent Chaldæi, & eritis quasi nunquã fuissetis. *At in mõte Sion erit saluatio, & erit sanctus: & posſidebit domus Iacob, eos qui se posſederant.* Locũ hũc sunt qui interpretentur de reditu Iudæorum post Babylonicã captiuitatem, ideoque putant dictum. *Et in monte Sion erit saluatio,* per montem Sion subnotans, colentes Iudæos in monte enim erat cõstructum templum Dei à Salomone. *Et erit sanctus,* referunt ad templum restauratum sub Zorobabele. *Et posſidebit:* referunt hãc periodum ad tempora Machabæorum. ¶ Verumtamen non congruit hæc expositio textui, siquidem Iudæi postquam reuersi sunt ex captiuitate, non posſederũt suos priores posſessores. Siquidem Chaldæi, non fuerunt aliquando posſessi à Iudæis, & sub Machabæis id temporis etiãsi floruerunt, non tamen tantum viguerũt, quantum ante captiuitatem. Quandoquidem semper fuerunt subiecti vel Persis, vel Assyrijs, vel Græcis, & tandem Romanis, vt euangelica testatur historia, vnde neque hæc, neque quæ sequuntur, legitimè possunt aptari statui Iudæorum, post captiuitatem solutam à Cyro. Quocirca aptius referenda sunt vatis verba ad tempora Messiæ: suffragantibus etiam Hebræis, vt Rabbi Salomone, quem indicat Nicolaus in suo commentario. Prophetis enim hoc erat studium multa de statu suorum prædicere, de gloria scilicet & deiectione Iudæorum, & Israelitarum, multaque de gentibus finitimis Prophetare: quia Dominus Deus, non solũ Deus erat Hebræorum, sed & gentium; ideo omniũ curam gerebat, verum scopus omniũ sanctorum vatum Christus est: vt ipse Dominus Lucæ. 24. demonstrat. Et Lucæ. 2. Zacharias, sicut loquutus inquit, per os sanctorũ qui à seculo sunt Prophetarũ eius daturum se nobis, vt de manu inimicorũ nostrorũ liberati seruiamus illi, Et. 1. Petri. 1. de qua salute exquisierunt, & scrutati sunt Prophetæ. Et Act. 3. Qui prædixit per os omniũ Prophetarũ. Et. 10. hinc omnes Prophetæ testimoniũ perhibent. ¶ Vnde fides Iesu Christi est fundata, non solũ in verbis Apostolorũ, sed etiam Prophetarũ. Ephe. 2. fundati super fundamẽtũ Apostolorũ, & Prophetarũ. ¶ Instituit enim diuina sapiẽtia, ostẽdere humano generi, qđ cõsiliũ de redimẽdo homine per sanguinẽ Iesu Christi, nõ erat recẽs consiliũ, vt ex nouitate, veniret in cõtẽptũ: sed potius fuisse antiquissimũ, vt ex sua antiquitate veniret, in summũ debitũ sibi honorẽ. ¶ Quãobrẽ voluit, per os omniũ suorũ Prophetarũ prædicere, salutẽ vẽturam toti orbi per Christũ. ¶ Et oportebat sanè vt summũ hoc humanæ salutis sacramẽtũ decan-

Christus est scopus omnium Prophetarum.

Sacramentum humanæ salutis cur fuit multis retro seculis per Dei vates detectum.

decãtari prius & celebrari magnopere, à diuinis vatibus, vt animos audiẽtiũ excitaret ad concipiẽdam certissimam spem tanti venturi mysterij. ¶ Quapropter postquam Abdias dei ẽctionem Idumæorum prædixerat ad cãlcem sui vaticinij, Messiæ mentionem adhibuit, & magnificentissima Dei munera ab ipso dispensanda, etsi obscuris verbis, vt moris est vatũ prænuntiat. ¶ Per montem igitur Sion, sanctam & catholicam subaudiamus ecclesiam. Quæ aptè fruitur hac appellatione. Vt etiam apud Isaiam capit. 2. memoratum & nos ibidem in dilucidationibus nostris exposuimus. ¶ Sion enim interpretatur specula seu speculatio. At vero fideles, qui sunt ecclesia catholica per orbem diffusa, speculantur per fidem, maxima Dei sacramenta, videlicet, quod Deus, quando venit plenitudo temporis, commiseratus humanæ ruinæ, & de nostris condolens lapsibus misit filiũ suum, natum ex muliere, factum sub lege, vt nostras repararet ruinas, nostrosque erigeret lapsus. Et quod in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, mortem ignominiosissimã crucis sustinuit, vt per sanguinem suum, qui erat sanguis noui testamenti nouique fœderis Dei & hominum, educeret vinctos de lacu in quo non erat aqua, & ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, deditque dona hominibus. ¶ Vnde Paulus hæc innuens inquit, Nos autem reuelata facie, gloriã Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu 2. Corint, 3. ¶ Hic ergo est mons Sion in quo est saluatio: siquidem extra catholicam ecclesiam, nulli patet æterna salus. Hebra. *Reliquiæ quæ super errnt seruabuntur*, id est non omnes homines peribunt æterno: sed aliqui seruabuntur, qui scilicet, ad ecclesiam catholicam conuolauerint, ne pereant. *Et erit sanctus*, sunt qui referant ad aduẽtum Spiritus sancti, qui descẽdit in monte illo, super capita Apostolorum sub linguarum ignearum forma Actor. 2. verum Hebrai legitur, etit sanctuarium, vel erit sanctitas, vel sanctificatio. Et istud exactè est impletum sub Messia: siquidem instituit septem sacramenta, ad sanctificationem hominum. ¶ Imo sub Christo, est vera purgatio peccatorum: quãdoquidem ante Christum, si circuucisio sanctificabat, mundans primitiuam culpam, non tamen regenerabat in filios adoptiuos: vt regenerat baptismus: per quem ianua cælesti infantibus, & adultis reseratur. ¶ Rectè igitur ait, erit sanctificatio, siquidem sacramenta ecclesiæ, non significant gratiam, quam non conferunt, vt vetusta sacramenta. Quæ adumbrabant, quod non conferebant, promittebant, quæ non implebãt. Vnde Paulus scitè aiebat Gala. 2. Si per legem esset iustitia, Christus gratis mortuus est. Hoc est si lex perfectè iustificaret, hominem ociosa esset Christi mors. ¶ Aut si sanctuariũ legimus, vel sanctus, referas ad Christum, quippe est sanctus sanctorum, & ipsa sanctitas. Vnde angelus Gabriel Lucæ 2. hoc insinuans vaticinium, ait, Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei Et Danielis 9. sub Christo, traditur esse adducendam iustitiam sempiternam & implendam omnem prophetiam quã ibi vocat visionẽ: & quod vngendus erat sanctus sanctorũ, vnctione illa inuisibili, ex oleo lætitiæ præ consortibus suis, vt meminit Psalm. 44. *Et posſidebit domus Iacob, eos qui se posſederant.* In primitiua enim ecclesia fideles fuerunt valde oppressi, à Iudæis primo, dein à gentium tyrãnis: at inualescente fide, facti sunt fideles Domini omnium, & Iudæorum & gentium. Quia fidei Christi, reges & imperatores, seculique principes colla subdiderunt. Et crux quæ erat hominum tormentum facta est hominũ consolatio, & quæ erat odio, reddita est amabilis cunctis, & quæ erat despectui facta est in summos honores, adeo, vt thiaris imperatorum, maximo sit ornamento. *Posſidebitis*, hoc explicat Apostolus, dicens tanquam nihil habentes, & omnia posſidẽtes Apostoli enim rerum posſessiones negligebant, quia aiebant ecce nos reliquimus omnia, & secuti fumus te: at vero, nihil habendo, & temporalia contemnendo, omnia posſidebant: quia omnium erant spiritualiter Domini, siquidem Apostolicę ditioni omnes fideles, & maximi, & minimi subditi erant. Quia ipsi & successores claues habent regni cælestis, & illorum præcepto subditur salus & languor omnium, vt ecclesia canit. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ*

Ecclesia catholica speculatur Dei arcana.

Zacha. 9.
Ephes. 4.

In ecclesia Christiana est vera sanctificatio.

Christus vocatur in scriptura sanctus sanctorũ.

Apostolis & successoribus subditur orbis, si saltem volũt adipisci.

quiæ domus Esau, quia Dominus locutus est. Ignem dixit Dominus veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Luc. 12. enim vero, primo misit ignem Spiritus sancti in Apostolos suos (quia non de igne materiali, sed diuino sermo est) postmodū vero hunc ignem diffuderunt Apostoli in omnem arborem. Nam euangelica prædicatio est tanquam ignis, testante Psalmo, ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.

¶Et quidem maximè arsit hic ignis in cordibus fidelium, quandoquidem reliquerunt, & negauerunt se ipsos propter Christum. Non solum parentes consanguineos & substantiam propriā, verum & se ipsos tradiderunt ignibus, & bestijs, & varijs tormentorū generibus propter Christum: vt sunt nobis exēplo sancti martyres, qui alacres currebant ad sæuissimas mortes, certo credentes se meliorem assecuturos vitam, quam ea erat quam relinquebant. Quare aptè dicitur, erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma. Siquidem discipuli Domini, ex tribu Iuda, & ex alijs tribubus, quas denotat domus Ioseph ducebant originem. Illi ergo fuerunt tanquam ignis, & tanquam flamma ob ardentissimos eorum sermones, quibus succenderunt corda hominū. Vt de Elia ob eandem causam dicitur, Elias propheta quasi ignis, & verbum ipsius tanquam facula ardens Eccles. 48. *Et domus Esau.* Esau malè audit in scripturis, & hoc loco, mundanos omnes significat: quia ergo euangelica prædicatio nūdanos traxit ad fidem, & amorem Iesu Christi, ideo conferuntur stipulæ, quæ facilè succenditur ab igne. Siquidem continuo, vt prædicatum est euangelium: innumerabiles homines illi subdiderūt colla repugnantibus regibus, & principibus, & philosophis. Et demum & ipsi reges, & seculi primores, Christi fidem sunt prōptissimè amplexi, vt Philippus, & Constantinus, & cæteri post Constantinum Imperij successores. *Et deuorabūt eos.* Quia euangelica prædicatio traxit eos ad baptismi fontem. Vnde sunt incorporati in corpore mystico Christi: vt iam dicere possint cum Paulo viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus. Et Petro, Actor. 12. ait, Cælica vox Petre occide, & manduca, quod autem manducatur, in comedentis transit substantiam: ita peniodum in Christi corpus mysticum transeunt fideles, quare non abs re dicitur & deuorabunt eos. *Et non erunt reliquiæ:* Idest non iam erunt mundani, pertinentes ad mores Esau, sed erunt caelestes, proficientes ad fidem, & amorem Iesu Christi. ¶Fortasis obijciet quispiam, quid ergo, si reliquiæ non erunt, cur modo tot sunt mundani homines, vt sui in fideles omnes? Respondetur, certum esse, non erunt reliquiæ Esau, in ipsis deuoratis ab Apostolis & discipulis Domini, & eorum successoribus. Id est, Christus per hos purgabit peccata eorum, & exercebit illa ad purum vsque, vt verum sit, quod Paulus ait, Christum dilexisse ecclesiam non habentem maculam neque rugam Ephes. 2. Et quod proditum est Malach. 3. ipse enim, idest Christus quasi ignis cōflans, & ideo facit ministros suos Apostolos, & successores esse flammam ignis, vt hic prædixit vates, & quasi herba fullonūm: & redebit conflans, & emundans, argentum & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum. In conflato autem auro & argento, atque collato nihil scoriæ superest, quia omnem scoriam expurgauit ignea vis. Ad quam rationem mundanorum, quos Esau subiūgat, quos Christus sibi vniuit donans per baptismum, & pœnitentiam peccatis non superexunt peccatorum reliquiæ, ad eò perfecta, & absoluta erit peccatorum purgātio: & veterum Esau morum correctio. Quod si obiecetis, imò manent peccatorū reliquiæ, nam concupiscentiā seu fomes peccati, quoad vixerint electi in hac mortali vita stimulat eos, & peccatorum dimissorum consuetudinariæ afflictiones remanēt, quas vocant philosophi habitus adhuc inusti ficatis multis perseuerant, quo ad vsque per dissuetudinem deleantur. ¶Vnde aiebat Apostolus ad Rom. 7. se sentire aliā legem in membris suis repugnantem legimentis suæ. Et ad Galat. 5. Carnis esse & spiritus pugnam perpetuā memoratur. ¶Respondetur, quod tantisperdū vitam hanc mortalem transigimus, quantumlibet iusti simus, adhuc peccatorum reliquiæ, nos stimulant. Nanque in multis offendimus omnes, & si dixerimus, quod peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. ¶Porrò istæ reliquiæ, siue sit fomes, siue prauus habitus

Sermo dei igneus.

Vis euangelicæ prædicationis maxima.

Quomodo euangelici prædicatores deuorant auditores.

Christigratia in suis dictis excoquit peccata ad purum vnū manean. rel quiæ ipsorum.

Iustissimi quiq; reliquijs peccatorū stimulātur.

habitus, sanctis non nocent, imo prosunt: siquidem aduersus hæc dum pugnatur meritorum numerus augetur, si modo illis repugnatur, & eisdem non cedatur: id quod moris est sanctorum. ¶Accedit eodem, quod etsi reliquiæ istæ peccatorum dimissorum, non abolentur à sanctis, quandiu in seculo hoc fluxibili agitur, at vero tandem Esau reliquiæ abolēbuntur. Quia post mortem in sanctis, id est in electis à Deo, qui vitam absoluūt in fide, & charitate Dei, nulla supereſt peccati concupiscentia, nullus vigebit fomes, nullus habitus malus ipsos torquebit. *Quia Dominus locutus est.* Quia sic Deus ab æterno est locutus in se ipso disponēs quæ futura erant secundum beneplacitū suum, & item idem locutus est per vates suos. *Et hæreditabunt hi qui ad austrum sunt montem Esau, & qui in campestribus Philistijm, regionem Ephraim, & regionem Samariæ, & Beniamin possidebit Galaad.* Proditum legimus Psalm. 2. Patris æterni, verbum ad filium suum vnigenitum, videlicet, & dabo tibi gentes hæreditatē suam, & possessionem tuam terminos terræ. Si quidem omnes fideles, sunt Christi hæreditas, atque possessio: quia per sanguinē suum, eos redemit: sancti Apostoli, post quam Dominus Iesus, se ad astra retulit diuiserunt inter se orbem, vt singulis essent decretæ singulæ orbis prouinciæ seu regiones, ad disseminandum Dei semen, quod est verbum Dei. ¶Vnde quibusdā obtigit sorte, pars australis, alijs vero borealis, alijs orientalis, &c. Quam ob rem per nomina harum vrbium, vel regionū, tanquam per notiora Iudæis nomina, insinuat, totum orbem vates, & ex sequentibus, se magis exponit. ¶Qui igitur Apostoli, partem australem habuerunt in sortem, illam possederunt, Christo australes homines lucri facientes, & ita de reliquis partibus orbis sicut à Christo illis fuerat impositum, Ite in omnes gentes & prædicate euāgelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluus erit: qui non crediderit condemnabitur.

¶Verum Apostoli, primo prædicarunt in Iudæa, & Samaria, & finitimis locis, & multos ex eis conuerterūt ad Christum. Ideo harum fit mentio specialis, scilicet, Palæstinæ, Samariæ, Galaad, Sareptæ, Sidoniorum ciuitatis. *Et transmigratio huius exercitus filiorum Israel, omnia loca Chananæorum vsque ad Sareptam. Et transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates austri.* Qui hæc conatur referre ad reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica sub Zorobabel dicūt Iudæos, qui fugerant ad Bosphorum, possedisse partes australes. At vero cum sit Bosphorus duplex; alter Thracius qui diuidit Europam, ab Asia, alter Cymerius, qui est terminus Meotidis paludis, de nullo horum verificari potest, quod isti dicūt. Est autem Bosphorus angustæ fauces maris. Et scribendum est nomen hoc absq; aspiratione. Nam à Græco, est deriuatum, videlicet, Βοὸς πόρος, via bouis: fabulantur enim Io, puellam in vaccam conuersam transisse per has maris angustias, in Asiam. Quid quod Hebraicè non legitur Bosphorus, sed Sepharad quæ vox significat Hispaniam. Et similiter, non legitur Hebraicè Sareptam, sed Zarphat, quæ Gallias significat Hebræis, vt sit hæc litera *transmigratio exercitus filiorum Israel, qui sunt inter Chananæos, vsque in Galliam, & transmigratio exercitus Ierosolymorū, quæ est in Hispaniam: possidebunt ciuitates australes.* At vero, sunt qui vulgatam translationem exponant de Bosphoro occidentali, videlicet, de freto Gaditano, Hispanè, estrecho de Gibraltar. Cæterum nusquā hoc fretum in autoribus vel antiquis vel modernis, appellatur Bosphorus: tametsi propter angustiā freti, si quis volet illud ad eum appellare modum, vetat nihil.

¶Bifariam autem hic locus vatis exponi potest: primo tamen obseruandum est Chananæos, expulsos ab Israelitis à proprijs sedibus, commigrasse in Hispaniam alios: alios vero in Germaniam, alios in Illiricum, alios in Africam & demū per multas orbis partes fuisse dispersos. Vt & decem tribus, quando rex Assyrius, illos victoria sua, comprehendit, item fuerunt dispersi in Galliam, scilicet, Narbonensem, & in Massiliam, & alias Galliæ partes, vnde in istis locis quidam Rabini apud suos illustres floruerunt: at demū expulsi sunt à Gallijs. Et ista fuit transmigratio filiorum Israel, de qua vates meminit, *vsque in Zarphad*, quam vocem vulgatus interpres est interpretatus Sareptam: at vero, quia non adiecit Sareptā Sidoniorum, non de Sarepta hac, est intelligendus locus. Quare Hebræi putant esse Galliam, siquidem Gallia fuit ab istis habi-

habitata, & ideo voce Hebræa dicitur Zarphad. Ideoq; hæc transmigratio Gallica dicitur. Etiam inde pulsi filij Israel, in Germaniam se transtulerunt: & de hac meminit vates, cum ait, Transmigratio filiorum Israel, & omnia regna Chananæorum vsque ad Sareptam. Quia sicut Chananæi commigrarunt in partes occiduas, & in alias orbis partes, ita & filij Israel, in Galliam, scilicet, in Narbonam, & Britāniam, quæ olim Galliæ ascribebatur, & in Masiliam. Post hæc autē alia successit transmigratio duarum, scilicet, tribuum sub Tito & Vespasiano, diruto templo secundo, quod instaurarat Zorobabel, & hæc vocatur transmigratio Ierusalem, quia vt traditur Titus & Vespasianus relegauerunt has duas tribus in Hispaniam, scilicet, in Emeritam, Lusitaniā, Toletum, & alias Hispaniæ insigniores vrbes, ideo hæc vocatur transmigratio Ierusalem, vt diximus: & huius meminit vates cum ait, *Et transmigratio Ierusalem quæ in Bosphoro est*, id est quæ est in parte extrema orbis occidentalis. Quanuis enim hæc transmigratio nondū contigerat sub Abdia, tamen illam præuidit spiritu prophetico, ideo narrat factum esse, quod faciendum certissimè præuiderat. Istæ igitur transmigrationes, Israelitarum, & Ierosolymitarum tandem, docet propheta sub Christo, possessuras partes australes, idest in parte commoraturas in Hispania, quæ est meridionalior quam Gallia & Ierosolyma, & item in Lybia, Africa, Æthiopia fidem Christi esse professuras.

¶Ad hanc fermè rationem, Benedictus Montanus exposuit locū istum, quæ expositio pendet ex veritate historiarū, vel annalium Iudæorum: quæ ipse commemorat. Mihi vero syncerius exponendum locum videor, Scilicet per transmigrationes filiorum Israel, Chananæorū, & Ierosolymorum, discipulos Domini, ex locis illis cōmigrantes in cæteras partes orbis, scilicet Galliam, Hispaniā, quæ sunt regiones occidentales admodum, & Hispania iudicabatur finis orbis, & has sua prædicatione possessuros prædicit Hispanos, scilicet, & Gallos: & non solū hos, sed australia penetraturos, videlicet, Africā, Lybiā, Æthiopiā, per quæ cæteras orbis plagas subaudit: & omnes hos conuersuros ad fidem Christi, quia in omnē terram exiuit sonus eorum, & hac ratione posidebunt omnia, vt supra expositum est. ¶Chaldæus paraphrastes per Sepharad, intelligit Hispaniā: at Chaldæi, per Spaniam, intelligunt Hispaniā, quā Græci antiquo, & illustri nomine Esperidam vocitarunt. ¶Demum locus reuera est difficilis intellectu, cum nominū obscuritate, tum sententiæ implexitate.

¶Porrò autem, libet nonnihil, allegoria ludere, circa caput istud Abdiæ, Esau. Si quidem, pessimè audit in scripturis diuinis. Vnde illud Iacob dilexi, Esau odio habui, hic fratricidium concupiuit post mortem Isaac exequi, hic repugnantibus parentibus Chananæas vxorem accepit: hic primogenita pretio vilis coctionis vendidit, & vendidisse ex vili pretio, quod id temporis erat summi pretij, nihili fecit. Hic vocatus est Edom, idest rufus, siue ex coctione rubra, vt diuina eloquia tradunt, siue etiam ex vultus rufedine. Hic dictus est Seir, quia hirsutus erat, & non mollem vt Iacob, sed asperum tactum habebat: vnde Iacob pellibus quibusdā colli nuda protexit, vt pellis asperitate, Esau fratres personam præferret. Esau item Tinea eius interpretatur. Quo circa sicut Iacob fideles, ita Esau gentes infideles adumbrat. Et sicut Iacob, iustos omnes, quos Deus diligit, ita Esau peccatores omnes, quos altissimus odio habet Eccles. 12. Et quanuis aptissimè hæretici omnes figurantur in Esau: at vero nunc mihi erit contra hæresiarcham nostri temporis Lutherum. ¶Hic enim verissimè adumbratur in Esau, & omnes qui dogmatibus eius hærent, sunt Idumæi, quia ab Edom, qui est Lutherus propagantur. Sanè Esau, Tinea eius interpretatur: & nihil aptius, illi conuenit, quam esse Tineam totius Germaniæ, & Galliæ, & Angliæ, & denique omnium eorum, qui eius insolentibus, & blasphemis doctrinis hæserunt. Tinea enim mollia, vt vestes, corrodens paulatim consumit, vt deinceps, non sint vsui dominis suis. Lutherus quoque, lasciuos & molles, vt sunt carnales homines, hos sua venenata doctrina sic corrupit, vt iam non vtiles ecclesiæ Dei, sed prorsus nociui sint. ¶Quippe ecclesiæ catholicæ doctrinam, cum suo magistro, Luthero rident, quasi barbaram, & incultam, & despicientem euangelium Christi. ¶Rursus Esau Edom, id est rufus, vel sanguineus, imo potius sanguinarius

Mala. 2.
Roma. 9.
Gene. 36.
Gene. 27.
Gene. 25.

Allegoricus sensus.

Lutherum elidit.

Lutherani sunt Idumæi.

Lutherani, nocent ecclesiæ Dei.

rius interpretatur, & quis obsecro, magis sanguinarius quā Lutherus? quippe doctrina eius plena est cruore occisorū. Credentes enim Luthero, omnes pereūt, in exitium que sempiternum deuoluentur. Si sanguinarius est occidsē corpus, an non multo aptius qui animam occidit? at iste Lutherus, non vnam, aut duas, sed innumerabiles occidit, auertens eas à vita vera, quæ Deus est, suis nenijs dementendo eas. ¶Missa modo facio, & corporum interitus, qui & scandala, & seditiones, quas hic Lutherus in Germania sua pessima excitauit doctrina. ¶Rufescit igitur hic Esau, non ex pulmento rufo, vt alter Esau, sed ex sanguine, idest, cruētissimo desiderio quo flagrabat peruertendi totam ecclesiam Dei, & innocentes fideles, deijcere, in barathrum diaboli. Quo desiderio quid obsecro truculentius? aut quid amabo pestilentius? Hic Esau, hirsutus est, non mollis, siquidem, inobediens fuit Romanæ sedi, huius nanque præceptis nunquam cessit: imo illis acerbissimè & impudentissimè repugnauit. ¶Diplomata apostolica contemnebat, censuras ridebat ecclesiasticas pœnas nullas esse ducebat. Alter Esau, inuitis parentibus, accepit Chananæas vxores, & se diuisit, à domo paterna, hic repugnantibus apostolicis decretis & censuris, copulauit suis erroribus Germaniam, Galliam, Angliam, & alias orbis partes, suo venenato sibilo, tanquam venenosissimus serpēs infecit. At huiusmodi ne dixeris vxores legitimas, sed pessimas Lutheri concubinas. Et heu tem dolendam, & dictu nefandam, quæ erant verè sponsæ Christi, dimisso Christo legitimo sponso, Christi immaculatissimi sponsi torum commaculauerunt, intra penetralia sui pectoris, adulterina Lutheri dogmata recipientes.

¶Idumæi Idumæam colebant, & superbia mentis tumebant, quia præruptos occupabant Idumeæ mōtes, & cauernas præruptas, ceu latibula sehabere, contra hostes iactabant ceu firmissima præsidia, vt inquit noster vates, superbia cordis tui decepit te habitantem in scissuris petrarum. Hæc superbia fefellit etiam Esau istum, cum suis Idumæis: siquidem habitant in scissuris petrarum. ¶Sanè petræ sunt diuinæ musæ, quia veritatis diuinæ soliditate vigent: at vero Lutherus, cum suis Idumæis scindunt petras has, corrūpunt enim integritatem Sanctarum scripturarum. Siquidem sensus peregrinos, & violentos, illis inferunt: quos catholica nunquam probauit, neque probat ecclesia. ¶In corruptis istis sensibus, Lutherus cum suis habitant, ideo superbunt cō tra Dei ecclesiam. Solum verbum Dei audiendum esse proclamantes: & ecclesiæ verba quia humana sunt esse despicienda: ideo suā mentem Lutherus prætulit vniuersali ecclesiæ: abijciendo concilia œcumenica, & decretales epistolas. Pontificum, nempe quia vt alter Esau, habitabat in scissuris petrarum corruptionem amabat scripturarum. ¶Quasi vero catholica ecclesia, non imitatur verbo Dei. Quasi vero non esset fundamentum totius ecclesiasticæ doctrinæ verbūm Dei. Nunquid ecclesia Dei, tam insolens est quam est Lutherus, vt sibi arrogasset potestatem decernendi leges, fulminandi censuras, interpretādi scripturas ni aduerteret, sibi hoc concedi ex verbo Dei? Sanè Lutheri superbia decepit ipsum, iactat ipse cū suis Idumæis verbū Dei, sed sanè scissum est non integrum est hoc, quod iactat, verbū Dei. Nam quæ sibi placent, ait se habere ex verbo Dei: quæ vero ipsum offendūt, clamat non esse verbum Dei. Vt Iacobi epistolam catholicam, euertentem sua vana dogmata, quia tradit fidem sine operibus, esse mortuam, inficiatur esse verbum Dei. An non hæc summa est hominis huius superbia, se constituere iudicem verbi Dei? Et vbi amabo, ò Luthere, inuenisti in verbo Dei quod in sacratissima Synaxi sint Christi corpus & sanguis, cum substantia panis & viui? Nunquid Christus qui potens est, ibi constituere corpus & sanguinem suum, non est potens destituere accidentia illa Eucharistica, à proprijs substantijs? vbi quæso inuenisti in verbo Dei sanctos non orandos à nobis? nunquid vita mortali iam defuncti, minus amant nos, quam amabant in seculo viuentes? at viuentes in carne mortali, eos orabant coæui, vt Deum precarētur pro illis, vt vel pessimus ille Simon Magus Petrum orauit, vt Deus auerteret iram suam ab illo, cur igitur, cæli colas iam factos non orabimus? Ad hæc vbi inuenit iste in verbo Dei, animas quas purgat ignis ille lustratorius, non esse iuuandas, neque iuuari eleemosynis, precibus, & sacrificijs, cum alioqui Iudas Machabæus,

Lutherus sanguinarius.

Lutherus alter Edō ex cruēto desiderio.

Actor. 8.

BIBLIOTECA GENERAL UNIVERSIDAD DE GRANADA

2. Machabæo. 12, bęus, pro defunctis Iudæis in bello contra Paganos eleemosynas fecerit: & in tūplo Dei oblationes, iustè & piè cogitans, de ijs qui pietatem colentes, obdormierant in Deo. ¶Præterea vbi inuenit iste, in verbo Dei opera sancta, non proficere ad meritū corā Deo, sed prodesse ne offendantur proximi, si viderint nos illa nō

Ad Hebr. 13. præstare cum oportet? cum contra verbū Dei clamet beneficentiæ & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus, & vates doceat Deo esse offerendos vitulos labiorum nostrorum. Et Christus cum iudicauerit orbem operum solum habebit rationem: dicturus enim est, esuriui & dedistis mihi manducare, &c. ¶Et rursus ostendat nobis Lutherus, vbi est verbum Dei quod docuit ipsum dicere, Papam esse vicarium Antichristi & Romanam ecclesiam esse synagogam Satanæ, mendicantiuḿque ordines esse meram impostura & puram nugacitatem? Baptismum & cætera sacramēta non sanctificare, sed solam fidem, reclamante apostolo, qui baptismum vocat lauacrum regenerationis, & renouationis, quia sic didicerat ex euangelio tradente qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit. Si fides autē sola sufficeret, solū dixisset qui crediderit, verum adiecit, & baptizatus fuerit, si fides sola remitteret peccata, igitur sacerdos non remittit peccata, sed fides pœnitentis, at Dominus

Ioan. 20. ait, non pœnitentibus, sed Apostolis, & sacerdotibus successoribus, dixit quorū remiseritis peccata remittuntur eis, &c. Et quidem si pœnitentis fides sola est quæ operatur remissionem, vt Lutherus blaterat, pœnitentes igitur habēt claues regni cælorum, non sacerdotes: & mulieres fideles eisdem clauibus potiuntur, si quidem fidem habent, imo & infantes pari ratione, id quod si concedat, Lutherus vt concedit ostendat hoc si libet ex verbo Dei, imo ostendam ego esse cōtra verbum Dei, siquidem lego solum Apostolis dixisse Dominum, quorum remiseritis

Matthæi 18. &c. Et Petro dedisse claues regni cælorum, non pueris non mulieribus, non secularibus, resurgens ex mortuis Dominus, insufflauit in Apostolos suos dicens

Matthæi 16. Ioan. 20. Accipiti Spiritum Sanctū quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. Neque tamen extinctis Apostolis extincta fuit hæc potestas, siquidem, non propter Apostolos, sed propter ecclesiā, eis concedebatur tanta tāq; mirabilis potestas remittendorum, & retinendorum peccatorum. ¶Et sane nihil impudētius, quam Lutheri petulantia, contra Summū Pontificem, dicens esse vicarium Antichristi, nihilque stolidius, hac āi pudentia. Nunquid vicarius est eius qui nō est? neutiquam: Antichristus autem non est, qua ergo ratione Papa est vicarius, eius qui non est. Et vbi obsecro legit ipse Antichristum habiturum vicarium? Ad hæc papa Christi fidem profitetur, hanc docet, hanc defendit, Antichristus hanc peruertet hanc blaspemabit, qua ergo ratione Papa Antichristi est vicarius? Quid ergo si qui modo sunt Pontifices Antichristi sunt vicarij, vt ipse nugatur Petrus, Linus Cletus Clemēs, cæteriq; sanctissimi Pōtifices fuerūt ne Antichristi vicarij? dicet forte, Petrus Christi fuit vicarius, non tamen cæteri, & quid cæteri, nonne successerūt in sede Petri? audebisne dicere Luthere, quod Linus, Cletus, Clemēs, Marcellinus, & reliqui, qui sanguinem suum fuderūt pro Christo, fuerint Antichristi vicarij? Rectius te voca Antichristi vicarium & præcursorem, tu enim tua doctrina diabolica, Antichristo sternis viam. Non sunt verba tua verba Christi, vt tu nugaris, sed verba sunt Belial, non sunt verba lucis, sed tenebrarum, quia à tenebricoso, & filio Belial procedunt. At fortasse fautor huius Esau, dicet, Lutheri sectam multos habere sectatores fateor, sed quid Arrius nonne habuit multo plures? num propterea probanda est Arrij doctrina? non arbitror, quia ecclesia, eam vt diabolicam reiecit. ¶Porrò Arrius etiam, cōtendebat sectam suam esse verbū Dei, vt patet ex epistola eius quam scripsit Eusebio: at vero nugabatur nō erat verbū Dei sed cōtra verbū Dei. ¶Luthero equidē & alijs hęreticis hoc accidit, quod pseudoprophetis olim in vsu erat, vaticinia sua præsidio diuini verbi roborabant sic eū aiebāt hæc dicit Dñs Deus. Legimus enim Iere. 28. Ananiam pseudoprophetam, contra verum Dei vatem Ieremiam prophetasse, sub hac verborū forma, hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, contriui iugum regis Babylonis. Et 3. Regum 22. Sedechias falsus item vates, sic ait. Hæc dicit Dominus, his vētilabis Syriam. Ad quam quoque rationē hæretici statim

Multitudo sectatorum nō approbat doctrinam, quā reprobat ecclesia.

Mos falsorum pphetarum sua vaticinia attribuere verbo Dei vt faciunt hæretici.

statim proclamant doctrinam suam esse Dei verbum, & quæ ipsi dogmatizāt apostolicam esse, doctrinā, vt verum sit quod Abdias ait, quod superbia cordis ipsorum extulit eos, habitantes in scissuris petrarum, sed audimus, quid tonet Dei verbū, contra Esau, & istos Idumæos, id est, contra hæresiarchas, & suos sectarios. *Si exaltatus fueris, vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detrahamte, dicit Dominus.* Lutherus enim exaltauit se sicut aquila, quæ altissima quæque suo petit volatu ita hic se exaltauit, contra Summos Pontifices, contra Sanctos doctores, contra cōcilia œcumenica, contra totam denique catholicam ecclesiam, quam duxit nō esse catholicam, sed synagogam Satanæ, contra omnes sanctas ordines, & regulares obseruantias, quas dixit esse delendas. Et sicut alter Goliath exprobrauit agminibus Dei. Et inter sydera itē posuit suo arbitrata nidum suum, siquidem doctrinam suam putat euangelicam & apostolicam esse. At vero iam deiectus est, & detractus à sua pompatica celsitudine, per ecclesiæ enim censuras demonstratus est, ceu pestilentissimus, & impudentissimus hæreticus, & vt scite dixit Adrianus Sextus in sua Bulla contra Lutherum, omnium hæreticorum Lutherus est impudentissimus, & quis non stupet in hominis huius impudentiam, catholicam ecclesiam vocantis synagogam Satanæ: & suum Lutherum nimū credentis scholaro esse Iesu Christi: cum contra debuisset affirmare? Nam Satana inspirate effudit venenum suæ doctrinæ in suos discipulos: At hic perfricta fronte? nam illi facta est sions meretricis) blasphemauit in ecclesiam Iesu Christi, contra quam neque ipse, neque sui magister diabolus, neq; omnes hæreticorum phalanges, quicquam prævalebunt. ¶Et simili stupore teneberis si consideras Lutherum apostatam & excuculatum fuisse, propria autoritate, & hoc idem fas esse laicis cæteris monachis dixisse. Et insuper vt implaret mensuram maiorum suorum Hæreticorum superindixisse vxorem, vt

Lutherus vt aquila se erexit, sed deiectus est ab ecclesia.

Lutherus blasphemat contra ecclesiam Iesu Christi.

Lutherus iactabat Dei verbū contra quod operabatur & loquebatur.

seruet sanctimonialem. ¶Obsecro obsecro iactantem Dei verbum esse dogmata sua, vbi inuenit rogito in Dei verbo, hoc fas esse vota monastica propria autoritate irritare? vbi inuenit fas esse monacho professo, vt ipse erat ex antiqua professione vxorem ducere? ¶Ad hæc dominus ea est hominis huius impudentia, vt suam doctrinam euangelicam esse, testetur, & se præferre Summo Pontifici, & toti ecclesiæ, non erubescat. ¶At dicet aliquis, mores Summorum Pontificum quorūdam, ansam præstiterunt Luthero, & suis Idumæis obloquendi contra Sedem apostolicam, quia quædam viderant ab eis facta irrita, quæ sedem non decebant apostolicam.

Summorū Pontificū si quę sunt humana patrantur aliquando non debent ob id offendi in feriores adeò, vt eos vituperent.

¶Sed quid Petrus negans Christum fecit ne quod sedem decebat apostolicam? Respondebis, nondū erat tunc actu Summus Pontifex Petrus. At quando iam erat Summus Pontifex, & reprehensus est à Paulo, quia non rectè ambulat ad veritatem euangelij ad Galat. 2. nunquid faciebat, quod decebat apostolicam sedem? nō arbitror: quia si fecisset, non reprehēderetur à Paulo coram omnibus. Quod si in Petro hoc admittimus si in alijs Summis Pontificibus, nonnihil infirmitatis aspiciunt hæretici cur offenduntur adeò, vt contra ipsos linguas ceu aspidum acuant? Meminisse oportet apostolum dixisse de Summo Pontifice, circundatum esse infirmitate, & ideo quemadmodum pro populo, etiam pro semetipso offerre pro peccatis ad Hebr. 6. Iam vero hoc idem pronūtiemus contra Lutherum & reliquos hæresiarchas, quod vates pronuntiat in calce sui vaticinij. *Et ascendent saluatores, in montem Sion, iudicare montem Esau: & erit Domino regnum.* Qui sunt isti saluatores? sanè sancti Apostoli, & qui vices eorum gerūt. Quis hic mons Sion? sancta ecclesia catholica. Vtique vt Christus qui, lux vera est vocat suos Apostolos lucem, ita ipse qui

Matth. 5. est verus & primus saluator, non dedignatur eos per vatem Abdiam vocare saluatores. Ille quidem saluat ex autoritate, isti vero ex ministerio. Mons Esau, sunt infideles omnes & peccatores, qui Christo non obediunt. Saluatores igitur prædicti in fine orbis, iudicabunt omnes nationes

Capit. 3. sectante lib. Sapientiæ, fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuū. Quod autem hic ait, Saluatores, seu seruatores, in monte Sion iudicaturos montem Esau referri potest, ad iudicium præsens, vel ad iudicium finale, & vtraque ratione verum est. Si quidem nunc ecclesiæ præcerant, vt sunt Summi Pontifices, & alij Pontifices, censuras suis

exter-

exterminant ab ecclesia catholica, montem Esau, scilicet, hæreticos, apostatas, & schismaticos, vt & Apostolus fecit excõmunicans incestuosum illum Corinthiũ, & Petrus mendaces illos coniuges, verbo oris sui interfecit. At vero item finaliter iudicabunt, & Christus, vt primarius iudex, & Apostoli, & perfectissimi viri, vt confessores iudicabunt omnes impios, eos finali plectentes damnationis sententia. Vt Dominus ait, Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel, per duodecim tribus Israel, vniuersitatem hominum subnotãs. *Et erit Domino regnum.* 1. Corinth. 15. cum tradiderit regnum Deo & patri, cũ euacuauerit omnem principatum, & potestatẽ, & virtutem. Oportet autem eum regnare, donec ponat inimicos sub pedib⁹ eius. Nunc sanè Christus regnat in ecclesia catholica: cæterum etiam num habet hostes innumeros infideles, in quibus nõ regnat modo, at vero in die iudicij hostes suos calcabit, & ponet sub pedibus suis, & Christi regnum erit trãquillum in sempiternum.

1. Cor. 5.

Actor. 5.

Matthæi 19.

EXPLANATIO IN TONAM Prophetam, Authore Michaelis de Palatio.

Prologus in Ionam Prophetam.

Fuit Ionas ante Christum anno 836. Anno mũdi 3126.

VIS fuerit hic Ionas, varij doctores varia sentiunt. Etenim D. Epiphanius Episcopus Constantiæ Cypria. in lib. de vitis prophetarum. Censet hunc vatem, patria fuisse Gariathamaum haud procul ab Azoto vrbe Græcorum, fuisseque sub tempore Eliæ, qui discedens à terra Israel, quam fames oppresserat, concesit in Sareptam Sidoniorũ, vbi reperit fœminam matrem Ionæ, quæ pauit Ionam, qui cum esset suo fato vita functus Elias ipsum restituit matri suæ. Et Hieronym. item affirmat Ionam, fuisse filium mulieris Sareptanæ, quem Eliãs vitæ restituit, verum hoc non asserit ex propria sententia: sed ex Hebræorum traditione. Vt etiam Isidorus Hispalensis Episcopus, lib. de patribus veteris testamẽti. Porrò, inquit, Nicolaus Ionam fuisse ex Sareptana fœmina gentili, & patre gentili genitum: & fuisse subinde Ionam natura gentilem. Et Amathi, non fuisse proprium nomen patris Ionæ, sed fuisse appellatiuum. Ionas enim, dicitur filius veritatis, quia cum Elias illum suscitauit verum loeutus fuerit. ¶ Verum Hieronym. non dixit fuisse Ionam gentilem: neque ex propria sententia asserit fuisse filium Sareptanæ fœminæ. Et scriptura aperte reclamat, nam Ionas cap. primo, profitetur se esse Hebræum, & non ait esse proselytum: & litera quando aliud non cogit, vt sonat est accipienda, vt Augustinus docet lib. de consen. evangel. Vnde quia ait, quod est filius Amathi, quod fuerit verè filius, & non mystice filius, est intelligendum. ¶ Cæterùm quod verum de hoc vaticinium est, ex ipsius fuisse Gethæum. Vnde videtur, in Geth natum fuisse, atque enutritum, vt liber 4. Regum 14. commemorat. Est autem Geth oppidum quoddam in terra Iuda, quod construxit cum multis aliis Roboam Salomonis filius. 2. Paralipo. 11. Et est aliud Geth in terra Palestina. 1. Regum 6. Et est vna de quinque ciuitatibus, quæ ibidem referuntur, oblationes quinque secille Deo Hebræorum: vt auerteret iram suam ab eis. Primum autem Geth, quia constructum est à Roboam, in terra Iuda, videtur diuersum à Geth oppido Ionæ prophetæ, cuius fit

ius fit mentio libr. 4. Regum. Siquidem Geth istud vocatur Hepher, & Iosue 19. cecidit in sorte tribus Zabulon. At vero Geth, constructum à Roboam, non vocatur Hepher, sed simpliciter Geth. Vnde videtur esse diuersum à prioribus oppidis. Quam ob rem, arbitror tria loca in Sanctis scripturis hoc obtinuisse nomen, scilicet, Geth Hepher, in tribu Zabulon, Iosue 19. 4. Regum 14. Geth, in tribu Iuda, & Geth Palæstinæ. Putant autem quidam, Ionam habuisse in solum natale, Geth, cuius fit mentio. 2. Paralip. 11. At vero, ego eis non cõsentio. Siquidem ibidem nõ vocatur Geth Hepher, sed solum Geth. Verum patria Ionæ est Geth Hepher 4. Regum 14. Quia igitur Geth hoc cesit in sortem tribui Zabulon, videtur Ionam fuisse ex tribu Zabulon. Patrem que habuisse Amathi, vt scriptura testatur. Et tu crede contra Nicolaum, fuisse verè filium Amathi Ionam, vt paulò antè prædicebam, & argumentum Nicolai, si fuisset verè filius ex regula Hebræorum Amathi fuisset propheta, non est solidum, siquidem regula illa, quando propheta nominat patrem suum, item pater fuit propheta, ab Hebræis non omnibus traditur, & nullo fulcita fundamento sufficienti, vt dissertum est, in explanatio. ad Amos, & quis scit si forte fuit propheta. ¶ Sunt vero quibus arrisit, Ionam fuisse ex tribu Asser, ex materno genere. Nam tradunt genitricẽ Ionæ, Sareptanam fuisse, at ex tribu Asser duxisse originem. Verum hoc qua facilitate affirmatur eadem negari potest. Sufficiat nobis scripturam, Ionam non Sareptanum, sed Getheum appellandum docuisse cum dixerit patriam eius fuisse Geth Hepher: pro quo corruptè legitur Opher. Erat enim cognomen illius oppidi, vt discerneretur ab alijs oppidis eiusdem appellationis. Scripsit alium codicem propheticum, vt liber indicatus Regum docet, de gestis Regum Israel qui tamen nõ extat fuit, contemporaneus Isaiæ, & Oseæ, Ioel, & Amos vatibus. Sub Ieroboam filio Ioas regi Israel prophetico floruit munere.

Argumentum in Ionam Dei Vatem.

DEVM scripsit Apostolus esse Deum non solum Iudæorum, quinetiam gentium, siquidem vniuersum humanum genus ipse condidit. Quanuis enim specialem curam gesit Hebrææ nationis, hanc singularibus muneribus nũquam nõ prosequens, adeoque se huic nationi propitium suam fecit, & benignũ, vt in nomenclaturam patres huius nationis vocaret. Ego ait, sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, patrum vestrorum. Porro autem, etiam se curam gentium habere aliquando demonstrauit: volens eos ad se trahere, & suæ diuinitatis notitiam veram illis instillare. Id quod facile modo demonstrat legans Ionam in Niniuem ciuitatem Regiam Assyriorum, vt illis prædicaret subuersionẽ. Atqui prophetarum legitur nullus, qui hac legatione functus fuerit ad gentes. Quanquam enim de Ierem. 49. legamus, legatus ad gentes missus sum: at vero non similem huic legationem obiuit. Non enim legimus quod profectus fuerit, vt prædicaret gentibus prædicatione publica suam pessundationem, sed vocat se legatum quia prædixit Amonitis, & Idumæis & alijs gentibus, quæ illis mala ventura erant. Mosem porro legimus legatum missum à Domino ad Pharaonem Regem Aegypti, non vt subuerteretur Aegyptus, sed vt liberaretur Dei populus. Quid quod est modo sermo de ijs qui recẽtur in catalogo Sanctorum Prophetarum. Moses autem non recensetur in horum numero: quippe solum recensentur 16. Porro singularibus prærogatiuis alijs fulget hic vates, si quidem ex patris nomine, ex patria, ex propria appellatione, ex legatione, ex maris spontanea submersione, ex cœti deuoratione, ex eiusdem cœti vomitu seruatorem nostrum Iesum Christum adumbrabat. Pater nanque eius Amathi appellatus est, quod interpre-

Ionas legationẽ fungitur diuina ad Niniuitas.

Ionas multis prærogatiuis fulget.

tatur veritas. Vnde Ionas fuit filius veritatis. Patria autem eius Geth, Hepher nuncupata, quæ interpretatur torcular. Ionas autem interpretatur columba, legatione autem functus est ad gentes Niniuitas, qui id temporis erant florentissimi, & potentissimi, & legato hæc tristis & aspera erat, scilicet, quod quadragenario spacio erat subuertenda Ninive, submersus est in mare, ex cuius submersione nautæ & socij nauigationis, salutem sunt consecuti. Deuoratur à cœto & tertio die incolumis euomitur ad litus maris. Sanè hæc omnia egregiè saluatorem nostrũ repræsentãt. Ipse enim est via veritas, & vita, & filius æterni patris qui est infinita veritas. Ipse de se loquitur per vatem torcular calcaui solus, & ex gentibus non fuit vir mecum. Nam in cruce, ceu in torculari racemus exprimitur, fuit Dominicus expressus sanguis, quo ceu diuino vino potantur in Eucharistia Christi fideles: siquidem sub specie panis, vinum hoc etiam latitat, & non solum sub vini specie in sacro calice, super Christum quoque sub suo baptismo, Spiritus sanctus descendit in specie columbæ. Et quanuis Christus non prædicauerit gentibus ipso testante Matthæi 15. Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt ex Israel: at vero Apostoli & discipuli Christi hac legatione functi sunt. Vnde Paulus 2. Corinthiorum 5. Ephes. 6. legatione fungimur pro Christo. Et Christi euangelium prædicatum est gentibus: ideo Isaiæ 42. Messiæ pater alloquens ait, lucem gentium dedi te submersus est sponte non coactè Dominus in mare tribulationum, & laborum: quia tandem, ipsum Iudæi & gentes affixerunt cruci. At vero submersio eius, fuit emersio totius mundi. Deuoratus est à morte, vt Ionas à cœto, deuoratio enim illa Ionæ mortalis erat secundum ordinem naturæ. Cæterum tertio die glorioſus surrexit triumphans de morte, vt Ionas Dei gratia de morte fuit ereptus in vitam. At dicet aliquis non fuit mortuus in ventre cœti: at vero Dominus in sepulchro iacuit mortuus: Vnde videtur, quod non omnino correspondet figura hæc morti & resurrectioni Iesu Christi. Quum alioqui Dominus dixerit. Sicut fuit Ionas in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus Matthæi 12. ¶ Respondetur Ionam non fuisse mortuum in ventre cœti, nam ibidem precatus est Dominum: at vero lege naturæ ibidem impossibilis erat illi vita, & perinde erat ac si fuisset mortuus: siquidem sensibus ibi non poterat vti, sed sola mente, & hoc Dei miraculo: ideo aptè congruit figura figurato. Quid quod Dominus, in sepulchro etiam diuinitate viuebat. ¶ Vnde & hoc decoratur præter dicta insigno Ionas noster, quod est figura mortis, & resurrectionis Christi, ipso Christo docẽte, cuius nemo potest refragari testimonio. ¶ Quanuis autem Ieremias etiam gesserit typum Christi, & alij Dei vates: at verò non patefecit hunc typum Christus. ¶ Et demum vocationis gentium ad fidem Christi nullus clarius expressit typũ quã Ionas. Enim vero etiam si multa prædicarint cæteri prophetæ, contra gentes, vt contra Moabitas, Chaldæos, AEgyptios, Amonitas, Idumæos, & Philisthæos, vt in Amos, Ieremia, Isaia, cæterisque vatibus est videre: at vero nusquam legimus ad prædicationem eorum, gentes egisse pœnitentiam, vt ad prædicationem Ionæ Niniuitas à Rege vsque ad plebeios grauissimam fuisse legimus pœnitentiam. Id quod Dominus testatur Matthæi 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio & condemnabunt generationem istam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Porrò non perstiterunt in pœnitentia, sed sicut canes reuersi sunt ad peccata quæ vomuerant, vt ex Tobia capit. Vltimo: colligitur, propè inquit erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: Vnde videtur Ionæ prædicationem, & Niniuitarum pœnitentiam fuisse antiquiora morte, & forte Tobiæ vita.

EXPLA-

EXPLANATIO
IN IONAM CAP. I.

FIT factum est, verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens, Surge, vade in Niniuen, ciuitatem grandem; & prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me. Vt nemo eleuat autoritatẽ sanctorum prophetarum, vt eleuarunt hæretici quidam, affirmãtes, phanaticos fuisse prophetas: & quæ in buccam venerãt, ea effutiebant, ideo, munit dicenda ab ipso, muro fortissimo, diuinæ illustratiõis, qua ipse vt cæteri sancti prophetæ fuit illustratus. Hoc enim sibi vult, *factum est verbum Domini ad Ionam.* Id quod non est opus intelligere, quod vocaliter Dominus sit illi locutus, vel alijs sacris vatibus: sed necessum est intelligere, verbum hoc Domini internam fuisse locutionem, seu manifestationem diuinorum mysteriorum. Vt illud Isai. 50. Dominus mane erigit mihi aurem, & ego non contradico: non de auricula vel aure exteriori subaudiendũ est: sed de aure interna: quæ est mens prophetæ, quæ cũ illustratur, ad percipienda Dei arcana, tunc aperitur supernaturaliter à Deo. ¶ Ideoque sæpe per quietem Deus aperiebat aures has suorum propheratũ, quia tũc mens subducta est magis, ab strepitu rerum sensibilium: & redditur capacior propheticæ illustrationis. ¶ Sensibilia enim valde distrahunt mentẽ, à sublimitate sui actus. *Filium*, dudum in argumento ad hunc vatem, contendebã cum Nicolao, Ionam fuisse carnalem filium Amathi: & non symbolicum, vel mysticum, vt ipse asserere videtur. Et sufficiat nobis, quod scriptura absolutè vocat hoc loco, & 4. lib. Reg. Ionam filium Amathi, vt planè doceat. Amathi verum fuisse patrẽ Ionæ. *Dicens surge.* Hoc est Dei præceptũ, præcipiãs Ionæ. Vt vadat in Niniuẽ magnã, & clarissimã vrbẽ, & annũciet Niniuitis, quod malitia eorum ascenderit coram Deo, vt olim clamor Sodomorũ ascẽdit corã Deo. Figurata est locutio hæc si quidẽ peccata, cum sint priuationes iustitiæ, accidere nequeunt, verũtamen hoc loquendi tropo scriptura vtitur & in bonũ iuxta illud, eleemosynæ tuæ & orationes tuæ ascenderũt in memoriã in conspectu Dei Actor. 10. & in malũ, itẽ vt in hoc loco. Sicut autẽ ascẽdere orationes, & eleemosynas in conspectu Dei, est Deo esse quam gratissimas, & velle Deũ eas exaudire, ita ascendere malitia coram Deo, est Deo valde displicere, & velle eam vlcisci Vnde Apocal. 18. Exite ait de illa populus meus, vt nẽ participes sitis delictorũ eius: & de plagis eius non accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum. At hoc explicans, quid sit quod peccata perueniant vsque ad cælũ, subdit & recordatus est Dominus iniquitatum eius. Recordari autem Deum iniquitatũ, est de peccatis pœnas sumere. *Surge*, non est necesse credere vatem iacere, aut sedere, quia ait, *Surge*, siquidem per surgere, nihil aliud intellectum volo, quam egredere de loco tuo, & vade in Niniuen. Magnitudo huius vrbis celebrata est in sanctis scripturis. Etenim Genes. 10. vocatur magna, & Iudith. 1. cuius tempore, erat Nabuchodonosor, vrbis huius clarissimæ rex. Erat regia Assyriorum, quam moderabatur Senacherib, sub Isaiæ ætate. Hãc autem ædificauit Assur Gene. 10. Ferunt autem Assur eundem fuisse, qui dictus est Ninus Assyriorũ primus rex. Huius quoque Sardanapalum fuisse Regem, & magnis opibus condecorasse Herodotus scribit, sunt que qui censeant Sardanapalum fuisse regem Niniue, & imperij Assyriaci tenuisse moderamina, quando Ionas, illo profectus est, prædicaturus tantæ vrbis ruinam. Hanc vrbem Eusebius, vocatam putat Nisibim, Herodotũs verò, & alij, Latini Græciq; autores Niniuẽ, quæ interpretatur pulchra. Et surrexit Ionas *Et fugit in Tharsis, à facie Domini.* Equidẽ nonnullis confessum est, prophetã fugisse in Tharsis, eo quod opinabatur se posse, abscondere, à Dei conspectu, verum non possum ire in horum sententiam. Qui enim fieri poterat, vt Dei propheta, ignorasset, nihil potuisse latere Deum? Quid quod Psalmus Dauidicus, quem ipse nõ ignorasset apertè aiebat, si ascendero in cælum tu illic es, &c. itaque arbitror, plebeios Iudæos, istud fidei dogma, nõ ignorasse: quid quod prophetam nõ latuisset? Verũ quia textus hoc præfert quod isti autumãt, sensum literæ sic habeto, fugit à facie Dñi, id est, à terra sancta. Etenim quia ibi solũ ex toto orbe colebatur Dñs, ideo cẽlebatur, quod vultus Dñi solum spectabat in terrã sanctã, propter celeberrimũ Salomonis phanũ ibi cõstructũ: fugiẽdo ergo

Cur per quietẽ pro phetis plerunque cõtingit prophetica illuminatio.

Ascendere in scriptura, in bonũ & in malum vsurpatur.

Ninive quæ sit.

Sardanapalus Rex Assyriorum.

go terrā illam dixit se fugere à facie Dñi. Sed ais, quorsum ergo fugiebat terrā sanctā, si certo tenebat, vbilibet esse Dñm, dicito, quia existimabat se extra terram sanctam, non potiturū lumine propheticō: ideoq; Deū illi non impositurum, denuò, quo concederet Niniuē, quia extra terrā sanctā, sciebat, pphetas non prophetasse, saltem suo seculo: nam Daniel, & Ezechiel, qui in Chaldæa prophetarunt fuerunt multo post Ionam. Quid quod tunc Iudæi erant omnes in Babylone captiui, & non in terra sancta. ¶De Tharso autē aut Tharsis variæ sunt sententiæ. Et primo hoc confessum Tharsum sine spiritu, significare metropolim Cilicię, vnde Paulus appellatur Tarsensis. Quia inde deduxit originem Acto. 22. Tharsis vero quidam interpretantur chrysolitum. Alijs placet esse mare Mediterraneum fuitque nomen filij Iauā, Gen. 10. ¶Vnde, qđ ait vt fugeret in Tharsis significat, vt veniret in mare Mediterraneū. Et fauet Chaldæus paraphrastes huic interpretationi, quia de Cilicia non videtur locum hunc aptè intelligi posse. ¶Verum neque de mari Mediterraneo videtur congrua expositio. Quia studium vatis erat per mare concedere in Tharsis. Vnde ait venit in Iopem, Hispanè Iapha, vt inde nauigaret in Tharsis. Et dato naulo, scilicet nauigationis faciendæ pretio, vel nautica merce de, contendebat vates, in Tharsis concedere. Quare alij dicunt Tharsis, significare hoc loco, Tunetum, Hispanè Tunez, ciuitas in Africa, nobilis. Et hoc probant ex coniectura, quia à Iope, qui est portus maris Mediterranei, est facilis nauigatio in Tunetum, vel Carthaginem, quæ Tuneto proxima est. Verum Chaldaica sic habet, *Fugit in mare, vt non prophetaret in nomine Domini.* At continuo se pandit dubitatio, nunquid nauigatio, impedimento erat propheticæ functioni? siquidem nauigatio, nihil affert impedimenti, vt neque Paulo fuit impedimēto, marina tempestas, quominus illi manifestaret Deus, homines cum illo nauigantes, incolumes euasuros, maris illam acerbissimam potestatem, cur igitur ait, ne prophetaret, &c. ¶Quidam arbitrātur, Ionam mare studuisse tranare, vt inde sibi Carthaginem pateret accessus. Carthago enim erat, nobilissima ex mercimonijs: & ideò famosę erant nauigationes in Tharsis propter frequentiam mercatorum, illo confluentiā. Et in diuinis Scripturis, est celebris, huiusmodi nauigatio, & magna fit mentio nauium, quæ deferebant merces in Tharsis: erat quippe id temporis Carthago nobilissimum Aphricæ emporium. ¶Ionas igitur, venit ad Iopen, vt inde se cōferret nauigatione in Carthaginem, vt exerceret mercaturæ officium. Et quia hoc mercaturæ officium, valde se opponit propheticō muneri studebat, hoc impedimēto se à munere prophetico excutere. ¶Et ad hanc rationem credit intelligendum quod ait, *fugeret à facie Dei*, idest, voluit respuere à se propheticum munus. Nam credit faciem Dei hoc loco significare ad esse suo muneri. Et fugere à facie Dei, est impedimētum opponere suo prophetandi muneri. Sicut esse ante faciem Dei, est adesse suo muneri prophetico, vt Elias dixit, Viuit Deus, ante cuius cōspectum sto, idest, cuius virtute prophetali fungor actione modo. ¶Verum mihi videor hanc coniecturam, non esse probatam legitimo argumento. Siquidem negotiatio, seu mercatura, nihil impedit prophetiæ donum. Hoc nanque cum sit gratia gratis data, à quouis peccato nō impeditur. Vnde illud, Nonne in nomine tuo prophetauimus, quibus è vestigio respondebit Dominus, Amē dico vobis, nescio vos. Dicere igitur Ionam Carthaginē contendisse, negotiādi gratia, vt ex negotiatione ineptum se redderet prophetali functioni, videtur absque causa assertum. Rursum dicere, quod à facie fugere, est non adesse suo officio, vtique non probat locus ex 3. Regum inductus. Ibi enim Elias cū ait, Viuit Dñs, &c. iureiurādo volebat asserere, quod annis illis, nō erāt futuri rores, & pluuia. Vnde itē Paulus, cum iurat, ferè eadē vtitur forma, Ecce corā Deo, nō mētior ad Gala. 1. Corā Deo enim & in conspectu Dei idē sunt, & idē denotant Deū esse testē eorū quæ affirmabātur. Qui autē Deū inducit in testē suorū verborū, ille iuramēto firmat quod asserit. Porrò autē, ego dixerim, formā hāc loquendi à facie, Scripturis frequentissimam, diuersa significare, iuxta subiectam materiā. Nam fugere à facie gladij, vel à facie colubri est perinde ac si diceretur fugere à colubro, vel à gladio ipso. Et fugere hæc, est fugere morsum colubri, & percussionem gladij. ¶Iam verso Dei significat manifestum iudicium. 2. Thessal. ca. 1. dabūt pœnas à facie virtutis Dei, & glorię ipsi⁹, idest & potētissimo Dei & gloriosissimo iudicio, punientur, infideles qui non mouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio. Et Ierem. 15. cōticuerūt arua pacis à facie furoris Dñi, id est à iudicio irato Dei, quod protulit contra agros Ierosolymitanos. Et illud Genes. 4. à facie tua abscondar, quæ verba sunt Cain, id est ex tuo iudicio quod cōtra me protulisti, defertus ero tuo diuino fauore vnde itidem, quod modo legimus Ionam concessisse Tharsis, vt fugeret à facie Dei, possemus interpretari, si prior quæ est Lyrani expositio, interpretationō arridet legenti, ideſt, vt effugeret executionē diuini mandati iubentis, vt iret in Niniuen. ¶Elegit autem ire in Tharsis, quia erat tunc frequens nauigatio in Tharsis, multarū gentium, illo cōmigrantium. Et cum Carthago esset terra gentium idololatrarum existimabat vates se ibi tutum fore, à nouo Dei mandato prædicandi Niniuitis: propter causam supra expositā, scilicet, quia valde distabat à terra sancta Carthago, si tamen Tharsis est Carthago. Et quantum cōiecturis assequi licet videtur, quod Domini præceptum. *Surge, vade in Niniuen;* fuisse notū Hebræis coætanis Ionæ; ideoq; Ionā intendisse longissimè quoad licuisset, se facere à terra sancta, nè quispiā sibi vituperio daret, quod Dei legationē non exequeretur. Ideo non discesit in terras proximas terræ sanctæ ad Idumæos, videlicet, vel Moabitas aut Ægyptios vel ad reliquas finitimas. Hebræis nationem quia ibi non posset latere, adeò vt contumeliā effugeret nō exequendi diuini mandati. ¶Arbitror igitur Tharsis, locū lōginquā nimis denotare: siue is sit Carthago, siue quæ vis alia vbilibet sita ciuitas. ¶Quærit aliquis cur Ionas detrectat hoc exequi mandatū quandoquidē Moses detrectās legationē, ad Pharaonē, excusat linguæ balbutiē, & Ieremias subterfugiens eandē ad gētes, excusat pueritiā. At verō, hic nihil legimus excusare Ionā. Respondetur, q̄ forte causa erat, quia Rex Assyriorū erat potentissimus tunc, & ideo Ionas timuit illo ire ne audita tristissima ei⁹ prædicatione, à populo lapidaretur, aut à rege, trucidari iuberetur. Vnde suæ vitæ consulens, voluit alio diuertere.

¶Alijs autem alia ratio probatur: quoniam, aiunt, sciebat Deum ēsse misericordem, vnde si audita tristi eius prædicatione, Niniuitæ egissent pœnitentiam, Deus suspenderet suæ iræ flagella. Id quod arbitrabatur futurum sibi & Deo dedecori: quia vt vanus derideretur Dei propheta.

¶Verum hæc ratio conuincit nihil, si quidem, non poterant de mendacio redarguere vatem, siquidem, si Niniuitæ ad prædicationem Ionæ retractassent pessima errata vitæ suæ, vnde Deus iterum retractasset ruinam Niniuæ, tunc equidem prophetia, non fuisset *mendax*, quia hāc secum inuolebat conditionem, ruituram Niniuen, nisi placassent Deum correctione vitæ, & pœnitētia scelerum suorum. Vnde etsi non fuit subsecuta ruina Niniue à Iona prædicta, eum tamen non subsannarunt aut irriserūt, vt mendacem, imo vt credibile est summo honore habuerunt, vt vatem Domini. *Et inuenit nauem euntem in Tharsis, & dedit naulum eius & descendit in eam, vt iret cum eis in Tharsis à facie Domini.* ¶Sæpe Deus hominem relinquit suo arbitratu facere, quæ volunt, vt inde vberius diuina dispositio compleatur. Non enim impediuit Ionā Deus ne suum exequeretur animum: at verō inde mirabilius Deus effecit quod intendebat. *Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari: & nauis periclitabatur conteri.* Non est necesse, vt credamus hanc tempestatem fuisse miraculosam, sed naturalē, satius est credere vt fuit illa, quæ apostolum presit, vt gestorum apostolicorum narrat historia. Deus operibus naturæ etiam vtitur, ad correptionem, & correctionem nostram. Vt visus est hac magna tempestate, ad emendationem sui vatis, & vt lucraturi homines, qui cum illo nauigabant. *Et nauis*, ideſt in summo periclitabantur discrimine vitæ; qui erant in naui, quia proximum videbatur naufragiū. *Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum*, cum nauclerij, qui peritiā habent nauigandi, sciunt naufragari, magnum est nauis periculum. Timuerunt autem non solum nautæ, sed etiam, qui nauigio ferebantur. Et quo repti magno timore, vnusquisque eorum, à suo Deo implorabat auxiliū. Vnde videtur, nauem onustā fuisse ex varijs nationibus idololatris: quia vnaquæque implorabat sui Dei auxiliū: quippe quę nō profitebātur vnū Deū

Forma iurandi Hebræorum.

Quid velit in Scripturis comuneta forma loquendi à facie.

Exodi 5. Ierem. 1.

In cōmina torijs, & promissorijs vatici nijs condi tio semper inuoluta latitat.

Actor. 27.

communem. *Et miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare, vt allenuarentur.* Per vasa subaudi merces, quas timẽtes naufragium solent nautæ, & domini earum, proijcere in mare: quia melius est eas perdere, quam propriam vitam. ¶Et huiusmodi iactationem mercium in mare, vocat Aristo. voluntariam quidem simpliciter, inuoluntariam verò secundum quid. Quia, nolуissent Dominij eas in mare iactare, si alias, incolumitas constaret. *Et Ionas, descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.* Id quod miratu est dignissimum, quod in tanta nautarum & hominum qui vehebantur in naui, turbatione, & ad tam turbulentam iactationem mercium, vnde necesse erat clamores, plausquã Stentoreos excitari, Ionas nihilominus, altissimè dormiret. Atqui propterea docet Scriptura, quod ipse dormiebat, in parte profundiori nauis. Et cum nauis esset maxima vt videtur, ideo poterit fieri quod sopor, eius non excuteretur. Vt item legimus quod periclitantibus Apostolis ex maris graui suborta tempestate, Christus Dominus, profundè dormiebat reclinato capite super cernical: *Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei, Quid tu sopore deprimeris? Surge inuoca Deum tuum, si forte recogitet de nobis, & non pereamus.* Qui in maximis periculis sunt cõstituti, omnia quæ possunt tentare remedia tentant, nullumque nõ mouent lapidem si qua suffulgeat euadendi spes. Isti igitur, quia in falsis suis dijs salutis præsidia non inuenerunt, ad Deum verum confugiunt, vt inde sibi forte incolumitatem, conciliarent. Ideoque vatem Dei vocat pro ipsis. *Si forte cogitet, si forte sit propitius nobis. Et dixit vir ad collegam suum. Venite & mittamus sortes, & sciamus cuius hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.* Antiquũ fuisse rem sortium Iudæis, & alijs nationibus scriptura commemorat. Etenim Leuit. 16. ex Domini mandato, constitutis in templo hircis duobus, super illis mittebatur sors; & super quem cadebat sors, offerebatur Domino. Et Numer. 33. singulis prout sors exciderit diuidetur hæreditas. Et Hesther. cap. 3. sors missa est in vrnam, ad eligendum mensem, quo erant tradẽdi neci Iudæi, qui erãt captiui apud Assyrios, & exiuit sors, in mensem duodecimum. Et diuinatione per sortes vsus est Nabuchodonosor, quando venit ad bellum instructus oppugnaturus, vel Rabath metropolim Amonitarum, an Ierusalem metropolim Iudæorum. Et iecit sagittas in sortem, vt si caderet sagitta ad dexterã suam, quæ spectabat Ierosolymam, hæc esset impetenda armorum vi, si vero ad sinistram, Rabbath esset inuadenda, & cecidit sagitta, ad dextrum, consultis idolis primo & extis. Vnde videtur, quòd vsus sortium fuerit probatus Hebræis, & alijs nationibus, vnde isti qui nauigabant cum Iona, hunc morem secuti, sortes miserunt vt explorarent, ob cuius peccatum in mari suborta fuisset tam horrenda tempestas. Rabi Salomon, exposuit hunc locum, dicens ex eo motos ad sortes homines prædictos, quia videbant alias proximas naues incolumem habere nauigationem, & suam in qua ipsi vehebantur, magna torqueri tempestate: ideo crediderũt inter ipsos esse tempestatis meritum. Id quod vt explorarent, vsi sunt diuinatione ex sortibus. Vnde videtur, ex hoc Rabino, hanc tempestatem fuisse miraculo dandam. ¶Ego vero, non ducor in hanc sententiam, sed fuisse naturalem, etsi extraordinariam vt solet aliquando, & si raro accidere, quod in summo periculo versentur nautæ, & qui vehuntur. Quod verò aliæ naues proximæ ibi fuerint sospites, si admittamus, quia gratis videtur assertum, fieri poterat nihilominus, quod nauis in qua vehebatur Ionas difficiliora maris loca penetraret, quam aliæ proximæ naues.

Voluntarium simpliciter et inuoluntariũ secundũ quid.

Marc. 4.

¶Iam vero quæret forsan quispiam, nunquid ista diuinatio ex sortibus, probanda venit, an reijcienda? Et quidem, diuisio hæreditatis per sortem licitam esse ab Scriptura probatur, vt patuit, diuisio enim non est diuinatio. Sed propter pacem partium, diuisio est introducta per sortes: quando aliter ij, quibus est partienda hæreditas conuenire nequeunt. ¶Similiter & prouisio, seu electio beneficiorũ ecclesiasticorum, aliquando deducenda est ad sortes, vt quando duo sunt candidati ad beneficium ecclesiasticũ, & prorsus sunt pares suffragijs eligentiũ, & qualitatibus personalibus, deducenda est electio ad euentum fortunæ per sortes, vt in diplomate pontificio Sixti IIII. de eligendis canonicis magistralibus, & doctoralibus cõstitutum est. Huiusmodi enim electio, aliter fieri nequit quãdo ex iure ambo

Diuisio hæreditatũ per sortes semper est licita.

Ad beneficia ecclesiastica electio per sortes est licita, quando est necessaria.

ambo cãdidati quos vocant oppositores, sunt omnino pares, tunc enim ius æquale est in omnibus, ideo non est potior ratio, quod eligatur vnus quam alter, & si vnus eligeretur, alio neglecto, fieret ei iniuria, ideoque, quod ex iure decerni nequit, benè committitur fortunæ vel casui fortuito. Et similiter qui disponeret testamento, vt vectigalia, quæ ipse legat puellis dotandis ad matrimonium, distribuãtur per sortem rectè disponeret. Itaque missis in venam schedulis continentibus nomina puellarum pauperum, & orphanarum, quæ prima prosilierit schedula, fortiatur maiorem partem vectigalium, quæ vero posterior, minorem portionem esse quatur, quæ postrema minimam, vt fit in oppido Cinitatensi. Hoc item fas est, enim vero legatarius, vt auferret ansam ex postulandi, cum distributoribus aut ambiendi, ad sortes distributionem deduxit; quæ distributio reducitur ad diuisionem per sortem. ¶Porrò in beneficijs ecclesiasticis, quando necessitas commemorata nõ cogit, nefas est vti sortibus. Quippe quãdo ex ordine iuris procedi potest, sortes sunt ab legandæ, extra de electio. ecclesia vestra. ¶Apostoli autem sorte elegerunt Mathiam: siquidem duos constituerunt, & Mathiam & Barnabam, ambos quantum fragilitas humana permittebat dijudicare dignissimos, & pares meritis, si tamen pro tanta functione, absoluenda merita sunt quæ sufficiant. Quam ob rem Apostoli decreuerunt, etsi ad humanum conspectum dignissimos, constituissent, super quibus sortirentur, quia tamen latebat diuinum iudicium quod est certissimum, præmiserunt preces sortibus iaciendis. ¶Itaque sors hãbebat tunc locum, propter dignitatis æqualitatem in vtroque constituto: at vero oratio fuit adhibita, quia ad tantum obeundum munus, nulla dignitas humana sufficiebat. Vnde electio illa magis tribuenda est diuinæ gratiæ eligenti, quam sorti cadenti si huiusmodi sortes appellantur consultoriæ. ¶At vero de sortibus diuinatorijs vrgentior est dubitatio, num fas sit huiusmodi sortilega vti diuinatione, quã vsus est Mardocheus; & item Nabuchodonosor? Imo etiam ante hos legimus Iosue 7. Iosue ex Dñi mãdato, sorte deprehẽdisse furtũ factũ ab Achor. Et Saul, sorte eligitur in regẽ & sorte itẽ deprehẽdit Ionathã filiũ suũ libasse apum mella. 1. Reg. 14. Ad hæc Augustinus in lib. psal. referũtur verba. 26. q. 2. cap. Sors, ait Sortes iacere esse indifferẽs, neq; de se bonũ, neque malũ moraliter: at vero legẽ euãgelica insinuat esse prohibitum. Et in capi. Non exẽplo Beda insinuat Ionã, & Apostolos ex speciali priuilegio vsos fuisse sortibus, At verò priuilegia paucorũ legẽ non faciũt: Porro autẽ firẽ hãc paucis placet disserere, equidẽ Ionã nõ legimus sorte esse vsum, sed solum sorte esse deprehẽsum: qui autẽ sortes miserũt, erãt qui simul vehebãtur cũ Iona in naui, vt litera docet. Similiter non legimus Apostolos hoc fecisse ex priuilegio. Imo ex lege hoc didicerãt. Siquidẽ magnus vsus erat Hebræis sortiũ vt exẽplis propositis in propatulo est. Et quidẽ cũ diuinatio sit occultorũ inuestigatio, & si sit diuinatio per sortes, ẽst per sortes inuestigatio occultorũ. Vtique si inuestigatio hæc per sortes, est licita & diuinatio est licita, sin autẽ est illicita, itẽ & diuinatio. ¶Porro autẽ, si de occultis peccatis agatur, quã inuestigatio occultũ peccatorẽ per sortes, vel quauis alia ratione crimẽ admittit. 2. q. 4. ca. cõsuluisti, vbi prohibetur, ne ferro candenti, aut aqua feruẽti, aut quauis alia ratione occultus peccator inuestigetur. Vnde ait, spontanea enim cõfessione, vel testiũ approbatione publicata peccata, præmisso Deiti more, cõmissa nostro regimini iudicare. Occulta vero & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorũ hominũ. Vocat autẽ occulta, quæ neq; infamia neq; indicijs, neq; clamorosis insinuationibus, aut alias publicantur, vnde eis posit inquiri. Hæc namque inuestigari possunt, non sanè per sortes, sed per inquisitionem, extra de accusatio. cap. qualiter & quando. Quo fit homines illos qui vehebantur cum Iona, crimen admisisse sorte inuestigantes peccatorem occultum, siue is fuisset Ionas, siue quiuis alius: & erat magna superstitio, hoc exequi facinus. Quandoquidem verè occultum illis erat, quod Ionas, non obtemperauisset Dei mandato, ideo nullatenus erat inuestigandum. Et quando infamia, vel indicijs laborasset non sorte, sed via iuris erat procedendum.

Sortes consultoriæ.

Differitur à diuinatione per sortes sit licita.

Peccata publica fiunt spontanea confessione, aut testium approbatione.

¶Sors enim ex se incerta est, quia casualis est. Vnde sicut cadit super nocentẽ ali quãdo, ita cadere potest super innocentẽ.

Vnde sortilegi non essent freti suis sortibus, nisi à superiori causa, conciperent euentus, certitudinem. Quod si à Deo vel angelo sanctis expectaretur sortis certitudo, ideoque præmissa prece, iacerent sortem: non esset sine culpa huiusmodi sortilegium, siquidem non est necessaria hanc expectare certitudinem. Apostoli autem, quia necessitas vrgebat eligendi Apostolum, quem subrogarent Mathiæ, ideo poterant à Deo expectare certitudinem, quod is erat eligendus, qui magis idoneus esset apostolatui. Quare si etiam magna vrgeret alia necessitas, idem facere quod Apostoli fecerunt, sine crimine esset. Quantus arbitror hoc in numero esse reponendum casuum raro contingentium, si forte contingeret.

¶ At vero arbitror Nabuchodonosorem, si dubium trahens mentem alterutrum esset sibi eligendum, an oppugnare metropolim Amonitarum, an metropolim Iudæorum, si inconsultis idolis, & extis, & nullam miscens aliam superstitionem, si sortes iaceret, & ex sorte aggrederetur, quod sors docebat non peccaret mortifere sic diuinando per sortes. Quanuis tunc propriè non esset diuinatio, quia diuinatio, certitudinem quandam ingerit, etsi sæpe fallacem, ei qui ea vtitur diuinatione, & magis esset coniectura quam diuinatio. ¶ Vnde Augustinus in epistola ad Hono. non respuit vt nefariam diuinationem per sortem, in casu videlicet, si sub persecutione hostium ecclesiæ, ignoratur qui ministri fugere debent, & qui ne manere, si sortibus tuus agatur, precibus in primis implorādo diuinum auxilium, quia tunc necessitas vrget sic faciendi. Sicut necessitas vrgebat Apostolos, vt paulò antè tradebamus, & id temporis, nullius esse culpæ tale modi diuinationem, certum habeo. ¶ Ex quibus omnibus tu colligito, diuinationem per sortes, semper esse nefas, si adhibeas eam ad inuestiganda peccata occulta, si vero ad inuestigationem, indifferentium ciedecum Augustino loco prædicto, quia de hoc est habendus cum ait, ex fide differentem esse.

¶ Nanque si non societur superstitione non est crimen, etsi quando careat necessitate venialem eam dices esse, si vero superstitiosa sit criminalis est. ¶ Quod si obieceris, & qua ratione inuestigat Iosue Achor furtum anathematis? Et qua ratione sacerdos per amaras aquas zelotypiæ occultum vxoris inexplorabat adulterium? Dicito, hæc fuisse celebrata ex Dei mandato, ideo nihil criminis habuisse, Samuel autem elegit Saulem per sortes, quia ipsum ex diuino elegerat beneplacito. Verùm adiecit sortes, vt tribus aliæ nihil expostularent cum Samuele, credentes sorte ipsam elegisse Saulem sua autoritate. Saul autem explorans per sortem Ionatham in crimine fuit, quia ad necem eum explorabat: vt semel igitur rem hanc dicamus, & in summam perstringamus, sors etsi de se sit incerta, quia ad casum & fortunam reducitur eius operatio, quæ sunt causæ per accidens, & non per se: at vero, nonnunquam ex diuina directione habet affectum certum, vt in sorte Achor, in sorte Saul ad regnum, in sorte Ionathæ ad necem, in sorte Ionæ propter quam hæc quæstio mota à nobis est, est videre. Deus enim vsus est malo socio rum Ionæ in nauigatione ad bonum, id est ad ostensionem potentiæ suæ, seruantis Ionam in ventre cœti tribus diebus atque noctibus. Vt in ipso adumbraret mysterium mortis, & resurrectionis suæ conferre poteris sortem in somnijs, de quibus dixit Aristoteles libr. de insomnijs, neque esse contemnenda, neque multi faciendi. Siquidem quædam sunt vera, ideo non prorsus negligenda: plerunque autem sunt falsa, ideo non obseruanda, ita prope modum sortes nonnunquam collimant, sed plerunque errant, ideo non obseruandæ: sed iam ad vatem pedem referamus. ¶ *Et dixerunt ad eum indica nobis, cuius causa malum sit nobis, quod est opus tuum, quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo tuo es?* Similèm fecerunt milites Assyrij interrogationem ad Iudith, quando eā deprehenderunt. ¶ Confessum porro est hominibus etiam infidelibus, mala quæ patiuntur, accidere ob peccata, quæ patrant, ideo isti socij Ionæ imminens naufragium peccato graui alicuius ex socijs tribuunt. Non aduertentes, quod item poterat esse peccatum omnium ipsorum aut maioris partis ipsorum. Neque considerātes se idololatras esse, quod est summum scelos, ob quod ipsi digniores erant vt paterentur naufragium, quam Ionas qui erat pius cultor Dei veri. Mala autem temporalia, etsi nonnunquam accidant in flagellum peccatorum, non ramē semper

Divinatio per sortes de indifferentib⁹ de se indifferens.

Divinatio per sortes adhibita occultis retegēdis peccatis semper nefas est.

Numer. 5.

Sortes de aliquando dirigit.

Sortes conferūtur in somnijs.

Mala temporalia nō semper propter peccata sustinentur.

semper, sed ob alias causas. Siquidem pij sæpe illa sustinent, citra culpam suam, sed ad exercitium suę virtutis. Tempestatem igitur illam, quam mare vt solet excitauit, Deus ordinauit Ionam passurū ad ostensionem diuinæ potentiæ, & ad correctionem sui vatis. ¶ *Et dixit ad eos, Hebræus ego sum, & Dominum Deum cœli timeo, qui fecit mare, & aridam.* Hinc tu colliges, vt memorabam Ionam non fuisse natione gentilem. Nam hæc verba planè indicant fuisse Ionam, non proselytum, sed natione Hebræum. *Et timuerunt viri timore magno, dixerunt ad eum quid hoc fecisti?* Audito quod cultor erat Dei omnipotentis, intellexerunt turbatū esse mare, propter Ionæ peccātum, quia iam Ionas indicauerat eis quod fugerat à terra Hebræorum, nollēs exequi cibi impositū à Deo mandatum, ideo cogitauerūt, quod omnes essent perituri naufragio Deo omnipotente volente pœnas sumere, de fuga Ionæ. ¶ Cum enim quæsierunt quisnam esset Ionas, tunc indicauit eis nationem patriā & causam suam, ideo cum aiūt socij, quid hoc fecisti? ideest cur hoc fecisti, rationem exigunt cur effugerit Dei exequi mandatum: & hoc est quod ait. *Cognouerunt enim viri, quod à facie Dominifugeret, quia indicauerat eis.* Subaudi Ionas, & ideo valde timuerunt socij, expendentes se non posse omnipotentis Dei effugere vindictā quia socij erant Ionæ. *Et dixerunt ad eum, quid faciemus tibi & tessabit mare à nobis.* Quia cultorem Dei veri & forte patefecit eis, se esse Prophetam, esse cognouerat, ideo ab eo requirunt, quid faciēdum sit illi, vt maris tempestas sedaretur, & eis nō noceret. *Quia mare ibat, & intumescebat super eos.* Ibat Hebraismus, ideest æstuabat mare cōtra eos, vehementius. *Et dixit ad eos, tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grādis venit super vos.* Deus ab æterno disposuerat maris illam tempestatem illo tempore facere, ad vltionem peccati Ionæ, hinc forsan quis ducet illam tempestatem fuisse miraculosam, at vero, istud non colligitur efficaciter. ¶ Siquidem maris tempestas huiusmodi etsi aliquādo fit excessiua non excedit tamen ordinem naturæ. Deus autem per ea quæ accidunt secundum naturæ ordinem, vt sunt fames, pestilentiæ terremotus magni, & hoc genus alia Deus homines admouet vt Deū timeant, & sanctos patientia exercet, & peccatores à peccando deterreat sic in præsentia dicito ne multiplicemus miracula citra necessitatem, idem videtur de tempestate illa cuius fit mentio Actorum. 27. & Mar. 4. vnde quando veritatem scripturę seruare possumus in columē, sine miraculo, miracula non admittamus, secus est quando ipsum opus denarratum ab scriptura excedit opus naturæ, vel in subtilitia vel in modo, vel quando scriptura miraculum testari videtur, vt in subuersione Sodomorum, & in alijs non paucis, quæ ab scriptura referuntur. *Tollite me.* Maior fanè ex verbis emergit dubitatio num Ionas de verbis istis, sit arguendus vt de peccato suicidij. Enim vero qui causam damni dat, damnū dedisse videtur. At qui cooperatur peccato, peccat. Quia agentes & consentientes pariter damnabuntur. ¶ At vero Ionas dicens socijs. *Tollite me, & mittite in mare,* causa fuit suæ submersionis in mare, quæ erat exitiosa, & excitauit socios ad facinus, scilicet ad præcipitandum eum in mare, id quod socij facere non poterant, quia non erat iudices Ionæ, neque à Deo ponebatur autoritate, vt Ionæ reatum ipsi ex præcipitatione maris purgarent. ¶ Et rursus neque euidens erat illis, quod præcipitādo Ionam in mare, essent ipsi erituri à naufragio. Nam si hoc ipsi ex Dei reuelatione habuissent, inculpabiles essent: at nulla est tales reuelatio.

¶ Vnde reor hos socios Ionæ ipsum proijcientes in mare, de crimine homicidij esse reos: imo si ipse se patefecit esse prophetā Dei, de propheticidio vt ita dixerim, id quod grauius est. ¶ Porro de ipso vate quid dicemus, qui videtur fuisse sibi mortis autor? nā consules socijs vt ipsum proijcerent in mare, mortis suæ causam fuisse facile quis dixerit. Cōsulens enim, 3. Physicor. est efficiens causa. Nisi dixerit aliquis Ionam ex Dei spiritu habuisse reuelationem, quod submersio illa in mare, nō erat ei futura exitialis: at vero istud vnde probabitur? ¶ Dixerim igitur Ionam per hæc verba. *Tollite, &c.* non consuluisse socijs suam in mari proiectionem, sed solū indicasse suum reatum, vnde dignus erat qui proijceretur in maris profundū. Quare sensus est, *Tollite & mittite*, ideest dignus sum, qui tollar à vobis, & demergar in mare: Ionas enim videns sortē cecidisse supra eum, intellexit magis suum reatū.

Si veritas scripturæ salua consistit sine miraculo miraculū non est admittēdum.

Socij Ionæ ipsum demergentes in mare fuerunt ex parte sua homicidæ.

Obseruanda disputatio.

ideo cõfessus est se esse dignũ submersione. ¶Et simili phrasi Dñs ait, omnis qui gladio interficit gladio peribit, idest, dignus est, qui iuste occidit quod ipse occidatur: alioqui pleriq; multi sunt homicidę qui gladio nõ pereũt, sed natiua morte deficiũt. Quod si dixeris, ob salutẽ aliorũ, iuste se poterat tradere Ionas submergendum à socijs, vtiq; præstãtior erat Ionas, quã socij eius: & propter vitã nebulonũ, iniustũ erat, se tradere alijs submergendũ. Quid quod ineuidens erat socijs quod ex submersione Ionę salus illis parabatur. Si quidẽ sedatio maris fuit miraculo danda: nõ eñ Ionas habebat virtutẽ sedandi maris, sicut miraculo est dãdũ, quod submersus in profundũ maris, sospitẽ haberet vitã in ventre cæti. Nihilominus eũ proijcientes in mare, homicidij erant rei: quia per se loquendo, ipsum tradiderunt morti, quia quod seruatus fuerit incolumis, operatio fuit miraculosa, cõtra ordinem vulgatum naturæ. ¶Forsan expositioni præhabitę insultabit quispiam dicens, nõ congruere textui. Quia subdit Ionas, & cessabit mare, idest, maris tempestas à vobis, ne scilicet sæuiat amplius contra vos. Porrò si sensus est, dignus sum qui submergar à vobis, non videtur apta contextura dicito, etiam num aptam esse dignus sum qui submergar à vobis vt cesset hæc tempestas. ¶Vel dicito verba esse sumenda non ex iussione, sed ex permissione: *Tollite*, idest, non repugnabo si tollar. *Et remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.* Conabantur socij Ionæ, remigando trahere nauem ad aridam, idest, ad portũ, qui vt videtur erat proximus: at vero superati tumultibus maris nõ valebant. Vnde videtur, quod isti socij Ionæ, nolebant ipsum proijcere primo, verum postquam cernebant, se non posse euadere mortem si diutius ferrent maris feruores demerserunt Ionam in mare. Quod autem ipsi non omnino spontanei ipsum demerserunt in mare, ex subdendis mox satis liquet. *Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt, quæsumus domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine sicut voluisti fecisti.* Quæ verba satis indicant, socios Ionæ non omnino voluntarios fuisse, in submergendo in mare Ionam: sed perinde se habuisse, sicut ij qui ob salutem suam seruandã mercẽs quibus onusta est nauis, proijciunt in mare. Qui vtique mallent non proijcere: at vero vt vitæ suæ consulant, proijciunt. Ita & isti ex Ionæ verbo aliter credentes vitæ suæ nõ posse consulere, Ionam proijciunt in mare: vnde isti excusantur ex tanto, non tamen ex toto. ¶Precantur autem Deum, vt illis ignoscat, quod morti tradant innocentem Ionã, vnde se esse reos agnoscunt, vocant eum innocentem, quia nihil mali socijs intulerat, quanuis suum peccatum iam confessus fuerat saltem in genere dicens propter me tempestas hæc grandis venit super vos. *In anima*, idest, ne punias nos istius hominis gratia, quia illum proijcimus in mare, *Sicut voluisti*. Tu Domine huiusmodi æstus maris vehementes excitasti. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo.* Subaudi statim stetit. Nam si interuallo temporis facto stetisset, non esset dandum miraculo, sed ordini naturæ, qui quos excitat sedat, marinos æstus. *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias, & vouerunt vota*, suum reatum agnoscentes valde timent diuinã de tanto scelere vltionem. At vero ad placandum Deũ sacrificia Deo sacrificarunt, & vota Deo nuncuparunt. Vnde videtur hos fuisse cõuersos ad cultum vnius Dei, aduertentes Ionam cultorem vnius Dei vera illis prænuntiasse, quod ex submersione eius maris tumultus essent sedandi. Et res equidẽ miratu nõ indigna, vt isti idololatræ, tam citò se transtulerunt (vt videtur) ad verũ Dei cultum, & precibus ad Deum verum fusis, & sacrificijs oblatis, & votis nuncupatis suam purgare culpam contendunt. Ad hæc diuinam etiam potentiam confitentur, dicentes. *Sicut tu voluisti fecisti.* Vnde sapientiores hos dixerim esse Luthero quippe nõ contenti sola fidei cõfessionẽ, operibus etiã, scilicet, sacrificijs & votis se obmuniunt, & precibus, vt suum illis à Deo donetur delictũ. ¶Porrò autẽ quia condimentum sensus literalis est mysticus sensus, si deo explorato vtcunque literali sensu, non nihil saporis ex allegoria illi addere nõ erit superuacuũ. ¶Hoc autem placet præmittere, quod est oppidò obseruãdũ, quãdo literas sacras deducimus ad allegorias, vel ad anagogẽ, aut tropologiam, nõ esse exquirenda exactã consonantiã figuræ, & figurati. ¶Siquidẽ vt interim alia innumera missa faciamus, qđ in manibus est modo, sat erit exẽplo. Enim uero, inficiari poterit nemo Ionã typum fuisse Domini, ipso testante Dño, sicut Ionas fuit tribus diebus, &c. vt præmisimus, in argumento ad hunc vatem. At vero quis non videt non per omnia consentire, siquidem Ionas subterfugit Dei mandatum, Christus autẽ de seipso testatur, sicut mandatum dedit mihi pater sic facio. In nullo nanque transgressus est Dei voluntatem. Quia peccatum non fecit, & non est inuentus dolus in ore eius, iam vero sublatis defectibus Ionæ historiam, ad Christum Dei verbum referamus. Ionas prædicaturus Niniuitis in nauem ascendit, nauigaturus in Niniue Dei verbũ prædicaturum mundo euangelium suum in carnem descendit. Quia propter nos homines & propter nostram salutem descẽdit de cælo, & incarnatus est, &c. caro autem diuini verbi, est veluti nauis diuini verbi. Quodammodo enim ferebatur Dei verbum sibi copulata humanitate est autẽ mare per quod nauigabat mundus hic, tunc autem cœpit nauigare, quãdo natus ex Maria virgine, iacens in præsepio, cœpit vultum suum diuinum lachrymis rigare ex brumæ rigore quam tenella infantis caro patiebatur produxit suam nauigationem quando iam adultus, euangelizauit, & miraculosa opera nunquã prius hominibus vita prodebat. ¶Surgũt huius maris venti & tempestuosæ procellæ cõtra ipsum, quando scribæ & pharisæi, ipsum infectantur cõuicijs. Iã enim ipsum Samaritanum, vocabant iam energumenum, iam violatorem sabbathorum, multisque alijs schomatibus, & blasphemijs in Christum agebant. Et nõ solum Iudæi sed gentes flauerunt contra Christum, id quod prævidens spiritu Dei illustratus Dauid aiebat. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et alibi gerens Christi personam conqueritur dicẽs Principes persecuti sunt me gratis. Tempestas igitur grandis excitata est in hoc mundano mari contra Dominum, vnde illud Simeonis, hic positus est in ruinã & resurrectionem multorum. Et Paulos, prædicamus Iesum Christum Iudæis quidem scandalum gentibus autem stultitiam. Cui concinit Apostolus Petrus, vocans Dominum petram scandali & lapidem offensionis. Et rursus Matth. 15. discipuli dicunt Domino, scis quod audito hoc verbo Pharisæi scandalizantur. Et demum aduersus euangeliũ tyranni, philosophi, vniuersa turba mundanorum hominum turbulentissimas excitauit procellas, & vniuersus orbis fuit turbatus, vnde ad ingressum Magorum quærentium infantem Christũ, turbatus est Herodes rex, & vniuersa Ierosolyma cũ illo. Matthæi 2. Et Iudæi deferunt Christum, corã Pilato, Lucæ. 23. quod commoverit populum docens vniuersam Iudæã incipiẽs à Galilæa. Hæc igitur summatim est tempestas suborta ex mundanis hominibus contra diuini verbi nauiculam. At vero, quid ait Ionas? Tollite me, & mittite in mare, quid Dominus? Soluite tẽplũ hoc, & tribus diebus reædificabo illud. Et rursus si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Mittitur igitur in mare Christus dum morti traditur acerbissimæ. Et vt Ionas non repugnauit missioni in mare, neque Christus repugnauit, siquidem sponte se subiecit morti oblatus est enim quia ipse voluit. Isai. 55. Et Ioã. 10. Animam meam nemo tollit à me, sed ego pono eam pro ouibus meis. ¶Deglutitur Ionas à cœto, & Dominus sepelitur in sepulchro. Nudauerunt Ionam mittendum in mare, nudant Dominum affigendum cruci. Dolẽt socij Ionæ quod ipsum proijciunt in mare. Et Christi crucifixores, dolent quod Christum cruci affixerint, vnde post Christi crucifixionem reuertebantur percutientes pectora sua. Et videntes turbatum cœlum obscuratũ Solem, terram tremẽtem, confessi sunt quidam Christum esse filium Dei. ¶Surgit à cœto Ionas incolumis, ad litus maris euomitus, surgit Dñs à sepulchro immortalis & impassibilis triumphans de hostibus suis, vt Ionas triumphauit ex gratia Dei de socijs suis qui hostes illi fuerunt tradẽtes morti innocentem. Proiecto Iona in mari, cessauit maris turbulentissima tempestas & resurgens Dominus ex mortuis, & scandens tribunal dextræ Patris, per Apostolos suos, traxit ad se totum orbẽ, & ex mundanis hominibus fecit cœlestes. Vnde mundani feruores contra euangelium sunt sedati. Nam qui videbantur Christi hostes, sanguinem fuderunt suum pro Christi amore, & incredibilia tormenta pro fide Christi pertulerunt.

Vita Prophetæ est vita publici & valde proficui in spiritualibus, ideo est excellẽtior vita aliorum.

Sola fides non est sat placando Deo irato propter scelera nostra.

Literalis sensus cõtinetur ex mysticus sensibus.

Allegoricus sensus.

Lucæ. 2.
1. Cor. 2.
1. Petr. 2.
Isai. 8.
Actor. 4.
Psal. 117
Matt. 21.

EXPLANATIO
IN IONÆ CAP. II.

Tradatio Vatabli.

T præparauit Dominus piſcē grādem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis, tribus diebus, & tribus noctibus: & orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis. Periodus tota hæc in quadam tranſlatione connectitur capiti priori ad calcem eius. At vero neque Græca, neque Hebræa noſtra, legunt hæc in calce capitis prioris, ſed exordium ſunt capitis ſecundi. *Piſcem* Græce cœtum vt Matth. 12. Lucæ. 11. Et equidem ſummæ eſt hoc geſtum admirationis, quod Ionas non laceratus dentibus cœti integer traijceretur in ventrem cœti, & ibidem non fruens ſenſibus frueretur tranquilla mente, adeò vt ex ventre cœti Dominū obſecraret. Et toto triduo, cœtus nō conſumeret ſuo calore Ionam, ſed neque ipſe conſumeretur inedia. Et quod ſimul exiſtens Ionas cum inteſtinis piſcis, non potens reſpirare nihilominus non ſuffocaretur. Et ab maris feruore quia aquę maris ſunt admodum calidæ, non læderetur. ¶Porrò etſi hæc & alia id genus Dei magnalia, ſi in ſeipſis conſiderantur, ſunt magnifica Dei opera, & conſideranti bus mirabilia admodum cæterum relata ad Dei omnipotentiam, cui tota natura ſubdita eſt, vt cæra in manu fingentis eā, aut ſicut lutum in manu figuli, deponunt ſuam qua potiuntur admirationem: quia non eſt impoſsibile apud Deū omne verbum ipſe enim qui ſtabiliuit ordinem naturæ, eundem pro ſua voluntate poterit inuertere. ¶Quid quod ipſam naturam ſi conſideras opera habet etiam valde mirāda, niſi quod quotidiano vſu viluerūt in oculis hominum. An non mirabile eſt, (vt ad rem loquamur) infantes in vteris maternis nouem menſium ſpacio ali & augeri? at reſpirationem eorum difficile eſt admodum inuenire, videlicet vt reſpirent in vteris maternis concluſi, vt Ionas in ventre cœti. *Et dixit, clamaui de tribulatione mea ad Dominum & exaudiuit me de vētre inferi: de ventre inferi clamaui & exaudiuit vocem meam.* Ventrem inferi vocat ventrem cæti, ſiquidem piſces grandes delitescunt in profundo mari. Profundum autem vel maris vel terræ inferus vocatur Hebræis, vnde locus damnatorum ob eā cauſam vocatur inferus vel infernus, & ſicut miraculo eſt dandum, quod Ioānes præcurſor Domini in ventre matris obſtrupuſus exultauerit, & vt quidam arbitrātur, vſum habuerit rationis: ita miraculo dabis Ionam in ventre cæti, preces porrexiſſe ad Dominum, quia erat opus ſupra naturam, ibi viuere; & multo amplius preces fundere. *Exaudiuit*, certus factus Ionas, ſe euaſurum incolumē ex vētre cæti, ideo ait, *Et exaudiuit me, & proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Per cor maris ipſam maris profunditatem atq; meditullium intelligit. Id quod miraculum amplificat. Siquidem per immenſos vortices aquarū tranſire vſque in profundum maris & nō ſuffocari erat opus contra naturam. Nāque in parua aqua ſolet homo ſuffocari, quid quod in tam vaſta maris abyſſo? vocat flumen ipſum mare, propter fluxū eius forte, & refluxum. *Et ego dixi abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum*: verumtamē rurſus. *Videbo templum ſanctum tuum*, ideſt in principio, cum iactarēt me ſocij in mare, exiſtimabam, me mortuum iam eſſe, & abiectū eſſe ab oculis tuæ miſericordiæ: at vero cito me animaſti & dediſti ſpem vitæ habendæ, & euadendi tam euidens periculum, vt iam lætus apud me dicerē videbo templum ſanctum tuum. *Circundederunt me aquæ vſque ad animam, abyſſus vallauit me: pelagus operuit caput meū*, ideſt vſque ad ſeparationem animæ à corpore, vel ad ſeparandam animam à corpore, erā circundatus aquis maris, quia dixerat ſe fuiſſe in profundo maris. Significat hoc ſermone, ſe in ſummo diſcrimine fuiſſe verſatum, amittendi vitam. *Ad extrema montium deſcēdi, terræ vectes concluſerunt me in æternum.* Piſces magni ſolent eſſe circa maris promontoria, eo quod ibi ſit aqua profundior; ideo per mōtes intelligit huiuſmodi promōtoria ad extrema horum deſcendit Ionas deglutitus à cœto, quia ibi reſident cœti. *Terræ vectes.* Perinde me habebam ac ſi vectibus terræ eſſem vndique concluſus. Vnde putabam, me perpetuo non euaſurum; aut hoc dicit quia cœtus erat inter promontorium, & litus & hæc vocat vectes terræ. *Et ſubleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus.* Repetit quod ſupra dixerat ſe exauditū à Deo

Valde ſūt opera naturæ ſed quia ſunt conſueta viluerunt apud homines.

à Deo pro ſua indemnitate, & incolumitate. Et equidem commendanda eſt fides, & ſpes Ionæ quam in Deum habuit. Nanque facile eſſet deſperare vitam ei, qui in ipſis mortis anguſtijs ſe cernit euidenter verſari, vt Ionas tunc erat in profundo delitescens maris. Et quid nōne Sara, riſit in corde, dum audiret ab Angelo, ſe ſterilem, & iam prouectam ætate cō cepturam filium, itemque quod Abrahā vetulo, erat prouenturum ſemen? vnde in commendationem Abrahæ Paulus ait in ſpem contra ſpem credidit. Quid quod Ionas deſperaret vitam, in tanto diſcrimine vitæ? vnde re vera commendanda eſt valde fides in Deum huius vatis, quod in ventre latitans cœti ſperaſſet, Deum eſſe cum ſubleuaturum à corruptione, & morte vitam ſuam. *Cum anguſtiaretur in me anima mea Domini recordatus ſum, vt veniat*, pro, & veniet *ad te oratio mea ad templū ſanctum ſuum.* Sane hoc miraculo Dei dandū eſt, quod Ionam in ventre cœti, excitaſſet ad fundendum illi preces: & mutatione vtitur perſonæ. Vbi vides Ionam credidiſſe Deum eſſe vbique. Nam ſi nō credidiſſet ex profundo maris, ex ventrique cœti, non precaretur Deum; at vero precatus eſt; quia ſciebat Deū omnia implere ſua præſentia, & eſſentia, & potentia. Et nouerat Dauidem dixiſſe, ſi ſumpſero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quā obrem, qui dicunt vatem fugiſſe Dei conſpectum, iniuriam irrogare vati videntur. *Qui cuſtodiunt vanitates fruſtra, miſericordiā ſuam dereliquerunt.* Per vanitates vt ſæpe alibi in ſcriptura, idola vana ſubintelligū tur; quia idolum vanum numen eſt. Scimus ait Apoſtolus, quod idolum nihil eſt, qui ergo adhærent idolis ea colendo, ſuam miſericordiam, ideſt autorem Deū omnium, vnde eſt expectanda miſericordia, & beneficentia dereliquerunt. Quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire. ¶At dicet aliquis, & quid nonne idololatris, multa eſt Deus impenſus bona? vtique, Dei enim miſericordia ampliſsima eſt, & omnes pios, & impios cōplectitur, teſtante Chriſto, qui facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Quod ergo modo ait, Idololatras deſeruiſſe miſericordiā ſuam, intelligendum eſt de miſericordia ſempiterna, quæ ſolis pijs conceditur. Aut facilius expones *miſericordiā ſuam*, ideſt Deū miſericordem, & beneficum derelinquūt, qui alioqui eſt Deus eorum. Ionas enim videns ſe à Deo maxima eſſe affectum miſericordia, proclamat Deum eſſe ſumme miſericordem, & indignatur proinde in idololatras, quod Deum tam miſericordē derelinquant, aut ſic expone, qui in tribulationibus ſuis, opera miſericordiæ idolis vouent, ea perdunt. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque vouiredda, pro ſalute mea Domino.* Confeſsionem diuinæ benignitatis circa eum exercitæ vocē laudis vocat, ideſt ego laudabo te Domine, & immolabo laudes tuo nomini. In quē modū dixit vates alter vitulos reddemus labiorum noſtrorum, iſtud enim exigit gratitudo, recognoſcere collata nobis beneficia, illa laudando, & autorem Deum enconijs miris proſequendo. ¶Videtur autem, Ionam, cum premeretur cum ſocijs maris illa infeſtiſsima, & funeſtiſsima tempeſtate, Deo pro incolumitate nuncupaſſe vota ſicut & ſocios feciſſe ſupra admonuerat: vnde Ionas in ventre cœti recubans, memoratur ſe vouiſſe Deo vota, at modo, aduertēs ſe incolumē, eadem ſe redditurum Deo polliceatur: vide quāti fecit ſua vota. ¶Vt taceat Lutherus, qui ridet monaſtica vota, & ea nullius eſſe obſeruationis, docuit. Et quidem votum Ionæ non erat votum monaſticum, ſed ſimplex votum, & etiam num in vētre cœti reſidens, memoratur voti, & pollicetur illud implere, vt reuera ſe impleſſe, quis non credet. Qua ergo ratione vota multo grauiora, qualia ſunt monaſtica, quæ ſolennia ſunt Lutherus contemnit, affirmans vota hæc neminem ligare? verum, quia ipſe volebat ſe ab illis abſoluere, ideo dogmatizauit vota nō ligare. At vero ipſe ſe ſanctè ligauit profitendo regulam ſancti Auguſtini, & peſsimè ſe abſoluit; profeſsionem deferendo. *Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam*, ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt diuino imperio omnia ſubduntur: quoniā omnia ſeruiunt ei: ex diuino igitur imperio piſcis, ſe ſuſtulit in litus, & euomuit Ionam, integrum & incolumē, cogita tecum tu ipſe cum ſe videret Ionas, hac luce gaudere, & ſe ab exitiali maris periculo ſubductum, quas Deo perſolueret grates, & qui vt inobediens fuerat deglutitus à piſce,

Valde eſt ſpes & fides Ionæ Iudæum.

Gen. 18. Rom. 9.

Ionas credidit Deū eſſe vbiq; diffuſum.

Matth. 5.

Oſeæ. 14.

Vota monaſtica obſeruandæ contra Lutherum.

à piſce, vt iam obediẽs euomitur: forſan exiges cur Dominus tã acerba maris pœnitentia, ſuum vatem corripuerit? Reſpondetur iuditia eſſe à nobis incomprehenſibilia: atſi coniecturis libet agere dixerim, quia per mare contendebat vates aufugere executionem diuini mandati; ideo in mari fuit à Deo punitus. Vt Paulus in ipſo itinere, quo pergebat Damaſcum vt diuexaret Dei fideles, fuit deiectus ab equo, vt Chriſtus in ipſo itinere, ſuam corriperet tyrannidem, qua correpta, ipſum lucraretur: vt Ionam eſt lucratus. ¶ Adhuc quiſpiam forte hæſitat, cur Ionas ſicut ait ſe vota Deo nũcupata eſſe perſoluturum, non ait, ſe iam libenti animo eſſe executurum Dei mandatũ, eundi in Niniuen, & cur nõ profitetur ſe dolere de inobedientia? Reſpondetur iſtud à vate ceu notum eſſe relictũ. Siquidem, Deus pœnitenti & obedienti incolumitatem conferebat, nõ autem impœnitenti, & diſcolo adhuc. Quoniam autem diximus myſticos ſenſus eſſe condimentum literalis ſenſus, adeoque hoc verum eſſe ducimus, quod ſicut pani addit ſaporem, obſonium ſi acceſſerit, ita propemodum, ſenſus literalis eſt ceu panis vitæ & intellectus, at vero obſonium crede eſſe ſenſus myſticos, quos ſi addas literali, mirũ eſt, quantum gratiæ, & ſpiritualis ſaporis adieceris. Per Ionam igitur, Chriſtum adũbratum ex allegoria diximus, at nihil obſtat, ſicut ex bono Chriſtum adumbrat, ita ex imperfecto eius, pœnitentem peccatorem figuret. Sanè qualem obſeruaſti Ionam in ventre cœti fuiſſe talem exiſtimabis peccatorem in profunditatem ſuorum peccatorum meditantem, & ad Deũ clamãtem pro venia, vnde aiebat Pſalmidicus, de profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Vnde ſicut Ionas ait, ſe clamaſſe ad Dominũ de ventre inferi, ita & pœnitentes, quadamtenus ratione, de ventre inferi clamant ad Dominum, cum verè reſipiſcunt à peccatis ſuis. Nam non temere decantat Dauid deſcendant in infernum viuentes, ſiquidẽ per conſiderationẽ profundam ſuæ miſeriæ, ex qua detinentur in ſuis culpis hac ratione in profundum ſuorum peccatorũ deſcendunt. ¶ Sanè de profundis clamat, qui ſe digniſsimum expendit, vt ad inferos torquendum deſcẽdat. De profundis item clamat qui in ſeipſo nihil boni meriti, ſed multa eſſe mala merita cogitat. De profundis, etiam clamat, qui ſe deiecit, & exinanit, & eſſe ſe vermem conſiderat, & indignum pane quo veſcitur, quia diuinũ offendit numen. Vnde ille in hac profunditate verſabatur, quando aiebat, ego miſ nimus ſum Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus qui priùs fui blaſphemus, & perſecutor. Nam reuerà pœnitentes, ſemetipſos deijciũt, coram Deo, vt dicant Pſalmi verba: vermis ſum, & nõ homo, opprobrium hominũ, & abiectio plebis. Nanque ſibi ipſis facti ſunt graues & ſibi fœtent; ſe vituperant, ſeipſos contemnunt veri pœnitentes, dum recogitãt in amaritudine animæ ſuæ annos præteritos, quibus ſordidarũt mentes ſuas, non timentes Deum. Vnde recte, cum hoc vate dicere poſſunt. Ego dixi abiectus ſum, à conſpectu oculorum tuorum: & rurſus, vectes terræ cõcluſerunt me. ¶ Annon vectes terræ ſunt peccata, quibus homo incumbit? vectibus obſerãtur portæ & peccatis obſtinatur humana mẽs, adeò vt cõtendat ſæpe peccata deponere & à ſe excutere, & difficillimã, atque ægerrimam hanc excuſsionem ſibi eſſe dolet. Imo ceu quibuſdam vectibus circumcluſum ſe aduertit peccator, & ſibi nõ patere exitum putat. Et quidem ſolus Deus eſt, qui hos infernales vectes confringere poteſt & cõfringet, ſi tamen, nos ſedulo contendamus ſimul cum Deo, eos comminuere. At optimo animo oportet eſſe, & ſperare in Domino: nam qui Ionam de profundiſsimo mari, de ventre cœti incolumem eduxit, is ipſe, ſi nos veræ pœnitentiæ operã dederimus à profunditate noſtrorũ peccatorum indemnes educet. Obſeruãdum eſt autem Ionam tribus diebus atque noctibus in ventre cœti reſediſſe, id quod non obſcurè inſinuat, tres dies & noctes peragendas, ſi veram pœnitentiam colere ſtudemus. ¶ Sunt autem tres iſti dies & noctes, quæ vulgo appellantur, cõtritio, confeſsio, & ſatisfactio. Dies quidẽ ſunt, quia peccatoris mentem illuminant ſua inuiſibili luce. Noctes autem, quia obſcuritatem habẽt tribulationis, & anguſtiæ. Eſt enim pœnitentia mœroris diſciplina. ¶ Horum dierum primus, qui clareſcit ex Dei munere peccatori eſt contritionis dies. Et hic eſt fundamentum pœnitẽtiæ. Siquidem ſi hanc ſubmoueris, cætera eua neſcunt. ¶ Contrito autem vt nos ſupra ſatis

Obſeruandæ dubitationes.

Veripœnitentes deſcribũtur.

Senſus myſtici ſunt ſicut obſonium, & literalis ſenſus veluti panis vel vinũ.

Tropologicus ſenſus.

Pſal. 54.

Contritio eſt fundamentũ & baſis pœnitentiæ.

ſatis diſputauimus, & dolorem præteritorum ſcelerum propter Deum, & firmũ inſtitutum, de abſtinendo ab illis in eſſentiam ſuam vocat. ¶ Neque credas phantaſijs & delirijs Lutheri ſuæ doctrinæ infernali buccina proclamantis optimam pœnitentiam, nouam eſſe vitam. ¶ Siquidem vt ſæpè admonui alibi in meis ſcriptis, hic ignorauit propriã vocabuli ſignificatiã, ſcilicet, quid ſignificat noua vita: enim verò ipſe ait nouã vitã ſolũ eſſe abſtinere ab erratis cõmiſsis. ¶ Itaq; tũc fur, mechꝰ, ſacrilegus verè pœnitent, apud Lutherũ cum abſtinẽt à furtis, mechijs, ſacrilegijs, & ita de reliquis. Iam vellem ab eo ſciſcitari, quid ergo ſi adhuc placent furta præterita furi, & mechia mecho &c. nunquid dices eſſe hanc nouam vitam? nõ arbitror. Siquidem nouitas duplex conſiderari poterit aut in opere, aut in animo in opere, eſt cum opus corrigitur, animi cũ animus renouatur, & tunc renouatur, quando depoſuit vetuſtatem peccati. Iam vero, ſi opus exterius emendatur, & animus eſt incorrectus, quia placet vetus, quæ placuerat vita, nũquid hanc dices eſſe nouã vitã? ſanè apud homines reputabitur noua vita, non apud Deum; qui ſcrutatur arcana cordis noſtri. ¶ Porro hic non differitur de noua vita apud homines: ſed de noua apud Deum. At dicet fortaſsis fautor Lutheri non neceſſe eſt ad veram pœnitẽtiam quod placeat, vel diſpliceat peccatum, ſat eſt ſi neuter ſit animus. Iam colligo, ſi neuter eſt animus, quia neque placet peccatum admiſſum, neque diſplicet, igitur non eſt renouatus animus. Siquidẽ peccati complacentia, quæ erat prior, vetus vita non poteſt depelli, niſi per ſuũ contrarium, ideſt per peccati diſplicentiã eiuſdem peccati, velit, nolit igitur Lutherus, confiteri cogitur neceſſarium eſſe animi odium de peccato, & nõ ſufficere ſolã nouã exteriorẽ vitam, ſcilicet abſtinere à peccatis commiſsis. At amabo, ſi mens nõ abſtinet quid prodeſt, quod corpus abſtineat? atqui mens nunquã verè abſtinebit, niſi firmiter deliberet amplius, non peccare. Neq; firmiter deliberabit iſtud: niſi benè diſpliceat, quod male placuit. Neq; bene diſplicebit, niſi propter Deũ diſpliceat, nã ſi diſplicuerit culpa propter mũdanas cauſas, apud Deũ nõ renouat mentẽ hæc diſplicentia. Sicut ſi diſplicet, de peccato vno, & alterum illi placet. Quod ſi hunc diſplicentiæ modum attigerit peccator iam dicere verè poteris, nouam aſſecutũ eſſe vitam: quia tunc verè conteritur de peccatis ſuis. ¶ Ideo dixi Lutherum affirmantem optimam eſſe pœnitentiam nouam vitam, vt inde inficiaretur neceſsitatem contritionis, & ſtabiliret ſuum procax dogma fidem ſolam ſaluti ſufficere, non eſſe aſſecutum ſignificantiam huius orationis noua vita. ¶ Multo ſanè melius Auguſtinus ſignificantiam eſt complexus dicens. Nemo poteſt nouam vitam inchoare niſi veteris pœniteat. Nam præceptum Apoſtoli didicerat. Renouamini; dicentis ſpiritu mentis veſtræ. Renouandum docet Paulus ſpiritum, ſed age quomodo renouabitur, ſi non odit mala, quæ prius amabat? nã ſi illa odit, illa deinceps non operabitur. Tum autem verè odit, cum cor contritum & humiliatum Deo offert. ¶ Finge hominẽ tantæ fidei, quantæ volueris, adeò vt aſſerat, ſe paratum eſſe pro fidei Chriſtiiugulum patefacere tyranno, & ignes ſubire, & horribiles cædes, ſi non odit peccatum quod commiſit, & ſi firmiter deliberet à peccatis abſtinere dices ne hunc habere renouatum ſpiritum & mentem, nõ puto, imo, dicerem, neminem poſſe firmiter deliberare à peccatis fugere, niſi ex odio peccatorum, vnde qui illa non odit, non poterit hanc firmam deliberationem habere. Ad nouam ergo vitam, contritio eſt neceſſaria.

¶ Fuit autem ſemper contritio ſub omni lege peccatoribus ad reconciliandam Dei læſam amicitiam, ſiue enim ſub lege naturæ, aut ſcripturæ, aut gratiæ lege, nulla alia via patuit, remittendis peccatis niſi ex peccatorum contritione: quam vetus ſcriptura, conuerſionẽ ad Deum frequentius vocat. Nam etſi frequens ſit prophetis contritionis vox: at noh in ea ſignificatione, qua vſurpatur à noſtratibus Theologis, ſed vt ſignificet fractura ſtatus, & magnam miſeriam. Etſi in Pſalmo. 50. à rege vate, in ea vſurpatur ſignificantia, quæ eſt in vſu Theologico Scholaſticorum, & ſanctorum doctorum. ¶ Porrò autem ſub lege gratiæ, non ſufficit ad ſalutem, ſola contritio & ſatisfactio quæ neceſſaria ſemper fuerũt in omni lege, ad remiſsionẽ peccatorũ. Vnde in Leuitico, ſatis exprimitur ſatisfactio, quãdo iubẽtur Hebræi p diuerſa qualitate peccatorũ diuerſas Deo per ſacerdotes facere oblationes.

Lutherus reſellitur.

Vitæ nouitas duplex & operis & animi.

Lutheri dogma peſſundatur.

Ephes. 4. 2. Cor. 4. Coloſſ. 3.

Contritio de peccatis in omni lege fuit neceſſaria.

Leui. 23. 4. 5. & 6. cap.

nes. Quæ sanè sine cõtritione,nõ relaxabãt culpas:at præmissa contritione, donabãt peccatorũ pœnas. ¶Cæterũ Christiano,aliquid addendum,vt Deo reconciliemur:nempe vocalis est superaddenda confessio. Non illa solum, qua Publicanus ille Deo confitebatur sua scelera, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori: sed simul cũm hac, ad aures sacerdotis confessarij,deponenda sunt peccata commissa,si velimus à Deo esse remissa. ¶Grauẽ porrò multi arbitrantur fideliũ esse hanc vocalem peccatorum confessionem: & equidem non est leuis. Verum si grauitas te terret,vtilitas te mulceat, admodum enim vtilis est. Sanè plerique multi fidelium,abstinent à peccatis ne sit eis necessum,ad aures sacerdotes illa instillare suo honori consulentes. ¶Et rursus pœnitentibus, mirã habet vtilitatem: siquidem, si per se pœnituissent,forsan non sufficeret eorum pœnitudo,ad vitam æternam consequendam:at vero quia subduntur clauibus Christi, & reuerentur Christi sacramentum,ideo quod illis deest, ad vitam consequendam, ex sacramento suppletur. Id quod Theologi tradunt dicentes, sacramentum pœnitẽtiæ ex attritis reddere contritos. ¶Pudor equidem est confiter, scelera,& sacerdoti pandere,quæ in penetralibus mentis residẽt,fateor, at hic pudor satisfactorius est. Et melius est erubescere modo coram homine quam erubescere in die iudicij coram Deo. Quod si fastidis hunc valde pudorem,abstine à peccato,& non te pudebit confiteri. Et si rem libratè expenderis, non est dedecus tibi prodere pœnitẽtiario,tua scelera,sed decus, & gloria. Nanque explere Christi mandatum, quis inficiabitur, esse magni honoris vt non explere, erit dedecoris? At vero, qui sua promit scelera sacerdoti Christi clauiculario, explet Christi mandatum de confitendo. Nam si confessio abroganda est,vt Lutherus eam abrogat, frustra sunt claues regni cælorum cõcessæ Petro, & Apostolis & successoribus. ¶Porrò Lutherus vt multos haberet suæ sectæ discipulos viam cælorum, studuit suauem & delicioſam facere, & ideo omnia quæ molesta videbantur fidelibus dogmatizat non esse vtilia. Ideo reiecit contritionem,quia dolorifica est,repulit vocalem confessionem, quia verecunda est, abiecit omnia bona opera, quia operosa

Vtilitas magna cõfessionis temperat illius difficultatem.

sunt, & demum totum Christianismum ad solam fidem reduxit cum alioqui Christus, Matth.7. arctam esse viam quæ ducit ad vitam, & spacioſam quæ ducit ad perditionem,clarè doceat. Lutherus tamen contra docet, spacioſam esse viam salutis & non arctam, vnde suos discipulos ducit ad exitium. ¶Et si Deo placet nihilominus se iactat amare Christum. Porrò vanè iactat amare se Christum qui eneruat præcepta Christi, vane iactat amare se Christum qui sponsæ Christi catholicæ eccleſiæ statuta blaſphemat. Quod si obieceris, Christum etiam dixisse iugum suum suaue esse. Respondebis cum Paulo omnia possum in eo qui me confortat. Nam confortante,Deo & nostram infirmitatẽ adiuuante Dei spiritu suauia reduntur Christi mandata, vnde hoc spiritu hausto alacres ibant Apostoli,quia digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati. ¶Veruntamen, quia de hac re, supra longiorẽ feci tractatum, supersedendum duxi ampliori tractationi. Demum setisfactio postrema est, quæ non seruit delendæ culpæ,sed abolendæ pœnæ temporalis. Nam qui perfectam egerit satisfactionem pro suis culpis dimissis, si accidat animam exhalari, cælestia migrabit ad regna. Qui vero imperfectam, adhuc restat purgandus,& quia non perfectè satisfecit,satis patietur ex igne purgatorio, vt sic tandem ex purgatorio, quasi ex altero cœto,sicut Ionas emergat in cælestẽ patriam.

Philip.4. Rom,8. Matt.11.

EXPLANATIO
IN IONÆ CAP. III.

ET factum est verbum Domini ad Ionam, secundo dicens, vade in Niniuen ciuitatem magnam:& prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Ionas & abijt in Niniuen iuxta verbum Domini:& in Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Hebraicè erat ciuitas magna Heloim, ideſt Deo & Græca eodem modo legunt. Erat Niniue ciuitas magna Deo. Et est Hebraismus exaggerãs rei magnitudinem,de qua agitur sermo vt mõs Dei,mõs pinguis, ideſt mons altiſsimus, & sopor Dei corripuerat eos,ideſt altiſsimus somnus, & sunt sexcenta huius rei exemplа.

Pſal. 67. 1.Reg.26

¶Ionas

¶Ionas igitur,ex vẽtre cœti in autã restitutus,& ex profundo maris terræ iã expositus Dei gratia atrociſsimo naufragio superato velut nouus homo resumptis spiritus viribus,fortior euadit,vt iam Dei præcepto incũctanter obediat. Et nihil verearetur maiestatem Assyriaci regis,nihilq; formidet Niniuitarũ exprobrationẽ quam forte primo formidauerat. Imo lætus recta via tẽdit in Niniuẽ,vt prædicet quod Dñs illi prædicare mandauerat, vt rectè dicas,ex infirmitatẽ euaſisse fortiorẽ, ex morte viuaciorem,ex periculo cautiorẽ, ex naufragio promptiorẽ. ¶Ideoq; secundo illi præcepit Deus,quod primitus illi indixerat, & ipse, purgata per marinas aquas,& per maris belluam inobedientia, Deo iã morigerus exequitur hilariter imperata. Et *Niniue erat.* Huius ciuitatis extẽsio scribitur nõ supaſſe. Ibi ſtadia & octo milliaria. Vnde quod traditur hoc loco quod erat magna itinere triũ dierũ intelligendũ, spatium triduanũ esse necessariũ vt vicatim,tota perambularetur. Non tamen ipsa erat adeo extenſa,quod à porta vna in alterã haberet spatiũ,quod triduani esset itineris. *Et cæpit Ionas introire ciuitatem,itinere diei vnius,& clamauit, & dixit, adhuc quadraginta dies,& Niniue subuertetur.* Partem ciuitatis perambulauit Ionas itinere vnius diei; etenim cũ ipse perambulaſſet prædicando, non poterat festinatò iter agere: sed paulatim procedẽdo, sermonẽ promulgabat vt sensim diuulgaretur sui sermonis fama,in omnes ciues Niniue,fama enim celerrime volat,ideo cito diffusa est prædicatio Ionæ,per totam ciuitatem Niniue quamlibet fuiſſet magna *subuertetur.* Non explicat rationẽ subuersionis,neq; modũ. Neque enim ait peſſum dabitur Niniue,ob suam idololatriã, aut propter adulteria, aut propter inceſtus, aut propter maximã ciuium nequitiam. Neque ait,subuertetur aquarũ vi obruta, aut subuertetur ex maximo deurente incendio, aut subuertetur fame, aut peſte, aut hoſtili gladio,sed vniuerſali solũ sermone. Ait,*quadraginta dies adhuc, & Niniue subuertetur.* Septuaginta transtulerunt, *post tres dies.* At Augustì. qui alioqui est ſummus septuaginta interpretũ hoc locò eos deſerit,ſtandũ esse cẽsens veritati Hebraicæ & legẽdũ esse quadraginta lib.18. de ciuit. Dei.cap.44. Porro autẽ moris est ſanctarũ ſcripturarũ ſummæ ſtudere bre

Extenſio Niniue ciuitatisquã fuerit.

uitati,plura nobis relinquẽtis,noſtræ cõſiderationi,poſtquã quæ viſa ſunt Spiritui ſancto neceſſaria,expreſſa ſunt per diuinos autores. Quocirca facile est aduertere,quãuis thema Prophetici ſermonis fuerit,quod hic traditur. *Quadraginta dies ad huc & Niniue ſubuertetur.* Cæterũ,quis dubitat,quod ſe,ppheta à Deo miſſum,primũ patefecerit Ionas? vt enim verba ſua nõ ioculatoris,alicuius aut mimi eſſe crederẽt,aut ebrij neceſſum erat in primis,ſe à Deo miſſum ex Iudæa Prophetã ad eos teſtaretur. Enim vero Aſſyrijs nota erat Iudæa,& quod in ea fuerant illuſtres Dei prophetæ,& Dei potentiã & virtutẽ, didicerant ex bello Senacherib Aſſyrij regis,qui exceſsiuas exercitus, & bellatorũ copias,aggregauerat contra Ieroſolymã; at vero nihil illi profuit tanta vis exercitus,ſiquidem mirabiliter,vna nocte fuerint deuſti. 185o. Aſſyriaci exercitus milites. Neque iſtud miraculũ tẽpora Ionæ valde prẽceſſerat,ſed vt videtur,tempora illius fere attigit. Quid quod reges Aſſyrij Iſraelitas, iam duxerant captiuos in Aſſyriam & Mediam, vnde Aſſyrijs nota erat Hebræa natio,& huius prophetæ nationis? ¶Rurſus Ionas explicare debuiſſet, propter quid Dei ira in Niniuitas incondeſcebat vnde vt veriſimile eſt, expoſuit Niniuitis ſua ſcelera,quibus obruti erant. Et diſtinctè ea propoſuit, vt cernerent,ſe ex ſpiritu Dei,cum eſſet alienigena & nõ indigena,illa didiciſſe & propoſuiſſe illis. Et itẽ non eſt abſimile à vero, & modum ſubuerſionis,Niniuitis declaraſſe,cæterũ hæc omnia ſuppreſsit diuina ſcriptura nobis relinquens illa conſideranda.

¶*Quadraginta*, numerus hic frequens eſt diuinis literis. Vnde & myſticus cenſetur à D. Auguſti. ad Ianuarium ſcribente epiſtol. 119 & in. 2. lib. de doctrina Chriſti. ca. 16. & ſæpe alibi. Neque iſtud temerè affirmat Auguſtinus. Siquidem Moſes quadraginta dies,ieiunium ſuum in monte Sinai abſoluit vt & Elias. Et quadraginta annis clamat regius vates Pſal. 94. Quadraginta annis offenſus fui,& ſi aliàs legatur proximus fui generationi huic, & dixi ſemper hi errant corde. ¶Et Dominus itẽ Matth.4. quadragenariũ tulit ieiuniũ,& ſurgẽs ex mortuis,quadraginta diebus, apparuit diſcipulis ſuis,eos in reſurrectionis fide cõfirmans. Vnde Auguſt. locis indicatis,numerũ hunc quadragenariũ

Exod. 40. Deut.9. Exod. 16. Deut. 29.

laboris esse symbolū docet, vt quinquagenarius quietis & beatitudinis. Enimuero, nō frustra ieiunia sacra hoc numero peraguntur, à fidelibus, & à sanctis patribus sunt peracta, & à summo Christo celebrata: nisi vt labores sanctorū, quos quandiu in hoc exilio perferūt, ex quadragenario hoc numero insinuentur. Quadragenarius autē numerus, partes habet aliquotas, decē, & quatuor, nā quatuor si duxeris per decē, aut decē per quatuor quadraginta resultabūt. Quatuor autē, ad tēpora, quibus nostra hæc mortalis decurrit vita, referuntur. Siquidē annus per quatuor distēditur interualla. Siquidē æstate, autumno, hyeme, & vere, totus annus absoluitur. Itēq; dies quatuor spatijs producitur. Nanque mane, & meridie, vespere, & nocte, totus dies cōcluditur. Decē autē ad executionē Decalogi referre poteris quæ satis laboriosa est fidelibus dū vitā mortalē agunt. Quocirca, sub numero quadragenario, qui labore sanctorū, tantisper dum in exilio hoc agunt, ieiunia sacra sunt celebrata olim, & celebrātur etiam nūm ab Ecclesia Dei. Quo fit Ionā hunc eundē obseruasse ex Dei mādato numerū dierū. *Quadraginta dies adhuc & Ninue subuertetur.* Nanque laborē Niniuitis prædicebat, & non quietē, vnde hæc prophetia cōminatoria erat, vt plerēque aliæ multæ, nō diffinitoria. Et quidē ipsa prodit suā cōminationē. Quandoquidē cur producebat Deus in quadraginta dies subuersionē Niniuitarū, nisi vt Niniuitæ, hoc dierum spacio quadragenario, pœnitentiā agerēt suorū delictorum, & veniā promererētur? Horū enim dierū ieiuniū & macerationem cōstituebat illis Dns, qui sufficerēt illis ad reconciliationē cū Deo. Nāque si misereri nō esset animo, nō tot dies illis Deus constituisset, expectans eorū resipiscentiā: sed subitō subuertisset. At verō propheta, nō hoc expendebat ex numero isto quadragenario, sed potius summam vindictā præstolabatur de Assyrijs à Deo iumendā tunc: quippe, qui fuerant infestissimi Iudæis & Israelitis.

Quadragenarius numerus mysticus est, & laboris signum.

Prophetiæ non sunt omnia ręa manifesta, de quibus prophetant quia quædā circunstantiæ nō sunt eis manifestæ

¶ Vnde videre poteris, prophetis nō omnia esse manifesta: sed quædā Deus sub arcano consilio illis occulta, vt promptum est exēplū in Eliseo, quē latebat quid velit fœmina Sunamitis cū ad pedes eius se proiecit. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deo, & prædicauerūt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem.* Stupenda sanè res, rectè libranti eā, quod pauperculus homo, vt Ionas erat sine comitatu, sine pōpa, sed solus veniens Niniuē prædicās quæ homines valde horrent, videlicet deuastationē, & solitudinē suorū, nihilominus vrbē regiā, & metropolim Assyriorū, clarissimā toto orbe, attraxerit ad fidē verbi sui, Rege, nō repugnāte, sed obedienti cū suis maioribꝰ principibꝰ. Et fortissimam sibi indixerint pœnitentiā, vt inuenirent suorum peccatorū remissionem. Et manifestum est, quod sua proiecerunt idola, & abominationes idolorum respuerūt, furto sublata restituentes, & adulteria deuitantes, vt possent inuenire Dei gratiā. Et quidem hoc idem fecerunt Apostoli in vniuerso orbe, at repugnantibus seculi monarchis, repugnantibus tribunalibus iudicū, alijsque mundi proceribus. Quidquod Apostoli multis claruerunt miraculis, vt fidem quam euangelizabant plantarent in humanis mentibus, & tandem pro prij capitis iactura, id præstiterunt.

Stupenda fuit Ionæ prædicatio.

Ionas nō legitur miraculū fecisse ad cōuersionem Niniuitarum.

¶ Porrō Ionas, nullo edito miraculo: siue vitæ suo dispendio, non repugnantibus, magistratibus, non contradicente Rege, sed pariter omnibus conuenientibus, ad obedientiam diuini verbi, non multo tempore, sed modico, prædicans Niniuitas flexit. Fertur in quadam historia S. Vincētij Valentini: Vincentium ipsum concessisse Granatam clarissimam Hispaniæ vrbem patriam nostram, sub Rege Saraceno, vt prædicaret Christi Euangelium. At cum res peruenit ad aures procerum Saracenorum, ipsum iusserunt in pace discedere. Item legimus B. Franciscum peragrasse in Syriam, vt ibi Euangelium Christi diuulgaret, quod vt resciuit Soldanus, abire præcepit. Itē & quidā fratres Franciscani, in Mauritaniā peragrārūt, vt ibidē Mauritanos traherēt ad fidē Christi: at vero infecta re, martyriū passi sunt. ¶ At verō Ionas libētissime est auditus, & creditū est quod bū, quod ab eo est prædicatum. Et quidē prædicabat *Ninue subuertetur*, secundū mysticā intellectū est absolutū: quia vetera Niniuitarū sunt subuersa, & noui Niniuitæ à peracta iure exorūt pœnitentia. ¶ Forsan quæritas, cur ita accidit? Nempe qa Ionas legatione Dei fungebat, eo legatus à Deo destinabatur ad Niniuitas cōuertēdos, propterea, Dei virtus, per verbū Ionæ in corda Niniuitarū operabatur, quia legatio Dei frustrari nequibat. At verō commemorati sancti, & pleriq; alij, qui idē tētarunt, etsi sancto succēsi zelo facere, tētarūt quod Ionas perfecit, at quia non vt legati Dei, sed ex proprio arbitratu rē grādē tentarūt, ideo infecta re discesserūt. *Crediderūt* Hebra. Deū, idest crediderūt Deo loquenti per vatē suū Ionā. ¶ Conijceret forte aliquis Niniuitas, ex consilio Ionæ pœnitentię præscriptā formā absoluisse. Siquidē cum essent idololatræ hos pœnitētiæ modos ignorabant. Et siquidem hic mos pœnitēdi, erat Hebræis familiarissimus, nō temerè cōijcies Ionā eos docuisse, vt prædictā subirēt pœnitudinem nisi obstaret quod tertio cap. traditur. *Et peruenit verbū ad regē Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentū suū à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius dicens, homines, & iumēta, & boues & pecora, nō gustēt quicquā, nec pascātur, & aquam non bibant, & operiētur saccis homines, & clamēt ad Deū in fortitudine: & cōuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorū.* Eat nūc Lutherus, & gratuletur admodū sibi ex suo dogmate inficiāte opera pœnalia prodesse nobis ad salutē: sed solū esse vtilia ad euitādū proximorū scādalū. Discat à Niniuitis veritatē, & cōpescat linguā suā mendacem. Niniuitę enim ex ductu diuino, pœnalibus se castigarūt castigationibus, vt Dei gratiā inirent, quā læsam aduerterūt ex Ionæ prædicatione. Rex deponit paludamenta regia, & thronū regiū cōmutat in cineream sedem ieiunat, sacco induitur: ipse cum suis omnibus subditis. Et non cōtentus istis, ad bruta quoq; alioqui innoxia profert eādem castigationem: & edicto publico, euulgatur in totam Niniuē, præcone proclamāte, ex cōcordia regis & magistratuū, vt castigatio hæc in omnes producatur. ¶ Quā vero grata fuerit hæc castigatio corporū & emendatio mētiū Deo, paulò post subdet vates dicēs, *& vidit Deꝰ opera eorū, &c.* Et equidē admirationis fuit nō mediocris homines gētiles, intueteratissimæ iniquitatis, tā cito ad Dñm conuerti: & si pœnalia prædicta nō præstitissent nulliꝰ esset scādali, vt cessaret Lutherana euasio. Quæ Deꝰ igitur probat, cur Lutherus reprobat? *Iumēta*, istud præceptū est, nō quia bruta egebāt pœnitētia, quæ peccare non possunt; sed vt boues, & armēta orbata potū, & pastu, magirēt, & balarēt, p̄ sua refectione,

Marthyres quij.

Lutherus reijcitur.

& mugitus, atq; balatus homines audientes excitarēt, ad maiorē suorū scelerū pœnitētiā habēdā: & vehemētius clamarēt ad Deū, ad impetrādā misericordiā, *clamēt ad* Dñm Hebra. Deū *in fortitudine*, idest magnis clamoribus, seu magno conatu & vehemētia Dñm precemini. *Quis scit si cōuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & nō peribimus.* Quis scit si Deꝰ qui nos oderat ob scelera nra, amabit ob pœnitētiā nostrā: & sentētiā latā cōtra nos reuocabit? ¶ In deo nulla est cōuersio, aut reuersio, quia immutabilis est, at dicitur cōuerti, vel reuerti respectu nostri. Ab æterno enim disposuerat Deus, Niniuitis parcere, & ab æterno sciebat, Niniuitarū pœnitudinē. Vnde qđ Ionas prædicebat ex verbo Dei, solū erat cōminatoriū vt supra tradiū est. ¶ At hæsitas forte, cur isti dubitāt, de donatione peccatorū, siquidē pœnitentes oportet firmā habere spē de remissione peccati. Respōdetur, quod hæc firmitas spei est cōditionata, si inquā pœnitēs verè pœnituerit, dubio procul detinebit remissionē, at vero multi istud cōstare poterit, quod sufficiēter pœnituerit secū dū ordinariū cursum diuinæ legis. Nā ex speciali reuelatione Dauid hoc nouit, qa ait incerta & occulta sapiētię tuæ manifestasti mihi, & Apostoli, & alij quos Deus nouit. Vnde qđ isti dubitāt est quātū erat ex insufficiētia sua, nō ex Dei munificentia. *Quis scit* rectè dicūt, quia nullus nouit certa fide se esse Deo gratū aut qđ idē est, qꝫ donata sunt peccata sua à Deo. ¶ Poterit quidē ex cōiecturis hoc conijcere, vt si fecit suo arbitratu qđ debuit vt Deus remittat, dolēdo scilicet de peccatis & cōfitēdo, & satisfaciendo; at vero ex certa fide nullus vt dicebā, ex cōmuni cursu assequitur. sanctū Athilanū episcopū Zamorensem ferūt huiꝰ rei sciētiā à Deo impetrasse: verū priuilegia paucorū legē nō faciūt. Et equidem isti Niniuitę rectius loquuntur, quam hæresiarcha Lutherus; qui dogmatizat, qui certò credit sibi esse dimissa peccata, quod certus debet esse de remissione peccatorum. Hīc enim, quia solam fidē docuit iustificare, ex pessimo hoc antecedente, innumera absurda & hæretica, coactus est concedere cōsequētia. Enimuero si sola fides iustificat, igitur opera cum non sint fides nō iustificāt, itē, cum fidem suā, quilibet certo nouit, certo item noscere poterit se esse iustificatum.

Lutherus explodi-tur.

At vero, quid aiunt Niniuitæ. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus*, isti igitur Gētiles catholicam docēt doctrinam, Lutherus monachus, hæreticam: idem traditur Ioelis. 2. & Ierem. 18. Et in Concilio Tridētino, idem docetur. Et nos in explana. ad Ioel. & in disput. Theol. enodatius disseruimus. ¶ *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & conuersus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit*, vidit Deus, idest, approbauit eorum pœnitentiam. Tu obserua bis diuinam promptitudinem, ad donādum peccata nostra. Et sint tibi in exemplum Niniuitæ, præter pleraque alia. Isti enim, enutriti fuerant in sceleribus maximis, quippe idololatræ erant, cui sceleri, innumera aggregantur peccata. At vero, quadragenaria, aut minori pœnitentia temporis veniam sunt assecuti, Scriptura enim non exponit, quanto tempore fuit protelata eorum pœnitentia, etsi credide rim non fuisse quadragenariam. Nanque Ionas numerum dierum hunc præscripsit non pœnitentiæ celebrandæ, sed ruinæ vrbis expectandæ. Breui igitur tempore innumera Niniuitarum multitudo, à grauissimis peccatis suis à Deo fuerunt absoluti, vt nemo desperet remissionem, si verum peccatorum habuerit dolorem. Hinc tu disces vana esse insomnia Lutheri asserentis, neminem posse consequi remissionem peccatorum nisi certo credat, sibi esse donata peccata. Enimuero istis Niniuitis, Scriptura docente donata sunt peccata: at ipsi dicentes. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus* dubitabant de remissione. Et quidem in re hac dubitare est humilitatis, & deiectionis quæ decent pœnitētem: at non dubitare, arrogantiæ est quæ longe debet esse à vero pœnitente: idē statuitur in Concil. Trid. cano. dudū, citato. Exiā prædictis perspicuum est cur Dñs Luc. 11. dicat Ionam fuisse signum Niniuitis, siquidem fuit illis in portentum terrens illos ex prædictione sua.

Sessio. 6. capit. 9. & cano. 13. & 14.

Deus prōptissimus est ad donanda peccata.

Lutherus refellitur.

Ionas cur dicat fuisse signum Niniuitis & sumitur signū pro portento.

EXPLANATIO IN IONÆ CAP. IIII.

Tafflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est: & orauit ad Dñm, & dixit, Obsecro Dñe, nunquid non hoc est verbum meum cū adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerē in Tharsis. Afflictio Ionæ, ex duabus vt videtur causis procedebat, & quia aduertebat pœnitentiā Niniuitarū, & quia inde resultabat infamia eius, ne illi obijceretur, quo mendaciū prophetauerat. ¶ At dicet aliquis, quid ergo si dolebat Ionas de pœnitētia Niniuitarū peccatū grāde cōmisit, in uidens gratiæ Dei diffusæ in Niniuitas, quod quidā peccatū in Spiritū sanctū esse censent. ¶ Respōdetur, nō doluisse Ionā ex pœnitētia Niniuitarū propter pœnitētiam ipsorum, sed propter id quod inde resultabat, videlicet, se vt mendacem esse ridendum à Niniuitis. Ideo proximo cap. insinuabam, Niniuitas non Ionæ consilio egisse pœnitentiam propter verba quæ in hoc capite scribuntur: sed egerunt pœnitētiam Dei instinctu. *Scio enim quod tu Deus clemens, & misericors es, & patiens, & multæ miserationis. Et ignoscens super malitia*, explicat causam cur auersabatur exequi Dei mandatum, & subter fugiebat illud exequi, fugiens in Tharsis. Quia obseruabat Dei infinitam clementiam erga peccatores resipiscentes: vnde & si ipse prædicasset subuersionem Niniuæ, si pœnitentiam Niniuitæ egissent Deum reuocaturum sententiam super malitia, idest, de pœna submersionis, quam fulminaturus erat ipse contra peccatum, Niniuitarum.

Malitia ambiguē habet significatiōē in Scriptura.

¶ Superiori capite malitia significabat pœnam, quam Deus decreuerat, sumere de Niniuitis, nunc vero etsi etiam potest vsurpari pro pœna, vt sit sensus ignoscens, idest parcens, vel donans pœnam. Verum aptè etiam pro culpa, cui Deus ignoscit ex sua largitate, si adsit vera pœnitentia. Porrò Ionas fastidiebat Niniuitas, cum quia hostes fuerant acerrimi Hebreæ nationis: tum quia idololatræ erant, vnde sibi videbatur indignos esse diuinæ consequendæ misericordiæ. *Scio quod tu Deus clemens*, ijsdem titulis, manifestat Moses, Deum, Exodi 34. Dominator inquit Domine Deus, misericors, & clemens, patiēs, & multæ miserationis, ac verus, qui custodis misericordiā in mille generationes. Nos de Dei misericordia multa differuimus in expla. ad Oseam, ideo supersedendū duxi ampliori explicatione, horū diuinorum titulorū. *Et nunc Dñe tolle quæso animam meam à me, quia mihi melius est mori quā viuere.* Scimus sæpè

Philip. 1. *sæpè à sanctis* optari mortē, vt Apostolus
Psal. 119. optabat dicens desiderium habens dissolui
Psal. 115. & esse cū Christo, & deflent sæpè exilium suum protelari diutius, vnde illud heu mihi quia incolatus meus prolōgatus est. Et tandē pretiosam esse sanctorū mortem corā Deo hymnidicus testatur vates. ¶ Porro hoc desideriū mortis sanctū est, quando ex feruenti cœlestis patriæ appetitu procedit. ¶ At vero si ex tædio vitæ, proficiscatur, quia vita videlicet molestias habet, quas ferre æquo animo non sustinens quispiā, mortem subire, cupit, nō est adeo laudabile desideriū, quanuis nō est vituperabile, si Deū precatur, vt eū eripiat à tot malis quibus interim premitur. ¶ Vnde Tobiā legimus, idē exoptasse quod Ionas. Ait enim & nunc Dñe, expedit mihi magis mori quam viuere. Et Elias fugiens impiā Iezabelem, fessus itinere, & vexatus à Iezabelis tyrannide petiuit animæ suæ, vt morereturr, idest petinit à Deo, vt vita orbaretur: id quod acci-
3. Reg. 19 dit modo Ionæ. Hierom. hoc loco, habet difficile verbum fas esse pro tuenda castitate, quod quis se interimat cōtra August. lib. 1. de ciuit. Dei cui statur. Etenim, cum videret iam dies quadraginta expletos, expectabat Niniuitarū ruinā, at cū vidisset stare ciuitatem, & verbū suū incassum ire, indoluit vehementer, suo honori cōsulens, ne mendax haberetur, & de mendaci Prophetia à gentibus notaretur: ideo vt hāc euaderet infamiā precabatur Deū, vt è medio eū tolleret. Non enim æquo animo ferebat, Niniuē stātem, quā ipse ruitu rā in nomine Dñi prædixerat. *Et dixit Dominus putasnè bene iratsceris tu?* Est sanè ira bona, & ira mala, bene iratus est Moses
Num. 31. cōtra Dathā & Abirō aduersus vituli ado
Num. 10. ratores, & Elias cōtra sacerdotes Baal &
Exod. 32. Matathias aduersus cōtribules qui impie
3. Reg. 18 rūt mandata sacrilega Antiochi regis, &
1. Macha. 2. Dñs bene iratus est, cōtra negotiatores in
Num. 25. tēplo Dei: vnde vates Psalmidicus irascimini ait, & nolite peccare, id quod non di
Matth. 5. xisset, nisi ira quædam esset inculpabilis qualis fuit ira Phinees filij Eleazar, ex qua occidit, sortātē Hebræū cū Madianitide fœmina. Vnde Dñs dicens. Qui irascitur fratri suo reus est concilio, nō de ira bona est intelligendus, hæc enim innoxia est quippe quæ Deo grata est, sed de ira mala, quæ nō ex iusta causa progreditur, neque secūdū rectæ rationis libramū exercetur. At vero Ionas nō bene irascebatur, tristabatur enim, quod videbat suū vaticiniū in irritū esse; quia ciuitas nō subuertebatur: cū tamē debuisset, de bono tātæ vrbis gaudere. *Et egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contrà Orientē ciuitatis: & fecit sibi vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra donec videret quid accideret ciuitati.* Hæc quæ narrātur posteriori loco, contigerūt prius, quā quæ primo loco huius capitis, sunt denarrata, fecit igitur Ionas sibi vmbraculū, idest tuguriū vt Græca habēt, vel tabernaculū, vbi se protegeret à solis ardoribus, & ibi sedens irascebatur, quia stantē videbat vrbem: expectabat nihilominus ruinā. *Et præparauit Dñs Deus hederā & ascēdit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius.* Magna cōcertatio, de hederā, quę obūbrabat Ionæ caput, texitur à quibusdam. Siquidē Græca pro hedera habent colochintidā: Est autē colochintis cucurbita syluestris, quæ ad pharmaca, à pharmacopeis vocatur non raro. ¶ Alijs vero arrisit esse ricinum, vox Hebræa est, Kikaion. Et contēdūt nōnulli magistri Hebræi esse idē quod apud nos Ricinus, Ricinus autē Hispanè appellatur higuera del infierno. Appellatur autē latinè Ricinus, nā fructus huius fruticis, est similis ricino, Hispanè garrapata, animalculū infestissimū iumentis: nā illis cohærens, pungit ea valde. ¶ Est frutex similis ficui, in frondibus. Ferunt que esse similē platano: quia est latifolia, & vmbrosa. Ego tamen vidi huiusmodi arborē, in oppido ciuitatensi, & frondibus ficui est quā simillima; at vero, non est admodū frondosa, neque vmbrosa: quia nō dēsitate gaudet foliorū forsan, id accidit quia quam ego vidi erat nouella planta, ideo nondū densitate gaudebat foliorū, neq; vmbræ opacitate. Hāc igitur putāt Rabini quidā fuisse quā Deus miraculosè, produxit, vt obūbraret Ionæ caput. Et quidē, quod cucurbita nō fuerit inde videtur, quia cucurbita maximè syluestris, nō potitur dēsitate foliorū, vt possit obūbrare subter cā existētes. Et suffragari videtur ratio quod Kikaiō sit ricinꝰ. Quia cici apud Dioscoridē, creditur esse ricinus, at cici, nō nihil germanitatis habet cū voce Hebræa prædicta. At hoc argumētū futile est: si quidē exigna est similitudo. Quid quod Cōstātinus in annota. ad Amatū lib. 4. c. 164. inficiatur cici esse ricinum. ¶ Verumtamen, si translatio vulgata

Kikaion hedera cucurbita Ricinus.

De ricino lege Theophra. li. 1. de histo. & lib. de causis plantarū & Plin. lib. 15. ca. 7. & Gal. in libr. de gloss. Hippo.

gata in voce hac est sequenda facilè dixerim, Ionam tuguriũ sibi fecisse, quod quia non bene compactum fecerat, sed hians ex partibus aliquibus, vnde non exactè protegebatur à Sole, ideo Deus creauit subitò hederam, vt ipsum plenè obumbraret hædera autèm etsi non latis potiatur foliis, mira tamen densitate foliorum potitur. Et paruo fulcro innixa, reptans in sublime tollitur. Vnde vt videtur, hedera hæc totum Ionæ tugurium est complexa, vt visa ex suo vitore Ionæ oblectaret aspectũ, & sua vmbra vatis caput obtegeret. Vnde vt videtur totum Ionæ tugurium fuit hædera obuolutum. ¶ Porrò autem S. Hiero. in commen. ad Ionam, respondens obiectionibus, aut accusationibus Rufini increpãtis Hieronymũ, quod cucurbitam quam Græca lectio habet cõmutasset in hederam, inquit, quod latinus sermo non habet vocem explicantem, vocem Hebræã, quæ hic scribitur Ki Kaion, sermo ait, latinus nõ habet hanc speciem arboris: & quod vertens hederam, sequutus est antiquos translatores. ¶ Addit præterea Kikaion, lingua Punica, & Syra dici Elkeroa. Est autem genus virgulti, vel arbusculi lata habens folia, in modũ pampini & vmbram densissimam, suo trunco se sustinens: quæ in Palæstina vberrimè nascitur, & maximè in arenosis locis: mirumque in modum si sementem in terrã ieceris, cito confota consurgit in arborẽ: & intra paucos dies quam herbam videras arbusculam, fuspicis. ¶ Vnde ex his verbis Hieron. facile est aduertere, hæderam positam, ex necessitate interpretandi, non ex veritate interpretationis. Similiter Augustin. in 3. ad Hero. epistola, de eadem interpretatione Hieron. notat, at vero ex præhabitis, etiam Augustini accusatio non habet locum, quamuis hæc accusatio non processit ab Augustino, sed à quodam alio Episcopo, vt ipse scripsit in epistola sua. Quæ autem Hieron. ait, de Kikeon, nescio si congruunt ricino, quem magistri quidam Hebræorum quos sequitur Mõtanus interpretantur esse Kikeon. Etenim non expertus sum, si quando nascitur, nascitur vt herba, an potius sicut virgultum, & cum Hiero. dicat, sermonẽ Latinum non habere hanc speciem arboris, videtur quod non sit ricinus, cum ricinus vox sit Latina. *Et protegeret eum laborauerat enim: & lætatus est Ionas super hedera lætitia magna.* Æstuabat valde Ionas, ideo Dominus, vt eum eriperet ab afflictione æstuationis, creauerat hederam obumbrantem eum. *Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.* Diem integrum egit lætus Ionas sub vmbra nouæ hederæ, at vero sub aurora vermis corrodens eam, aut vermes more consueto Scripturæ, vsurpantis singularem pro plurali, ascenderunt & corroserunt dentibus suis hederã, & exaruit hedera, & vmbra fuit dissoluta. Vermes autem isti, aut fuerunt à Deo creati, tunc super hederam, aut ministerio angeli, ibidem adducti. *Et cum ortus fuisset Sol præcipit Dominus vento calido, & vrenti, & percussit sol caput Ionæ, & æstuabat, & petiuit animæ suæ vt moreretur. Et dixit, melius est mihi mori, quam viuere.* Orbatus vmbræ solatio, radijs ardentibus solis percussus, rursus præfert mortem vitæ: & Deũ precatur vt eum de medio tollat. *Et dixit Dñs ad Ionã, putasne benè iratus ascenderis, tu super hederam? Et dixit, benè iratus ego vsq; mortem.* Increuerant iã causę mœroris, & irę, quia causis prioribus, noua accessit iræ causa, subtractio videlicet vmbræ ex hedera, vñ sibi parabat Ionas solatiũ. ¶ Exigit autem Dñs, à Iona, *nũ benè iratus ascendat*, nõ quia Deũ quicquã lateat, aut quia eget responsis nostris, qui scrutatur renes, & corda: & antequam quicquã cogitemus notũ erat Deo, quid erat cogitandũ, sed interrogat vt ex responsõne Ionã cõfundat: & ostẽdat apertè, se iniustè esse iratũ, contra salutẽ Niniuitarũ. ¶ Et sicut Deus ex illo linthei spectro quod de cælo submittebatur, plenũ animalibus mũdis, & immũdis, quia erãt in eo ex omni genere quadrupedũ terræ, & volatiũ cæli: Petro Act. 10. demõstrauit gratiã Dei esse etiam diffundendam in gentes; ideoq; ab earũ cõsuetudine, nõ esse abstinendũ Apostolis: imo potius eas esse coaptandas in corpus mysticũ Christi. ¶ Ad eandẽ quoque rationẽ Deus modo suo vati Ionæ, ex hedera demonstrat, male esse iratũ cõtra Niniuitas: nã si Ionas dolebat de exesione hederæ, quã alioquin nõ fecerat, dolẽdũ esset potius si Deus permisisset innumeros homines qui erãt in Niniue: qui quanquã gentes erãt, tamẽ illorũ cũ Iona vnius naturæ humanæ consortiũ. Quod si religio erat diuersa, diuersitas religionis, naturæ cõmunionẽ non tollebat. ¶ Quid quod exposis iam idolis, & correctis

Hieron. De Kikaion.

ctis erratis vitæ prioris iam Deum quem colebat Ionas ipsi colebant. Vnde potius esset gratulandum eis, quia prædicationi Ionæ obtemperantes, se in cultum veri Dei transtulissent. Non igitur iusta erat indignatio Ionæ, sicut neq; iusta erat abominatio Petri dicens, absit à me Domine; quia nunquam mãducaui omne commune, & immũdum. *Et dixit. Tu doles super hederam in qua non laborasti neque fecisti eam crescere, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt.* nocte sequenti exorta est sub diluculo. At trãslatio Vatabli clarius reddit, *Intra annum noctis spatium fuit exorta: & intra vnius diei spatium periit.* Nam dixerat vermẽ ascendisse diluculo in crastinum. Siquidem die vno potitus est vmbra hederę Ionas, & die postero cũ aurora exorire tur cœpit vmbra à vermę, vel vermibus corrodi vt tandem dissolueretur. *Et ego nõ parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum qui nesciunt, quid sit inter dextram, & sinistram suam: & iumenta multa?* Supradixerat Dominum respexisse in opera eorum in pœnitentiam, scilicet & vitæ correctionem, & ideo misericordia egisse cum eis. Nunc verò ait, Deum misericordẽ fuisse cum Niniuitis, & peperciisse eisdem, propter eorum ignorantiam. Id quod Paulus commemorat dicens misericordiam cõsecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea. Ignorantia enim, nonnihil excusat, si non à toto, certè à tanto, præsertim quando non est affectata ignorantia: qualis non erat Niniuitarum. Itaque sola ignorantia non impetrat remissionẽ peccatorum, quæ ex. Ignorãtia perpetrãtur; cæterum qui de peccato huiusmodi pœnitet promeretur magis remissionem, propter ignorantiã suam, quam si ex malitia fecisset: & modo sermo non habetur, de ignorantia inculpata, quia hæc cum sit inculpata, non eget remissione.

¶ Porrò autem si allegorijs ludere iuuat, scito, Ionam populum illum Hebræorũ subnotare. Nam sicut Esau fastidiebat Iacob fratrem suum, ita Hebræi fastidiunt ecclesiam Iesu Christi, quã adumbrat Niniue, vt Augustinus commemorat lib. 18. de ciuita. Dei cap. 44. vnde apte per Ionã ỏdientem Niniuę, subnotatur Hebræa natio. Hæc autem natio fuit, colens legem Dei veterem quæ autorè Paulo vmbram habebat futurorum bonorum siquidem omnia illis cõtingebant in figura. 1. Cor. 10. sub vmbra erat: vt autem Ionas lætatus est valde obumbratione hederę, ita & synagoga lætabatur valde ex sua lege. Vnde Apostolus illos dixit gloriari in lege. Et Domino respondentes iactant se esse Mosis discipulos, & filios Abrahę, & sperabant alias nationes, vt incircũcisas, suã magnificentes circumcisionem. Delectabantur igitur admodum in vmbra hederæ, id est in professione suæ legis, at vero aurora exoriente, præparauit Deus vermen corrodentem hederam. Est autẽ vermis hic Christus Dominus, qui loquitur per suum vatem, dicens ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Christus autem, adimplendo legem, illã eneruauit, & euacuauit & abstulit vmbras, & donauit lucem sempiternam. Iam ergo per Christũ vmbracula illa vetera sunt ablata, vt qui deseruiebant exemplaribus, & vmbris, ad Hebræ 8. ipsam lucem vertẽt, & nõ imaginem vmbratilem, sed ipsam euãgelij veritatem teneant. Sub aurora venit hic vermis, quia coruscante euangelij gratia fugatæ sunt vmbræ illę veteres, quia iã sine velamine & vmbris, reuelata facie mysteria fidei licet contemplari. ¶ At vero non secus atq; Ionas, molestissimè, & iniquissimo ferũt animo Iudæi, quod vmbra suæ legis iam non obumbrantur, iam non protegũtur. Siquidem diuina protectio, nõ eis subuenit vt olim, protegebat miraculis, doctrinisque prophetarum, iam sunt, ab eis ablata vmbracula diuina, æstibus & ardoribus patent peccatorum, infestationibus dæmoniorum subduntur, à nationibus omnibus conculcantur & despiciuntur, vnde & ipsi valde indignantur vt Ionas, & Christianæ religioni maledicunt in suis synagogis.

¶ Si vero, moralem cupis audire sensum, nihil aptius notari potest per vmbram hederæ, quam vniuersa bona temporalia, hæc enim, nos exhilarant, vt Ionam. Namque, amici, opes honores liberi cõiuges, si suppetant, delectant habẽtes valde. ¶ Porro autem accidit quod cum nos afficiunt maximè sua voluptate, de repente ascendit vermis quidã illa corrodẽs, & dissipans vniuersa. Vnde, qui dudũ lætabamur, ex seculi bonis, iam orbati illis, indignamur, est autem vermis ascendens, defectibilitas & fluxibilitas rerum, quia

Ignorantia nõ impetrat remissionem peccatorũ, si sola sit.

Allegoricus sensus.

Ad Hebr. 10.

Roman. 2. Ioan. 9.

2. Cor. 3.

Psal. 21.

Moralis sensus.

omnes nos morimur, & sicut aqua dilabimur super terrā. ¶ Vnde ille oppido gaudebat dicens. Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe epulare. Sanè hic requiescebat sub vmbra suorum bonorum, at vero subito ascendit vermis in vmbram hanc, & eam dissipauit. Nanque subditur. Dixit autem illi Deus, stulte hac nocte repetēt animam tuam fugacitas ostendit rerum temporalium, rectè confertur vermi subito ascendenti, & corrodenti vmbram hederæ, sub qua hilaris conquiescebat Ionas. ¶ Præterit enim figura huius mundi, & non habemus hic ciuitatem manentē, sed futuram inquirimus, & demum vniuersa sunt sicut vapor ad modicum apparens, qui sursum latus euanescit totus.

Luce. 12.

EXPLANATIO IN MIchæam Prophetam, Authore Michaele de Palatio.

Prologus in Michæam Prophetam.

HIC Michæas Domini propheta, alius est a bisso Michæa Dei etiam vate, de quo fit mentio lib. 4. Reg. 22. qui appellatur filius Iemla. Hic autem cognominatur Morasthites, à Maresſa quæ est in tribu Iuda & inde vocatur Morasthites. Nam à Maresſa, vel Morassa, deriuatur Moreseth, inde Morasti oppidum in tribu Iuda. Iudith. 15. Epiphanius, Cyprianus episcopus, & Isidorus Hispalensis episcopus locis sæpe à me supracitatis in prologis ad alios explicatos à me prophetas, censuerunt hunc Michæam fuisse Ephraimitam, scilicet de tribu Ephraim. Quibus obijci potest, quod Maresſa vbi fuit natale Michææ ipso demonstrante, dum se vocat Morasthitem, est in sorte tribus Iuda vt perspicuum est Iosue. 15. & item cap. 1. populum suum vocat tribum Iuda, vnde videtur potius ex tribu Iuda traxisse originem, quā ex tribu Ephraim. ¶ Fuit autem quidam Michæas Ephraimita, Iudicum. 17. qui dicitur ibi Micha, & idem est Michas atque Michæas Hebræis. ¶ Porrò iste non fuit vates Domini, sed impius cultor idolorum. Alterius item Michææ fit mentio Iere. 36. qui item non fuit vates. ¶ Huius denique nostri vatis, fit mentio Iere. 26. Nam vaticinium eius contra Ierusalem, citatur à principibus Ierosolymitis in fauorem Ieremiæ Prophetæ. Et ibidem appellatur Domini propheta. ¶ Interpretatur autem Michas, aut Micha, aut Michæas, quia synonyma sunt Hebræis pauper, vel humilis. Maresſa autem vel Mereſcheth, hæreditas caput vel principium. Tempus quo sua vaticinia edidit ipse demonstrat, videlicet sub Ioathan qui. 4. Regū. 15. traditur filius Oziæ vel Azariæ regis Iuda. Commendatur quod fecerit rectum coram Domino, non tamen prorsus commendatur, imò ex parte carpitur, quod permisit suo æuo, populum adorare in excelsis. ¶ Et sub Achaz item prophetauit, & sub Ezechia. Impietas vero Achaz regis Iuda patens est. 4. Regum. 16. & 2. Paralip. 28. vbi commoratur coluisse idola Damascena & filios suos lustrasse per ignem, ritu idololatrarum. Et demum propter nefanda facinora sua nudatum fuisse à Deo diuino auxilio, insuper quod tempore angustiæ cōtemptui habuisset Dominum. Ezechias autem filius huius fuit pius in Deum rex, qui excelsa abstulit, & serpētem æneum cōfregit. Horum igitur vaticinatur temporibus Michæas, vnde fuit coæuus Oseæ, & Amos, & Ioel fuit anno ante Christū. 829. anno vero mundi 3940.

Michæas quidā fuit Ephraimita non tamen vates Dei.

Quid significat Michæas aut Michas, aut Micha.

Quid Maresſa.

Argu-

Argumentum in Michæam.

MIchæas pauper Spiritu dono prophetiæ illustratur: & cohæres fit cum cæteris Sanctis prophetis regni cælorum. Materiam versat mixtam, vt ipse profitetur. Agit enim contra Samariam, id est contra decem tribus, at contra Ierusalem vaticinatur, id est, aduersus duas tribus. Etsi præfati iam prophetæ, vt Oseas, Amos & Ioel, speciale sibi delegerunt materiam, contra duas, vel contra tribus decem vaticinia fulminare, vel vt Abdias, contra Idumæos. At vero Michæas mixtim vtrunque versat. ¶ Habet præterea materiam communem cum cæteris prophetis. Quorum est commune institutum carpere gentis suæ & aliarum gentium vitia, eas terrendo supplicijs: & vt ad virtutum studia animent, consolationes post minas miscendo. ¶ Eadem ratione hic vates captiuitatem Samariæ, & Ierusalem prædicit, & seruatorem Iesum Christum consolatorem introducit, qui asserunt omnes mundi nationes à captiuitate plusquam tyrannica, quæ est satanica captiuitas, eumq; clara voce ostendit prædicens locū natiuitatis suæ & item diuinitatem eius & humanitatem, in vnam eandemque personam coniugenda fore præsignauit. Ab hocq; vate scribæ Regi Herodi deprōpserūt, testimoniū vbi Christus nasceretur Matth. 2.

Cur propheræ varij idē inculcent.

EXPLANATIO IN MICHÆAM CAP. I.

VERBVM Domini, quod factum est, ad Michæam Morasthiten in diebus Ioathan, Achaz, Ezechiæ regū Iuda, quod vidit super Samariam, & Ierusalem. Qui fuerint isti Reges, prologus te docebit, & quid velit hoc exordium, ex alijs similibus exordijs aliorum prophetarum, itidem disces: quia eadem fere sunt quæ apud Oseam, & Amos; cū hoc exordio. Forsitan autem dubitabis, quorsum toties Prophetæ varij eadem inculcant? Siquidem Oseas, eandem prouinciam assumit, scilicet, contra decem tribus proferre vaticinium, nonnihil immiscens cōtra alias duas. Itemque & Amos Iudam, & Samariam, & alias nationes finitimas. Rursus & Ioel contra decem tribus tonat buccina sui vaticinij, miscens interim sermonem contra decem alias tribus. Respondetur vt supra respondimus, quia prophetæ agebant contra gentem durissimam Hebræorum, ideo opus facto erat, vt quod vnus clamabat contra eos, cæteri prophetæ confirmassent, gutta enim cauat lapidem non bis, sed sæpe cadendo, & quo plures sunt testes ad condemnationem contestes, eò iustior appareret condemnatio. Ideo Dominus, qui vincit cum iudicatur, multos destinauit prophetas ad redarguendū scelera Hebræorum, vt iustissimè resulter suæ duritiei recprobatio. *Audite populi omnes & attendat terra, & plenitudo eius: & sit vobis Dominus Deus in testem: Dominus de templo sancto suo.* Propheticam suam incipit enarrationē, captando attentionem omnium populorum, & terræ, & habitantium in ea. Et est figurata locutio ex prosopopeia. Siquidē ait, *attendat terra* terra enim cum sit inanimi attendere non potest. Similis figura sermonis est Deute. 32. Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Et Isaiæ 1. & est frequens figura loquendi in diuinis eloquijs. *Erit Dominus*, id est, testis mihi Deus sit, quod sæpe præmonuerim vos, & inuitauerim ad pœnitentiam, & vos noluistis meas suscipere monitiones. ¶ Dominus igitur de templo sancto suo, id est, qui in cælo residet, cælum enim est tanquam templum sacerrimum, vbi Deus colitur purissimè, ab angelis sanctis suis, & à beatis hominum spiritibus. Et ibi residens testis est omnium, quæ apud homines tractātur. Vnde dixit Iob 16. testis mihi in cælo fidelis, & in Psalm. Dñs de cælo respexit in filios hominum. Psalmo. 32. Aut si de templo Salomonico intellectum velis, ibi reputabatur, sedere Deus super propitiatorium, & ibi cūcta item cernebat, & bona & mala omnium hominum. *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo & descendet, & calcabit super excelsa terræ.* Quia ait descendet sublimitatem loci insinuat: nam descenditur à superiori loco in inferiorem. Vnde cælestē locum oportet intelligere: quem vocat locum domini, quia ibi tolum modo fa-

Figuratæ locutiones in scriptura.

cie ad faciē videtur etsi vniuersa Deus impleat ex infinitate suæ diuinitatis. *Descendet* translatitia est locutio, vt est illa Genesis 18. Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, Deus enim cum sit immobilis, neque descendere, neque ascendere potest verum, quia in terra nonnunquam exercere disponit mirabiles effectus, ideo traditur descendere. Vt etiam descendisse de cælis confitetur ecclesia Deum, quia incarnatus est de Spiritu sancto, & ex Maria virgine. Quia ergo Deus erat sumpturus vindictā grandem de Samaritis, & Ierosolymitis, ideo ait, *Descēdet* sub opere, non essentia, *& calcabit excelsa*, idest principes, & proceres, qui incolunt terrā sanctam. *Et consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis: & sicut aquæ quæ decurrunt in præceps.* Per montes translatitie, principes Hebræorū subaudi, vt per colles inferiores. Et captiuitatem eorum futuram subindicat per fluxum ceræ, & per decursum aquarum per præcipitia, quæ magno impetu abeuntes, non tamen recurrunt. Et ita accidit Israelitis quorum fuit sine recursu libertatis captiuitas. *In scelere Iacob omne istud: & in peccatis domus Israel.* Præpositio, In, in loco isto, causalis est, vt sæpe alibi in scripturis: idest propter scelus duarum, & decem tribuum accidet illis tanta calamitas, quanta à me prædicitur. *Quod scelus Iacob?* Nonne Samaria? & quæ excelsa Iudæ nonne Ierusalem? Samaria, vt supra in explanationibus aliorum Prophetarum diximus erat metropolis Israelitici regni, vt Ierosolyma regni Dauidici. Vnde quia hæ vrbes erant capitā reliquarum, ideo ob ipsis deriuabantur scelera in reliquas vrbes, quæ erant tanquam membra ipsarum. Propterea ait, Quod scelus Iacob? nonne Samaria? Et est similis interrogatio, acsi interrogasset vates, vbi nam maximè perpetrant peccata Israelitæ? nonne in Samaria? vbi maximè Iudæi admittunt scelera, nōne in Ierusalem? Nam maxima peccata, & quæ sunt contra fidem, & veram religionem, non admitterentur ab inferioribus, nisi principum autoritas illa admitti permitteret, vt experientia commonstrat. ¶Neque enim Lutherus, suam venenatam, potuisset adeò propagare in Germanos & alias nationes doctrinam, nisi principum Germaniæ, & aliarū nationum faueret vel tacendo, vel loquēdo consensus. ¶Ierusalem autem teste Iosepho, fuit à Melchisedech condita, aliàs Salem, & Iebus à Iebusæo Chananæi filio Iosue 18. ¶Postremo dicta Elia, vt Vola terra. lib. 1. & plerique scriptores historiæ tradiderunt ab Elio Adriano. Diuidebatur in partes duas olim. Prior erat in vertice Sionis, vna cū templo quæ vocabatur ciuitas Dauid. Templo autem adhærebat inferior ciuitatis pars: interpretatur visio pacis, aut visio perfecta. Nunc autem habet alium situm, quia mons Calvarius vbi Dominus humanam sua morte operatus est salutem, olim erat extra Ierosolymam, quia Dominus extra portam passus est nunc intra Ierosolymam continetur. Adriani commemorati opera. *Et ponam Samariam, quasi acervum lapidum in agrō cum plantatur vineæ.* Et detraham in vallem lapides eius: & fundamenta eius reuelabo: euersionem Samariæ predicit propheta. Quando autem euertitur domus redigitur in aceruos terræ & lapidum, ita ait, redigendam Samariam, *cum plātatur vinea*, Hebraicè, & in plātationes vineæ, idest Samaria deuastabitur à Deo, vt in ea plantentur vineæ. *Et detrāham*, id est destruētur muri eius & mœnia, & domus, & ideo lapides eorum cadent in valles. Desolatis autem domibus, fundamenta, quibus incumbebant patescunt. *Et omnia sculptilia eius concidentur: & omnes mercedes eius comburentur igne. Et omnia idola eius ponam in perditionem. Quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & vsque ad mercedem meretricis reuertentur.* Samaritæ adorabant vitulos aureos, quos cōstituit colendos diuinis cultibus Ieroboam: & insuper alios deos postea inuexerunt ex finitimis nationibus. Quæ omnia absumenda prædicit Michæas. Mercedes autem vocat donaria, quæ offerebant cultores idolorum ad honorem ipsorum. Vt modo ad honorem sanctorum, multa videmus in templis appensa: id quod pertinet ad duliam, aut hyperduliam. ¶Et confert Michæas, vt enarrati alij à me Prophetæ cultores idolorū, amatoribus, meretricum, & ipsa idola, meretricibus seu scortis. Vt ergo amasij offerunt donaria suis scortis, vt fruantur earum concubitu, vt de Iuda, qui concubitum Thamar, sibi parauit ex hœdo, ita quoque idololatræ, vt adorarent idola, donaria illis offerebant.

Peccata contra veram religionē, & fidem non admittebant in partes inferiores, si non foueretur à superioribus.

Aptè theologi schola stici sequētes Augustinum idolatriam conferunt fornicationi spirituali.

bant. Vnde Theologi aptè contulerunt idolatriam fornicationi spirituali. Sensus igitur est, mercedes meretriciæ, tandem redigentur, in mercedem meretriciam. Siquidem Assyrij, duxerunt captiuos Israelitas, & quæ sustulerant donaria ex templis idolorum, quæ colebant Israelitæ, illa obtulernnt suis dijs quos ipsi colebant. *Super hoc plangam & vlulabo: vadam spoliatus, & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quasi strutionum.* Cum vestram ô Israelitæ, impœnitentiā video, & quanta estis passuri mala non possum non dolere, quod impœnitentes estis. Ideo more summè lugentium, qui videntur luctu occupati maximo externas motiones non sentire, ideo nudi progredientes sua solent, vel charorum aduersa plangere, ego item nudus plangam vestras miserias acerrime. Instar, scilicet, draconum terrestrium, & struthiocamelorum fœminarum, quorum planctus terribilis describitur esse, exaggeratio est prophetici doloris. Et subdit apertius causam doloris. *Quoniam desperata est plaga eius, quia venit vsque ad Iudam: Tetigit q̄ portam populi mei.* Vocat plagam, calamitates venturas illis ex bello, fame, & pestilentia. Hæc mala vocat desperata, id est, acerbissima. Neque tamen hinc colligas, quandiu in hoc exilio agitur aliquam culpam esse desperatam, idest non remissibilem, vt multis visum fuit. ¶Enim vero, si aliquod peccatum desperatam haberet remissionem aut esset, ex defectu misericordiæ diuinæ, aut ex parte ipsius peccati. Non primum, quia diuina misericordia infinita est, clemens enim Deus est, & misericors: patiens, & multæ miserationis: & ignoscens super malitia, &c. Ionæ 4. Ioelis 2. Psalm. 85. Deute. 33. Neq; etiam ex parte ipsius peccati: etenim nullum peccatum habet qualitatē infinitam, aut quantitatē, idest nullum peccatum est infinitæ grauitatis, aut est numeri infiniti. Quanuis enim in confesso sit Theologis, peccata mortifera, esse infinitæ malitiæ, quatenus lędunt infinitam Dei bonitatē: at vero hęc infinitas non est intensiua, aut extensiua: quia est extrinseca quia ab obiecto duntaxat talis denominatur vita, quia auertit nos ab infinito bono: non tamen est intrinseca malitia infinita.

Nullum peccatum est infinitum intensiuè, aut extensiuè.

¶Etenim, voluntas quæ est peccati parens quippe quæ finitæ virtutis est, non potest edere actum infinitè intensum, siue bonum siue malū. Et præter hæc quia extat nullum peccatum, quo non sit dabile aliud grauius, vel ex maiori contemptu, aut ex varijs alijs circunstantijs, quæ interim intercurrere possunt. ¶Neq; potest peccatū multiplicari infinito, siquidē vita præsens est peccandi, & benemerēdi limes: hæc autem nō potest prorogari in infinitū. ¶Superat igitur diuinæ misericordiæ infinitas finitatē seu intensiuā, seu extensiuam nostrorum criminum: ideoq; peccata cum sint finita, remissibilia sunt ab infinita Dei misericordia. ¶Porro autem, quia peccatum à se abijcit gratiam Dei, ex qua contingit peccatoribus donatio peccatorum, ideo videbitur alicui forte ex hac parte irremissibilia peccata: nēpe quia principium remissionis à se propellunt. ¶Rursus, quia nos auertunt à summo bono Deo, vnde nobis prouenit remissio peccatorum. At vero obseruandum tibi est ne in re hac fallētia subrepat, peccatum nos orbare gratia faciente, at vero non nos orbat libertate nostra, neq; ob id destituimur Dei auxilio, incitante, & adiuuante, vt à peccato resurgamus. Quanuis igitur quatenus gratia gratum faciente nos orbat eatenus à se depellit remissibilitatem, at vero, quia adhuc libertas manet arbitrij, ex qua quod malè placuit, poterit bene displicere, & adhuc manet Dei speciale auxilium, quod adiuuat infirmitatem nostræ libertatis ad bonū: hincque peccatum, non expellit à se remissibilitatem. ¶Tria igitur sunt remissibilitatis principia, vnum formale, quod est gratia gratum faciens: alia vero duo sunt efficientia, quodammodo auxilium quidem Dei speciale, tanquam excitans peccatorem, à veterno peccati, & excitato, præbens manum vt surgat, ex fæcibus peccati, in quibus iacet: libertas vero arbitrij tanquam disponens & præparans viā ante Dominum. Nam timendo gehennā, & dolendo de admissis erratis, & sperando veniam, quadam tenus ratione est partialiter efficiens remissionem. Nanque 3. Physico. causa disponens, reducitur ad efficientem, Quapropter, damnatorum peccata sunt ex omni parte irremissibilia: quia nullo horum principiorum remissionis gaudent. ¶Neque enim gratia gratum faciente potiuntur, & libertate ad benedolendum de peccatis ex statu suo orbantur, &

Peccatum quomodo remissibile & quomodo irremissibile.

Tria sunt remissibilitatis peccati principia.

Sera pœnitētia si fuerit seria, proficua erit.

tur, & demum auxilio Dei destituuntur. ¶ Adhuc forsan quæret aliquis, cur ergo infinitam sustinebunt pœnam extensiuè, siquidem peccatum eorum, neque intensiuè, neque extensiuè infinitum est. Vnde apparet pœnam excedere modum delicti. Respondetur animas, quæ igne lustrantur purgatorio, eadem intensiua torqueri pœna, qua & quæ gehennales patiuntur ignes, at vero extensiuè, est finita earum tortura. Siquidem cum sint Deo charæ, & amicæ, ideo ex tolerantia sui ignis, satisp atiũtur, & ex satisp assione, tãdem relaxantur. ¶ At vero animæ damnatæ, quia Deo sunt odiosæ, ideo quantũlibet tolerent suos ignes, nunquam satisp atiuntur: quocirca æternò cruciabuntur. Quippe nunquam possunt soluere, nouissimum quem debent quadrantẽ. Porrò de his hactenus, quia disputauimus, hæc vberius in disputa. Theologicis nostris, & supra explanando alios Dei vates plura de re hac attigimus. *Desperata*, id est calamitas acerbissima, qua torquebantur non habebit medelam: quia Israelitæ, obdurato erunt corde, & à se proijciẽt salubre animarum suarum antidotum. Similes isti fuerunt ijs quos Apostolus taxans inquit, Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immũditiæ omnis in auaritiam. *Quia venit vsq; ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.* Quo vniuersalior est calamitas eo est miserabilior, vnde vates calamitates Israelitarum plangit, quia etiam infecturæ erant Iudæos, ideſt duas tribus, id quod maximo erat dolori vati, quia ipse erat de tribu Iuda. Et mala quo magis sunt nobis viciniora, & proximiora, eo magis nos mœstitudine tangũt. Et hic locus probat Michæam, non fuisse Ephraimitã, sed potius ex tribu Iuda: vt in prologo tradidimus. At vero, quia abactis decem tribubus in Assyrios, duæ restantes fuerunt abactæ in Babylonem, & Ierosolymam fuit item capita, hoc prædicens, ait, *Quia venit vsque ad Iudam, in Geth, nolite annuntiare, lachrymis ne ploretis. In domo pulueris, puluere vos conspergite.* Geth Palæstinorum ciuitas nobilis, cuius iam supra abundantẽ fecimus mentionem. Monet vates, ne Iudæi suas miserias, & calamitates, publicè deplorent petendo opem ab allophylis nationibus, ne allophyli, eos contẽnant, & derisui habeant. Erant enim Philistæi, seu Palestini oppido infensi Iudæis. Vnde si calamitatum suarum illis proberent notitiam, auxilia petendo contra hostes suos, ipsos irriderent, & gratularentur sibi de malis suorum inimicorum. ¶ Sed dicet aliquis, cur prohibet lachrymas fundere vates, id quod natiuũ est ferentibus calamitates eas deflere, & istud ducunt esse sibi solatio? Respondetur vatem per hæc verba, hoc vnum intendisse, vt æquo animo ferãt Iudæi suas quas ipse prophetizat calamitates, siquidẽ sibi succenseãt quod illas ferant. *In domo*, Hebra. est Haphrah. Haphrah autem siue est Aphra, erat vrbs quædam in tribu Beniamin Iosue 18. Ophra vero, est item vrbs in eadem tribu, vt ibidẽ traditur, Aphra, significat vaccam, seu frugiferam, Ophra vero puluerem, seu plumbum, & interpres, Aphra, vsurpauit pro Ophra, ideo transtulit *pulueris*. Sensus est, ite ad domum pulueris, & ibi vos cõspergite puluere, ideſt si lamenta facere, animo insidit, vt vos conspergatis puluere, vt soletis, cum maximas calamitates, deflere decernitis, ite ad vrbem Beniamin, quæ vestra est, & ibi vos conspergite puluere, nõ tamen vos vestra extra vestros terminos lamenta efferatis. Simile huic legimus. 2. Regum 1. Dauidem vetuisse suis, ne nuntiarent in Geth. Neque annuntietis in cõpitis Ascalonis, mortem, scilicet Saulis, & Ionathæ. Aut aliter, *in domo pulueris*, id est vestræ domus, muri, & denique vrbes ab hostibus vestris redigendæ sunt in puluerem, vt dixerat supra: ideoque vos vestra tunc capita conspergetis puluere, cum videritis vestras habitationes versas in puluerem, aut erit sensus, tunc vos volutabimini in puluere. *Et transite vobis habitatio pulchra confusa ignominia, non est egressa, quæ habitat in exitu. Planctum domus vicinæ accipiet ex vobis, quæ stetit sibi met.* Locus hic variam habet expositionẽ. Primo exponitur à Glossa ordinaria, referendo priora eius ad Samariam, cuius verbis illis, *Transite &c.* futura Israelitarum sub nomine habitationis pulchræ insinuatur captiuitas. Vocat autem Samariam habitationem pulchram, Hebraicè, Saphir, propter pulchritudinem eius, quia regia erat & metropolis regni Israelitici, *Transite*, id est transibitis vos qui habitatis terrã pulchram, in captiuitatem, *Confusa*, hic transitus erit plenus pudoris, & ignominiæ.

Cur damnati æternas dant propter peccata temporalia pœnas.

Ephes. 4.

Aphra. Ophra.

Non

Non est, ideſt nondum tu Samaria egressa est, vt ducatis captiua: at vero habitas in exitu, id est promptus est tuus egressus, quia breui captiua abduceris. Nam sub Ezechia rege Iuda, sub quo hic vates demum prophetauit, à Salmanasar Assyriorum rege, septem tribus cum dimidia, superstites ex captiuitate Teglath Phaasar, fuerunt abactę in Assyriam, *Planctum* per domum vicinam, subaudit duas tribus Iuda, & Beniamin, & istæ tribus similiter erant captiuandæ à Nabuchodonosore sub Sedechia rege Iuda, quia istæ tribus imitatæ sunt scelera, decem tribuũ, ideo planctum ait, accipiet ex vobis, id est propter imitationem vestrorum scelerum. *Quæ stetit sibi.* Nam collapsis decem tribubus in idololatriam, stetit diu in cultu vnius Dei, tribus Iuda, cum sibi connexa Beniamin tribu, verum in cõdicibus emendatioribus, non domus vicinæ, in genitiuo legitur, quia est solœcismus: sed domus vicina, & hac ratione constat sensus. At vero aliter exponitur ab alijs, vt à Vatablo, in suis scholijs, cuius interpretatio, sic habet. *Transi quæ habitas in Saphir, turpiter pudefacta. Non egressa est habitatrix Saanam (ad) luctum (hostis) Beth Aesel, accipiet à vobis stationem suam.* Sunt autẽ tria vocabula Hebraica hic, videlicet Saanam, quod etiam septuaginta sub eadem voce reliquerunt. Et Beth aesel & *Emedatho*. Primum horum significat exitum, vel egressionem. Secundũ vero significat domum propinquitatis. Tertium autem statorem, seu stabilitatem. Interpres vulgatus, expunxit voces Hebræas, & illis substituit interpretationes earum, quas diximus. Scilicet, *in exitu domus vicina, stetit*, in subsequentibus autẽ voces vtriusq; Hebraicas reliquit, id quod sæpe accidit in translatione vulgata. Has igitur voces putant, quidem significare vrbes in tribu Iuda, sitas. Ideo exponit Vatablus nõ egressa est Saanã, ideſt vrbs Saanã, non egredietur, id est ciues huius vrbis, nõ egredientur vt cõsolẽtur fratres suos, & vicinos Beth aesel cum ducentur captiui: ideo Bethaeselitæ tollentur ab hoste in captiuitatem, deserti à suis vicinis Saanitis. Et hoc est quod ait, Non egredietur Saanan ad luctum, ideſt ad lugendum, quia hostes tollent sibi vicinos, & propinquos Bethaesalitas. *Accipiet à vobis*, ideſt Sanaan, accipiet ab ea, est enim mutatio personæ ab ea, ideſt Saanam, à Beth æsel accipiet sub sistentiam vel stationẽ suam, ideſt tunc dẽ Saanam, vallabitur hoste, quo vallata est, & obsessam Bethaesel, & ducetur si militer captiua in Babylonem: nam per stationem obsidionem intelligit. ¶ At re vera clarior est prior sensus, etsi fortasis iste verior, & germanior. ¶ Alij referunt ad nominum allusionem, quam tradunt per nomina prædicta vatem voluisse sermonis sui esse exornationẽ, vt sit sensus hic. Non exijt, quæ habitat in exitu, ad planctum domus propinquę, accipiet ex vobis hostis stabilitatem eius. Quæ allusio, etsi ex sermone latino prædicto non luceat: at vero ex sermone Hebraico vatis maximè resplendet ad hanc rationem. Montano vitium est locum dilucidare, at mihi non est lucidior, sed obscurior. *Quia infirmata est in bonum quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum à Domino in portas Ierusalem.* Ierusalem prædicitur habitaturã in amaritudinibus, quia sub Manasse rege suo, coluit admodum deos gentium, & sanguis prophetarum ab eo fusus est, & multiplicauit scelera multa, ideoq; prædicitur infirmandam in bonum, id est flaccidã & inopem viribus esse futuram, & deposituram sedem regni, & sceptum, & templum Hebraicè. *Quoniam doluit propter bonum* subaudi amissum, ideſt dolebit præteritum pro futuro de bono, id est de innumeris bonis quę perdet ex Babyloni ea captiuitate. *Descendet* malum, ideſt afflictio hæc & calamitas, erit summa, & ad suum perueniet fastigium quia pertinget vsque ad euersionem Ierusalem, actum nanque est de vrbe cuius portas hostes possident. *Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion.* Lachis, laem, lais, laissa, Dan, Synonyma vnius eiusdẽ vrbis nomina sunt Iosue 18. Isaiæ 16. Terminus terræ sanctæ Aquilonẽ versus, in Phœnicia. Vbi Ieroboam filius Nabath, & ante istum Micha quidam Ephraimita, ibi constituit Idolum Iudicum 18. id quod ipse cœpit colere: & alij Ephraimitæ post eum. Vnde tandem irrepsit idolorum cultus in decem tribus, & ab istis duæ aliæ infectæ sunt tribus. In lachis autẽ primo cœpit idololatria duarum tribuum: ibi enim primo cultus est ab ipsis Baalim, ideo modo traditur fuisse principium peccati. Et re vera fuit prima origo idololatriæ duodecim tribuum, si

quidem

quidem vt aiebã, à Micha primo in Dan, cœpit idololatria, & Dan & Lachis dixi-
Iudic.18. mus esse Synonyma. *Tumultus* Lachis primo fuit capita à Nabuchodonosor. Et quia hic illam impetiuit quadrigis equorum stupendis. Ideo ait tumultus quadrigæ, pro quadrigarum stuporis, id est stupendarum *habitauti*, pro habitantibus Lachis. Aut vt Hebraicè habetur, sunt qui putant ab Assyrio rege Senacherib captã Lachis Ierusalem vero à Nabuchodonosor. *Iunge currum, ad equos velociſsimos, tu habitatrix Lachis.* Id est, iũge currus æquorum vel camelorum velociſsimorum, qui dromades dicuntur, vt pares tibi fugam, irruente in te hoste. *Scelera*, id est multiplicem idololatriam, quam didicisti ab Israelitis. *Propterea dabit emiſſarios ſuper hæ-*
2.Reg.15. *reditatem Geth.* Geth, vel Gath, nobilis Pa-
2. Parali. læstinæ ciuitas, quæ aliquando fuerat in
26. ditione tribus Iuda. Vnde Gethei dicti, qualis fuit ille Goliath, ait igitur quod Iudæi, presi vi hostium cogentur mittere munera Getheis ad implorãdã opem, contra hostes suos. *Dabit* tribus, scilicet Iuda. Emissarios vocat Missilia dona. Deplorat vates calamitatem venturam duabus tribubus, quia cogentur subdi Palæstinæ quibus ipsæ erant dominantes. *Domos mendacij, in deceptionem regibus Iſrael.* Hebraicè domus Achsib, est autẽ Achsib ciuitas olim in tribu Iuda munitissima, quæ instar arcis & summi præsidij ingruẽtibus hostibus, erat Iudæis, & interpretatur mendacium, vel mentiri faciens. Ait ergo, quod ciuitas hæc erit in deceptionẽ regibus Israel, id est regibus Iuda: nam, sub nomine Israel, quod est vniuersale, ad duodecim tribus, comprehenditur tribus Iuda. Etsi quod frequentius est, decem tribus denotat in istis duodecim prophetis: verum modo, tribum Iuda subnotat. Est igitur sensus, vobis regibus Iuda, confugientibus in præsidia ciuitatis munitissimæ, vt declinetis furorem hostium, nihil proderit præsidium, sed quale est vrbis nomen, sentietis etiam præsidium fallax. *Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Mariſſa, vſq; ad Odollã, veniet gloria Iſrael:* Herodem vocat Senacherib, qui multas vrbes de tribu Iuda redegit in suam possessionem, quando venit magna potentia præditus expugnaturus Ierosolymam, & impeditus fuit ex diuina dispositione, illam tamen tandem Nabuchodonosor expugnatã sibi tulit. ¶ Maresſa autem fuit vna de vrbibus Iuda, patria istius prophetæ: vt supra traditũ est in prologo ad hũc prophetam, siquidem Lachis, & Maresſa, & alias vrbes Senacherib sibi tulit, primo vt inde pateret tutus accessus ad expugnandã Ierosolymã, Odolla vel Adulla. Item ciuitas in Iuda, fuit à rege Roboam constructa. 2. Parali. 11. item nomen speluncæ. 1. Regum. 22. interpretatur præda miseriæ, qualis fuit ipsa quando ipsam deprædatus est eam Senacherib, & post modum Nabuchodonosor: vnde Odollamites Genes. 38. Gloriam Israel, ironice vocat propheta opprobrium Israel, seu tribus Iuda. Sicut Hispanè dicitur, al negro Iuan blanco, vel vocat gloriam Israel ipsum victorem hostem, qui reportaturus erat gloriosum triumphum ex Israel: expugnatis vrbibus eius, vt sit sensus triũphator hostis, vsque ad Odollam perueniet, id est vniuersa vastabit. *Decaluare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum.* Prosequitur vates suam quam cẽperat contra tribum Iuda lamentationem, vt ex tantã tanti vatis lamentatione suos contribules ad pœnitentiam prouocaret. Et istud fuit sanctorum vatum præcipuum, vt sæpe admonuimus studium: ideo illis modo loquitur, vt super malis, venturis iam iam illis impendentibus signa promant mœroris, quæ illis erant conueta, scilicet depilationem, & rasuram capitis, & barbæ, & induitionem, ciliciorum vestium; videlicet rudium, quales sunt apud nos, xergas, y sayales. *Super filios*, id est super tuos ciues, delicioſe viuentes & quos habebas in delicijs. *Dilata calnitium tuum ſicut aquilæ.* Aquila sub senecture pennas mutat, & fit implumis, & caput eius orbatur plumis, omnino: ideo, ait vates Iudaismo, vt dilatet calnitium suum sicut aquila: id est valde rade capillos tuos, vt profiteatis rasura magna, mœrorem quẽ patieris esse acerbum. *Quoniam captiui ducti ſunt ex te.* Græca lectio. *Gloria Iſrael decaluare, & tondere*, itaque figitur punctus in periodo illa, *vſque ad Odollam veniet.* Et dein subditur altera periodus, *gloria Iſrael decaluare*, & est sensus apertior, id est vos Iudæi deponite gloriam, & decorem vestrum, quibus vobis valde gratulabamini: quia ciro vertentur in ignominiã, quando captiui ab hostibus vestris ducemini. Id quod supra dixerat, *Tranſite vobis habitatio pulchra confuſa ignominia.* ¶ Et obserua, quod si per hæc verba insinuatur Iudæos esse conuertendos ad fidẽ Iesu Christi. Nunc enim decaluatam habent gloriam, & detonsam quia omnibus gentibus sunt in opprobrium: quia increduli sunt vsque adhuc. At vero, sicut capilli detonsi, tandem succrescunt ita, & gloria eorum, quæ modo detonsa est, ex infidelitate succresceet, tandem in nouissimis temporibus, quando ad Dominũ Iesum Christum conuerterentur.

EXPLANATIO
IN MICHÆAM CAP. II.

Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris in luce matutina faciunt illud: quoniam contra Dominum eſt manus eorum. Capite superiori, inuectus est Michæas in peccatum idololatriæ Iudæorũ, quæ est peccatum directè contra Dei honorem, & amorem: nunc autem eosdem reprehendit de peccatis patratis contra proximos. Vnde ait, *Væ qui*, id est, Væ vobis excogitantibus varios modos iniquitatis. Iniquitatem vocat inutile, vt re vera est, inutilis, & vana. Siquidem nihil commodi affert, sed maximum nocumentum. ¶ Quanuis enim iniquitas, vtilis videatur patrantibus: quia ex illa fur, simoniacus, vsurarius &c. commodum temporale referunt: at vero, quia nocent menti ista commoda, ideo dicuntur inutilia: Quod enim non prodest vitæ consequendæ æternæ, inutile dicitur in Sanctis scripturis. Et quod debuerat appellari noxium, vates moderatiore vocabulo vocat inutile. At vero, minus est quod profert, quam quod insinuat. Græce, *vanum* habetur, quia coram Deo vana reputãtur opera hominum, si ex illis non consequitur finis supremus, qui est Deus. Paulus autem vocat peccata, infructuosa opera, Ad Rom. 6. Qui fructum habebatis in illis in rijs quibus modo erubescitis & alibi, opera mortua. *Et operamini malum*, id est apud vos metipsos, & in cordibus vestris cogitatis mala operari. Obserua, vt vates etiam carpit peccata mentalia, contra eos, qui autumãt Iudæis peccata cordis non fuisse prohibita, sed operis. *In luce*, mutatio est per sonę, id est tanta vestra est ad peccandum auiditas, vt continuo, vt exumpit aurora, procedatis ex domibus vestris, ad faciendum mala. *Quoniam*, siquidem vestra potestas tota est, ad offendendum Dominũ Hebraicè, Deum, quasi dicat abutimini potestate vobis à Deo tradita. *Et concupierũt agros, & violenter tulerũt, & rapuerunt domos, & calumniabantur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius:* de violentijs, & rapinis, & calumnijs contra proximos suos accusat eos propheta. *Idcirco hæc dicit Dominus, ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum, vnde non auferetis colla veſtra: & non ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſſimum eſt:* propter peccata vestra, de quibus non vultis pœnitere, ego decreui vos affligere, afflictione grandi: quam nõ euadetis. Vnde conteram superbiam vestram, siquidem captiuitas, qua vexabimini, erit pessima, id est maximæ miseriæ. ¶ Isti quos carpit nunc vates, ex diuitijs malè partis, superbiebant contra alios, vt de Dominus per vatem suum, prædicit, quod sub captiuitate spoliabuntur diuitijs malè conquisitis, & inde tumor & superbia eorum confringetur, & elatio eorũ contra proximos dissoluetur. Siquidẽ tanta est is, subiectio & oppressio captiuorum, vt non possent erigere se contra alios: idem prædixerat Dns per Isaiam, dicens, *Et incuruabitur omnis ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in illa die.* Siquidẽ presi Iudæi captiuitate Babylonica, cognouerunt seiustè illa pati, quia diuinum numen læserunt, & resipuerunt à suis faci noribus: quod cesit in Dei gloriã solius. *Tempus*, vsurpatur tẽpus, pro rebus quæ fiunt in tempore, vt *dies mali ſunt.* Ephe. 5. non, quia tempus vel dies malitiam habeant, sed quia sub tempore accidit afflictio hominis: quæ mala est, adest vexans ipsum hominem ideo Dominus ait, sufficit diei malitia sua, id est sollicitudo, & angustia quæ accidunt in die hac, sat est, vt affligat hominem, absque eo, quod diei venturæ premat sollicitudo. *In die illa ſumetur ſuper vos parabola, & cantabitur cantico cum ſuauitate.* Tanta erit vestræ captiuitatis, & aliorum malorum miseria, vt eius fama diuulgetur in alias nationes, & in memoriã tantæ miseriæ cantabitis vos lugubria cantica, vocat autem lamentationem parabolam, quippe in lamentationibus

Capit. 2.

nibus ſumebantur parabolæ, & ænigmata, ad prouocandum magis ad dolorẽ affectus auditorum, *cum ſanitate*. Etenim in ſummis anguſtijs, qui promit eas cauendo lugubri cantico, hoc ſibi ducit eſſe ſolatio vt Hiſpano ſermone fertur prouerbio, Quien canta, ſus males eſpanta. *Dicentium depopulatione vaſtati ſumus: pars populi mei commutata eſt*, ſæpè diximus ſupra, Teglath Phaaſar, duas tribus cum dimidia duxiſſe captiuas in Aſſyriam, poſtmodũ vero Salmanaſar ſuperſtites abduxiſſe in captiuitatem. Et iſtud eſt, quod ait vates pars populi mei commutata eſt, id eſt verſa ad alienos, & commutata ex libertate in captiuitatẽ. Aliter tamen interlinealis expoſuit per partem commutatam templum Dei dirutum aut tunc diruendum à Chaldæis, & tandem à Romanis ſub Tito & Veſpaſiano. ¶ Porro videtur & aliter poſſe intrpretari, ad hanc rationẽ. Quod verba hæc ſunt lamentatio pauperum deflentium ſe à diuitibus fraudibus, violentijs, & calumnijs fuiſſe defraudatos ſuis proprijs bonis. Eſt autem obſeruandum lamẽtationes eſſe obſcuras in diuinis ſcripturis, cum abundent ænigmatibus, & parabolicis ſermonibus, tum quia cum ex turbato animo proferantur, conciſa habent verba, & numeri, & perſonæ & genera confunduntur: quod ergo ait, depopulatione vaſtati ſumus, ſunt verba pauperum ſpoliatorum lamentantiũ ſuam deuaſtationem, quam iniuſtè paſsi ſunt à diuitibus potentioribus. Et quod ſubditur pars populi mei commutata eſt, diuitum calamitatẽ, quam erant laturi ab hoſtibus lamentantur, id eſt portio populi mei, quæ ſunt diuites, & proceres commutabuntur, ſcilicet quando ducentur in captiuitatẽ. Et propterea ſupra dixerat, *Canentium cum ſuauitate*, quia ſuauè erat pauperibus, quod diuites, qui eos opprimebant ſuæ in pauperes iniuriæ, referũt mercedem vindictæ. *Quomodo recedit à me, cum reuertatur, qui regiones veſtras diuidat?* Hebraicè quomodo ablatum eſt à me, id eſt, quod vos diuites & potentes abſtuliſtis à nobis pauperibus per vim, & calumniam hoc fruſtra abſtuliſtis, neque proderit vobis vt credebatis: ſiquidem veniet hoſtis, qui ablata à nobis, quæ in veſtras opes cõtuliſtis, & feciſtis violentia, & fraude veſtra quæ erant noſtra, ipſe auferet à vobis & diuidet ſibi. Id eſt hoſtes veſtra tollent ſibi & diuident inter ſe, vt eſt moris hoſtium. Et idem ſenſus eſt, quomodo *recedet à me*, id eſt, quo iure, qua ve iniuria receſsit à me, quod meum erat, & translatum eſt in aliorum potentiorum ſubſtantiam? Et vſurpatur tempus pro tempore. *Regiones*, id eſt ſubſtantias noſtras, domos & poſſeſsiones noſtras, quas vos à nobis abſtuliſtis maxima iniuria. *Propter hoc nõ erit tibi mittens funiculum ſortis in cœtu Domini*. Propterea, vobis non erit hæres legitimus ò potentes & diuites qui pauperibus irrogaſtis iniuriã ſpoliando eos proprijs bonis. At quòd prætendebatis ſubſtantias noſtras, quas violentia rapuiſtis, transferre in veſtrorum filiorum hæreditatem & poſſeſsionem, non ſuccedet vobis pro voto, ſed fruſtrabimini ſpe veſtra & ſpes veſtra, quam concepiſtis vos fallet. Etenim irruet hoſtis in vos & rapiet veſtra, & noſtra quæ veſtris adiunxiſtis: & dimittet vos vacuos, & filios veſtros inopes & mendicos. Hoc eſt quod ait, propter hoc non erit tibi mittens funiculum in cœtu ſeu in congregatione Iſraelitica: ſiquidem, omnibus bonis alienatis ab hoſtibus, nihil reſtabat diuidendũ in terra ſancta filijs, & nepotibus diuitum, & potentiorum. ¶ Vt verum ſit illud quod ſapiens memoriæ prodidit vir qui feſtinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egeſtas veniet ei. Tales erant iſti diuites, quia rectè dixeris feſtinato ditatur, qui ex rapinis, & furtis ditatur: & iſti ſunt qui inuident pauperibus, & propterea denuntiat vates conſonè ſapienti, veniet ei egeſtas: vt iſtis Iſraelitis ſuperuentura egeſtas denuntiatur ſub captiuitate: vnde de iſtis diuitibus, rapacibus, & calumniatoribus cecinit Dauid, Diuites eguerunt, & eſurierunt, timentes autem Dominum non deficiẽt omni bono, iſti ſunt illi quorum meminit euangelica enarratio, cũ docet impoſsibile eſt diuitem intrare in regnum cælorum, calumniã horum Iſraelitarũ, item carpit vates Dei Amos, cap. 4. calumniam ait, facitis egenis. Et contra filios horum diuitũ inclamat hymnidicus fiãt filij eius orphani, & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent &c. Nam ſicut virorum iuſtorum, eam habet rationem Deus, vt ſit memor filiorum eorum. Vt decantat ipſe Dauid inuenis, dicens fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemẽ eius quærẽs panem,

Prouerb. 28.

Pſal. 108.

panem, ita contra vero accidet filijs impiorum: quia ſemen impiorum peribit.

Exod. 20. & 24. Vnde Deus ſe appellat zelotem vindicans peccata parentũ, in tertiam & quartam generationem, vt ſuperioribus explanationibus, à me eſt explanatum. Et quidem iuſtum eſt Dei iudicium. vt qui contendit violentia, & calumnia, minus potẽtes in paupertatem adducere, quòd vel ipſe, vel ſoboles eius depauperetur. *Domini Iſrael*, Iſrael non eſt de textu Hebræo. *Ne loquamini loquentes, non ſtillabit ſuper iſtos non comprehendet confuſio*, proſequuntur ſuam lamentationem pauperes oppreſsi, & aiunt, ò prophetæ Dei, quibus incumbit peccata hominum carpere, & viam veritatis oſtendere. Ne loquamini loquentes, ideſt neutiquam effundatis ſermonem veſtrum contra iſtos tyrannos, qui acerbam in vos exercuerunt tyrannidem, nudando vos noſtris bonis, vt ſe ipſos amplius, & vberius ditarent. Etenim vbi non eſt auditus non eſt effundendus ſermo. Iſti autem nõ habent auditum quippe qui obſtinatiſsimo ſunt animo, per ficta ſunt fronte Dei vates non verentur: nauci faciunt ſermones veſtros. Fruſtra autem niti, & nihil aliud quam odiũ quærere extremæ dementiæ eſt. Ne igitur illorum tyrannidem obiurgetis, ne perdatis oleum & operam. Non ſtillabit veſter diuinus ſermo ſuper iſtos tyrannos. Aures nanque ſuas, pluſquam plumbo grauarentur habent oppletas, ne vos audiant oculos ſuos obcæcarunt, ne videant bona & corda ſua obdurauerunt, ne ſtillicidium diuini ſermonis illa penetret. Adeoque tenaces, & peruicaces ſunt, vt depoſita fronte irridebunt veſtra verba, quia mendacia à veſtro cerebro eſſe conficta, blaſphemabunt eſſe, ideo confuſio vel pudor non comprehendet eos.

¶ Aut ſi ſequamur priorem expoſitionem, cum ait, *Propter hoc non erit*, exponendum eſt, aliter videlicet, quod in reditu filiorum Iſrael ex captiuitate Babylonica, non habuerunt hæreditatem in terra promiſsionis, vt prius quia gentes, cum eis etiam fuerunt commoratæ. Et quod ſequitur, *Ne loquamini*, excludit vanam æſtimationem populi, æſtimantis non ſe expellendum à terra Sancta, quamuis prophetæ hanc expulſionem prædicerent. *Non ſtillabit*, id eſt, pœna comminata à prophetis, non cadet ſuper nos. *Nunquid abbreuiatus eſt ſpiritus Domini, aut tales ſunt cogitationes eius*, verba ſunt Iſraelitarum, non eſt talis ſcilicet Dei voluntas, nobis nocendi, neque cogitatio eius, vt noceat nobis, expellendo nos à terra noſtra: imo potius voluntas eius, & ſtudium eius, vt nobis benefaciat.

¶ Quibus reſpondet vates agens Dei perſonam, ſubdit, *Nonne verba mea bonæ ſunt cum eo qui rectè graditur*. Id eſt, ſtudium diuinum & voluntas eius non ſunt ad nocendum. Ego inquit non cogito cogitationes afflictionis, ſed pacis Iere. 29. Verum, ſi nocet impijs, eos grauiter corripiendo, iſtud ſibi imputent, quia facinora ſua ſunt in cauſa, quod pœnas Deus ſumat de illis. Sequẽdo autem poſteriorem expoſitionem, aliter hæc ſuat habenda, videlicet, *Nunquid abbreuiatus*, verba ſunt pauperum oppreſſorum, qui videntes ſe opprimi à potentioribus, & non habere quicquam præſidij contra eos, aiebant dubitantes, nunquid potentia Dei eſt abbreuiata quod nos reliquit pati iniuſtè, & non defendit nos ab illatis & inferendis iniurijs? Nunquid hæc ſunt ſtudia eius? id eſt, aut conniuet impijs, & tyrannis, vt ipſi faciant quæ volent, ipſo annuente, & adiuuante? Et reſpondet Deus ſoluens hanc impiã dubitationem, dicens, *Nonne*, id eſt neque potentia mea abbreuiata eſt, neque mea cogitatio eſt fauendi tyrannis: ſed interim eos ſino peruerſe agere, quia verba mea ſi illis enuntientur, nihil eis proderunt, ſed magis obdurantur, propterea quæ ſolum ſunt proferenda ijs, qui corde bono ea ſuſcipient.

¶ Porrò autem, quia locus hic prophe ticus, eſt admodum difficilis, ideo multis gaudet expoſitionibus literalibus. Vnde præter has duas, eſt tertia, *depopulatione vaſtati ſumus*. Hebrai. lamentatione lamentabitur: ſubaudi lamentator, id eſt, pſeudoprophera, cum viderit captiuitatem ſuorum popularium, tunc lamentabitur, & dicet hoc lamentũ, deuaſtati ſumus maxima deuaſtatione. *Pars populi mei*, id eſt, portio vel hæreditas nationis meæ commutata eſt, id eſt, Deus illam commutauit in alienorum poſſeſsionem, id eſt, hoſtium Chaldæorum. *Quomodo recedet*, pro receſsit à mea natione, hæreditas & poſſeſsio, qua iam olim

potiebatur, at vero hostis accedens illam sibi tulit? *Propter hoc*, contra falsum vatem, istud ait Michæas, & illi alloquitur, dicens, id est, cum non sit diuidenda terra Sancta in reditu ex captiuitate Babylonica, non erit hæres tibi, qui partiatur hæreditatem, quæ tibi obuenire debuisset inter electos Dei. *Ne loquamini*, id est, pseudouates dicere solent veris prophetis. *Ne loquamini*, id est ne prophetetis, & imponunt eis silentium. Et quia isti obiurgabant veros prophetas, vt est perspicuum. 3. Regum vigesimo secundo. de Sedechia qui obstitit Michææ, filio Iemla. Et de Anania, qui repugnauit Ieremiæ. Ierem. 27. Idemque supra in explanatio. ad Amos capit. septimo traditum est. Ideo subdit. *Non stillabit*, super istos, Hebrai. *Istis*. Ideo veri prophetæ suspendent sua vaticinia, quia incapaces erunt auditores, & indigni veri vaticinij, amantes vana: & non solum hoc contenti malo quin quod pessimum omnium est, ignominia afficientes veros Dei vates. At vero si veri suspenderint vaticinia sua, tunc asserent se ab ignominia, quam patiuntur ex vero vaticinio. Et hoc ait, est quod subdit. *Non comprehendet*, id est, non afficiet veros vates tunc ignominia. Et re vera prophetæ falsi valde iniurij fuerunt veris prophetis, obturantes ora eorum, ideoque aiebant, non prophetabunt veri prophetæ, nobis repugnantibus, ne apprehendat eos ignominia: qua nos eos afficiemus, si prophetauerint. *Dicit domus Iacob, nunquid abbreuiatus est spiritus Dñi, aut tales sunt cogitationes eius?* Pro, dicite domus Iacob, nũquid est abbreuiatus propheticus spiritus? nũquid Deus non est potens creare nouos prophetas, etiam si vos vestris coæuis silentium imponatis? nam Deus potens est rumpere ista silentia. Nunquid talia cogitat Deus, qualia vos putatis? videlicet, quod Deo animo sit vos perdere, cum potius animo sit, vos seruare? verum non prophetæ vobis prædicentes mala, sunt causa vestrorum malorum, sed vestra scelera, quæ non vultis vestra delere pœnitentia. *Nonne verba mea bona sunt cum eo qui rectè graditur*. Id est, verba meorum prophetarum pacem, prosperitatemque pollicentur bene operantibus: vobis autem qui male operamini mala videntur, vestro autem vitio istud succenſetis. *Et è contrario*. Hebrai. Pro, *Qui heri erat populus meus in aduersarium consurrexit: desuper tunicam, & pallium sustuliſtis* insatiabilem auaritiam Hebræorum, quam primo capite cæperat detestari vates, rursus infectatur modo. Ait populus meus, qui scilicet olim erat populus meus ex populo meo factus est hostis & aduersarius. Si quidem iter facientes spoliat vestibus, quibus obteguntur. Et tanquam grassatores, viantes securos inuadunt vt nudent vestibus & pecunijs eos. Per vestes subaudi omnes opes. *Et eos, qui transibant, conuertiſtis in bellum*, id est, cum illis pugnabatis, ceu grassatores, & itinerum prædones, vt vi, & pugnis eos spoliaretis. *Mulieres populi mei eieciſtis, de domo deliciarum suarum: à paruulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum*, hoc est mulieres pauperes, quas nunc vocat, *mulieres populi mei*, vestris calumnijs, & rapinis eieciſtis de domibus proprijs, vbi placidè & quiete agebant cum viris suis. Et infantes earum occidiſtis, vt nequeant me laudare perpetuo in templo meo, vel aliter, dissociatis vxores à viris, vnde paruuli, deseruntur à consortio parentum, quod consortium est laus Dei æterna, quia Deo maximè placet. *Surgite, & ite quia non habetis hic requiem: propter immunditiam eius corrumpetur putredine peſsima*. Insinuat captiuitatem Babylonicam illis iam imminere: ideo ait, Fugite hinc, id est, fugietis cito. ¶ Hic in terra sancta putabatis vos æterno permansuros, at vero, non erit ita, quippe non ibi erit vobis quiescendum, sed huic alio commigrandum vobis erit. Siquidem propter immunditias vestras, id est idololatrias, & alia scelera, terra sancta à vobis polluta est, & corrupta putredine pessima: vocat sordes idololatriæ putredinem pessimam. Quæ enim putrescunt fœtorem spirant, & nihil putridius, neque fœtidius scelere idololatriæ. Captiuitatem hanc lege. 4. Regum vigesimo quinto. & Ieremiæ trigesimonono. *Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacũ potius loquerer stillabo tibi in vinũ, & ebrietatem*. Hebraicè. *Si vir essem spiritũ sequẽs, & mendaciũ concinnans, prophetarẽ, quæ tibi de vino & sicera, propheta essem pro hoc populo*. Et translationis Hebraicæ apertus est sensus. Etenim magister qui prurit auribus auditorũ, vt Paulus ait, is approbatur cõmunibus suffragijs, vt fecit Lutherus,

Trãslatio Vatabli.
Variatã latio.
2. Tim. 4.

therus, docens solam sufficere vitæ æternæ comparandæ, & opera pœnalia negans esse necessaria, ideo fuit propheta receptus à Germanis, in quibus operatur spiritus diffidentiæ. Idem fecit Mahometus sectam constituens plausibilẽ sensibus. Et ideo innumerabiles habet sectatores, & sicut Dei vatem, eum sui venerantur. Siquidem, qui docet carnalibus fas esse fornicari & ebriosis fas esse, inebriari, & gulosis licere nõ ieiunare, & ita si libet discurrere in cætera hominum vitia, sanè optimus apud huiusmodi sensuales reputaretur magister. Quia isti amant audire, sibi placentia, vt apud Isaiam capit. 30. quosdam dixisse legimus. Nolite aspicere nobis quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

¶ Si vir igitur inquit Michæas essem sequens spiritum, ideſt verba ventosa, & inania, nam hoc loco spiritus significat ventum, id quod sequens oratio declarat, & *mendacium* confingens prophetarem, id est approbarem optimum esse, ingurgitari vino & sicera, ideſt succis, & liquoribus ex alijs fructibus expressis præter vinum essem propheta populo huic, id est receptissimus à vobis essem.

¶ Translatio autem vulgata in alium sensum est referẽda: videlicet, quod vates hic condolens suæ nationi, ait, optarim non esse prophetam verum vobis dicentem, sed quod mendax esset eloquium meum, vt vobis non euenirent, quæ prædico mala vobis ventura. At re vera euenient certissimè, ideoque stillabo tibi vinum, ideſt tibi propino vinum furoris diuini, quo inebriaberis, id est, plenissimè saturaberis tribulationibus. Similis loquendi modus est in Ierem. capit, 25. Bibite, & inebriamini, & vomite: neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos, cumque noluerint accipere calicem, de manu tua, &c. Vinum igitur iram Dei significare nõ nũquam in diuina scriptura apertum est: vt inebriari ex vino, multa tribulatione obtundi. Nanque tribulatio nimia, hominem, quodammodo extra seipsum constituit, quales sunt ebrij. Vnde calix quoque tribulationem & angustiam denotare in diuinis literis indubitatum est, vnde illud transeat à me calix iste, & etiam Hispano sermone hæc est consueta loquendi forma. Is enim qui appetit re taliare iniuriam acceptam, ait, yo se la dare a beuer. *Vtinam non essem*. Simile est, quod Paulus aiebat, optabam ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mihi secundum carnem. Roman. 9. Ad quam rationem Michæas, cupiebat, non fungi munere prophetico, propter nationem suam, causa autem cur varia est translatio, est quia Hebræus textus habet, In, quod significat, vtinam, & item significat, Si, vel vtique. *Et erit super quem stillauit populus iste*. Id est, certissimè venient vobis mala quæ prædico. *Congregatione congregabo Iacob, totum te in vnum conducam, reliquias Israel: pariter ponam illum, quasi gregem in ouili. Quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum*. Rursus alia loquendi figura, insinuat captiuitatem, & obsessionem Iudæis venturam. Et sensus est irruentibus hostibus, vos fugientes in vrbes munitas præsidij vestri gratia, & ibi omnes vos congregabimini, & eritis imbelles & impotentes hostili furori repugnare: sicut oues infirmæ sunt, ad repugnandum. Ibi vos excitabitis tumultus, & strepitus, & clamores, propter multitudinem hostium, irruentem in vos ad occidendum, & captiuandum vos.

¶ Et mirum quidem est quantis abundant prophetæ metaphoris, & parabolis, ex sensibilibus acceptis, vt vel sic suos trahant ad pœnitentiam. Et rursus, quia vt Hieronymus ait, mos Syrorum erat, & maxima Palæstinorum sua inuoluere parabolis verba: ideo prophetæ, morem gentis in loquendo seruant, vt Dominus quoque seruauit multa docens in parabolis. *Quasi gregem*. Hebraicè, vt oues Bosra, erat Bosra vrbs insignis Idumeæ abundans ouibus. *Ascendet enim pandens iter ante eos: diuidet & transibunt portam & egredientur per eam, & transibit rex eorum coram eis*. Satis obscurè describit fugam Ierosolymitarum, quando Nabuchodonosor, obsedit vrbem Ierosolymorum. Tuncque interrupta est ciuitas, & omnes viri bellatores per rupturas fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum, ad hortum regis. Sedechias autem rex fugit ad campestria solitudinis, quarto Regum 25. Ieremiæ trigesimo nono. Et hoc quod ait ascendet, scilicet, ante Sedechiam & bellatores eius, prærupto muri. Nanque, vt diximus prærupta est ciuitas, quippe quæ vndecunque erat cincta

In homil. ad Matth. cap. 18.

exercitu Chaldæorũ. Ideo primo præruptus est murus horti regij, per quem patuit fuga bellatoribus Sedechiæ, & ipsi Sedechiæ. Præruptorem autem muri, vocat eum qui pãdebat iter ante prædictos, scilicet Sedechiam, & aciem eius.

¶ Porrò quia non vnus solus ascendit vt pãderet viam rumpendo murum, quia ruptura muri, nõ erat opus vnius, sed plurium: ideo vsurpatur singulare pro plurali. Et *diuidet*. Id est, diuident murum, & litera correctior habet & diuident, seu præ rumpent murum, & transibunt portam: quia fugerunt per viam portæ. Vnde inquit Ierem. 39. fugerunt, & egressi sunt nocte de ciuitate, per viam horti regis: & per portam quæ erat inter duos muros: & egressi sunt ad viam deserti ipsam autem ruptura muri appellat portam: nam portæ aliæ erant iam occupatæ à Chaldæis: ideo per illas non patebat transitus. *Et Dominus in capite eorum.* Subaudi protegebat olim capita eorum, idest iam deserti sunt à fauore diuino, qui solebat eos protegere. Nicolaus hæc refert ad tempora Messiæ Christus enim postquam resurrexit à mortuis, æthera petiuit, & ascendit pandens cælestem viam, quæ homini bus hactenus clausa erat. Diuisitque, eos qui subtus in inferno erant. Etenim eos qui erant iusti, detenti in Lymbo Sanctorum patrum, & qui initiati sacris diuinis, id est, circuncisione, aut alijs sacrificijs, erant in Limbo puerorum, hos ad se traxit, reliquos vero dimisit: quippe damnatas animas siue puerorum, siue adultorũ, non eduxit de damnatione, sunt tamẽ qui arbitrantur, item animas quas tunc purgatorius lustrabat ignis assertas fuisse à purgatione. Id quod nos diximus. 4. libr. Sentent. tomo 3. Mihi vero similius est in sua purgatione relictas, quousque satisfactione sua se absoluerent reliqui autem memorati transierunt cum Christo per portam, quam ipse descendens ad inferos fregit, vt educeret vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Neque tamen inde credas, infernum habere portas materiales, portæ enim istæ inferni quæ ferreæ describuntur erat dispositio diuina, ex qua anima quæ penetrabat tunc inferos siue iusta, siue iniusta ea fuisset, inde non poterat egredi. Et nulla est egressa ab exordio mundi ad tempora vsque Christi, cum nullaque dispensatum est: saltem quæ exiret non regressura. Quia equidem anima aliqua ex Dei dispensatione exiuit ad modicum tempus, vt de animabus Oniæ, & Ieremiæ traditur, quæ visæ sunt Iudæ Machabæo. Et anima Samuelis, quæ apparuit Sauli, vt anima Mosis quæ sub transfiguratione reuocata est ab inferis, verum iste exitus, non erat petuus: sed alicuius mysterij gratia, quo peracto, in Limbum regrediebãtur. Christus autem eas eduxit non reuersuras, sed ad æternas sedes cæli cælorum eas deuexit. *Et Dominus in capite eorum.* Quia Christum dedit Deus pater in caput super omnem ecclesiam. Ego vero, hunc sensum puto allegoricum, & non literalem, & ideo vt allegoria magis claresceret, illam diffusius tractaui, quam Nicolaus.

2. Macha beor. 15.
1. Regum 28.
Matth. 17

EXPLANATIO
IN CAP. III. MICHÆÆ.

Isaiæ 1.
Lucæ. 16.

AUDIT dixi audite principes Iacob, & duces domus Israel. Nunquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum. Inculcat rursus peccata principum & ducum tribus Iuda, & tribuum decem: quos capitulo. 1. vocarat translatitio sermone montes, dicens, Consumentur montes subtus eum. Et quia valde in Iudæos, & Israelitas glassabatur auaritia, erant enim auarissimi, id quod Isaias item scripsit dicens, Principes tui infideles, socij furum, diligunt munera. Et Dominus irridetur à Pharisæis, quia ipsi auari erant, testante Luca: iudicum autem est scire iudicium, id est scire legem Dei, ex qua iudicia debent proferre: at vero quorum refert iudicium facere vice versa, non faciunt, sed peruertunt iudicium. Et hoc est quod ait, qui odio habetis bonum, & diligitis malum. Explicans rutem, quale est malum quod diligunt, subdit tollitis pelles eorum, relatiuum sine antecedente: sed subauditur pelles pauperum, & carnes, per pelles & carnes, subaudit substantiam totam pauperum exhauritis vestris calumnijs, & violentijs, à quo enim detrahitur pellis, & caro, nudissimus, & turpissimus relinquitur relictis saltim ossibus, & nihil crudelius, quam hæc detrahere ab homine. Ideo vt summam tyrannidem insinuet, ait, *Tollitis pelles, &c.* Metaphora, à lanijs, qui detrahunt pelles ab gregibus, & deinde carnibus vescuntur ossibus, vt inutilibus reiectis, vt ergo propheta, hoc idem insinuet, principes illos exercuisse tyrãnidem in inferiores, quod omnia quæ erant pauperum expilabant & nihil vtile illis relinquebant, ideo ait, Pelles, &c. *Qui comederunt carnem populi mei & pellem eorum desuper excoriauerunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt, sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ.* Inopes vocat Deus populum suum: quia orphano, & pauperi ipse est adiutor, Deus enim magnam gerit curam pauperum. Siquidem frequentissimè, admonet diuinus sermo, vt pauperum simus memores. Et rursus eorum qui iniuriam patitur, Deus sæpè miseretur, quia sæpe vlciscitur pauperum iniurias. Vnde Psalmus 11. Propter miserias inopum nunc exurgam dicit Dominus. Et rursus oculi Domini in pauperem respiciunt.

Psal. 11.

¶ Comedere autem carnes, est deuorare substantiam pauperum. Vnde & illud comederunt Iacob, simili tropo gaudet, ossa confingere, est omnes vires pauperum comminuere, & eos prorsus extenuare.

Cõtra principes qui onerãt exactionibus sibi subditos.

¶ Hoc debuissent obseruare principes, & reges, qui multis nouis tributis & exactionibus & nouis impositionibus premunt subditos, adeò vt eis non liceat viuere, neque parare sibi victum & liberis suis, nisi maximo labore, & tædio. At illi vt sibi inopibus multis gratulentur, dedignantur clamores audire suorum subditorum. Imo quo magis vexant eos, eo magis gaudent. Sed contra istos crudelissimos exactores, vide, quid intonet diuinus sermo. *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos.* Æquabilis sanè retributio, nam si principes non fuerunt miserti pauperum, æquum est, Deum quoque eorum non misereri. Nanque sacro testante euãgelio. *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* Et ita factum est, siquidem, abstulit Deus ab eis præsidium suum, quo solebat Israelitas protegere, & reliquit eos sub Tyrannide barbarorum principum diuexari, acerbissimè. *Et abscondet faciem suam ab eis, in tempore illo.* Quos odio prosequimur aspicere dedignamur: imo fugimus eorum conspectũ, abscondere igitur Deum faciem suam ab aliquo, est eum odire, & suo speciali orbare fauore. Sicut ostendere faciem benigno est fauore quenquam prosequi. Iuxta illud ostende nobis faciem tuam & salui erimus, & sæpè aliàs. Verum est tamen, quod nonnunquam vsurpatur in bonum, abscondere faciem, vnde illud, Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, id est, ne expendas peccatorum meorum fœditatem, sed illas mihi dona, *sicut nequiter egerũt in aduentionibus suis.* Deus promissimus est ad misericordiam impendendam: at vero iniquitas nostra, tantæ promptitudini obstitit: & ideo iustitiam suam exercet, contra nos, & hoc est, quod ait, quia nequiter egerunt Hebræi, contra fratres suos, imo & contra Deum, ideo ait, esse deserendos, quando Nabuchodonosor irruerit in eos. *Non exaudiet eos.* Hoc idem legimus in Psalm. 17. Clamauerunt ad Dominum nec exaudiuit eos. Et Prouerb. 1. Tunc inuocabis me, & non exaudiam. Et Isaiæ 1. cum multiplicaueritis orationes non exaudiã. Idem Ierem. 7. Et sæpe alias, Cur autẽ Deus nõ exaudit, Iob 35. docet. Non exaudiã propter superbiã, vt Antiocho accidit 2. Macha. 9. Nostra igitur culpa est, quod Deus non exaudiat nos: quia nõ humili corde, & pura mẽte Deum oramus. ¶ Porrò aduertendũ, vt alias aduertebam, quod quantum ad bona temporalia consequenda, vel mala depellenda, sæpe non exaudimur à Deo: quia nescimus quid petamus, vt Dominus duobus fratribus dixit, imo diuersum concessit, quam erat illud quod petebant. Illi enim gloriam seculi, & potentatum petebant, & Dominus seculi ignominiam, & crucem illis concessit.

Cur Deus se aliquando inexorabilẽ præstat.

¶ Veruntamen, Deus exaudit semper si rectè petatur, quo ad bona spiritualia donando, scilicet remissionem peccatorum, & perseuerantiam in bono spirituali cæpto. ¶ Victoriam autem contra tentationes insultantes, non semper petentibus annuit Deus, vt exemplo nobis est Paulus Apostolus, cui ter rogãti, vt carnis stimulum ab ipso abigeret, Deus non annuit, imo dictũ illi est sat illi esse gratiã Dei habere, ex qua posset contra tentamenta omnia reportare triũphũ, Quã ob rẽ, quia ferre tentationes cedit sæ-

Matth. 7. Marc. 4.

Qui rectè petit venientibus annuit Deus, vt donauit publicano.

pè in trophęũ Sanctorũ, ideo etiã videatur ſpirituale & expediens bonum, propter maius nihilominus bonum, tentationibus exerceri ſanctos Deus permittit. Vnde ſubdit: nam virtus in infirmitate perficitur: vocat autem tentationem ipſam, infirmitatem, tũ quidem tantiſper dum carnis circundamur infirmitate, illis vrgeri eſt neceſſe, & vinci ab eis eſt contingens. *Hæc dicit Dominus ſuper prophetas, qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis & prædicant pacem: & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificãt ſuper eum prælium.* Hæc capitis huius ſecunda pars inuectiuam cõtinet contra falſos prophetas: qui blandis ſermonibus imponebãt popularibus. Prædicabant enim illis pacem, ei proſpera cuncta. Et ſimiles fuerunt in eccleſia primitiua falſi Apoſtoli, de quibus Paulus Romanis ſcribens ait, qui per dulces ſermones & *Rom. 16.* benedictiones ſeducunt corda innocẽtum & ſicut pſeudoprophetæ ſeruiebant ſuo ventri, & non Chriſto, vt Apoſtolus ibidem, ait. ¶ Contra falſos autem vates, multa prodiderunt veri vates. Vnde Ierem. 6. illos taxans ait dicẽtes, Pax, pax, & non erat pax: pollicebantur enim proſpera petentibus, vt patet de Sedechia. 3. Reg. ſupra citato, & de Anania paulò ante indicato. Itẽ apud Ezechielem legimus Ezech. 13. Deceperunt populum meũ, dicentes, Pax, pax, & non erat pax. Erant igitur falſi ſponſores pacis: quia ex cerebro proprio non ex Dei ſpiritu pacem pollicebantur. *Mordens*, id eſt quorum ſtudium eſt, prædicare proſpera auditoribus, vt habeant; quæ dentibus molant & faucibus deglutiãt, id quod Apoſtolus turpe lucrum vocat. *Siquis non* 1. *Timo. 3.* *dederit.* Si quis non obtulerit eis, quæ comedant, & quæ bibant denuntiant ei bellum, id eſt cum illo corrixantur. Sanctificare autem hoc loco eſt adornare bellũ, & præparare, vel aliter, ſi quis contradixerit verbo ipſorum belligerant cum illo. Talis fuit Lutherus falſus vátes, qui pacem fallacem prædicabat, dicens, non eſſe neceſſariam pœnitentiam, ſed ſolam ſufficere ſaluti conciliandæ fidem. Et contra omnes illi repugnantes fideles bellum denuntiabat, eos dicens, eſſe Papiſtas.

¶ *Propterea nox vobis pro viſione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet ſol ſuper prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies.* Iſti falſi vates, ex quibuſdam initis cum dæmone pactis, contendebant futura prænoſcere: at vero eorum viſiones erãt fallaces; dæmon enim neſcit, quæ Deus facere inſtituit: atqui per hæc omnia verba, idem repetit. ¶ Vel aliter, veſtra vila quæ placidè promebatis popularibus vertentur in mœrorem, & triſtitiam, quando ſecus euenerint, quam vos prædicabatis. Gaudium veſtrum, quod ſubaudit ſub nomine ſolis, & diei, vertetur in tenebras ſummæ angustiæ, & in occaſum, quando calamitas hoſtilis vos preſſerit.

¶ *Et confundentur, qui vident viſiones, & confundentur diuini, & operient omnes vultus ſuos, quia non eſt reſponſum Dei.* Pudefient illi, quia falſa prædixerunt vaticinia, & fefellerunt ſe & ſuos auditores, eſt autem familiare ijs, qui pudefiunt ſuos operire vultus. *Verumtamen ego repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, iudicio & virtute: vt annuntiet Iacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccatum ſuum.* Quaſi dicat, ego non ſum falſus, ſed verus vates, quippe repletus ſum virtute Spiritus ſancti, qui veros conſtituit vates: vt immundus ſpiritus, immundos & falſa ces facit vates. Siquidem cum diabolus ſit mendax, & mendacij pater, quos afflat, vtique mendacijs imbuit, vt ſicut ipſe eſt ſeductor, ita ſeductores multiplicet. Ego ait, ſum plenus virtute Spiritus ſancti, habeoque iudicandi peritiam inter bonũ & malum, vt annuntiem Ieroſolymitis, & Iſraelitis eorum ſcelera, vt hactenus annuntiaui ſcelus, id eſt, ſcelera conſueta phraſi peccatum, id eſt, peccata. Dicit ſe eſſe plenum fortitudine diuini ſpiritus, Quia non ſolum potiebatur Spiritu ſancto illuſtrante mentes luce prophetica, ſed etiam inflammante eius affectum diuina charitate. Nonnũquam enim ſpiritus ſolum illuſtrat lúce prophetica, non tamen inflammat affectũ, vt accidit Balaam idololatræ: prophetia enim ſola non conſtituit Dei amicum, eſt enim ſolum gratis data grata, non gratum faciens, atqui tunc prophetanon eſt plenus fortitudine ſpiritus Dei.

¶ *Audite hoc principes domus Iacob & iudices domus Iſrael, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis.* Dignũ ſe eſſe iterum profitetur, quem audiant principes Iſraelitarum per Iacob, & Iſrael idem intelligit, & eſt repetitio. Siquidem repletus erat fortitudine ſpiritus domini. *Abominamini.* Nulla peior animi lues, quam ex induſtria

duſtria malum operari. Peccatum enim quod ex ignorantia, aut ex carnis infirmitate originem habet excuſationem vtcunque habet nonnullam: at vero quod ex induſtria, fit nihil habet quod prætexat, tale erat horum peccatum, quod vt inſinuaret vates, ait, *Abominamini iuſtum &c. Qui ædificatis in ſanguinibus: & Ieruſalem in iniquitate.* Vocat ſanguinem pecuniam ablatam iniuſtè. Siquidem ex pecunia alimentum paratur, vnde fit ſanguis, quod eſt vltimum nutrimentum. 2. de anima, ideo qui aufert pecuniam ſanguinem, & vitã tollit. Sacerdotes igitur, & prophetæ Ieroſolymitæ (quia ad eos fit ſermo. Siquidem loquitur de Sion, & Ieruſalem) ædificabant pulcherrimas domos ex ſanguine pauperum, & ex iniquitate, id eſt pecunijs male partis. Aut ornabant templum, quod erat in Sion & offerebant ibi ſacrificia, & oblatiões ex rapinis, & furto ſublatis ab inferioribus, & inualidis hominib⁹, non potentibus repugnare maioribus.

¶ Videant igitur, qui ex male conquiſitis pecunijs ædificant ampliſsima monaſteria, aut ſacella, aut baſilicas, aut eccleſias dotant ex ſanguinibus, quod huiuſmodi ædificatio eſt Deo ingrata. Et illis opprobrio dabitur, vt modo Michæas vitio dat principibus Ieroſolymitis. Dona enim iniquorũ non probat altiſsimus. Nec reſpicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Et magis ad rem ibidem, qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Eccleſ. 34. Et rurſus panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt: rectè igitur iſti principes dicuntur ædificare Sion in ſanguinibus, quia defraudabant vitã pauperum, & ideo erant quaſi homicidæ, & homines ſanguinarij. Vnde ibidem ſubditur. Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit fratrem ſuum. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt. Vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor? ita in propoſito, iſti ex parte vna ædificabant in Sion, & in Ieruſalẽ domos aut alia ædificia, & ex parte altera deſtruebant ſubſtantiam pauperum, ideo non ſuper erat niſi labor ſuis mentibus. *Principes eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Tria perſonarum genera, vel ſtatus exponit modo fuiſſe corruptiſsimos. Principes ſcilicet, ſeculares magiſtratus, & ſacerdotes, & pphetas falſos. Principes quidem taxat, quod propter munera corrumpebant iuſtitiam: abſoluendo nocentem, & condemnãdo innocentem. Sacerdotes vero taxat, quod docebãt pretio, denique prophetas defert, quod diuinabant corrupti ex pecunia. Proditũ eſt Deuter. 16. *Perſonam non accipies, neq; munera: munera enim excæcant corda ſapientum.* At vero inſultat aliquis forſan, ecquid nefas eſt docere ex pecunia? cur ergo omnes docent ex pretio conducti, non ſolũ prophanas ſcientias quinetiam ſacram theologiam? Nam ſi qui altari ſeruit de altari viuere debet, qui ſeruit cathedræ, cur de cathedra non viuet? Reſpondetur, quod qui ex officio tenetur quippiã facere, gratis tenetur illud facere. Quamobrem videtur ex textu hoc ſacerdotes iſtos ex officio illis incubuiſſe docere populum Dei, vt incumbit epiſcopis, & paſtoribus alijs eccleſiæ, qui propter doctrinam, & ſacramentorum adminiſtrationem referre aliquid pretij iure non poſſunt: fieri etiam poterat ſacerdotes illos, pecunia corrumpi, vt dicerent falſa pro veris. *Et ſuper Dominum requieſcebant dicentes, nunquid nõ Dominus in medio noſtrum? non venient ſuper nos mala.* Id eſt ſibi gratulabantur in Domino, vel conſolationem accipiebant, aduerſus vaticinia prophetarum, dicentes nihil formidamus veſtra vaticinia, quia Domini templũ eſt apud nos, & nos ſumus populus eius: ideo quieſcendum nobis eſt, ita hæretici huius æui lutherani cum ſuo hæreſiarcha, quieſcunt in ſola fide Ieſu Chriſti, proclamantes fidem ſolam iuſtificare & nihil aliud eſſe neceſſarium fidelibus, niſi fides. At vero ſicut fallebantur, Iudæi in ſua quiete in Domino, ita & iſti: vtraque quies eſt falſa, & non vera quies, quod ex ſequentibus demonſtrat prophetа, *Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit: & mons templi in excelſa ſiluarum*, vanam ſecuritatem Iudæorum iſta verba excludunt, *Sion quaſi*, ductis eñ in captiuitatẽ Iudæis, terra illa deſerta fuit, vnde mõs Sion poterat quaſi ager arari, & item Ieruſalem, euerſis enim domibus, redacta eſt in aceruos lapidum. Et mons Sion incultus ciuibus, prædicitur in ſyluam redigendus. Scilicet, quod arbo

Vana confidẽtia lutheranorũ.

res & virgulta erant ibidē pollulatura, vt solet excelsis fyluis accidere. Idem prædicitur Ierem. 26. & Ierem. 7. eadem vana cōfidentia horum exprimitur in hæc verba. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes templum Domini, templū Domini, Templum Domini est. Et idem est quod Iudæi modo dicunt. *Nūquid nō Dñs in medio nostrū?* Vnde tu colliges, vanā esse confidentiam in solis exterioribus cæremonijs, nisi adsit fides syncera, & charitas Dei. Nanque etsi cæremoniæ exteriores sint in cultum exteriorem Dei, cæterum istæ etsi sunt vtiles ad exemplum aliorū, & nonnunquam sunt necessariæ propter præceptum, verum operanti nihil prodeunt, si impœnitens est, & ideo impuram habet conscientiam. Siquidem cultus interior Dei, qui est per veram peccatorū pœnitudinem, hic est, qui nobis prodest ad vitam æternam, cultusque exterior, si ob hoc progreditur, merita nostra cumulat: at vero si ab interiori non procedat etiam num bonus est, verum citra meritum vitæ æternæ.

Cæremoniæ exteriores qualiter vtiles.

EXPLANATIO
IN CAP. IIII. MICHÆÆ.

IT in nouissimo dierum, erit mōs domus Dñi præparatus in vertice montiū, & sublimis super colles: & confluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ: & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de vijs suis & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem: Moris esse prophetici supra non semel tradebamus, postquam inuectiuas cōtexerūt in suas, & exteras nationes & supplicia sceleribus ipsorū condigna illis vēturā prædixerunt, consolationes intermiscere per Christi aduentum illis concedendas. Et sicut medicis est familiare, cum antidota, componunt venenosis benedictas medicinas miscere, vt venenum temperetur, & ex veneno fiat medicamentum, vt coloquintidas præparant, ex malis cidonijs, vnde resultat diacridion choleræ purgandi optimum antidotum, & in theriacalibus idem obseruatur, nam viperæ venena, ex multis temperant. Ita prope modū sancti vates Dei afflati spiramine venena tribulationū, quas prophetizant suis ventura, consolationibus bonorum temporalium, & præsertim spiritualium, sub Christo elargiendorum temperant, adeo vt patientiam tribulatio operetur, concepta ex Christi Domini nostri firma spe.

Medicamenta diuina tēperantur ex prosperis & aduersis.

¶ Hoc autem capitulum paucis variatis totum extat apud Isaiam cap. 2. nos autē illud expressimus, in declamationibus ad eundem vatem, pro virili nostra: idcirco nunc illud leui calamo transcurremus. Istud capitulum autem etiam suffragantibus Hebræis antiquioribus doctoribus, ad Messiæ tempora est referendum. Et hæc tempora, vocat vates nouissimū dierum. ¶ Annotauimus enim non semel quā do superiores denarrabam prophetas tempora Christi à prophetis vocari nouissimum dierum. Non quia finale tempus est hoc tempus, quia dies iudicij, erit finalis: sed quia lex Christi est consummatio omnium legum, & post istam nulla lex speranda. *Erit mons.* Ita Hebrai. seu futurum est, vt mons domus Domini præparetur, &c. Prædixerat cap. proximo ad calcem, montem Sion esse desolandum, & arandum sicut ager, & hoc ad literam captiuitatem, & desolationem venturam sub Nabuchodonosor, insinuabat. Secundum vero allegoricum sensum, sacrificia illa vetera, cum templo illo salomonico, quod cō structum erat in monte Sion, & regnum Iuda, quod vigebat Ierosolymis esse abolenda sub Christo significatur. Porro autem, illis abolitis, & antiquatis succesit nouus mons Sion spiritualis, qui est lex Iesu Christi, hæc est stabilita à Deo in vertice montium, quia excellit omnes mundi leges. Philosophorum enim leges, aut Romanorum, in duodecim tabulis cōscriptæ, aut Lacedæmonum, aut Athenien sium, aut omnium nationum, quæ sub cælo sunt, huic legi non sunt conferendæ. Itemque lex naturalis, quam Deus scripsit in cordibus humanis. Ad hæc lex scripta quam Deus scripsit digito suo, omnes istę leges, non sunt conferendæ cum lege Iesu Christi. Missis enim legibus humanis, quæ cum diuina, non sunt comparandæ: quippe illæ sunt fallaces, nisi ex diuina lege deriuentur, diuina autem veracissima est, quia lex Domini immaculata conuertens animas sapientiam præstans paruulis, si expendimus legem naturalē, hæc etsi verissima, quia diuina, at vero imperfecta est, si sola cōsideretur. Neminem enim

Lex Christi nouissima.

Mons Siō carnalis abolitus succesit spiritualis

Collatio trium diuinarum legum.

enim potest ipsa sola perducere ad vitam æternam. Quippe patribus degentibus sub ipsa, vt Abel, Enoch, Noe, & reliquis alijs vt Abrahę, & alijs, & Patriarchis, semper adfuit Dei reuelatio eos dirigens ad viam salutis. Nam quanuis Deum vnum verum esse sit notum ex visibilibus creaturis, cæterum, hæc notio est operosissima, & vix summis philosophis veritas summi Dei patefacta est. Quoniam post varias disputationes, & post multos syllogismorū meandros, vix scintilla diuinitatis, etiamnum maximis philosophis effulsit. ¶ Porro autem ad diligendum Deum quem nouerunt egebant Dei spiritu confortante, & eleuante. Quo circa sola lex naturalis, quippe quę nō suppetebat hūc spiritum, infirma erat, ad promouendum hominem ad vitam æternam. Vnde Paulus hoc insinuans ait, Qui cum Deum cognouissent, nō sicut Deum honorificauerunt, sed euanuerūt in cogitationibus suis itaque etsi assecuti sunt veram diuinitatis notionem philosophi quidam, defecerūt tamen in cultu vero, Deo impendendo: quia non se disposuerunt, vt à Domino in ratione veri diuinique cultus instruerentur. ¶ Lex item scripta, item inualida erat, ad perfectam iustificationem. Nam docente Apostolo, si per legem iustitia, igitur Christus gratis mortuus est. Quam obrem quum sola lex Christi, est quæ homines obseruantes Deo conciliat, & hæc sola est, quæ ianuas regni cælestis fidelibus reserat, ideo hæc rectè describitur vt mons, qui est in vertice omnium montium, idest, omnes leges superans. Vnde qui sub ista lege non degit, impossibilis est ei æterna salus. Deus igitur est autor legis naturæ, & legis scriptæ, & euāgelicæ, quia istæ tres leges sunt diuinæ leges. ¶ At vero omnium imperfectissima est lex naturæ. At nihilominus est fundamentum, duarum sequētium legum. Omnes nanque Dei leges in lege naturæ fundamenta iaciunt. Perfectior autem erat lex scripta, quippe multa addebat ad diuinum cultum, & notionem clariorem spectantia. Et quanuis non cōferebat perfectam iustificationem, illam tamē adumbrabat multis typorum inuolucris: & eā pollicebatur, per prophetarum vaticinia, elargiendam per Christum, illius legis, & prophetarum scopum. ¶ Lex autem Euangelica, hæc est, quæ omnē tulit punctum: quæ naturæ legem perfecit, & Mosaycam aboleuit. Mosayca enim erat figura & vmbra nouæ, & promissio illius, ideo aduenientе luce, euanuit vmbra & radiante veritate, aboliti sunt typi: & extante iam re promissa, cessauit promissio. ¶ At vero lex naturæ, quia fundamētum est legis Euangelicæ, nanque qui non credit vnum esse Deum, quod est secundum rationem naturalem notum, non potest credere Deum esse trinum & vnum, quocirca lex naturæ, ex euangelica, non fuit euacuata, sed perfectior facta. Quandoquidem multa, quæ sub lege naturæ obscura erant, in lege Euangelica clarescūt. ¶ Rectè igitur dicere licebit, quod Arist. meminit posterioragenerationе, esse prior a perfectione. Siquidem lex Euāgelica, quæ nouissimè fuit tradita, omnes priores antecellit. ¶ Accedit eisdem, quod legem naturę, natura administrat, legem vero scriptam angeli beati administrarunt: at legem euangelicam Christus Deus, & homo verus, proprio ore docuit. ¶ Et nulla legū tot cæli ciues genuit, & generat, sicut lex euāgelica: Quis enim dinumerare poterit, tot monachos, tot eremitas, tot martyres, tot virgines, tot confessores, tot doctores, tātamq; innumerabilē Sāctorū turbā, quantam Euangelium Iesu Christi, Christo generat, & multiplicat? Et quod mireris amplius, quod lex hæc, neque indulget carnalibus desiderijs, neque humanis cedit fastibus, neque Sathanicis consentit fraudibus, sed omnia hæc proculcanda docens, quæ carnales & mundani homines in summis votis habent, nihilominus à fidelibus ita colitur, vt si detur optio, malint mortem quamlibet oppetere, quam eam non profiteri, demum si legis perfectio est, obseruatores facere perfectos, quæ facit eos perfectissimos, culmen perfectionis habet: talis est Euangelica. *Domus* idest Ecclesiæ Christianæ quę est domus Domini, huius domus mysticæ, est mons, lex Euangelica. *Confluent*, Siquidem ex omni natione confluxerūt, ad obediendum legi Euangelicæ. *De Sion* Sancti Apostoli & discipuli in cœnaculo congregati in monte Sion acceperunt Spiritum sanctum, omnis veritatis doctorem, & inde egressi prædicauerunt legem Christi. Et quidem lex Mosayca, non est egressa à monte Sion, sed à monte Sinai. At vero lex Christi Ierosolymis primum

Ad Galatas. 2.

Legis Euangelicæ

summa perfectio ostēditur, quia perfectissimos facit suos cultores.

fuit euulgata, per Christum primũ, dein per Apostolos suos: vt gesta testãtur Apostolica. ¶Quare Hebræi velint nolint locũ hũc ad literã ad Christi legẽ esse referẽ dũ, debẽt cõfiteri. Ad hæc ad legẽ Moysi non properarunt gẽtes, vt eam reciperẽt, neque magnus ad eam est factus populorum concursus, imo illam odio habuerũt nationes finitimæ, vt historia regum cõmemorat, & Machabæorum confirmat paucos enim habebat proselytos. At vero ad legem Christi totus orbis confluxit: quia in omnem terram exiuit sonus eorũ. Neque lex Moysi dabatur omnibus hominibus obseruãda, sed solum filijs Abrahæ, per Isaac deductis. *Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes, vsque in longinquum.* Istis verbis subnotatur potestas clauiũ, qua potitur euangelica lex, ex qua potestate absoluũtur veri pœnitẽtes, & corripiuntur impœnitentes, ad pœnitentiam. Habet enim ecclesia Iesu Christi potestatem iudicandi, & corripiendi omnes fideles. ¶Et quantumlibet sint in seculo eminentissimi, vt sunt reges, & proceres seculi, si volunt cælestes possidere sedes, debent se subdere ecclesiæ iudicio & correptioni in foro animæ. Vnde Apostolus. 1. Thessal. 5. Corripite ait inquietos, & consolamini pusillanimes. Non solum autem hæc correptio concessa est à Christo ecclesiæ suæ, verbotenus carpendo vitia, quin etiam censuris & pœnis ecclesiasticis in inquietos animaduertere, vt Paulus corripuit Corinthium illum incestuosum, & Ambrosius, Theodosium, & cæteri Pontifices animaduertunt in hæreticos, & schismaticos, & in alios perturbatores ecclesiasticæ pacis. Et hãc eandẽ potestatem iudicandi inter populos, & corripiendi fortes huius seculi. Apostolus docet ecclesiam habere posteriore enim ad Corint. c. 10. inquit arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionũ. Consilia destruẽtes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, idest, aduersantem euangelio Iesu Christi, quæ hic vocatur scientia Dei. Quod autem Paulus vocat altitudinem, & munitionem vates dixit gentes fortes. *In longinquum.* Siquidem lex Christi, omnes homines obligat, & non particularem nationem, vt lex Mosayca. Nanque Christus pacem euangelizauit Iudæis, qui erant prope, & gentibus quæ erant longe à Deo. ad Ephes. 2. *Et cõcident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, non sumet gens, aduersus gentem gladium: & non discent vltra belligerare.* Quãdo populi summa pace gaudent arma contẽnunt, & magis amant vomeres, & ligones, ad terræ cultum, & agrorum, quam arma habere: ideoque rarus est armorum vsus id temporis, vt accidit Hispanis, eo tempore enim quo Hispania ab Arabibus est capta, fertur summa pace prius fuisse potiti fere annis centum: adeò vt arma non extarent, sed essent abolita, id quod causa fuit, quod breui tempore, tota Hispania in Arabum seruitutem redigeretur. ¶Vates igitur, vt summam pacem sub Christo esse exoriturã subindicaret, inquit, quod id temporis, gladij conuertentur in vomeres, &c. Vnde Psal. 71. orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Qui Psalmus expresse de Christo loquitur. Et conuenit cum vate nostro, Enim vero, quod ipse corripiet fortes terræ, vt Micheas ait, Psalmus præcitatus item manifestat; ipse ait liberabit pauperem à potente & pauperem cui non erat adiutor. Et rursus coram ipso procident Æthiopes & inimici eius terram lingent. Et rursus quod *Iudicabit inter populus*, Declarat dicens iudicabit pauperes populi & saluos faciet filios pauperum & humiliabit calumniatorem, idest calumniatores. ¶Sed vt ad nos redeamus, vates prædixit pacem venturam sub tempore Messiæ, dum ait, *Concident, &c.* Enim vero quãdo Christus natus est summa pace fruebatur orbis sub Cæsare Augusto: ideo tũc descriptus est totus orbis, vt vnum Imperatorem Romanum agnosceret: vnde tunc cessauit armorum vsus, ad 40 annos. Cæterum quia pax Christi, quam sub ipso prædixit Psalmus præcitatus, esse exorituram, nõ erat exigua pax, quæ breui esset finiẽda, sed maxima pax, quæ æterno esset duratura, ait enim & *abundantia pacis*, propterea videtur, quod sub metaphora pacis temporalis vates insinuat pacem spiritualem, quam Christus erat donaturus. Est autem hæc pax, quam ad Ephes. 2. Paulus docet dicẽs, ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum; & medium parietem macerię dissoluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem. ¶Igitur Christus coadunauit, Gentiles & ludæos,

Potestas clauium.

dæos, religione valde discordes in vnam Ecclesiam catholicam cuius caput est ipse. Rursus ad Coloss. cap. 1. Pax per Christum exhibenda, qualis sit declarat pacificans, dicens per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. ¶Hæc est pax, de qua Dominus loquens aliquando aiebat. Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Mundus enim ad tempus dat pacem, ad tempus excitat bellorum tempestates, Christus vero semper dat pacem, quia ipse hoc intendit, nos pacificare cum Deo,
2. *Thess.* 3. & cum hominibus. Diabolus autem è contrario est pacis inimicus; at Deus, Deus pacis appellatur. Et quidem si obijcias, qua igitur ratione tot sunt bella, & fidelium, inuicem, & infidelium cõtra fideles & contra. Ad hæc initultabit etiam Luthe rus constituens suum dogma ex hoc loco, non esse pugnandum contra Turcas. ¶Dixerim autem tibi obseruationem esse Euangelicam, pacem constituere, & non bella. Siquidem si quis neque latum vnguem discesserit ab Euangelicis literis, quantum est ex se, nullius belli esset autor. Quandoquidem, si diligendi sunt ini-
Matth. 5. mici, si illis benefaciendũ, si pro illis orandum, si percutienti maxillam alteram, altera est offerenda, si angariatus ab altero, ad mille passus, cedendum est illi, & procedendum est ad alia duo millia, & reliqua quæ Euangelica habet institutio, qua ratione obsecro qui ad hanc formam se se componeret erga alios haberet bellum
Ad Hebr. 12. cum eis? ¶Porro autem, Paulus scitè admonuit, pacem cũ omnibus hominibus,
Ad Rom. 12. si fieri potest quod ex vobis est habẽtes. Quippe ea est sæpe hominum malignitas, quod sit necesse illi repugnare bello. Sufficit vero fideli, bellum ex animo, nõ intendere: at vero si alij cum quibus agitur bello nos impetunt acies adornant cõtra nos, vim vi repellere licet seruato moderamine inculpatæ tutelæ. ¶Lex igitur Christi tota pacem monet, quia à Christo verè Rege pacifico processit. Adeoq; pacem nobis commendat, vt proclamet beatos esse pacificos, quia filij Dei vocabuntur, idest, Dei imitatores, quia Deus, Deus pacis est. ¶Cæterum non sunt probandi, qui non resistunt quando opportunitas id poposcerit aduersarijs, oblata
1. *Macha.* 2. primum ex animo pace, vt non sunt probati illi, qui impetiti ab Assyrijs hostibus die Sabbathi gladio hostili se se sine repugnantia, ex Sabbathi religione permiserunt. Quanuis autem, Deus, Deus sit pacis, & non dissensionis, nunquid, non punit acerbissimis pœnis sibi aduersantes? semper igitur à fidelibus animus debet adesse pacificus, & à belligerãdo alienus: at vero si aliter religio Christiana, inuiolata seruari nequit, aut purgari à violatione, aut res Ecclesiæ à tyrannide aliter eripi non possunt, aut regni Christiani pax, & quietudo, aut iura ipsius à violentia se cus defendi non possunt, iustissimum esse tunc bellum, quis inficiabitur? nullus sanè nisi proteruus Lutherus, qui suo dogmate, non aliud intendebat, quam catholicæ ecclesiæ pessundationem, cuius erat acerrimus hostis. Et ideò delirus monachus delirauit, negans licere, quod ipsa natura nemine docẽte docet, fas esse cuilibet se se defendere, & à se iniuriam propulsare, non cupiens alium offendere, sed se defendere. ¶Et quod Apostolus ait Roman. 12. Non vos defendẽtes charissimi, nõ eò dixit quò tradamus vinctas manus Turcis, aut alijs iniustis aduersarijs. Sed eatenus verba Pauli accipe, quatenus nõ nos defendamus animo offendendi aliũ, sed animo nos defendendi, quando scilicet necesse est nos defendere. Aut quod non par pari referamus, sed doneinus fratri illi iniuriam, si ipse supplex orat veniam, qui iniuriam intulit. ¶Tenemur autem iniuriam donare ex corde, quantum ad non odire eum qui iniuriam nos affecit, quippe tenemur inimicos diligere. Vt igitur summatim dicam lex Christi, pacẽ amat, pacem monet ad omnes habere homines pacemque beatificat. At vero quia lex Christi neminem cogit, ideo sæpe violatur pax etiam num inter fideles. Quare si omnes homines legem Christi obseruassent, pax apud omnes inuiolata persisteret & fieret quod vates prædixit, *Et concident gladios suos in vomeres*, &c. Quod si adhuc obiectat aliquis, in tanto dissidio mortalium, non solum infidelium, sed fidelium, quomodo vera est hæc prophetia? Respondetur, quod ista metaphora qua vsus est vates non est necessario intelligẽda in sensu quem facit, ita vt intelligamus quod concisi sunt gladij in vomeres, &c. sed in sensu in quo fit, videlicet ad insinuandam pacem spiritualem, qua veri fideles potiuntur cum Deo per sanguinem

Lutherus insanæ naturæ pessundat.

Metaphoricæ locutiones non in sensu quem faciunt, sed in sensu in quo sunt, sunt sumẽdæ.

nem Iesu Christi: & quam habent veri fideles inuicem. Et vnitatem & pacem gentium, & Iudæorum in vnam catholicam Ecclesiã. Imo & omniũ nationũ vnitatem in Christo, quia tandẽ eritvnũ ouile, & pastor vnus. Vnde Dñs etiã sub sua lege esse futura bella satis ostendit, dũ ait, Necesse *Matt.18.* est vt veniãt scãdala. Et rursum. Cũ audieritis prælia, &c. nolite terreri. *Et sedebit vir* *Matt.24.* *subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est.* Quando homines summa pace gaudent vadunt sine timore in vineas & ficeta sua, vt decerpant quos comedant fructus. Vnde gaudium fidelium ex fide Iesu Christi cõcepta. Vnde Actorum. 8. Samaritæ euangelizante Philippo fidem Christi: & factũ est, inquit, gaudium magnum in illa ciuitate. Et ad Rom. cap. 14. regnum Dei, Paulus docet non esse escam neque potum, sed iustitiam, & pacem, & gaudiũ in Spiritu sancto. Quia ergo per Christi legem nobis conceditur regnum hoc, etiam num tantisper dum in mortali agimus corpore. Quia Luc. 17. regnum Dei intra nos est, non quod actu simus beati, sed firma spe, ideo adest gaudium magnum internum, & pax intima veris fidelibus, & hoc insinuat vates di- *Dan. 17.* cens, *& sedebit vir.* ¶ *Quia omnes populi am-* *Sophon. 3.* *bulabunt vnusquisque in nomine Dei sui: nos* *Lucæ. 1.* *autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri, in æternum & vltra*, verba sunt Iudæorum quos præuidit vates ad Christũ cõuertendos. Qui profitentes fidem, erãt dicturi, populi omnes sua colunt idola quæ non sunt verus Deus & Dominus, sed solum falsa opinione ipsorum, nos autem verum Dominum & Deũ sequemur Iesum Christum in æternum, quod vero ait, & vltra, idem est quod in æternum, idest in seculum & vltra seculum quod est æternum. ¶ *In die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram consolabor.* Synagogam vocat claudicantem, quia fide claudicauit, vt Elias Israelitis dixit, Vsquequo claudicatis, &c? iam enim Deum, *Gene. 32.* iam idola colebant, vel quia à Iacob Pa- *2. Reg. 18.* triarcha ducebat originem, qui ex lucta cum Dei angelo claudicabat. Synagogam igitur Deus eiecerat, illam abigens in terram barbarorum, subdens eam captiuitati Chaldæorum, & Assyriorum. Consolatur autem eam modo, sub Christo sperdens finem suorum malorum esse habitu ram, subaudi volentes fidem recipere congregabo, videlicet, Iudæos, ait Deus pater per vatem suum ad fidem Iesu Christi, & ad vnitatem Ecclesiæ Christianæ. Ita vt iam non claudicent fide, neque doleant suam electionem, & desolationem, & alienationem à patria sua: quia volentes donabuntur fide charitate, & spe assequendi regnum Dei per Iesum Christum, id quod erit eis summo solatio, idem traditur Sopho. 3. & ad Roman. 9. & 11. Reliquiæ, ait, secundùm electionẽ gratiæ Dei saluæ factæ sunt, *consolabor*. Hebrai. non extat neque in libris correctioribus. *Et ponam claudicantem in reliquias*, non omnes disperdam, sed reliquiæ erunt claudicantis Synagogæ. *Et eam, quæ laborauerat in gentem robustam*. Vtique robusti fuerunt Apostoli & discipuli Domini, qui miraculis, & doctrinis totum mundum ad fidẽ Iesu Christi traxerunt. Quanuis totus orbis illis repugnauit, nihilominus ipsi spiritualibus armati armis, idest, Dei spiritu pleni, orbem sibi subegerunt. *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum*. Quoniam regnum Christi est æternũ Lucæ. 2. Nunc regnat in militante Ecclesia Catholica, quæ vocatur mysticè mons Sion, & regnabit tandem in ecclesia triumphante sine fine.

¶ *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion*, vsque *ad te veniet, & veniet potestas prima regum filiæ Ierusalem*. Hebraicè, non legitur nebulosa, sed *hophel*, idest, firmissimum præsidium, & propugnaculum. Et non *filia*, sed *filiæ*. Turrem gregis, legis oppidum esse, Genes. 35. vbi Iacob habitauit cum tota familia sua, & vbi Ruben thorum paternum violauit. Per gregem subaudit Synagogam, & per turrem subintelligit Ierosolymam, propter eminentiam templi, qua decorabatur. Nebulosam vocat, aut quia templum nebulis ex sacrificijs combustis, replebatur. Aut quia sacrificia illa, quæ in templo illo offerebantur, erant vmbratilia instar nebulæ, quæ dissoluenda erant aduenientе euangelica luce. Quia ergo Christus Rex Regum, & dominantium dominus Ierosolymam venit, & ibi docuit Euãgelium suum, ibi mortem sustinuit crucis, ibi resurrexit à mortuis, ibi ascendit in cælum, ideo regnum Christi, quod est dignitate regnum primũ, quia excellentissimũ est,

est, & æternum, ibi cœpit prædicari, & recipi, ideo ait, ad te veniet potestas prima Regum, idest, regnum præcipuum. Quod regnum concedendum erat Apostolis, & credentibus in Christum, qui pertinebãt ad Synagogam, quæ erat filia Ierusalem. ¶ Vnde Dominus hoc innuens ait, Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meum regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam, &c. Siquidem ecclesia militans, quæ nunc est regnum Christi, concredita est, Sanctis Apostolis, & successoribus suis, vt ab ipsis regatur & moderetur. Si vero legamus, vt Hebræa litera legit *propugnaculum filiæ Sion*, apertus est sensus, nam in monte Sion erat propugnaculum fortissimum, erat enim ibi arx Dauidis, in præsidium Ierusalem, quam vocat filiam Sion more Scripturæ cõsueto. ¶ Et hæc sunt verba consolatoria, valde, siquidem mala, quæ interim patimur, ex spe bonorum temperantur. Quocirca cum prædixisset captiuitatem & miseriam montis Sion, dicens quod esset arandus quasi ager, & quod Ierusalẽ erat vertenda in cumulos lapidum, solatur modo, quod in Ierosolymam esset venturus Christus, vt prædictum est, Chaldæus itẽ paraphrastes intelligit locum hunc de Christo in hæc verba paraphrasin conte- *[illegible]* *Et tu Messia Israelis, qui absconditus es à facie congregationis, tibi futurum regnum est, vt adueniat: & veniet potestas pristina regno congregationis Ierusalem. Nunc quare mœrore contraheris? nunquid Rex non est tibi, aut consiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?* Sermo hic refertur ad Synagogam, quæ conclamatã iam putabat suam fore calamitatem, & nihil habitura remedij: ideoque postquam eandem magno solatio est consolatus vates, infert dicens, *nunc*, quia hoc aduerbiũ illationem modo non tempus significat. Quasi dicat, quid ergo tanta tibi proposita consolatione, aduersus tibi ventura aduersa, mœrore contraheris, cogitans ea, quasi iam tibi conclamatum fuisset de salute? Nunquid Rex æternus, qui tui curã agit, quite vulnerabit, an non item sanabit? nunquid consiliarius tuus perijt? idest nunquid ipse destituet te æterno? imo cõsilijs, & exhortationibus suis te consolabitur, vt tuum ex laboribus leuet fastidiũ? ipse voluit in tuas iniquitates animaduertere, quia iustissimus est: at vero is ipse misericors est, vt postquam te percusserit, te sanet. ¶ Non ergo est cur comprehendat te dolor vt parturientem, quæ sub partu grauissimè affligitur, & opinatur se non euasuram partus periculum. Tu autem non ita opineris, quia me annuente mala quæ te prement, tandem euades: id quod subinde vates declarabit. *Dole, & satage filia Sion, quasi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem, ibi liberaberis: ibiq; redimet te Dominus, de manu inimicorum tuorum.* Dole pro dolebis modum, imperatiuum vsurpat pro indicatiuo: quod est solenne Hebræis, satage, idest satages, quasi parturiens explicat mala imminentia Synagogæ, idest, O vos Iudæi quorum metropolis est Ierusalem, dolebitis, & satagetis, instar parturientis, quando hostes vestri Chaldæi, vos obsideant, & vallent circumcirca. Et vestri dolores erunt acerbi, vt sunt dolores parturiẽtis. ¶ Tunc enim Nabuchodonosor, vos educet ex vrbibus & patria vestra, & faciet vos habitare, in regione, Hebraicè, in agro. Quia captiui in suburbanis, solẽt habere tuguria, vel domicilia humilia, quibus habitent, & non habent mansionem intra mœnia. Et nonnunquam, in spelũcis profundis eos deijciunt per funes in diluculum vsque non exituri, vt Granatæ erat Saracenis mos captiuos fideles, in quibusdam profundis cõcauitatibus noctu immittere, quæ erãt extra vrbem, in ipso agro, quas Hispana lingua vocat Mazmorras, *& venies*, hoc gestum est primo: primo enim ducti sunt captiui Iudæi in Babylonem, & deinde Babylonij, eos in agros, aut in suburbia remiserunt habitaturos, ideoque hoc loco, est in narratione ordo inuersus, vt sæpe accidit diuinis literis, quod dicitur, Isteroproton, vt etiã alias, Proteron isteron, *ibi liberaberis*, expletis enim septuaginta annis, fuerunt per Cyrum donati libertate. *Et nunc congregatæ sunt super te gẽtes multæ, quæ dicunt, lapidetur.* Breui tamen congregabũtur gentes multæ, videlicet, Chaldæorum acies super te, hoc est, contra te. Nam dictio Hebræa, hal, quæ sæpe legitur in sanctis Scripturis, significat aduersus vel super, vel vtique, apud, & aliquando, pro, vt traditur in Lexico Hebraico sed frequentius, pro aduersum vt etiam modo, *quæ dicunt, lapidetur*, dictio Hebræa hoc loco posita Hanach, hypocrita vel falla-

fallacem denotat. Vt sit sensus, congregabuntur gentes Chaldæorum cõtra te quia dicunt fallax, vel hypocrita tu es. Siquidẽ Sedechias rex Iuda subquo collapsum est regnum Dauidicum, fregit iuramentum quo iureiurando iurauerat regi Nabucho donosor obedientiam, & subiectionem, & quia fefellit regem, & religionem iuramẽti violauit, rebellando contra Nabuchodonosor, ideo accepit ansam, euertendi totam Hierosolymã, & dictio Hebræa fallacem, adulatorem, vel hypocritam significat. Nostra autem translatio apertum habet sensum. *Lapidetur*, euertatur scilicet Iudæa. *Et aspiciat in Sion oculus noster*. Idest explebitur nostrum desiderium, quando viderimus arcem Sion à vexillis Babylonijs subiectam. *Ipsi autem non cognouerunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium eius*: quia congregabit eos *quasi fœnum areæ*. Idest Chaldæi tyrannicè impetẽtes Iudæã & eam subdentes suæ potẽtiæ, non intellexerunt, quod daturi erant pœnas, de tyrannide commissa, quia sub Balthasare erant Medis & Persis hostibus suis tradendi. Tuncque Iudæi dispersi ex captiuitate Babylonica, erant congregandi sicut fœnum, quod est in area, congregatur in manipulos, vt in domum referatur. Hebrai. *Vt manipuli in aream*. Videlicet congregabuntur vt manipuli congregantur, ideſt Deus soluta Babylonica captiuitate colliget eos in vnum postliminio reuersos. *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ*. Regreditur vates, vt declaret, quod dudum dixerat sub persona Dei. *Eam quæ laborauerat facturum in gentem robustam*. Nã quale erat hoc futurum robur exponit verbis istis. Vnde hæc verba non possunt referri ad Synagogam illam materialem, siquidem postquam asserti sunt à Babylonica captiuitate, non habuerunt cornu ferreum, neque vngulas æreas. Quandoquidem, si vnquam habuissent maximè sub Machabæis, at vero, id temporis, & si multis trophœis fuerint illustres Iudæi, cæterum, semper subditi fuerunt vel Assyrijs, vel Græcis, vel tandem Romanis, vt sæpè à me superioribus explanationibus vberius traditum est. ¶ Quocirca, ad ecclesiã catholicam, quæ mystice est filia Sion re-

4. Reg. 24. 2. Parali. 36. Ierem. 37. 52.

feras oportet. Enimuero lex Christi ab Apostolis cœpta fuit euulgari ex Sion, lex autem Christi est, quæ fouet & nutrit, & protegit Ecclesiam catholicam, vnde poteris rectè dicere, esse filiam Sion. ¶ Quidquod Sion etiam cælestem patriã denotat, Sion enim speculatio interpretatur: at verò ibi videtur facie ad faciẽ Deus omnipotens, vt scriptum est, ibi videbitur Deus Deorum in Sion, at vero ecclesia catholica filia est cœlestis ecclesiæ. Nãque à cælo deriuatur tota gubernatio ecclesiæ militantis, cui præsidet summus & infallibilis moderator Christus, qui ad dexteram Dei patris sedet: illamque per spiritum sanctum qui ab ipso procedit, regit & dirigit in consummationem vsque seculorum. ¶ Robur igitur huius ecclesiæ, adumbratur per cornua ferrea, & per vngulas æreas. Siquidem infrangibilis est Ecclesiæ potestas clauium, quam accepit à Christo, infrangibilis est virtus Sanctorum, quippe multis & incredibilibus tormentis vexati sancti martyres, perstiterunt nihilominus, in fide & amore Iesu Christi. Et demum neque tyrannis Imperatorum & principum seculi, neque hæreticorum fallaciæ, neque mundi fastus & deliciæ, neque diabolicæ astutiæ, vires spirituales ecclesiæ frangere potuerunt, imo ecclesiæ vires istæ sibi subdiderunt omnia, & sine armis armatos deiecit, & debilis corporalibus viribus, qualis fuit primitiua Ecclesia robustissimos sibi subiecit, verbo sancti Euangelij, quod est cornu ferreum, quia portæ inferi non præualuerunt neque præualebunt contra eam, hoc idem euãgelicum verbum, in Psal. 2. virga ferrea ob eandem causam appellatur. Et Reges ait, eos in virga ferrea, & tanquã vas figuli cõfringes eos, ista cõfractio est, comminutio cuius meminit vates noster, verbum enim Euangelicum fregit, & comminuit superbiam hominum, effecitque vt confringerent idola, quæ colebant, & se se subderent verbo Euangelij, adeoque se subdiderũt, vt se & omnia sua, Christo subderent, & non solum substantias, sed & vitam propter amorem Christi, perderent. Vocat autem rapinas, vt significet Dei verbũ, & miracula per Apostolos edita sine violentia, magnam intulisse violentiam orbi, vt nos fusius disseruimus, tractantes locum Ioannis illum, Nemo venit ad me nisi pater meus cæle-

Eccleſi qualite eſt fili Sion.

Eccleſiæ poteſtas; uincibili

Cornua ferrea eccleſiæ ſunt quatuor Euãgelia.

Ioan. 8.

stis

stis traxerit eum. *Interficies*, Hebra. dedices Domino opes eorum, vnde Constantinus Imperator dedicauit Domino Romam, & transtulit imperij sedem in Constantinopolim. Et plerique alij Reges, ditarunt Ecclesias & monasteria amplissime ex proprijs eorum substantijs: & in primitiua Ecclesia omnia erant communia, Act. 4. Et has vocat *fortitudinem eorum. Domino vniuersæ terræ*, ideſt, non obtulerunt sua ex amore hominum, aut hominibus, sed Deo qui est Dominus vniuersorum. Hincque fit, vt bona ecclesiæ nõ sint alienabilia: quippe quæ Deo sunt oblata, Dei factæ sunt opes, quia illi dictæ, vt iura omnia proclamant. ¶ Vngulas æreas, ideſt, chalibeas, vngulæ sunt animalium extremitates, vnde quia epistolæ Apostolicæ sunt post euangelia conscriptæ, non ineptè dixeris has esse vngulas ecclesiæ, quæ sunt fortissimæ, vt chalibs quippe istis vngulis calcitrat dogmata hæreticorum, & defendit se ab iniurijs ipsorum. Et demum istis vngulis percutitur Sathanica versutia.

Bona Eccleſiæ quia Deo dicata nõ ſunt alienãda.

EXPLANATIO
IN CAP. V. MICHÆÆ.

NVNC vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt super nos virga percutiet maxillam iudicis Israel, istam pericopim ait Nicolaus pertinere ad caput quartum, iuxta literam Hebræam, & non abre hoc ait, siquidem, videtur aptus contextus, istius clausulæ cum finali. 4. capitis. Tametsi in Hebraico codice quod est in Biblijs Hispanicnsibus initium est. 5. & non finis. 4. eodemq; modo apud Græcam septuaginta translationem. Et re vera, locus est obscurus, siue initium sit siue finis: vnde multi credunt, hunc locum esse referendum ad Synagogam illam, quæ Dominũ & apostolos, & discipulos Christi est persecuta, cuius persecutionis dederunt pœnas, quando per Romanos fuit euersa ciuitas Ierosolyma, & templum deustum, & populus dispersus & innumerabiles eorũ occisi: vnde hoc est quod ait, *Nunc vastaberis*, ideſt, breui continget tibi vastatio. Vocat autem Synagogam filiam latronis, quia Dominus eodem nomine Iudæos appellauit, dicens, Domus mea, domus orationis est, & vos fecistis eam speluncam latronum. Et mutat personam adderis, obsidione, &c. quia obsessi sunt multa obsidione à Romanis, *In virga*, ideſt, sacerdotes & magistratus Israelitarum percutientur in virga, ideſt, affligentur ab illis, occiderunt enim illos, litera Hebræa est diuersa ab editione vulgata: nam sic habet. *Nunc congregabis te turmatim filia turmæ*. Nam loco Latinæ vocis *latronis*, Hebræa vox est Gadud. Gadud autem significat turmam, cuneum, cohortem militum, vel globum exercitus à verbo Gadad quod significat collegit exercitum, vel turma accinctus est, vnde idem est filia turmæ aut turmarum militarium. ¶ Porrò alij referunt ad Gentilitatẽ, quæ vocatur filia turmarum militarium, quia diuersissimos ritus habebant, ex diuersitate deorum, quos colebant. Gentilitas autem, valde obstitit Euangelio, & communibus suffragijs omnes idololatræ, siue Romani, siue Græci, siue Ægyptij, siue quotquot alij erant in orbe bellum indixerunt contra religionem Christianam, vt contra communem hostem, vnde Psalmus hoc bellum præuidens, ait. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Prædicit igitur vates Gentilitatem deuastandam, & causam tribuit, quia obsidionem posuerunt super nos, & sunt verba fidelium, expostulantium, cum gentibus, *In virga* percutient maxillam iudicis Israel, quia percusserũt sanctos Apostolos, & discipulos Domini, qui sunt iudices duodecim tribus Israel. Imo & ipsius Domini, qui est iudex viuorum & mortuorum percusserũt maxillam. Huic expositioni obstat quia vates ait, *Nunc*, quod significat breui esse absoluendum suum vaticinium. Romana autem Iudæis illata vastatio, fuit multo æuo post æuum Michææ, vt liquet ex æuo Michææ supra commemorato. Et eodem morbo difficultatis laborat prior expositio propterea quæ aptius videtur referendus ad exitium Iudæis à Chaldæis illatum, vt sit sensus iuxta literam Hebraicam. *Nunc congregabis te turmatim, filia turmæ*, ideſt, nunc conglobabis te in modum exercitus, quæ incumbebas exercitibus & cohortibus militũ faciendis. Hoc enim sibi vult ex phrasi Hebraica filiæ turmæ

Nicola. Vatab.

Benedict. Montan.

vel

vel turmarum militarium vt filius iniquitatis qui incumbit iniquitati. Et insinuat captiuitatem Babylonicam Iudæis imminere, vt tunc imminebat siquidem tempore Sedechiæ fuit ductus populus captiuus, qui non multo æuo sequutus est tempora Ezechiæ, sub quo Michæas est vaticinatus. Est igitur sensus. Nūc vos Iudæi ducemini captiui in Babylonem congregati per turmas, hærentes turmis militaribus vestrorum hostium. Quasi dicat apertius, ducemini à cohortibus militum, vos qui ducebatis aliquando cohortes militares. Si autem *filia latronis* legatur, synagoga illa apte vocatur filia latronis: quia vti ex hoc vate, & alijs didicimus, Iudæi incumbebant rapinis, & furtis, & violētijs, quibus expilabant bona pauperum. *Obsidionem*, verba sunt synagogæ vel Iudæorum, vel vatis se connumerantis cum obsessis: quia vt aiebā in prologo, Michæas pertinebat ad tribū Iuda. Et vsurpat præteritum pro futuro, ideſt, obsidionem ponent supernos subaudi Chaldæi. *Percutiēt* percutere maxillam est ignominiosum valde, vnde significat vates, exoculationē Sedechiæ regis. Nanque Nabuchodonosor iussit eum exoculandum. 4. Regū. 25. Id quod fuit illi summæ ignominiæ & regem Sedechiam, vocat iudicem Israel, siquidem rex est supremus iudex suæ reipublicæ.

¶ *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quos terruerat captiuitatis vaticinio, cōsolatur libertatis maximæ prędictione. Quasi dixisset, si vos terrui ex captiuitate ventura Babylonica, terror hic tēperatur: quia vobis ex Bethlehemitico oppido nascetur dominator, qui vos eruet ab omni miseria. Quia non est vt alij dominatores terreni: sed cælestis dominator est cui vniuersa subdūtur. ¶ Bethlehem autem interpretatur domus panis. Et altera erat in tribu Zabulō, de qua Iosue. 19. ex qua erat Abessam iudex populi Israelitici Iudi. 12. Alia vero in tribu Iuda Dauid ciuitas, quam ipse habitabat. 1. Reg. 16. olim dicta Ephrata, Genes. 35. & 48. Hanc Roboan ædificijs muniuit. 2. Paral. 11. Et habet nomenclaturam à Dauide, & vocatur ciuitas Dauid, Lucæ. 2. Ioan. 7. vnde Beth-lehemites, Ephrata autem interpretatur vbertas, vxor fuit Caleb filij Esron post defunctam priorem vxorem Azaibam. 1. Paralip. 2. Et ob hanc Calebis vxorem, appellata est Bethlehem Ephrata: quæ est in tribu Iuda. Vide de istis Hieron. lib. de traditionibus Hebraicis. ¶ Locus autem hic apud Septuaginta sic habetur. *Et tu Bethlehem domus Ephrata minima es, vt sis in millibus Iuda, ex te egredietur mihi vt sit in principem Israel: & egressus eius, ab initio, ex diebus seculi.* Etsi Diuus Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 30. aliter indicet locum ex Septuaginta, videlicet, nequaquā minima es, id quod apud Septuaginta nō inuenio. D. autem Matthæ. aliter indicat hunc locum, qui neque videtur congruere cum Hebræo textu, neque cum Græco indicatis. Quoniam sic habet. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam es minima, in principibus Iuda, ex te enim mihi prodibit, qui regat populum meum Israelē. D. autem Hieron. lib. 2. commen. in Michæam, anxius est, super hac apparenti dissonantia, inter Matthæum, & Hebræā & Græcam lectionem. Vnde ex aliorum sententia profert primo responsum, quod Matthæus non protulit ex Codice Hebræo hoc testimonium, sed ex sua memoria, & ideo excidit è memoria, testimonium vt extabat in Hebræo codice: siquidem memoria sæpe nos fallit. Aut secundo quod Matthæus, rectè callebat testimonium vt extabat in Hebræo Michææ codice, at vero, protulit testimonium, vt fuit prolatum ab Scribis, & Pontificibus, quando sciscitante Herode, vbi Christus nasceretur, responsum est in Bethlehem, &c. vt ergo Matth. notaret eorum negligentiam in citando loco commemorato, ideo protulit illud sub forma prædicta. ¶ At vero, prima dubij huius solutio, non est admittenda, Matthæum, scilicet, ex memoria fallaci sua indicasse testimoniū. Nanque hoc semel admisso, idem diceremus illi, & alijs Apostolis, in narrandis gestis Domini accidisse, & tota continuo Euangelica historia veniret in suspicionē falsitatis, aut dubiæ veritatis. Et admissa fallentia memoriæ in re vna in Euangelistis, cætera omnia Euangelia laborarent incertitudine. Quod vero secundo loco respondetur, absque rationabili causa, sed ex leuissima coniectura dicitur. ¶ Sunt qui conentur eluere dubium hoc, dicentes, locum per interrogationem esse legēdum.

Disseritur consonātia Matth. cū Michæ.

dum. Nunquid tu Bethlehem minima es? neutiquam, quia ex te mihi, &c. at vero etsi familiare sit prophetis vehementiam addere suis sermonibus ex interrogationibus, verum de hac interrogatione nobis non constat. ¶ Dicendum igitur, esse frequentissimum Euangelistis & Apostolis, indicare loca ex veteri scriptura secundum sensum, & non secundum verba: id quod in Luca præsertim, est aduertere vnde locus ille Isaiæ cap. 6. Excæca cor populi huius, &c. aliter indicatur à Luca, & aliter à Ioanne cap. 12. quam sit ab Isaia proditus, idem est videre in testimonio ex Zachar. capit. 9. Ecce Rex tuus, &c. quem ex sensu refert, non ex verbo Matth. cap. 21. & sunt sexcenti huiusmodi loci. ¶ Verumtamen, etsi verbo varient, verbotenus variant, quia sensu sunt concordes. Etenim quia Euangelistæ, & Apostoli, erāt ex Spiritu sancto dictante, & non ex memoria suggerente conditores diuinæ Scripturæ, hac donati sunt autoritate, vt sensum exciperent ex verbis, vt inde sensum verborū nos docerent. Item reperire licebit, in sanctissimo Apostolo Paulo, & alijs diuinis scriptoribus. ¶ Matthæus igitur, hanc diuinā quoque est sequutus methodum: ideoque iudicauit locum Michææ secūdum sensum & Michææ animum. Erat autem intentio Michææ, postquam illum materialē montem Sion deiecerat dicens, quod esset arandus vt ager, & Ierosolymam valde depresserat, dicens, quod erat futura in aceruum lapidum. Et istud dixerat, propter incolarum scelera. ¶ At iterum Sion & Ierusalem prouexerat laudibus, dicens, quod ex Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem, voluit demonstrare vnde tanta gloria erat accessura Sion, & Ierosolymæ, quæ duo primo admodum depresserat, & vt demonstret, ait, Et tu Bethlehem nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet mihi dux, qui regat populum meum Israel. Quasi dicat, memini montis Sion, & vrbis Ierusalem, adducenda quoque est in memoriam Bethlehem, quæ etsi murorum ambitu, ciuium multitudine, plateārum latitudine, &c. non sit conferenda, cum metropoli Ierosolyma, at vero dignitate, & honoris amplitudine, non est minima sed maxima omnium vrbium, siquidem summus rex qui recturus est totum orbem ex ipsa exorietur. Nā si principis alicuius natale illustrat vicum vbi accidit, etsi modicū, principis principū, natale illustrabit vehementius Bethlehē, super omnes vrbes orbis. Et hoc idē intendit Michæas dicens. Et tu Bethlehem parvula es, scilicet, ambitu murorū & ciuium conscriptione, in milibus Iuda, at si parvula es hac ratione, at alia ratione non es tu parvula, sed maxima ex te enim exiet dux, ideſt, in te nascetur Messias Saluator Christus, vt Rabbi Salomō exposuit, vnde tibi accedit tanta gloria, vt à toto orbe visiteris, & glorificeris, & nomineris. Et ex hac tua gloria deriuatur honos Ierosolymæ, quia Christus in te natus, hic idem adultus iam prædicans Ierosolymæ, ibi moriens, ibi surgens à mortuis, inde pene trans cælos, Ierosolymam item magnificauit, & clarissimam fecit esse in toto orbe. *Parvulus*, Hebrai. paruula es vt sis in numero multarum vrbium quæ sunt in terra Iuda: aut paruula es vt tui sit habenda ratio in millibus vrbibus Iuda, sumitur numerus certus pro incerto, millia, scilicet, pro maxima multitudine. At etsi paruula sis vt sis in numero & ratione multarum vrbium Iuda, cæterum omnes honoris amplitudine excedis, *ex te enim exiet. Mihi.* Natiuitas Christi secūdū carnē fuit hominibus necessaria ad salutē, nō Deo, qui nullo eget, cū sit omnipotēs, quod igitur ait *mihi* nō ad necessitatē intelligas, sed ad glorię diuinæ manifestationē. Ideo ait, *Deus ex te orietur mihi.* Et quod subdit *& egressus eius* plurale est, ideſt, emanationes eius ab initio. Hebraicè est, Mozzach, & pro *initio* Hebrai. Kedem, ab initio Mikedem, Vatablus est interpretatus à seculo. At vero difficilem exhibet se locus iste, cum dicat emanationes eius ab initio, vel à seculo. Siquidem emanatio de paterna substantia, vnica est quæ æterna est Christi à patre emanatio: de qua videtur sermo hic intelligendus. ¶ At vero emanatio Christi ex matre, non ab initio fuit: quia non æterna, sed temporalis fuit. Quidam, arbitrātur, emanationē Christi humanæ naturæ, fuisse ab initio mundi, quia protoplastus Adam, fuit in principio conditus, vnde Christus quatenus homo traxit originem. At vero etsi in typo Christi incarnatio fuerit ab initio, adumbrata, vnde illud inimicitias ponam inter te & mulierē, & inter semen tuū, &

Christi myſteria non ſunt Deo neceſſaria ſed nobis.

semen illius, & ipsa conteret caput tuū: cæterum hic non de typica emanatione, vel typico egressu, sed de vero agitur secundum quem Christus non fuit quatenus homo ab initio, sed in nouissimis temporibus, vt Scriptura vbilibet testatur, vnde Genes. 49. Iacob Christi tempora dixit esse nouissima. Quocirca, oportet dicere tropum esse Scripturæ familiarissimum, ex quo vsurpat singularem numerum pro plurali: & contra pluralem pro singulari. Id quod modo accidit, nam exitus seu egressus, seu emanationes, vel egressiones vsurpat pro singulari emanatione, illaque æterna processione, quæ est generatio naturalis diuini ex patre Verbi. De qua nos in primo Sententiarum, & in enarrationibus ad Ioannem, multa disseruimus, ideo modo silentio sunt supprimenda.

¶Et quidem vates, Dei imbutus spiritu vtranque Christi natiuitatem præuidit: & temporalem, de qua illud verum est ex te mihi exiet dux, vel dominator. Siquidem in Bethlehem Dominus secundum carnem natus est. Verum, ne crederemus hunc dominatorem, esse similem alijs dominatoribus, qui terræ dominantur, subdit aliam eius ineffabilem natiuitatem dicens, & egressus eius, seu emanatio aut processio eius ab initio.

¶Et quidem, quidquid emanat, ab alio emanat, & quod egreditur, ex altero egreditur: quia nihil à se procedit, aut emanat: ideoque dicens, & egressio eius ab initio manifestat processionem filij à patre. Et duas insinuat personas æternas, & emanantem, & vnde emanat. Quod vero subdit *à diebus æternitatis*, repetitio est eiusdem sententiæ, quo magis doceret æternam Christi emanationem à patre secundum diuinitatem.

¶Duas igitur naturas esse in Christo Domino, breuissimo sermone est amplexus vates, & humanam, secundum quam erat tunc exiturus, ex Bethlehemitico oppido, & diuinam, secundum quā nascebatur, & nascitur, emanabat, ex paterna substantia.

Vanū est dogma tradens duas personas in Christo colligatas fuisse.

¶Vnde vnum eundémq; Christum æternum fatetur, ex egressu ab initio ex patre & temporalem, secundum exitum ex Bethlehem. Vnde tu collige Photinum, & alios hæreticos dogmatizantes duas esse personas colligatas in Christo deliros fuisse. Siquidem si diligenter obseruas, hoc vnico testimonio deijciuntur. Quandoquidem is ipse qui exit de Bethlehem, est dux, vel dominator, & is ipse qui est dominator, habet egressum ab initio à diebus æternitatis. Vnus ergo est Deus, & homo, homo natus in Bethlehem, & Deus natus ex Deo ante secula, qui est Christus Deus noster. Porrò autem Iudæi mordicus tenentes suam sectam, hunc locum Christo nostro non congruere, ex tribus argutantur. *Rationes Hebræorum.*

¶Primò, quia nos fatemur Christum esse verum Deum, at vero, si verus est Deus, qua ratione defendi potest, quod egressus eius sit ab initio, siquidem Deus caret initio. ¶Secundò, quia hic non habet litera Hebræa à diebus æternitatis, sed à diebus seculi, seculum autem non est æternum. Scribitur enim Hebraicè, Holan. Holan autem, non est æternitas. ¶Et tertiò, quia Michæas inquit, quod erit dominator in Israel, at Christus non fuit dominator Israelitarum, neque est modo, quandoquidem sub varijs nationibus degunt tributarij. ¶Hæc autem argumenta, quibus perfidi Iudæi suam augent perfidiam, procedunt ex ignorantia Scripturæ, habent enim velamen hucusque in cordibus suis, vt lucem Dei cernere non valeant.

¶Primò igitur dices, opponendo illis locum illum Scripturæ, Ecclesiast. 24. Ab initio & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam. Et illud Prouerbiorum. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, &c? igitur, sapientiam Dei quam asserit ab initio esse à Deo possessam, hanc dicit esse æternam, igitur calumniantur, Christum non esse Deum, siquidem Deus non habet initium. Respondeant mihi, an non sapientiam diuinam necessario fatebuntur esse Deū? at vero hęc possessa est à Deo ab initio vt oraculum diuinū relatum testatur. Et præterea Isaiæ. 43. Ego Deus, & ab initio ego ipse. Quid est ab initio, ideſt, ab æterno. Quia æternitas carens initio, est omnium rerum initium, & in Euangelicis literis idem traditur, In principio erat verbum, &c. Ioannis. 1. Quod ergo Michæas ait, egressus eius ab initio, hoc

hoc Ioan. In principio erat verbum, vnde dicendum est quod Christus quatenus Deus, est ab initio, ideſt à patre æterno, qui est fons & initium, vnde ipse emanat: at vero est patri coæternus, ideo est ante omnia secula, & est ab initio, vel principio non temporali, sed æterno, à quo æterno emanat, vt si Sol fuisset æternus, lux esset habens principium solem ipsum, vnde emanat: & nihilominus esset illi coæterna. Quod ergo ait Propheta, egressus eius ab initio, idem est ac si dixisset, emanatio eius à diuinitatis fonte, qui est æternus pater: est sine temporis initio, & habet æternum initium, & ideo nullum habebit finem. Creaturæ autem omnes, etsi habeant Deum æternum, in creatorem, verum habent temporale & non æternum initium, quippe quæ ex tempore cœperunt.

¶Secundò respondetur, vt traditur in Lexico Hebraico, Holan, significat seculum non habens finem, perpetuitatem, æternum, & nonnunquam, vt docet Rabbi Kimhi, pro tempore longo. Quibus etiam significationibus vsurpatur apud Latinos, vox hæc æternum.

¶Quocirca, rectè translatum est à diebus æternis, vel æternitatis: & non potest hîc vsurpari pro tempore longo, siquidem cum dixisset, egressus eius ab initio, ideſt, ab æterno, benè conuenit quod sequitur à diebus æternitatis. Et quanuis transferas seculum, vt transtulit Vatablus *exitus eius* à seculo, idem efficies, vnde in Psalm. 92. Ex tunc à seculo tu es, ideſt, ab æterno tu es.

¶Tertiò respondetur, quod ex diuinis exploratum erit literis volenti explorare, Christum in primo aduentu, non venisse regnaturum regno carnali, sed spirituali. Etsi Iudæi carnaliter regnaturum credebant suum Messiam: vt satis constat ex verbis illis. Dic, vt duo filij mei, vnus sedeat ad dexteram tuam, & alter ad sinistram. Et ex illo, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel, Actorum. 1. At Zacharias dicens, Ecce Rex tuus tibi venit mansuetus, sedens super asinam, & filium subiugalis non fore pompaticum Christi regnum pompaq; nitens tēporali, sed potius cælestem sub nimia humilitate reconditurū pompam, clarè ostendit. Et Dominus, ipse testatus est, dicens, Regnum meum non est de hoc mundo.

Zachar. 9. Matt. 21.

¶Iudæi porrò cum sint carnales, & animales, non sapiunt quæ Dei sunt: ideo Messiam expectant, qui eos faciat abundare delicijs, & diuitijs, rerumque visibilium dominio. At vero verus Messias Christus venit docens, hæc esse contēnenda, quippe sunt peccati incentiua, & vitiorum scaturigines, & ideo cælestia potius docuit esse amanda. Vnde ipse pauper, & humilis, & abiectus, venit in orbem, cum alioqui esset dominus vniuersorum. Hinc colliges sacerdotes & Scribas illos veteres, Matthæi. 2. aptius de Christo intellexisse locum hunc, quam Iudæi posteriores, de Zorobabel, aut Ezechia Rege, quibus non potest congruere egressus eius ab initio, &c.

¶Ex omnibus istis, perspicuum est, quod si quispiam tueretur dogma Origenicum tradens animam Iesu Christi fuisse simul atque mundus conditus est, vt & cæteræ animæ, quas Origenistæ credunt fuisse conditas ante corpora, eneruem esse ex hoc loco tutelam: quia quod ait ab initio, non significat ab initio mundi conditi, sed ab æterno vt expositum est.

¶*Propter hoc dabit eos vsque ad tempus, in quo parturiens pariet, & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel*, ideſt, quia nascetur Christus in Bethlehem, ideo differet aliquantisper vltionem inferendam terræ Iuda. Glossa ordinaria refert locum ad partum Mariæ Virginis, ideſt, stabit templum, & Ierosolyma ad partum vsque virgineum, nam breui postea sunt deleta, *reliquiæ*, ideſt, superstites ex illa deuastatione, quos vocat reliquias, quia pauci erant futuri, relatione ad perditos. Isti conuertentur ad filios Israel, ad doctrinam scilicet Apostolorum, qui erant filij Israel, non solum propagine carnis, sed spiritus imitatione. Vocat autem reliquias *fratrum eius*, ideſt Christi, qui tunc erat nasciturus in Bethlehem. Quia Israelitæ, descendebāt ab eodem stipite, vnde Dominus secundum carnem deriuat originem: scilicet ab Abraham, Isaac, & Iacob, Matthæi. 1. Scriptura autem cognatos vocat fratres.

¶Aptius tamen referas locū hunc, ad tempus primitiuæ ecclesiæ. *Propter hoc*, ideſt, quia Christus carnē sumet ex genere Iudęorū differet vltionē suæ mortis, aliquā-

tiſper, quia annis quadraginta duobus à Chriſti morte, dilata eſt deſolatio Ieroſolymorum per Titum, & Veſpaſianum, ſub qua temporis dilatione, Eccleſia primitiua multos peperit Chriſto filios, vnde per parientem, aut parturientem intelligas non ſacram virginem, ſed eccleſiam primitiuam, de qua Iſaias prædixerat. 54. Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia plures filij deſertæ, quam eius, quæ habet virum. Et ad Galatas. 4. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur in vobis Chriſtus.

¶ *Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui.* Maieſtatem catholicæ, ſubiudicat vates Eccleſiæ, ſcilicet, *ſtabit*, etiam ſi concuſſa multis impiorum ictibus, nihilominus ſtabit. Multis diuexata mundanorum procellis, & agitata contrarijs flatibus ſtabit tamen, quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & quia Chriſtus caput eius, illi ſemper erit præſidio, dixit enim. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Nauicula igitur Petri ſemper ſtabit, multis acta mundanis fluctibus, nunquã tamen ſubmergetur.

¶ Stabit igitur, quia fundata eſt ſuper ſtabilem petram Chriſtum ſuperædificata eſt ſupra fundamentum Apoſtolorum ac prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. ¶ Et paſcet ſuos fideles paſtu cæleſtis doctrinæ, paſtuque diuinorum ſacramentorum. Siquidem in Eccleſia Dei, ſunt doctores qui & paſtores dominici gregis, quales fuerunt ſancti Apoſtoli afflati Spiritu ſancto, qui docuerunt primi in orbe Euangelicam doctrinam, & horum ſucceſſores, Sancti Pontifices, & Sancti Doctores, quorum doctrina fulget Eccleſia, vt Sole, & Luna. Et docuerunt non inſtar Philoſophorum, qui ſyllogiſmis, inductionibus, enthimematibus, ſuos diſcipulos inſtruebant. At vero Apoſtoli Chriſti, docuerunt in fortitudine Domini, vt Paulus ait, Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis: ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: ſiquidem fidelibus tunc viſibiliter quando ſacro proluebantur fonte Spiritus ſancti: ideo ait in oſtenſione ſpiritus. Quod ſubdit, & virtutis, adiecit quia multa miracula ediderunt ſancti Apoſtoli, & diſcipuli Domini, ad confirmandam fidem quam prædicabant. Vnde Marci vltimo, Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eijcient; linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Et rurſus in geſtis Apoſtolicis traditur, per manus autem Apoſtolorum fiebant multa ſigna in plebe. *Et in ſublimitate nominis Dei ſui.* Hoc ſublime nomen, eſt nomen Ieſu. De quo Paulus, In nomine Ieſu omne genu flectatur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et Petrus, non eſt datum aliud ſub cælo nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

¶ In hoc autem nomine edebant Apoſtoli miracula: vnde claudo ſedenti ad portam ſpecioſam templi, dixit Petrus, Argentum & aurum non habeo, quod habeo hoc tibi do, in nomine Ieſu, ſurge & ambula. Sub hocque nomine ſacrum conferebant baptiſma. Paſcebant igitur Apoſtoli Eccleſiam Ieſu Chriſti in fortitudine Dei, & in ſublimitate nominis Dei ſui Ieſu Chriſti. *Et conuertentur, quia nunc magnificabitur, vſque ad terminos terræ*: ita poſtea in eccleſia primitiua accidit, quia tunc multi ſunt conuerſi ad Dominum Ieſum, vt hiſtoria Actorum demonſtrat, & magnificatum eſt nomen Ieſu Chriſti nati, quem ſupra dixerat naſciturum in Bethlehem, *vſque ad terminos terræ*, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, &c. *Nunc*, ideſt, ex vaticinio meo quod modo pronũtio, patebit maieſtas Chriſti, quando ſacerdotes & Scribæ, illud proferent, magis ſciſcitantibus, vbi ille ſit naſciturus. *Et erit iſte pax*. Chriſtum eſſe pacem, & quare hac nomenclatura ab Spiritu ſancto donetur, ſupra oſtendimus. *Aſſyrius cum venerit in terram noſtram, & quando calcauerit in domibus noſtris: & ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates homines*. Hoc eſt pax hæc non dabitur orbi, ſtatim à vaticinio meo, ſed priuſquam orbis tanta pace fruatur, deſolabuntur decem tribus per Aſſyrios, & reliquæ duæ tribus per Chaldæos, vt ſæpe ſupra declaratum eſt. *Suſcitabimus*, ideſt, pronuntiabimus, contra Regẽ Aſſyrium,

In primitiua eccleſia prolatis ex baptiſmo Spiritus ſanctus viſibiliter conferebatur.

Actor. 5.

Ad Philip. 2.

Acto. 3.

Acto. 4.

1. Cor. 2.

rium, eſſe ſuſcitandos, ſeptem, & octo, ſubintelligit per ſeptem, & octo primates, & paſtores, ſubintellige conſiliarios & Satrapas Medorum, & Perſarum. Enim vero Cyrus & Darius conſilio horum, euerterunt Babylonem, & quia Babylonijs erat ſubditum regnum Aſſyriorum, illis deturbatis, iſti quoque fuêre deturbati: *Et paſcent terram*, Hebraicè, deuaſtabunt terram *Aſſur in gladio, & terram* Nemrod *in lanceis eius*. Significat Cyrum, & Darium occiſuros Aſſyrios, & item Babylonios. Nam Nemrod fuit Babyloniæ princeps. *Et liberabit ab Aſſur cum venerit in terram noſtram, & cum calcauerit in finibus noſtris*. Medi nanque & Perſæ, deuaſtantes Aſſyriorum imperium, fecerunt, vt non amplius graſſarentur in Iudæos. *Et erunt reliquiæ Iacob, in medio populorum multorum, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam, quæ non ſpectat virum, & non præſtolatur filios hominum*. ¶ Regreditur vates, ad id vnde diſceſſerat, ſcilicet, ad declarandam excellentiam credentium in Chriſtum, Apoſtolorum, & aliorum diſcipulorum Chriſti. Quod ait, *in medio populorum*, inſinuat quod Apoſtoli diſpergendi erãt euulgandi euangelij gratia. Nanque in omnem orbem ſunt diffuſi, vbiq; igitur gentium, Apoſtolos prædicit futuros vt ros, qui terram fœcundat: & ideo gratiſsimus eſt agricolis, ita prope modum Apoſtoli, verbo Dei fœcundarunt mentes hominum. *Quaſi ſtillæ*, ideſt, quaſi imbres, quas agricola non expectat ab vllo hominum, quippe imbres ſolus omnipotens demittit ab alto inebriandæ terræ. Ad quam rationem doctrina Apoſtolica, non humano ingenio fuit elaborata, ſed cælitus infuſa Apoſtolicis mentibus in die Pentecoſtes. Vnde Dominus. Accipietis ait virtutẽ ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnia. Et rurſus. Cum ſteteritis ante Reges & præſides nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. *Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum quaſi leo in iumentis ſyluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum. In medio, ideſt*, in ipſis populis multis, vt in medio Eccleſiæ, ideſt, in ipſa eccleſia. Deſcribitur autem hoc loco Apoſtolica conſtantia in prædicando Euangelio. Quia fuerunt fortiſsimi prædicatores, non timentes hominum minas, neque flagella, neque carentiam vitæ. Vnde Petrus Phariſæis & Pontificibus increpantibus Euangelij prædicationem, & imperantibus, ne vltra in ea progrederetur conſtanter reſpondit. Melius eſſe obedire Deo quam hominibus, ideo ſcitè conferuntur leonibus & leunculis. Et miranda eſt ſanè Sanctorum Apoſtolorum fortitudo, quæ quidem humanitus parari non poterat, ſed cælitus illis eſt conceſſa, ſiquidem quod impauido animo contemnerent homines aſpectu viles, iuſſa principum & illis item repugnantibus, & ſtupendis tormentis Apoſtolos cruciantibus, nihilominus, calcarent vniuerſa tormenta, & omnes furias humanas irridentes, intrepidi perſiſterent in prædicationis Euangelicæ inſtituto. *Qui cum tranſierit & conculcauerit non eſt qui eruat*, leonum fortitudo eximia eſt, inter omnes ſyluarum beſtias, vnde illo rugiente vniuerſa tremunt animalia. Vnde illud: Si leo rugit quis non timebit? Quare ſane ſi ceperit quicquam ex pecoribus, non eſt qui eruat. Similiter Apoſtoli tranſeuntes prædicando, & calcando idola, & hominum peccata deturbando, nullus potuit repugnare. Nam tota repugnantia erat occidendo eos: at vero ex morte ipſorum magis clareſcebat Euangelica gratia, vt etiam ex ſanguine martyrum, veluti irriguo quoddam, eccleſia vberius fideles propagabat, vt olim ſub Gedeone, fractis hydrijs, lux intro contenta, clarius micabat. *Et exaltabitur manus tua, ſuper hoſtes tuos: & omnes inimici tui interibunt*, tranſit à tertia in ſecundam perſonam. Et quod dixerat ſub metaphorarum nube, aperta elucidat voce. ¶ Significat enim hoſtes eccleſiæ qui erant Gentiles idolatræ, erant tandem ſubdendi eccleſiæ: & item ſuperſtitioſi Iudæi: ſiquidem multi ex Iudaiſmo ſunt conuerſi ad fidem Ieſu Chriſti. Et hæreticos ſuis cenſuris quotidie conculcat Eccleſia. Et denique, qui fuerint rebelles fidei, ſi nunc non fuerint à Deo puniti, vt videmus nunc Turcas, & Saracenos, & alios pleroſque multos impunitos: demum tamen interibunt iſti morte æterna. Et exal-

Gen. 10.

Acto. 1.

Ioan. 15.

Matt. 10.

Amos. 3.

Poteſtas eccleſiæ Chriſtianæ contra hoſtes ſuos.

tabitur. Et non est de textu Hebræo. *Et erit in die illa dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui, & dispergam quadrigas tuas*. Arma ecclesiæ quibus orbem subiugauit imperio Christi, non fuerunt equi aut aliæ munitiones bellicæ, vt Paulus ait, Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, ideſt, infirma, & fragilia sunt, vt sunt gladij, equi, quadrigæ, reliquusque belli apparatus, sed sunt potentia Deo, quam nulla ars neque humana potestas poterit infringere, vnde ait Dominus, Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non possunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri, Lucæ. 21. *Et perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas*, ideſt, non erũt tibi necessaria ciuitatum præsidia. *Et auferam maleficia de manu tua*, ideſt, susceptа Euangelica gratia, proijcies à te maleficas artes, quibus incumbebas prius, vt legimus in Actibus Apostolicis quod concepta fide gentes, combusserunt libros superstitiosos, quibus vacabant. *Et diuinationes non erunt in te*. Nam diuinatio omnis repugnat legi Dei, & Euangelio Iesu Christi. Quippe quæ fiat ex pactis tacitis cum diabolo: cum quo inire fœdus est sacrilegium. Nanque cum gentibus alienigenis, prohibebat Deus inire fœdus, ne contaminarẽtur fideles Iudæi, ex fœdere inito cum infidelibus: quidquod prohibeat inire fœdus cum dæmone, omnium malorum in cẽtore, &c? *Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui: & non adorabis vltra opera manuum tuarum*. Quanuis enim per legem Mosaycam, non sunt abolita idola gentium, imo vix apud Hebræos sunt tandem abolita, sub statu secundi templi. At vero euangelica gratia, quæ potentior est quam fuerit Mosis lex, illa aboleuit. Et quanuis adhuc obseruetur, superstitio idolorum apud remotissimos Indos: at vero tandem per Euangelium Iesu Christi dissipanda sunt: vt iam ex multis Indorum regionibus sunt abolita. *Et euellam lucos de medio tui, & conteram ciuitates tuas*. Lucos vocat, quos Hispanè appellamus, Bosques, vbi idololatriæ cultui idolorum vacabant, conteram ciuitates, ideſt, prauos mores ciuitatum, quos dudum retulerat. *Et faciam in furore, & in indignatione vltionem, in omnibus gentibus, quæ non audierunt*. Fides est ex auditu, qui igitur credere noluerunt, isti non audierunt. Et hos Deus dicit esse puniendos. Nam qui non crediderit condemnabitur.

Acto.19.

Exod.23.

EXPLANATIO
IN CAP. VI. MICHÆÆ.

AVdite quæ dominus loquitur. Huius capitis est institutum improperare populi illi Israelitarum, beneficia à Deo illi vberrimè impensa. Hoc est illis denarratis, ingratissimos fuisse Israelitas Deo demonstrare. Ideoque quia magna erat locuturus, in exordio attentionem captat Domini vates, dicens, *Audite*, siquidem dignissima sunt auditu, quippe quæ Domini sunt, non hominum verba, *Surge*, Proponit quid sit audiendum, scilicet, quod Dominus imperat Michææ vt surgat, ideſt, vt prophetico suo fungatur munere. *Contende iudicio aduersus montes*. En tibi, quare sit tibi surgendum vt disceptes, & litiges, cum principibus superbis populi mei. Nam consueta est diuinis literis phrasis sublimes personas, propter earum eminentiam metaphoricè appellare montes. Porrò autem Hieron. libro. 2. comment. in Michæam, per montes istos intelligit angelos deputatos humanæ custodiæ. Et tradit angelos ex bona custodia reportaturos præmium in die iudicij, ex mala pœnam, & probat ex Apocalypsi. 2. vbi angeli ecclesiarum, laudantur, & reprehenduntur pro diuersitate custodiæ id quod fuit Origenicum dogma in Numer. homil. 20. Est autem hoc reijciendum dogma, nam angeli custodes sunt beati. Angeli eorum testatur Dominus, vident faciem patris mei, Matth. 18. ideo cum sint in termino beato, promereri possunt nihil essentialis præmij, & ab omni pœna sunt alieni. Hieronymus autem non dixit hoc ex propria sententia, Angeli vero Apocal. sunt episcopi & veri angeli. *Et audiant colles vocem tuam*, perueniat ad omnes etiam inferiores tua prædicatio, quia, quod omnes tangit, omnes scire debent. *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ*. Audiant proceres populorũ, & Reges obiurgationẽ Dñi, ex qua obiurgauit ingratitudinẽ illorũ aduersus Dei largissima eis collata munera, vocat Reges,

reges, & proceres, fundamenta fortia terræ, quia ipsi continent respublicas vt fundamenta domos sustinent. *Quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israel iudicabitur*. Ideſt, est causa litigiosa Dei cum populo suo, & cum Israel disceptabit, aut lite contendet, obiurgando videlicet populi sui ingratitudinẽ. *Populе meus quid feci tibi, aut quid molestus tibi fui*. Incipit obiurgationem ab interrogatione, vt vehementior sit obiurgatio, vt illud. Amice quid huc intrasti non habens vestem nuptialem? quasi dixisset si ego tibi iniuriam fecissem, si molestiam intulissem, non litigassem tecum, quod mihi iniurius, aut molestus fuisses: at vero nihil iniuriæ tibi irrogaui, nihil molestiæ intuli, cur ergo iniurijs me afficis, & molestijs non parcis? *Respondе mihi*? Deo obiurganti, quia verissima, & iustissima est obiurgatio nulla patet nostra responsio. Sed erubescere oportet, & silere, vt erubuit, ille atque siluit, qui veste indigna nuptijs, se ingessit nuptijs. Vnde Iob ait, capit. 9. si repente interroget quis respõdebit? & cap. 31. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandũ Deus? & cum quæsierit. Quid respondebo ei? itaque cum Deus disceptauerit, aut contenderit cum homine, nullus poterit ei respondere, quia semper ipse iustè nos damnabit, cũ damnauerit: & ideo Dauid ait, & vincas cum iudicaris. *Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis liberaui te, & Misi ante faciem tuam Mosem, & Aaron, & Mariam. Populе meus, memento quæso quid cogitauerit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Sethim vsque ad Galgalam, vt cognosceres iustitias Domini*. Ægyptum vocat domum seruitutis, ideſt domum vel prouinciam seruorũ quia Ægyptij erant serui, originem ducentes à Cham filio Noe. Vnde idem est ac si diceret eduxi te de prouincia seruorum, quibus seruiebas, & eras seruus seruorum. ¶Et hoc erat summi beneficij, quippe maximè hæc seruitus affligebat Israelitas. Rursus denarrat alterum singulare beneficium, quod Balaam conductus vt malediceret Israelitis à rege Balach à rege Moabitico Deus coegit vt maledictionem verteret in benedictionem. Numer. 22. & 23. aperta est historia. *Sethim* est locus in campestribus Moab, non procul à Iordane & Phogor monte: vnde Iosue misit exploratores ad inuestigandam Ierichontis terram. Numer. 25. Interpretatur spinę, quia ibidem nascuntur spinosæ herbæ, est item nomen torrentis Ioelis. 3. vt ibidem exposuimus. Nam vbi legitur irrigabit torrentem spinarum, Hebraicè pro spinarum, scribitur Sithim. Quid autem sit Galgala, in Explana. ad Oseam cap. 9. Tradidimus esse ciuitatem non procul à Iericho. Dominus autem, prosecutus est Israelitas magnis beneficijs à Sethim vsque in Galgala, etsi in Sethim populus ille fornicatus fuerit cum fœminis Moabitarum. Numero. 25. & ibidem initiati sunt sacris Beelphegor, vt ibidem traditur. Nihilominus Dominus prosecutus beneficijs Israelitas dignissimos alioqui supplicijs. Et quidẽ singularis fuit beneficij, trahere hostem suum, ideſt Prophetam illum Balaam aduersarium filiorum Israel, vt benediceret maxima benedictione filios Israel. Et quod Dominus, phanaticum vatem, cogeret vt magnificentissima benedictione benediceret filijs Israel. Et nihil aliud loqueretur id temporis, quam spiritus illi instillarat loquendum. ¶At dices, cur ergo Dominus noluit, quod phanaticus ille vates, qui erat ariolus regis Moab, & idolorum cultor, malediceret Israelitis, imo per angelum suum sanctum, sedulo prohibuit: imo curauit, vt maledictionem quam parabat verteret in benedictionem? ¶Respondetur eo hoc fuisse gestum, quò idololatræ Moabitæ, intelligerent Deum Hebræorum, esse supra sua idola, & supra suos fatidicos vates. Siquidem Deo nolente neque rex eorum, neque dij sui, neque vates sui, poterant aliquid efficere. ¶Maledictio autem illa nihil poterat lædere Israelitas, Deo nolente exequi maledictionis effectum. Quare non est impedita maledictio, propter nocumentum Israelitarum, sed ad Moabitarum condemnationem, & vt Israelitæ agnoscerẽt Dei super omnia potestatem & benignitatem erga eos, qui maledictionem hostium etiamnum ab ipsis auerteret, eamque verteret in largissimam benedictionem.

¶Et aliam causam adde, quia ea est humana peruersitas, quod si quid mali postea accidisset Israelitis, vt multa acciderunt putaret (quæ erat eorum duritiеs) maledictionem illam fuisse in causa, & obseruarent proinde vehementius deinceps idolorum vates. Deus igitur præuidens hoc malum, voluit continuo illi

subuenire, ideoque prohibuit maledictionem. *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum? aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum pro scelere meo fructum ventris mei, pro peccato animæ meæ?* Propheta audita obiurgatione iustissima Dei contra Israelitas, seipsum deijcit coram Deo, agnoscens populi Israelitici ingratitudinis scelus: ideo secum exquirit vnde poterit Deum placare, vt tantum scelus expietur. ¶Ideoque, in modũ hæsi tantis se gerit, dicens. Quid dignum offeram Domino? pro expiatione scilicet tanti piaculi, incuruus ingrediar coram Deo, vt profitear piaculum populi istius esse grande, & multam poscens expiationem. Et demum discurrit per genera multa sacrificiorum vetustorum, ostendens illa sola non valere expiare scelera humana. Et non solum sacrificia pecudum, imo neq; primogeniti, si fas fuisset hominem Deo immolare, immolatio nihil prodesset ad deletionem culpæ. Vnde non temerè tradunt Theologi, illa sacrificia ex opere operato non esse collatiua gratiæ: sed tamen ex opere operantis, poterant esse collatiua, vt si verbi causa, offerens illa sacrificia, offerret dolendo de peccatis suis vt oportebat dolere, & offerret, in satisfactionem pro delictis, tunc sanè prodessent ad remissionem pœnæ in purgatorio luendæ: nunquam tamen ad remissionem culpæ. ¶Sola autem sacramenta nouæ legis efficiunt quod significant, vt quia baptismus denotat ablutionem à peccatis, hanc quam significat, hanc efficit ex virtute sacramenti, quod idem dictum est, ac si dicatur ex opere operato item & pœnitentiæ sacramentum, vt in 4. Sententiarum fusius tradidimus: item quæ de alijs sacramentis nouæ legis dicere oportebit de solo sacramento circuncisionis vulgo reuocatur in dubium, an ex operato opere deleret primitiuam labem, de qua re aliàs commeminimus. ¶At dices, oblatio Iesu Christi in cruce, qui est primogenitus Virginis, & primogenitus mortuorum, hæc donat culpas, id quod videtur aduersari vati dicenti, quod immolatio hominis, etiam primogeniti, non potest expiare mentis labes, vt neque immolationes, animalium aliorum. ¶Respondetur, quod immolatio Christi, de se expiatiua est omnium culparum. At quia actus actiuorum sunt in patiente benè disposito, illius piacula duntaxat actu expiabit, qui Christo hæret per fidem, & charitatem, quæ sibi conciliabit omnis qui volet per Christi sacramenta. ¶At verò non de hac immolatione intellexit vates, sed de illa ex qua quis occideret filium suum primogenitum, vt erat moris idololatris, idolis immolare charissimam sobolem, hæc immolatio etiam si quis non idolis, sed Deo immolasset, falso credens ex illa immolatione, Deum sibi fore placandum, non placaret, sed potius vehementius irritaret. ¶Christus autem non se occidit, aut insit occidi à Iudæis, sed Iudæi, ipsum occiderunt suspendẽtes eum in ligno: at vero ipse mortem, quam iniustissimè pertulit, obtulit Dei patri in remissionem peccatorum totius mundi: & Deus pater mortem indignissimè illatam filio suo vnigenito, gratissimam habuit in antidotum nostrorũ morborum efficacissimum, modo tamen adultis pœnitẽtia adsit. Nã paruulis pœnitentia non est necessaria (quæ alioqui est eis impossibilis) vt fruantur Christi baptismo, quippequi originali solo laborant.

Sacrificia vetustanõ expiabant culpas, sed pœnitẽtibus profitiebant ad remissionẽ pœnæ.

Immolatio hominis semper Deo ingrata.

¶ *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Reiecerat dudum sacrificia, in ratione expiãdæ mentis à suis sceleribus, ideo demonstrat modo quæ sunt necessaria expiandis piaculis animorum nostrorum. ¶Videlicet facere iudicium, & facere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo. Et hoc vltimum comprehendit vniuersa homini necessaria ad salutem. Nanque is solicitè ambulat cum Deo, qui requirit in omnibus suis operibus voluntatẽ & beneplacitum diuinum, vt ea scilicet sola exhibeat quæ Deo grata sunt, & ea reijciat quæ Deo sunt inimica. ¶Vnde qui peccato est irretitus, si solicitè studet ambulare cum Deo, corriget vitam priorem, dolendo de peccatis admissis, vt oportet dolere. ¶Et tunc dolebit vt oportet, quando dolendo disponit se subdere clauibus ecclesiæ, & demũ sic faciens nouam iam instituit secundùm Deum inchoare vitam. ¶Facere autem iudicium in præsentia est nullum lædere, & vnicuique ius suum tribuere. ¶Facere verò misericordiã est compati malis aliorum, & illis opem subministrare, si facultas suppetit. ¶Vnde Dominus hæc prætulit sacrificijs omnibus, dicens, Misericordiam volo & non sacrificium, vt exposuimus denarrantes Oseam. Fures igitur homicidę detractores, raptores & hoc genus peccatores, qui proximorum, vel vitam, vel opes vel nomen lædunt, non faciunt iudiciũ, item omnes iudices qui in iustè iudicant, & auferunt ius à litigantibus, suo iudicio iniquo, & omnes aduocati, qui fraudibus, & sophismatibus torquent verum sensum legum, vt opprimãtur ij qui verum ius habent item non faciunt iudicium, imo corrumpunt isti iudicium: veritatem legum vertentes in mendacium. Omnes etiam principes, & qui habent subditos, eos onerantes exactionibus, & impositionibus non faciũt, sed corrumpunt iudicium. ¶Porrò omnes auari qui malunt in arca recondere pecunias, quã pauperes alere, & præferunt vel modicum panem vitæ proximorum suorũ, isti non diligunt misericordiam. Et demũ qui quieti degunt in peccatorum suorum fæcibus: nihil formidantes Dei iudicium, isti non ambulant soliciti cum Deo suo.

Quid sit facere iudicium.

Quid sit solicitũ ambulare cũ Deo.

Oseæ. 6.
Matth. 9.

Quid diligere misericordiã.

¶Istis autem accedat, quod miratu dignissimum est reperias enim plerosque multos qui faciunt iudicium alijs, at sibi non faciunt diligunt misericordiam præstare alijs, & sibi non præstant, soliciti curant quæ sunt aliorum, quæ sua sunt negligunt. Enim vero sunt qui alienorum peccatorum sunt iusti iudices suorum vero sunt iniusti palpones. Nam se ipsos nõ iudicant: vnde Paulus si nos dijudicaremus, non vtique iudicaremur, cum iudicamur à domino corripimur: alios sciũt carpere, sibi vero sciunt parcere. Ad hæc plerique compatiuntur miserijs aliorum corporalibus, si viderint eos, vel fame torqueri, vel nuditate affligi, aut quauis alia miseria diuexari, at vero, cum se aspexerint inuolutos in sordibus peccatorũ, sibi nescisunt subuenire per correctionem. Et demum diligentissimos reperias homines in curandis alienis, & in proprijs prouidendis desides sunt. Siquidem pœnitentiam peccatorum in longum producunt, & addẽtes præuaricationem, præuaricationi altissimo corripiuntur peccatorum veterno. *Vox Domini ad ciuitatem clamat, & solus erit timentibus nomen eius: audite tribus, & quis approbabit illud?* Hebraica litera, ab hac vulgata editione nonnihil variat. *Vox Domini clamabit ad ciuitatem, quiq; ratione præditus est videbit nomen tuũ.* Vt sit sensus, vox Domini clamat per prophetas suos ad ciuitatem Ierosolymã, metropolim Iudaici regni, aut ad Samariam metropolim Israelitici regni, vt auertantur à facinoribus suis, & quod dixerat in principio capitis, *Audiant montes iudicium*, hoc idem sub alia dicendi forma, dicit modo, *Vox Domini clamat ad ciuitatem*, scilicet, metropolim. Nam huiusmodi ciuitates sunt principes aliarum, quia sunt capita regnorum, vbi magistratus, & proceres regni residẽt. *Qui ratione præditus*, id est intelligentes, & capientes recipient verbũ Dei. Hoc est quod ait, videbit, id est intelliget nomen tuum, quæ scilicet sunt congruẽtia, vt obseruentur ad colendum nomen tuum, id est ad colendum te ipsum. Nam insipientes non intelligent, sed præcipites ibunt in facinora sua. Vulgatam verò editionem, ad eandem poteris trahere intelligẽtiam, vox prophetica clamat: & quid clamat? salus erit timentibus nomẽ Domini, & perditio erit non timentibus: vt vos Iudæi impudentes non timetis. *Et quod sequitur. Audite tribus*, Hebraicè, *Audite virgam.* Nam vox Hebrea, quã trãstulit noster interpres in *tribus*, est Mateh, & hæc dictio significat virgam. Per virgam autem, vt aliàs Ierem. 1. Virgam vigilantem ego video significatur sententia diuina vel iudicium pronuntiatũ contra rebelles suæ legi, vnde *Audite virgam*, perinde est, acsi diceret, Audite Dei iudicium contra vos rebelles Israelitæ.

Et infra 7.

¶Etiam si Græca lectio item habet tribus, vt nostra vulgata. Et item Hebraicè non habetur, *quis approbabit illud?* vt nostra editio habet, *sed & eum qui eam decernit*, id est, audite sententiam contra vos, & obseruate eam esse decretam à Deo. At vero non discrepant valde sensu, istæ duę translationes. Nanque vulgata, ad idem potest referri, quod intenditur per Hebræam literam: vos scilicet tribus Israeliticæ, siue referas ad omnes vt videtur referendum siue ad decem, siue ad duas per se, audite verbum Domini, at quis ex vobis recipiet illud? quasi dicat nullus. *Adhuc ignis in domo impij: thesauri iniquitatis, & mẽsura minor iræ plena.* Quia dixerat, quod

nullus esset approbaturus verba diuina per prophetas enuntiata, hoc ipsum demonstrat apertius, dicens, Domos Israelitarum esse plenas thesauris ex fraudibus, & rapinis conquisitis: & quod iniustissimi erant in ponderibus, & mensuris: quia quæ vendebant ex mensura minori vēdebant, quam iustum esset, vt inde ex damno proximi ipsi lucrum reportarent.

¶Et hæc mensura iusto minor, erat plena iræ, quia diuinam contra se ipsos prouocabant iniuriam. Thesaurum autem inique conquisitum vocat ignem, siquidem propter rapinas huiusmodi erāt ipsi deuastandi, & desolandi quasi ab igne, alia translatio habet. *Adhuc thesaurus, & sensus est idem. Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli ponderа dolosa?* Græca non habent saccelli, sed sacculum. *Et in sacculo ponderа doli, de quibus diuitias impietatis impleuerunt.* Item Hebrai. *Et cum sacculo in quo sunt lapides fraudulenti.* Vt Vatablus transtulit. At vero sacculi, est diminutiuum, à saccello, quod significat idem quod sacculus. Nam saccellum in neutro genere, est domus parua Deo dicata, at saccellus masculini generis est idem quod sacculus. Vnde sensus idem est. Ait enim Deus se esse iustissimum, ideo stateram dolosam, id est iniusti ponderis, sibi esse odio, item sacculi dolosa pondera portantes? Etenim isti in vendendis suis mercibus deferebant sacculos, in quibus deferebant dolosa pondera, quando enim vendebant minore vtebantur mensura, at cū ipsi emebant mensura maiori volebant, sibi appendi merces, vt vendens illa damnum ex venditione reciperet, & ipsi emēdo lucrum referrent. ¶Id quod erat apertæ iniustitiæ. Siquidem venditio & emptio est contractus quidam, qui in omnibus, & pretij, & ponderis & mensuræ requirit æqualitatem. Et hæc pondera dolosa, forte erant lapides: nam lapidibus sæpe vtimur pro libris, qui quia erant iniusti ponderis, vocantur lapides fraudulenti. ¶ *In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate. & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore ipsorum.* Per fallaces, id est mensuras, & per dolosa pondera ementes & vendentes repleuerunt ciues vrbis istius (de qua dixerat, vox Domini clamat ad ciuitatem) domos suas iniquitate, id est iniquis diuitijs vel malè partis. ¶Et quia non iustificabitur caupo à peccato labiorum Eccles. 20. id est à mendacijs, & perierationibus, non erit liber, ideo ait habitantes in ea, id est in ciuitate loquuntur mendaciū. Est enim familiare negotiatoribus mendacijs vti, ad commendandum plus iusto merces suas: & ad augendum pretia earum. *Et ego ergo cœpi percutere te perditione, super peccatis tuis.* Verba sunt Dei, quasi dixisset, Vos Israelitę, qui percussistis fratres vestros, & iniurijs multis eos affecistis, scitote non impune semper abituros: quia ego vos percutiā, desolādo vos, & vastādo vos per hostes vestros *cœpi*, pro inciam te percutere phrasi Hebræis familiarissima. Siquidē de cælo respicit Dominus super filios hominum, & calumnias illatas pauperibus, & inde resultantes viduarum & orphanorum & debilium hominum, gemitus, clamores & suspiria considerat, vt tandem iniurijs vicem rependat, vt referant in se ipsis, quæ alijs intulerunt. Nanque desideria pauperum exaudit aliquando Dominus: etsi interim pro sua infinita sapiētia, vltionem in tempus differat. *Et comedes & non saturaberis: & humiliatio tui in medio tui. Et apprehendes, & non saluabis: & quos saluaueris in gladio dabo.* Captiuis hoc commune est, comedere, & non esse saturos. Siquidem comedunt arctum panem, & bibunt aquam breuem Isaiæ 30.. Nanque Domini eorū eos vexant sæpe fame, & siti & alioqui eos laboribus premunt. *Apprehendes*, scilicet, si effugeris manus hostium, non saluabit te ipsum, quia te fugientem comprehendent. Quod si non fueris comprehensus ab hostibus gladio nihilominus peribis. *Quos* saluaueris si casu euaseritis manus hostiles, tandem gladio peribitis, vt accidit bellatoribus Ezechiæ, qui euaserunt Babylonios hostes, per portam muri fugientes, at vero tandem comprehensi, fuerunt interfecti. *Et humiliatio*, id est deiectio tua, & confusio tua, erit in ipsa tua ciuitate, nam ibi fame peribant Ierosolymitæ obsessi à Nabuchodonosore 4. Regum 25. aut in medio Samariæ eritis humiliati ab hostibus. *Tu seminabis, & non metes. Tu calcabis oliuam, & non vngeris olea: & mustum & non bibes vinum.* Hæc & alia hoc genus recensentur in maledictionibus quæ in Leuit. 26. continentur aduersus violatores diuinæ legis. Vt enim benedictioni datur illud, quod in Psalmo

Psalm. 9.

Isaiæ 30.

4. Reg. 25

traditur laboris manuum tuarum mandu cabis. Ita maledictioni dantur, quod laboribus, nostris, acquisita inimici nostri comedant. *Et custodisti præcepta Amri & omne opus Achab, & ambulasti, in voluptatibus eorum, vt darem te in perditionem: & habitantes in ea in sibilū: & opprobrium populi mei portabitis.* Duos reges Israelitarum pessimos hoc loco introducit vates. Amri & Achab & de Amri traditur 3. Reg. 16. fuisse pessimum idololatrā, qui superstitioso cultu idolorum, excelluit cæteros reges Israel, huius filia fuit Atalia facinorosa fœmina. 2. Paralip. 22. Achab filius Amri, item pessimus idololatra, qui non contentus vitulis aureis, quos colendo diuinis cultibus constituerat Ieroboā, Baal item iussit colendum, isti ergo suis consilijs, infecerunt decem tribus quibus præsidebant. Vnde Dominus desolandos Israelitas prædicit per vatem suum, quia secuti sunt consilia funesta de adorandis idolis, & alijs sceleribus perpetrādis Amri & Achab. ¶ Iste Amri fuit qui ædificauit ciuitatem Samariæ in monte Somer. 3. Regum 16. cuius habitatores modo intelige per habitantes in ea. *Opprobrium*, id est vos magnates, & primates, qui probris, & ignominia affecistis pauperes, quos modo vocat Deus populum suum, quoniā orphano & pauperi ipse est adiutor, idem opprobriū, quod intulistis, vos ipsi portabitis, quando ducemini captiui, in Assyrios.

4. Regum 11.

3. Regum 16.

3. Regum 16.

EXPLANATIO
IN CAP. VII. MICHÆÆ.

Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum: Capite proximo admonuerat vates, quid nam esset faciendum ab Israelitis, vt diuinam mitigarent iram, & sibi redderent ex irato propitium Deum videlicet si facerent iudicium, & diligerent misericordiam, & si soliciti ambularent, in obseruandis diuinis mandatis. Nunc autem deplorat suæ gentis in peccatis obstinationem, & abundantem in omnibus iniquitatem. Siquidem videbat nullum esse, qui ea præstaret, quæ ipse sedulò admonuisset. ¶ Vnde resultabat, comminatas per prophetas Dei captiuitatis, & aliorū malorum pœnas esse subeundas à sua natione: quia finem peccatis non imponebant: ideo dolens ait, heu me miserū, quia similis sum ijs qui post vindemiā: & vniuersalem fructuum æstiuorum collectionem, colligit racemulos superstites, aut fructus reliduos, qui quia sunt tūc rarissimi, ideo ex hac collatione id temporis rarissimos esse pios vult ostendere. Nanq; post vniuersalem collectionem, si qui supersunt æstiui fructus mali sunt, & exiguæ vtilitatis: nam qui vtiles erant collecti sunt. Hoc idem in euangelicis literis expressum inuenimus: vnde Dominus, verūtamen filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? Lucæ 18. Et rursus abundabit tūc iniquitas & refrigesceret charitas multorum. Et vniuersali termone est complexus paucitatem iustorum, dicens, Multos esse vocatos, paucos autē esse electos. Et Abraham cōtendens Pentapolim eruere, ab incendio precabatur dominum, ne eā deleret, & Dominus illi annuens exigit decem iustos adesse homines, ob quorum merita ipse Pētapoli parceret: & non sunt inuenti. Et in Psalm. legimus Dominum Deum de cælesti habitaculo suo aspexisse, si erat intelligens aliquis & requirens Dei mandata, & subditur, omnes declinauerunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et re vera, cum sensus & cogitatio hominis ad malum sint prona ab adolescentia sua, & omnes homines ex corruptione naturæ nostræ procliues sumus ad libidinem, id est ad seculi fruendas voluptates, nullus esset iustus, nisi Deus quosdam ad se traheret, & tractos sua benignitate foueret. Enimuero, cū omnes nati sumus filij iræ, vnde omnes maculata nostra primordia vitæ, senectute etiam maculata, absolueremus: nisi Deus fuisset propitius generi humano: quosdam ad se trahēs, quos emundat sua gratia præueniente, & subsequente cooperantibus tamē ipsis mūdatis ipsi Deo vocanti, & mūdanti. ¶Quod si Dei gratia nos non præuenire: corrupti & abominabiles essemus coram Domino. Et vt dixit Dauid, non esset qui faceret bonum, subaudi Deo dignum, non esset vsque ad vnum. Et quod Isaias meminit, iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. Quippe hæc dicebat dolens iustorum penuriam: vt modo dolet Mi-

Lucæ 18. Mar. 12. Matth. 20 & 22.

Psal. 13.

Genes. 6.

Oportet vti coopemur Deo, vt à peccato mūdemur.

Capit. 57.

Michæas,dicens, *Væ mihi.* Græca sic habent, *Væ mihi quia factus sum sicut qui congregat stipulam in messe.* At verbum Hebrai cum demessionem potius significat spicarum, scilicet in æstate vt sit sensus, væ mihi quia similis factus sum demetenti spicas & subauditur in æstate. Demessionis autem verbo noluit translator noster vti, siquidem, qui demetit spicas sub æstate non paucas colligit, sed multas. Vnde septuaginta transtulerunt *stipulam in messe.* Quia cõgregatio stipularũ est parui valoris, sed neque ista translatio exprimit mẽtem prophetæ, quæ est raritatem iustorũ deflere, quia sub messe, copia est stipularum. Vnde videtur aptior nostra translatio, & clarior translatio Vatabli explicãs per æstatem, fructus æstiuos: qui scilicet sub æstiuo tempore colliguntur, vt sunt vuæ, ficus, & alia poma. At dices; etiam qui hos fructus æstiuos colligit, sub æstu; multos colligit: quia æstas est tempus collectionis eorum. Ideo oportet intelligere: qui hos colligit peracta vindemia: vt supra expositum est. Quod Hispanè, dicitur, Soy semejante al que anda a rebuscar. Qui vix inuenit ficus pendentes aliquot ex ficu, aut racemulos ex vitibus pendulos, &c. nam optimi iam sunt collecti. Nisi Græcam velis translationem exponere, similis factus sum congreganti stipulam in messe, etenim quia hæc multa est, & colligitur ad incendium, dolet vates, quod esset suæ nationis ingens multitudo damnanda per hostes suos, vnde sequitur paucos esse liberandos, paucosque esse pios, vt supra dixerat reliquias, solum modo esse seruãdos. *Nõ est botrus.* Quia si forte aliquis reperiatur, in racematione post vindemiam, Hispanè, en la rebusca, hic est rarissimus. Et est sermo familiaris, quæ rara sunt dicere, non extare. Vt si rarissimum sit aurum pronuntiamus non esse aurum, vel pecunias, si ipsarum sit magna inopia. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Quia non sunt iusti, sed impietate sunt omnia plena, ideo refero animum meum, ad illa præterita, quando patres illi veteres, sanctitate pollebãt. Et optarim, vt talia mihi contingerẽt tempora vt vitã ducerem cũ sanctis illis, & iustissimis viris cũ Iosue, scilicet, & cum illis qui vixerunt sub Iosue; & post eũ longo æuo Iosue 24. & cũ patriarchis prioribus Abrahã Isaac, & Iacob, &c. Enim vero hoc optãt iusti, consuetudinem agere cum alijs iustis, vt impij cum impijs, nam suo simili vnumquodque gaudet. ¶ Vnde Sapien. 2. dixerunt impij cõtra iustissimum Dominum, grauis est nobis etiam ad vidẽdum: quoniam dissimilis est alijs vita illius.

Varietas translationum.

Sub Iosue & postmodum multo ante Herod.

¶ En tibi vti dissimilitudo peperit odiũ. Vocat autem aptissimè, sanctos veteres præcoquas; vel præcoces ficus. Præcox enim latinis est, quod ante tempus ex natura debitum maturescit. Hispanè, fruta temprana, vt duracina præcocia dixit Plinius, quæ æstate maturescũt. cum ipsa autumno soleant maturescere. Vnde præcoces ficus sunt, veluti præambulæ, ad ficus, quæ consueto nomine appellantur ficus. Nanque præcoquæ ficus appellantur Grosi, Hispanè, Breuas, quia breui maturescunt. Sunt autem præcoces istæ ficus dulcedine, & suauitate præstantes: ideoq; rectè illis propter vitam Deo placidam conferuntur sancti, & iusti viri.

Cur sancti viri ficubus conferuntur.

¶ Et præterea, quia populus ille Hebræus confertur in arcanis musis ficui arbori, vn de Dominus maledixit ficui, dicens, Nunquam ex te nascatur fructus. Adumbrans hoc fermone sterilitatem, vel contumaciam illius populi, ad fidem recipiẽdam. Et rursus, dixit Abacuc 3. Ficus non florebit, & arua non afferent cibum, idem sub denotans, quod Dominus paulò ante sub notare voluit. Quia igitur primi fructus ficus sunt grosi, sunt enim velut prodromi aliarum ficuum, & sancti Patres, item fuerũt primi fructus illius nationis, ideo præcoquis ficubũs conferuntur. *Perit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est,* Quod dixerat sub vmbra metaphoræ nũc proprietate sermonis elucidat. *Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrẽ suum ad mortem venatur.* Explicat quod dixerat, *non est sanctus.* Siquidem Hebræi, de quibus loquitur vates, insidiabantur sanguini, ideo erant homicidæ, & proditores. Esse autẽ homicidas bifariã intelligas, primo quia odio habebant fratres, eos vt supra dictũ est iniuria afficientes. Diximus enim principes, & maiores illius nationis, minores suppressos habuisse suis fraudibus, & cauillis. ¶ At vero Ioannes ait, Qui odit fratrem suum homicida est. Et diabolus, testante Domino, quia valde nocuit humano generi, item homicida nuncupatur.

Mat. 11.

2. Ioan. 3.

Ioan. 8.

¶ Alio vero modo homicida est, qui non solum rapit honorem & opes, sed & proximi

ximi vitam. Et de vtroque modo occidendi, locus hic intelligi potest. *Malum manum. Sucum dicam bonum, Princeps postulat, & iudex in reddendo est*, cum valde corrumpitur affectus ex longa peccandi consuetudine, trahit ad se intellectum quem adeo corrumpit: vt mala, & peccata quæ ipse amat credat non esse peccata, vti Saraceni suę sectę à natiuitate sua addicti, eã credunt esse bonam, vt item idololatræ, suam superstitionem probatam habent: quia illi ex antiquo consueuerunt: & in omnibus alijs exploratum habebis, si explorare libuerit. ¶ Vnde Isaias hos capit. 5. reprobans dixit, Væ vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum.

Corruptio affectus parit corruptum intellectum.

¶ Michæas igitur hoc sermone inueteratam consuetudinem in peccando suæ nationis insinuat, & ideo difficile esse medicabilem, *Princeps* dupliciter exponas, vel quod principes, exigebant pecunias ad creandos iudices, & prætores illius gentis, & qui creabantur, iubmnistrabant pecunias, vt Ieroboam legimus fecisse, creabat enim sacerdotes, qui implebant manus eius pecunia, vel quod principes exigebant pecunias, vt torquerent iudicium, & accepto pretio, iudex obtemperabat principi & corrumpebat iudicium. Et vtrunque horum est cõtra iustitiam. Nisi quod vendere magistratus, & præturas, & alia officia publica, duobus contingere potest modis. Primo vendere indignis, puta imperitis, & sceleritis hominibus; & istud manifestum habet crimen, imo grande continet crimen. Enim vero huiusmodi venditio, apertè est in læsionem publici boni. Siquidem admodum læditur res publica, ex pessima administratione, si autem vendantur hæc officia dignis, videlicet peritis, & timoratis alia ratio est, id quod in praxi nostra de contractibus, & restitutionibus satis differuimus. Voco autem peritos, non literatos, sed peritos in administratione officij quod illi vendi tur Et nunc non agitur de officijs aut beneficijs ecclesiasticis, hæc enim siue vẽdãtur dignis siue indignis simoniacũ est, quia spiritualia vel cõnexa spiritualibus vẽdere simonia est, vt citato libro, abũdè pro nostra à Deo nobis virium concessa portione differtum est. *Magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbauerunt eam,* clarior est Vatabli translatio. *Magnus (aliquis) corruptelam animi sui loquitur, & hi cõplicauerunt eam.* Chaldæ. para. *Corruptum desiderium animæ suæ loquitur.* Isti videlicet, magni vel Pontifices, vel Reges, iudicia proferunt contra pauperes, corrupta concupiscentia procedentia, & ipsi hæc iudicia, vt videantur iusta complicant illa sophisticis coloribus. Hebraicũ enim verbum significat impedire, quod noster interpres transtulit conturbauerunt. Corruptelam igitur, multis fraudibus implicauerunt: quod Hispanè dicimus, la embarbascaron, nostram autem editionem sic habebis, id est proceres, seu iudices supremi, seu magistratus, loquebantur, quæ desiderabat anima ipsorum, videlicet expilare pauperum substantiam: & inferiores iudices obediendo illis, corrumpendo iudicia, conturbauerunt, id est macula uerãt animas magnorum. *Conturbauerũt,* scilicet iudices, de quibus dudum dixerat. *Index in reddendo est,* clarius alij nõ referunt, *eam* ad animam, sed in neutro genere accipiũt, videlicet, cõturbauerunt negotiũ suis implicamentis, *Desideriũ,* Pro quo Hebrai. habetur Hauata, quod significat opprobriũ, vt sit sensus quod Reges Israelitarum, & magnates loquebantur, vel imperabant, quæ erant vertenda in opprobrium suum, quando punirentur à Deo captiuitate propter peccata quæ refert propheta. *Qui optimus in eis quasi paliurus, & qui rectus quasi spina, de sepe.* Vox Hebræa quæ translata est in paliurum, significat spinam. Vt sit sensus, omnes sunt corruptissimis moribus, & si quis reputatur ex eis optimus, & rectus & bona gaudẽs opinione, hic est instar spinę pungentis, & educẽtis ex punctura sanguinẽ: & similis est sepi contextæ ex spinis: cui qui innititur vulneratur. Ita tales vos estis primates, quia iniurijs, & fraudibus vestris, vulneratis populares, id quod dixerat supra, insidiantur in sanguine, & venantur fratres suos ad mortem. Alij putant vertendum. *Quod optimum eorum, quasi paliurus, & quod rectum quasi spina.* Vt non referatur ad personas, sed ad iudicia, id est si quæ videntur iustissima iudicia horum, & rectissimæ sententiæ, sunt re vera spinosa, quia multitudine dubiorum, sunt implicatæ instar sepium spinosarum. Et istud sæpe accidit etiam nostris Iurisconsultis (venia dixerim ipsorum) siquidem, leges addunt legibus, & iura iuribus, & glossas glosis, & autores, autoribus, vn-

Vendere officia publica duplici ter contingit.

de cau-

de cauſas ſæpe reddunt adeo implicatas, & ſpinoſas, litigantibus, vt qui verè habebat ius ad rem, & ſæpe in re, ſpoliandus cenſeatur ſuo iure, Vt enim is qui per ſpinoſa loca tranſit difficile eruit ſe ab ſpinis, nã euulſa vna, aliæ multæ reſtãt euellendæ, vnde impeditur ne vlterius procedat, ita accidit in litigioſis cauſis. Vnde fit vt magnas moras ducant lites, quæ poterant forte breui abſolui. ¶ Paliurus autem ſecundũ, Plinium lib. 24. ca. 13. eſt ſpinæ genus, ſemen eius Afri zuram vocant, cõtra ſcorpiones efficaciſsimum remedium. A noſtris vero herbarijs, putatur eſſe arbor, quę vernaculo ſermone vocatur Azebo, quam ego aliquãdo vidi & eſt frutex folia habens lauri, latiora tamen, craſſa & criſpa: & per circuitum ſpinis armata, cuius rami facile plicantur, colore viridi. ¶ Et adhuc hac ratione congruit ſimilitudo, nam Iuriſconſulti ſæpè iura torquent, & plicant vt ſuo ſeruiant propoſito. *Dies ſpeculationis tuæ, viſitatio tua venit: nunc erit vaſtitas eorum.* Speculationem vocat falſa vaticinia fulſorum vatum: qui pollicebantur felicia Iſraelitis. ¶ Ait igitur die, id eſt tempore quo pſeudoprophetæ tibi ſpondebant proſpera, erit calamitas tua: quaphraſi conſueta aliquando ſignificat punitionem. *Nunc*, id eſt breui veniet, vaſtitas eorum, ideſt falſorum vatum, quia mendis te deceperunt. *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Conturbatum ſtatum illius rei publicæ, iſtis verbis demonſtrat. Nã quando conturbata ſunt omnia, nulla amicitia, nulla fides reperitur inter ciues, vnuſquiſque enim id temporis ſibi conſulere ſatagit, & alia omnia negligit. *Nolite*, id eſt veniet vobis tempus, quando amicis, ſeu ſocijs veſtris, non habebitis fidem: neq; ducibus veſtris imo neque vxoribus. *Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurget aduerſus matrem ſuam: Nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Hoc teſtimonium induxit Dominus Matth. 10. ſignificans, conturbandum eſſe orbem, ex euangelica prædicatione: non quia prædicatio euangelica erat ad conturbandum, quæ potius erat ad gratulandum. Cæterum mundani homines, acceperunt ex illa occaſionem ſe ſe conturbandi, & conturbandi alios. ¶ Vnde filij infideles, incãdeſcebant contra patres fideles, & filia infidelis, contra matrem fidelem, itemque & aliæ perſonæ, contra ſibi coniũctos, & eos deferebãt ad iudicium mortis, & credẽtes ſe ob hoc obſequium præſtare Deo. Turbatio igitur, quam prædicebat Michæas venturã Iſraelitis, quãdo tempora calamitoſa erũt ſubituri ſub tyrannide Aſſyriorum, & Chaldæorum, præſignabat turbationem mundanorum, de qua loquitur ſacrũ euangeliũ. Tropologicè autem inimici noſtri ſunt domeſtici noſtri. Etenim concupiſcentia, quæ eſt nobis domeſtica, & familiaris, imo pluſquam domeſtica, quia eſt nobis natiua, hæc eſt nobis aduerſaria. Teſtante Apoſtolo, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. *Ad Gal. 5.* Et rurſus ſapiẽtia carnis inimica eſt Deo, *Rom. 7.* vnde & eſt inimica iuſtis. Hæc concupiſcentia, eſt nobis, id eſt intellectui noſtro, *Roma. 8.* quaſi vxor, at vero huic quæ dormit nobiſcum nõ eſt credendum: ſed ab ea cauendũ: vt monet vates. ¶ Enim vero ſi Adam, non crederet vxori ſuæ Euæ, non collaberetur humana natura: neq; tantæ perniciei ſuccumberet, vt ſuccumbit modo.

¶ Quotieſcunque ergo conſentimus noſtræ concupiſcentię ſuggerenti quæ Deo non ſunt grata, ſed illi alioqui ſunt voluptifica, tunc vir, intellectus, ſcilicet noſter ab vxore hac, non ſibi cauet, imo eidem conſentit, tuncque labitur à recto tramite. *Ego autem ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum Saluatorem meum.* Quaſi reſpondeant tacitæ interrogationi, ſunt verba iſta. Enim vero, prompta erat ſciſcitatio, ſi neque habenda fides amicis neq; ducibus & regibus, neque parentibus, neque vxoribus quia omnia ſus deque erũt confuſa, ſub calamitate venturæ captiuitatis. Quid tibi tunc ò Michæa faciẽdum erit? reſpondet, ego autem ad Dominum aſpiciam &c. id eſt mihi hoc vnicum erit præſidium, quod eſt infallibile præſidiũ, videlicet in Dominum leuare oculos mẽtis meæ, & in ipſo reponam totam ſpem meam, vt etiam dixit Pſaltes, Ad te leuaui animam meam, Deus meus in te confido non erubeſcã. Quoniam qui verè ſperant in Domino, non confundentur, vt Dauid aiebat, In te Dñe ſperaui non confundar in æternum. Quia ſicut turris eſt fortiſsima Dei nomen ſperãtibus in eum. *Audiet me Deus meus.* Fiducialiter orabat vates, quia credebat ſe exaudiendum à Deo. Aut hæc verba dicit Michęas gerens perſo- *Pſal. 24.* *Pſal. 39.* *Prou. 8.*

perſonam captiuorum in Babylonem ducendorũ ſub Sedechia rege Iuda. Quibus hoc vnicum fuit refugium, vt aſſererẽtur à iugo Babylonicæ ſeruitutis, ſperare in Domino, iuxta vaticinium Ieremiæ vt ſæpe ſupra dictum eſt. *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi, conſurgam: cum ſedero in tenebris Dominus lux mea eſt.* Item hæc verba, vt proximè expoſita in perſona Iudæorum profert Michæas, nam ipſe non fuit abactus in captiuitatem Babylonicam, ſed ſui contribules, qui poſt eum fuerunt ſub Sedechia Rege Iuda. Ideo vt his verbis captiuos, quos ſpiritu prophetico cernebat futuros cõſolatur: & eſt ſermo hic directus cõtra Babylonẽ. *Ne lætere inimica mea, ſuper me, ideſt contra me, ideſt contra Iudaiſmum quem tenebis captiuum, cecidi* Deo permittẽte propter peccata mea, traditus ſum in tuã poteſtatem, & in longam captiuitatem: at vero Dei benignitate eripiar à tua ſeruitute. Et quæ ſedi in tenebris, id eſt magnis tribulationibus fui diuexatus: at vero Deus eſt lux mea, quia ipſe largam benedictionem libertatis ſub Cyro mihi cõcedet. ¶ Admonuimus enim ſæpe in ſcriptura tenebras miſerias & calamitates: de notare: lucem vero Dei fauorem & noſtrorum operum proſperitatem. Memineris etiam, quod hic vſurpantur præterita pro futuris, *cecidi*, pro cadam, &c. ¶ Iudæi autem, vt in ſua perfidia perſeuerent, hunc locum ad Romam referunt, quam vocant inimicam, propter deuaſtationem, ſibi illatam à Romanis: & credũt, quod ab hac captiuitate, qua premuntur modo ſint tandem aſſerendi per ſuũ quẽ expectant Meſsiam. Et hãc deloſi vana ſpe, ſuam fouent ex hoc textu ſuperſtitionem. *Ne læteris.* Si moralia amas, non eſſe lætandum de ruina proximi hinc diſces. Vnde Ambroſ. de pœnit. lib. 2. Qui lapſu alieno gaudet, de diabolo gaudet victoria, Idem. dolẽmus magis cum audimus periiſſe hominem, pro quo Chriſtus mortuus eſt. *Iram Domini portabo, quoniã peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum: deducet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.* Item & modo in perſona contribulium ſuorum loquitur per iram; intellige pœnam captiuitatis: hanc portaturum illa ſeptuaginta annis, propter peccata Manaſſis regis Iuda, & ſuorum ſubditorum. Iudicauit autem Deus cauſam Iudæorum, quando decreuit ex ſua miſericordia captiuitatis longe relaxare vincula. Quando ſatisfactum fuit diuinæ iuſtitiæ ex pœnæ perpeſsione, tũc relaxata eſt. Et iſtud vocat iudicium, exhibitum Iudæis, & Dei iuſtitiam. *Educet in lucem*, id eſt fauorabilis mihi erit Deus, & proſpere meum aget. *Videbo iuſtitiam*, ſcilicet, quia ipſe nos vulnerabit captiuitate ipſe idem ſanabit nos libertate. Quia non in æternum iraſcetur, neque in æternum comminabitur: & iſtud vocat iuſtitiam Dei. *Iram Domini* Quicunq; ait Baſilius in regul. interrog. 55. ſe peccaſſe animaduerterint, illum imitari debent, qui dixit iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Necnon vitæ ſuæ ſtudia emendare: & dignos pœnitentiæ fructus edere. Et verborum Domini meminiſſe, eccè ſanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi deterius aliquid contingat, verum hic ſenſus moralibus eſt aptus. *Et aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me, vbi eſt Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam. Nunc erit in conculcationem, vt lutum platearum.* Cyrus & Darius ſubegerunt ſibi Babylonios, & imperium eorũ fuit deletum per eos: & hoc eſt, quod præ dicit vates dicens & aſpiciet Babylon, hoſtes ſuos Perſas, & Medos, & pudore ſuffundetur tanquam victa, & abiecta. *Oculi*, ideſt Iudæi, deſpicient Babylonios ſoluti ab eorum captiuitate, eis inuitis. *Nunc*, id eſt iam modo pronuntio prophetico ſpiritu eos eſſe conculcandos, vt lutum platearum, ideſt ad magnam vilitatem redigẽtur. *Dies vt ædificentur macerię tuæ, in die illa longè fiet lex.* Tu Ieruſalem diruta es, & diſſipata à Babylonijs hoſtibus tuis, at veniet dies, quando Deus proferet iudicium tuum, in lucem in redditu, ſcilicet, ex Babylonica captiuitate: & tunc ædificabuntur dirutę macerię tuæ, ſepes tuæ & templum tuum. In die illa longe erit lex. Seu debiti decretum, non pendes tributa Babylonijs, ideſt regibus, & exactionibus, quibus ſolent captiui premi à ſuis hoſtibus, tu non premeris: quia libertate donaberis. *Vbi eſt Dominus*, infideles quando victorijs habitis contra fideles inſoleſcunt, Deum verum quem colunt fideles ſpernunt, vnde dicunt, vbi eſt Dominus Deus veſter? Alij referunt hunc locum ad tempora Azhaz regis Iuda, qui fuit ſceleſtiſsimus idololatra, & iuſſit in templo

Non eſt lætandum de lapſu alterius.

de cauſas ſæpe reddunt adeo implicatas, & ſpinoſas, litigantibus, vt qui verè habebat ius ad rem, & ſæpe in re, ſpoliandus cenſeatur ſuo iure, Vt enim is qui per ſpinoſa loca tranſit difficile eruit ſe ab ſpinis, nã euulſa vna, aliæ multæ reſtãt euellendæ, vnde impeditur ne vlterius procedat, ita accidit in litigioſis cauſis. Vnde fit vt magnas moras ducant lites, quæ poterant forte breui abſolui. ¶ Paliurus autem ſecundũ, Plinium lib. 24. ca. 13. eſt ſpinæ genus, ſemen eius Afri zuram vocant, cõtra ſcorpiones efficaciſsimum remedium. A noſtris vero herbarijs, putatur eſſe arbor, quę vernaculo ſermone vocatur Azebo, quam ego aliquãdo vidi & eſt frutex folia habens lauri, latiora tamen, craſſa & criſpa: & per circuitum ſpinis armata, cuius rami facile plicantur, colore viridi. ¶ Et adhuc hac ratione congruit ſimilitudo, nam Iuriſconſulti ſæpè iura torquent, & plicant vt ſuo ſeruiant propoſito. *Dies ſpeculationis tuæ, viſitatio tua venit: nunc erit vaſtitas eorum.* Speculationem vocat falſa vaticinia fulſorum vatum: qui polliceban tur felicia Iſraelitis. ¶ Ait igitur die, id eſt tempore quo pſeudoprophetæ tibi ſpon debant proſpera, erit calamitas tua: qua phraſi conſueta aliquando ſignificat puni tionem. *Nunc*, id eſt breui veniet, vaſtitas eorum, ideſt falſorum vatum, quia mendis te deceperunt. *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Conturbatum ſtatum illius rei publicæ, iſtis verbis demonſtrat. Nã quando conturbata ſunt omnia, nulla amicitia, nulla fides reperitur inter ciues, vnuſquiſque enim id temporis ſibi conſulere ſatagit, & alia omnia negligit. *Nolite*, id eſt veniet vobis tempus, quando amicis, ſeu ſocijs veſtris, non habebitis fidem: neq; ducibus veſtris imo neque vxoribus. *Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurget aduerſus matrem ſuam: Nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Hoc teſtimonium induxit Dominus Matth. 10. ſignificans, conturbandum eſſe orbem, ex euangelica prædicatione: non quia prædicatio euangelica erat ad conturbandum, quæ potius erat ad gratulandum. Cæterum mundani homines, acceperunt ex illa occaſionem ſe ſe conturbandi, & conturbandi alios. ¶ Vnde filij infideles, incãdeſcebant contra patres fideles, & filia infidelis, contra matrem fidelem, itemque & aliæ perſonæ, contra ſibi coniũctos, & eos deferebãt ad iudicium mortis, & credẽtes ſe ob hoc obſequium præſtare Deo. Turbatio igitur, quam prædicebat Michæas venturã Iſraelitis, quãdo tempora calamitoſa erũt ſubituri ſub tyrannide Aſsyriorum, & Chaldæorum, præſignabat turbationem mundanorum, de qua loquitur ſacrũ euangeliũ. Tropologicè autem inimici noſtri ſunt domeſtici noſtri. Etenim concupiſcentia, quæ eſt nobis domeſtica, & familiaris, imo pluſquam domeſtica, quia eſt nobis natiua, hæc eſt nobis aduerſaria. Teſtante Apoſtolo, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Et rurſus ſapiẽtia carnis inimica eſt Deo, vnde & eſt inimica iuſtis. Hæc concupiſcentia, eſt nobis, id eſt intellectui noſtro, quaſi vxor, at vero huic quæ dormit nobiſcum nõ eſt credendum: ſed ab ea cauendũ: vt monet vates. ¶ Enim vero ſi Adam, non crederet vxori ſuæ Euæ, non collaberetur humana natura: neq; tantæ perniciei ſuccumberet, vt ſuccumbit modo.

Ad Gal. 5. Rom. 7. Roma. 8.

¶ Quotieſcunque ergo conſentimus noſtræ concupiſcentię ſuggerenti quæ Deo non ſunt grata, ſed illi alioqui ſunt voluptifica, tunc vir, intellectus, ſcilicet noſter ab vxore hac, non ſibi cauet, imo eidem conſentit, tuncque labitur à recto tramite. *Ego autem ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum Saluatorem meum.* Quaſi reſpondeant tacitæ interrogationi, ſunt verba iſta. Enim vero, prompta erat ſciſcitatio, ſi neque habenda fides amicis neq; ducibus & regibus, neque parentibus, neque vxoribus quia omnia ſus deque erũt confuſa, ſub calamitate venturæ captiuitatis. Quid tibi tunc ò Michæa faciẽdum erit? reſpondet, ego autem ad Dominum aſpiciam &c. id eſt mihi hoc vnicum erit præſidium, quod eſt infallibile præſidiũ, videlicet in Dominum leuare oculos mẽtis meæ, & in ipſo reponam totam ſpem meam, vt etiam dixit Pſaltes, Ad te leuaui animam meam, Deus meus in te confido non erubeſcã. Quoniam qui verè ſperant in Domino, non confundentur, vt Dauid aiebat, In te Dñe ſperaui non confundar in æternum. Quia ſicut turris eſt fortiſsima Dei nomen ſperãtibus in eum. *Audiet me Deus meus.* Fiducialiter orabat vates, quia credebat ſe exaudiendum à Deo. Aut hæc verba dicit Micheas gerens perſo-

Pſal. 24.

Pſal. 39. Prou. 8.

perſonam captiuorum in Babylonẽm ducendorũ ſub Sedechia rege Iuda. Quibus hoc vnicum fuit refugium, vt aſſererẽtur à iugo Babylonicæ ſeruitutis, ſperare in Domino, iuxta vaticinium Ieremiæ vt ſæpe ſupra dictum eſt. *Ne lætaris inimica mea ſuper me, quia cecidi, conſurgam: cum ſedero in tenebris Dominus lux mea eſt.* Item hæc verba, vt proximè expoſita in perſona Iudæorum profert Michæas, nam ipſe non fuit abactus in captiuitatem Babylonicam, ſed ſui contribules, qui poſt eum fuerunt ſub Sedechia Rege Iuda. Ideo vt his verbis captiuos, quos ſpiritu prophetico cernebat futuros cõſolatur: & eſt ſermo hic directus cõtra Babylonẽ. *Ne lætaris*, ait, *inimica mea*, ſuper me, ideſt contra me, ideſt contra Iudaiſmum quem tenebis captiuum, *cecidi* Deo permittẽte propter peccata mea, traditus ſum in tuã poteſtatem, & in longam captiuitatem: at vero Dei benignitate eripiar à tua ſeruitute. Et quæ ſedi in tenebris, id eſt magnis tribulationibus fui diuexatus: at vero Deus eſt lux mea, quia ipſe largam benedictionem libertatis ſub Cyro mihi cõcedet. ¶ Admonuimus enim ſæpe in ſcriptura tenebras miſerias & calamitates denotare: lucem vero Dei fauorem & noſtrorum operum proſperitatem. Memineris etiam, quod hic vſurpantur præterita pro futuris, *cecidi*, pro cadam, &c. ¶ Iudæi autem, vt in ſua perfidia perſeuerent, hunc locum ad Romam referunt; quam vocant inimicam, propter deuaſtationem, ſibi illatam à Romanis: & credũt, quod ab hac captiuitate, qua premuntur modo ſint tandem aſſerendi per ſuũ quẽ expectant Meſsiam. Et hãc deluſi vana ſpe, ſuam fouent ex hoc textu ſuperſtitionem. *Ne lætaris. Si moralia amas*, non eſſe lætandum de ruina proximi hinc diſces. Vnde Ambroſ. de pœnit. lib. 2. Qui lapſu alieno gaudet, de diabolo gaudet victoria. Idem dolcãmus magis, cum audimus periiſſe hominem, pro quo Chriſtus mortuus eſt. *Iram Domini portabo, quoniã peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum: me educet in lucem, videbo iuſtitiam eius.* Item & modo in perſona contribulium ſuorum loquitur per iram; intellige pœnam captiuitatis hanc portauit natio illa ſeptuaginta annis, propter peccata Manaſſiẽ regis Iuda, & ſuorum ſubditorum. Iudicauit autem Deus cauſam Iudæorum, quando decreuit ex ſua miſericordia captiuitatis longe relaxare vincula. Quando ſatisfactum fuit diuinæ iuſtitiæ ex pœnæ perpeſsione, tũc relaxata eſt. Et iſtud vocat iudicium, exhibitum Iudæis, & Dei iuſtitiam. *Educet in lucem*, id eſt fauorabilis mihi erit Deus, & proſpere meum aget. *Videbo iuſtitiam*, ſcilicet, quia ipſe nos vulnerabit captiuitate ipſe idem ſanabit nos libertate. Quia non in æternum iraſcetur, neque in æternum comminabitur: & iſtud vocat iuſtitiam Dei. *Iram Domini* Quicunq; ait Baſilius in regul. interrog. 55. ſe peccaſſe animaduerterint, illum imitari debent, qui dixit iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Necnon vitæ ſuæ ſtudia emendare: & dignos pœnitentiæ fructus edere. Et verborum Domini meminiſſe, ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi deterius aliquid contingat, verum hic ſenſus moralibus eſt aptus. *Et aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me, vbi eſt Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam. Nunc erit in conculcationem, vt lutum platearum.* Cyrus & Darius ſubegerunt ſibi Babylonios, & imperium eorũ fuit deletum per eos: & hoc eſt, quod præ dicit vates dicens & ſpiciet Babylon, hoſtes ſuos Perſas, & Medos, & pudore ſuffundetur tanquam victa, & abiecta. *Oculi*, ideſt Iudæi, deſpicient Babylonios ſolutos ab eorum captiuitate, eis inuitis. *Nunc*, id eſt iam modo pronuntio prophetico ſpiritu eos eſſe conculcandos, vt lutum platearum, ideſt ad magnam vilitatem redigẽtur. *Dies vt ædificentur macerię tuæ, in die illa longè fiet lex.* Tu Ieruſalem diruta es, & diſsipata à Babylonijs hoſtibus tuis, at veniet dies, quando Deus proferet iudicium tuum, in lucem in redditu, ſcilicet, ex Babylonica captiuitate: & tunc reædificabuntur dirutę macerię tuæ, ſepes tuæ & templum tuum. In die illa longe erit lex. Seu debiti decretum, non pendes tributa Babylonijs, ideſt legibus, & exactionibus, quibus ſolent captiui premi à ſuis hoſtibus, tu non premeris: quia libertate donaberis. *Vbi eſt Dominus*, infideles quando victorijs habitis contra fideles inſoleſcunt, Deum verum quem colunt fideles ſpernunt, vnde dicunt, vbi eſt Dominus Deus veſter? Alij referunt hunc locum ad tempora Achaz regis Iuda, qui fuit ſceleſtiſsimus idololatra, & iuſſit in templo

templo Dei colenda esse idola: ideo ait longe fiet lex. Veruntamen, sermo præfert iste reditum Iudæorum ex captiuitate. *In die illa vsque ad te veniet Assur, & vsque ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen, & ad mare, de mari, & ad montem, de monte.* Hebraicè, *ab Assyria.* Significat hoc sermone vates, quod Persæ, & Medi erant venturi contra Babylonem, & inde peruenturi deuastando Assyrios, & ab Assyria erant deuastaturi omnia vsque ad terminos terræ Sanctæ. Sunt autem termini terræ Sanctæ Ægyptus, Euphrates, & mõs Har siue Hor, & mare Mediterraneum. Vnde per ciuitates munitas subintelligunt quidam Ægyptum. Per flumen autem res indubitata est in scriptura significari Euphratẽ, propter illius excellentiam. Vnde illud & dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, aut à mari Mediterraneo vsque ad mare mortuum, vel rubrum, & à mõte Libano vsque ad montem Hor (est autem Hor nomen montis Num. 20. & 33. in finibus Idumææ, prope Petram ciuitatem. Item est nomen appellatiuum significans montem) vel ad montem Amorrhæorũ. *Terra erit in desolationem, propter habitãtes suos, & propter fructum cogitationum eorum.* Cecinit Psalmus dedit terram eorum in salsuginem, à malitia habitantium in ea. Similiter quoque & Babylon desolanda prædicitur, propter iniqua studia ipsorum. *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli pascẽtur Bassan, & Galaad.* Hæc est vltima pars huius capituli, & finis vaticinij Michææ. Vnde in Coronide sui vaticinij precatur Deum, vt pascat populum suum, & gregem suum quem sibi voluit possidere iure hæreditario: vt inquã pascat virga sua, & baculo suo. Virga autem proprij pastoris, cum pascit gregem suum, est virga non ad internecionẽ, sed ad salutem, & reductionem errantis gregis, virga porro Babylonica erat virga ferrea, & tyrannica, siquidem non pascebat Nabuchodonosor gregem suum, sed gregem Dei ideo tyrannicè eos regebat, nam regimen per translationem dicitur pastus, *habitantes* vocat saltum, vel syluam Babyloniam, siquidem, ibidem habitabãt Iudæi, tanquam si syluas coluissent. Syluæ autẽ, sunt periculosæ colentibus: quia ferarum imminet periculum. Ex qua ratione tantisperdum agebant apud Chaldæos, valde periclitabantur: quia apud barbaras agebant nationes, Dei ignaras. *In medio*, id est obsecro Domine vt gregem tuum tandem educas ex sylua, quã colent, & ducas eas ad pascua vberrima, qualia sunt Carmeli pascua, & Bassan quæ sunt pinguissima pascua: de quibus supra iam mentionem fecimus, item pascua Galaad eandem naturã subeunt, *Iuxta dies antiquos*, precor, vt eadem vbertate, & securitate fruatur populus tuus in reditu ex Babylone, qua solebat frui à diebus antiquis, antequam abduceretur captiuus in Babylonem, & opimis terræ Sanctæ gaudebat bonis. *Secundum diem egressionis tuæ, de terra Ægypti, ostendam ei mirabilia.* Respondet Deus precibus prophetæ, annuens illi, & ait, quod sicut exitus de Ægyptiaca seruitute, fuit mirabilis valde, & stupendus, quia magna Deus id temporis edidit miracula: ita quoque erit stupendus exitus ex Chaldæa. Neq; quæras hoc loco absolutam, & quadratam similitudinem. Siquidem longe mirabilior fuit exitus Israelitarum ex Ægypto, quam exitus ex Babylone. Illic enim Deus multa edidit supra naturam miracula, in Ægypto, videlicet, & in deserto: at vero in exitu à Chaldæa, non legimus Deum huiusmodi fecisse miracula: cuiusmodi fuit diuisio *rubri* maris, eductio aquarum de petra, ad virgæ percussionem, descensus panis cælestis, quo pasti sunt Israelitæ quadraginta annis. Dulcoratio aquarum amarissimarũ ex ligno infuso. Sanitas à morsu aspidũ, ex visu pendentis in virga ænei serpentis. ¶ Porrò nihilominus fuit valde mirandus, exitus à Chaldæa post septuaginta annos captiuitatis: siquidem Deus mirabiliter mouit cor Cyri, vt Iudæorũ morosam solueret captiuitatem, & maximis muneribus ornaret Iudæos postliminio reuersos. Cum alioqui esset Cyrus idolorum cultor, & religione, & natione à Iudæis admodum diuersus. *Videbunt gentes & confundentur super omni fortitudine sua.* Videbũt Chaldæi quæ Deus operabitur in fauorem populi sui. Vt scilicet illis inuitis hunc educet de longa captiuitate: & cõfundentur & erubescẽt ex cultu suorũ idolorũ debiliũ ad liberandũ eos de potestate Persarum, & retinẽdum Iudæos sub captiuitate: & erubescent denique

Exitus ab Ægypto populi dei fuit stupendus itẽ exitus à Chaldæa.

nique ex debilitate virium suarum. *Ponent manum suam super os, aures eorum surdæ erunt.* Ijs qui consternato, & deiectissimo sunt animo hoc accidit, vt videantur sibi neque videre, neque loqui posse. Etenim perturbata mens, exteriores sensus etiam perturbat. Chaldæorum igitur, tanta prædicitur à vate futura mentis consternatio in exitu Israelitarum à sua ditione, vt neque loqui quicquam nec audire possint. *Lingent puluerem sicut serpentes velut reptilia terræ, proturbabuntur de ædibus suis.* Idest Chaldæi tunc lambent puluerem sicut serpentes, id est quærent sub terranea & puluerulẽta serpentum loca, ad latitandum ibidem, vt declinent furorem Persarum, aut hoc dicit, quia capite obstippo, & corpore curuo, declinato in terram erant futuri Chaldæi præ dolore, & perturbatione animi. *Et proturbabuntur.* Etenim erant arrepturi fugam, vitaturi hostes. *Dominum Deum nostrum desiderabunt, & timebunt te.* Hebraicè, Dominum Deum nostrum pauebunt. Et conuenit cum superioribus: Chaldæi enim videntes mirabilia, quæ Deus exercuit in gratiam captiuorum Israelitarum, pauore detinebantur. Et timebunt te, id est te populum Dei, venerabuntur. Vel *desiderabunt Dominum Deum nostrum*, Chaldæi ne affligat, scilicet eos, & puniat amplius, propterea quod oppresserunt captiuitate prolixa filios Israel. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum hæreditatis tuæ?* Præuidens vates misericordiam insignem impendendã suis contribulibus, erumpit in diuinas laudes, dicens, *Quis similis tui Deus, qui aufers*, id est donas peccata, captiuitatis pœnam relaxans ex sua benignitate. Et transis, id est dimittis peccatum duarum tribuum, quæ erãt velut reliquiæ duodecim tribuum, nãdecem aliæ prophano ritu idolorum se addixerant. *Transis* peccatum non dimissum, infixum adhuc est in peccante: quia quanuis transeat actu, non transit reatu, at vero Domino donante culpam pœnitenti, tunc transit peccatum & actu, & reatu pœnæ scilicet æternæ. ¶ Atqui cũ perfecta est & culpę & pœnę donatio, omnino transit peccatum & actu, & reatu. Et tunc cum omnino aboletur & culpa, & pœna tunc Deus perfectè transit peccatum, simili phrasi vsus est Nathan, cum dixit Dauidi pœnitenti, Dominus transtulit à te hoc peccatum, idest amouit à te peccatum, quod prius in te erat infixum. *Non immittet vltra furorem suũ: quoniam volens misericordiam est.* Transit à secunda in tertiam personam: & sensus est Deum non iraſci perpetuò, neque perpetuo punire velle peccata nostra: sed potius amat magis misericordiam impendere pœnitentibus. Vnde Iudæos afflixit captiuitate, at vero quum eos correctos habuit, iram suam in misericordiam commutauit, relaxans prolixæ illius captiuitatis vincula. *Reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Aqua admota igni feruescit vehementer: & lædit tangentis manum: at vero sibi dimissa, ipsa tepescit, & in suam naturam facile reuertitur, ita propè modum Deus, si peccatis nostris eum prouocamus feruescit ira sua contra nos: verum si peccata per veram pœnitentiam emundamus, cõtinuo Deus miseretur nostri: & reuertitur ad consuetam sibi clementiam. *Reuertetur* ex ira sua Deus, abducendo tradidit in captiuitatem Babylonicam. At vero vates, vt suam nationem consoletur, inquit, *Reuertetur*, Deus à sua ira, in misericordiam. Vt autem quæ profunda maris loca tenent, illa non extant, ita ait, peccata Iudæorum, qui erant captiui, esse abolenda à diuina memoria, id quod intelligendum est, vt sæpè est annotatum: non quod Deus possit vnquam obliuisci, nam que obliuio est defectus mentis, at Deo repugnat quiuis defectus. ¶ Ideo hæc habebis, quod proijciet Deus peccata in profundum maris, quantum ad vindictã eorum. Enim vero peccata semel donata, nunquam puniet Deus. Nanque sine pœnitentia sunt dona Dei. Quod si is cui semel donauit Deus peccatum, repetit idẽ peccatum, Deus sanè puniet peccatum repetitum, si nõ repetatur pœnitentia eiusdem. Tunc autem, non punit Deus, quod semel donarat, sed quod rursus est repetitum. ¶ Est igitur certissimum, quod vates ait, quod peccata verè pœnitentium, Deus proijcit in profundum maris. Quoniam ea amplius non puniet, ad sensum dudum expositum. Neque velim te esse adeo rudẽ, vt putes materialiter, Deum proijcere peccata in maris profundum. Etenim peccatum cum sit priuatio quædam, priuatio proijci nequit in mare, aut

Perturbata mẽs sensus etiam corporis perturbat.

Quid sit in Scriptura quod deus transit peccata nostra.

Quæ Deus remittit peccata perpetuo remittit.

in terram. Sed ad eum ſenſum hunc accipe, videlicet, quæ ſunt demerſa in profundum maris vſque, lædere nihil poſſunt, neque videri poſſunt, quoniã perinde ſunt acſi nõ eſſent: peccata ſimiliter, quæ Deus non eſt puniturus, quia illa iam donauit demerſa traduntur in profundum maris. Vtex ſenſibili exemplo, intelligibilem peccatorum à Deo nobis conceſſam veniam, qualis ſit exploratiſsimum habeamus. ¶ At vero obſiſtet forſitan quiſpiam dicens, quale igitur eſt, quod Theologi dicunt, peccata redire, in relapſo in priſtina peccata, iuxta illud euangelicum, ſerue nequã, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Et iratus Dominus eius miſit eum in carcerem quouſque redderet vniuerſum debitum Matth. 18. vbi videtur, quod debita remiſſa ſemel redeunt: qua ergo ratione traduntur, eſſe proiecta in profundum maris? Nos de quæſtione hac multa diſputauimus in Theologicis noſtris diſputationibus, & in ſuperioribus explanationibus, nonnihil de eadem re tetigimus: idcirco in præſentiarũ ſuffi ciat dixiſſe, peccata dimiſſa, poſt relapſum, recurrere non ſimpliciter, ſed ſecũdum quid: quia ſcilicet faciunt grauiorem relapſum ex ingratitudine, ad Deum remittentem. Propterea, etſi ſemel donata in ſempiternum erunt donata, quia nunquam illa punies Deus. ¶ Cæterum quia relapſus, ex donatione lapſus, fit grauior, & ideo acerbius eſt puniẽdus, propterea traduntur redire in relabente. *Dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraham: quæ iuraſti patribus noſtris à diebus antiquis*, optima nobis eſt repoſita ſpes, de ſoluenda captiuitate, implebis enim promiſſa tua, quæ promiſiſti Iacob, & Abrahæ, Quia tu verax es, ideo facies veritatem, implendo, quæ iureiurando pollicitus es. Et facies miſericordiam nobiſcum, qui tametſi ſimus indigni, tamen propter merita maiorum noſtrorum antiqua, noſtri miſereberis. Vnde huic concinit, quod Zacharias præcurſoris præcinuit pater, ad faciendam ait miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti, iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis, vt ſine timore de manu inimicorum liberati ſeruiamus illi. ¶ Hic vides, vt Deus temperat ſuam iuſtitiam, cum ſua miſericordia. Vnde ipſe quia nihil debet ſuæ creaturæ, iurauit, & promiſit quædam hominibus concedere, vt iam ex iureiurando, & pollicitatione, ſe faceret debitorem nobis. Iurauit ſanè, & promiſit ex ſua miſericordia: verũ poſtquã iurauit & promiſit, iam ad iuſtitiã ſpectat quod impleat. Et hac ratione diſpoſuit, ſecundũ ſuam ineffabilem ſapientiam, in humanis ſuorum fidelium pectoribus certiſsimã in generare ſpem, de præmij propoſitis, legi timè certantibus in huius ſeculi agone. Et hactenus de Michææ explanatione, & quinque præcedentiũ explanationibus. Quibus abſoluendum duximus primum Tomum explanationum in Sex minores Prophetas.

Peccata ſemel donata non redeunt in relapſo ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Finis primi Tomi Chriſto gloria.

EXPLICATIONVM IN SEX RELIQVOS PROPHETAS MINORES IVXTA ſenſum literalem, & alios myſticos ſenſus, iuxta diuinorum eloquiorum congruentiam,

TOMVS SECVNDVS.

Authore Michaele de Palatio Granatenſi.

Prologus in Nahum Dei vatem eodem Authore.

NAHVM Dei vates, vnde traxerit ſui generis originem, quæve patria illi fuerit, quoue tẽpore ſua ediderit vaticinia, nondũ vndequaque exploratum habemus. Ipſe autem ſe cognominat Elkeſæi. Vnde Hebræi credunt patrem habuiſſe nomine Elkeſæum, quem item dono prophetico fuiſſe donatum, aſſeuerant. At vero Hieronymus, cum in proœmio ad Paulum, & Euſtochium, hanc Hebræorum indicaſſet ſententiam, ſubdit Elkeſæi viculum fuiſſe exiguum in Galilea quondam ſitum. Qui ex ruinis veteribus ædificiorum indicat ſui veſtigia. Iudæis tamen notum, & ipſi Hieronymo à circunducente commonſtratum. Cui conſentit Theophila. in comment. ad Nahum, quo ad hoc quod autumat item fuiſſe viculum: etſi nihil meminit cuius prouinciæ viculus hic fuerit. ¶ Aliis porrò arriſit viculum, nominari Elkos, vnde deriuatur Elkeſæus. Qui tamen in dubium trahunt, ſi ſit familiæ an patriæ nomen: tametſi vt aiebam nomen eſſe vicali Galilæi Hieron. aſtruat: vnde hic vates ſi ita eſt, Galilæus fuit. ¶ Epiphanius verò lib. de patribus veteris Teſtamenti credit Elkeſæi eſſe oppidum trans Iordanem, ſitum habens iuxta Begaar: vbi tandem Nahum beato fine quieuit: familiã autem duxiſſe ait ex tribu Simeon. Cui aſtipulatur D. Iſidor. lib. de vitis prophetarum. ¶ Porrò autem de tempore quo prophetica gratia fuit illuſtratus non eſt conuentum inter diuini verbi enarratores. Sunt enim quibus gratum eſt, Nahum ſub Manaſſe filio Ezechiæ regis Iuda floruiſſe. Tranſlatis iam decem tribubus in Aſſyriacas regiones. Quæ tranſlatio facta fuit anno 9. Oſee regis Iſrael filij Ela, ſub cuius anno tertio cepit Dauidici regni gubernacula Ezechias, & anno ſexto ſui regni euoluto abactæ ſunt decem tribus in Aſſyrios per Salmanaſar Regem eorum: & mihi ſatis eſt probabilis opinio hæc, quantum ad hoc, quod decem tribubus abſtractis à ſuo natiuo ſolo, Nahum prophetauit. Etenim hic vates conſolatur ex hoc vaticinio Iſraelitas, prædicens captiuitatem futuram ſuis hoſtibus Aſſyrijs per Chaldæos, vt inde reportent lætitiam, vnde mœrorem hauſerunt, ideoque congruit ſibi nomen ſuum, nam Nahum interpretatur conſolator. Quia igitur Niniue, erat caput Aſſyriaci regni, huius Nahum prædicens ruinam, & totum regnum eorum collapſurum ſubindicat. Vnde conſolatio proueniebat ſuæ nationi ex malo hoſtibus ſuis venturo. Nam Aſſyrij infenſiſsimi fuerunt Iudæis, quia Sennacherib, Ieroſolymam perdere tentauit, & terram Iuda vaſtauit. Et Teglathphaaſar, Iſraelitas deiecit, captiuans duas tribus cum dimidia & Salmanaſar extremum ſupplicium illis intulit, abducens reliquas tribus in Aſſyrios. Vnde videtur Nahum non anteceſſiſſe captiuitatem decem tribuum, imo captiuitas hæc prior fuit. Cæterum ſi floruerit vates hic tempore Manaſſæ, an potius Eze-

4. Regum 17.
4. Regum 18.
Iſaiæ 37.
4. Regum 15.
4. Regum 17.

Ezechiæ non est in confesso. Enim vero si regulam Hebræorum amplectimur, quod tacente propheta tempus sui vaticinij ex proximè præcedente esse sumendum, liquet Nahum prophetasse sub Ioathan, Achaz, & sub Ezechia, hi enim fuerunt Reges, sub quibus Michæas floruit. Vnde sequitur Nahum prophetasse antequam Israelitæ ducerentur in captiuitatem. Nam Phace regnante venit Teglathphaasar, & duxit captiuas in Assyriam duas tribus cum dimidia, at vero anno secundo regni eius supra Israelitas, regnauit Ioathan filius Oziæ regis Iuda 4. Regum 15. Vnde videtur, quod ante aduentum Teglathphaasar, iam florebat Nahum prophetico munere. Neque obstat argumentum factum de consolatione, siquidem etiam poterat consolari de ventura captiuitate Israelitas indicans suorum hostium ruinam. Vnde quibusdam probatur fuisse Nahum synchronum Ionæ qui prædixit subuersionem Niniue. Itaque ambo contra Niniuen sunt vaticinati. Hieron. porro rem hanc disserens obscure est locutus in prologo ad hunc vatem, primo enim dicit Nahum fuisse, ante aduentum regis Assyriorum contra decem tribus: & postremo ait, Nahum prophetasse sub Ezechia rege Iuda, sub quo decem tribus sunt abactæ in captiuitatem. Nisi dixeris Nahum vixisse antequam Assyrius rex impeteret Israelitas: at non prophetasse nisi sub Ezechia. Id quod Brixiensis autumat, non prolato tamen suæ assertionis fundamento. At ego non dubito si vera est memorata regula fuisse Nahum ante aduentum regis Assyriorum, vt dudum tradebamus. Et nihil obstat, quod id temporis prophetauerit, & item sub Ezechia, & saltem certum est prophetasse ante aduentum Sennacherib, vt patet capit. 1. ¶ Sed neque vacat dubio, quod Hieron. ait, sub Ezechia decem tribus fuisse abactas in Assyriam, cum 4. Regum 15. diuersum sit proditum, Teglathphaasar magnam partem Israelitarum duxisse captiuam: qui fuit multo tempore ante Ezechiam. Et ipse Hieron. comment. ad Isaiam capit. 10. docet duas tribus, & semis fuisse tunc captiuas, scilicet, Zabulon, & Neptalim, & dimidiam partem tribus Manasse: Non ergo decem tribus sub Ezechia sunt captiuatæ. Nisi velis Hieron. intelligere sub Ezechia fuisse completam captiuitatē decem tribuum. Nam sub ipso sunt ductæ in captiuitatem septem tribus & dimidia, anno sexto regni eius, nam Osee Regis Israel anno nono fuerunt translatæ: & tertio anno regni Osee regnauit Ezechias in Iuda 4. Regum 18. ¶ Et quidem si vera est supputatio annorum, quibus isti duo vates fuerunt ante Christi aduentum, fieri nequit, vt Ionas, & Nahum, fuerint contemporanei. Etenim describitur Ionas fuisse ante aduentum Domini, Annis 836. Nahum vero annis 778. Verum de hac re satis sit hæc dixisse. Supputatio habetur in Biblijs Benedicti. ¶ Sensus porro morales, latius prosecutus sum in hoc secundo Tomo, quam in Primo: etenim in primo Tomo, sensus literalis multum exhibebat negotium ad suam explanationem, ideo temperaui stylum moralia persequens. Verum in Sex posterioribus vatibus, non est tanti operis literalis explanatio, quippe in priori Tomo explanata eundem dilucidant: ideo laxaui habenas, ad moralia, sub moralibus comprehendo omnes mysticos sensus vt Hieronymus placet comprehendere.

Liquidum est Nahū pphetasse ante aduētum Sēnacherib contra Iudam ex capi. 1. infra.

2. Paralipo. 26.

EXPLA-

EXPLANATIO IN Nahum Prophetam.

CAPVT PRIMVM.

ONVS Niniue. Græca, habent *Lema Niniue*, id quod Theophil. in cōmen. explicat dicens, omnem prophetiam, hac gemina gaudere cognominatione & ritè esse vocandam, videlicet, visionem & lemam. Visio sanè est, quia prophetæ præuiderunt, longe ante, quæ erant futura, quam accidissent. Lema vero, quia hæc visio accepta est ab Spiritu sancto. ¶ Nā lema, Græcum vocabulum significat acceptionem. Rectè igitur omnis prophetia, appellatur acceptio: quia cælitus accipitur spiritus propheticus. ¶ Quæ duæ cognominationes hic exprimuntur à vate, nam quam vocauit lemam, vocat librum visionis, subdit enim *liber visionis*, ideſt, quod acceptum est à Deo, est liber visionis propheticæ. ¶ Alij vertunt lema, ideſt, assumptio vt Theodoreti translator. Et idem sensus est: quia prophetia assumitur supernaturaliter à Deo. ¶ Cæterū Hebraica vox est Massa. Massa autē significat grauem, & onerosam prophetiam. Dicitur autem onerosa prophetia, quæ infausta, & mœrore plena prædicit: qualis hæc est Nahum quæ ruinam Niniue, & regni sibi subiecti, itemque Babyloniorum prædicendo comminatur: ideoque translator vulgatus rectè transtulit onus. *Liber visionis*, ista prophetia onerosa continetur in libro visionis, ideſt, in libro prophetico isto *Nahum Elkesæi*, hactenus de titulo. *Deus æmulator & vlciscēs Dominus, vlciscens & habens furorem.* Quia tristia erat dicturus, quæ erant passuri Niniuitæ & Chaldæi, ex diuina vltione cōtra eorum scelera, ideo ait Deus æmulator. Quasi dicat, vos Niniuitæ securè degitis in vestris sceleribus, quasi Deus non sit ea vlturus, vel quia ea nescit, vel quia ea negligit. Erratis sanè, & male sapitis sic sapientes. Deus enim scit vestra facinora, & non negligit ea: at expectauit pœnitentiam vestram, & misit vobis Ionam suum vatem, qui vos admoneret, & quidem pœnituit vos tunc vestrorum peccatorum, at vero volatilis fuit vestra pœnitentia, quippe citissimè reuersi estis, tā quam canis ad vomitum, & sicut sus lota regreditur ad volutabrum, vt se rursus inquinet. ¶ Deus igitur vlterius vestram impietatem dissimulare noluit, ideo scitote ipsum esse vltorem & æmulatorem, & vlciscentē scelera hominum quæ pœnitentia non abluit. ¶ Exodi. 34. hac item appellatione appellatur Deus. Dominus zelotes nomen eius æmulator. Deute. itē 4. Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. Æmulator idem est quod zelator, ab æmulor, aris. Quod aliquando vsurpatur in bonam partem, & tūc idem est quod imitari, & construitur cum accusatiuo, vt dixit Cicero pro Flacco, Omnes eius orbis instituta facilius laudare possumus quam æmulari. Et Paulus. 1. Corin. 12. Æmulamini charismata melio ra: ideſt assequimini, quo ad licuerit meliora dona Dei. Et in malum vsurpatur, & idem est quod inuidere, vnde æmulus, ideſt inuidus, & ferè cū datiuo iungitur. Vnde Psal. 33. Noli æmulari in malignātibus, & ne zelaueris facientem iniquitatem. Et est repetitio eiusdem sententiæ, ideſt, ne inuideas peccatoribus, qui prosperos habent rerum suarum successus. ¶ Sensus igitur est, sicut vir diligens vxorem, eam valde æmulatur, seu eam valde zelat, de amore alieno vnde si senserit alienum amorē, alterius viri, eam punit, quoniam vir vult amari singulari amore, sine pari, vel superiori: ita Deus vult amari singulari ab hominibus amore, & est zelator, & æmulator ad puniendum creaturam supra Deum admittentem amorem. ¶ Vnde Iacob. 4. Ad inuidiam concupiscit spiritus. Allegoriam autem si amas, nihil aptius per Nahum consolatorem subaudire poteris, quam ipsum Christū: qui se appellitat consolatorem. Alium inquit Paracletum dabit vobis, si ergo spi-

Æmulor. Æmulatio. Zelo. Zelotes. Zelator idem. Æmulus. Sensus allegoricus. Ioan. 14.

ritus sanctus est consolator,& ideo Paracletus nuncupatur, Christus igitur qui est alius paracletus,est quoque alius consolator, ipse enim consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et quidem nulla maior excogitari valet consolatio, quam quod,per fidem & amorem Iesu Christi, pateant nobis regna cælestia. Sicut igitur Nahum suo vaticinio exterruit Niniuitas, & eorum exterminium præuidit: at vero consolatus est suos, scilicet, Iudæos & Israelitas ad eundem modum, & mysticus Nahum Christus suo Euangelio prædicit exterminium Niniue,& suos consolatur fideles. Niniue autem adumbrat humanum fastum, mundanam sapiẽtiam atque potentiam.Quæ vniuersa tandem sunt demolienda, vnde dicet Dominus istis mundanis, Ite in ignem æternũ qui paratus est diabolo & angelis eius.At fidelibus æterna manet consolatio, Venite, ait, benedicti patris mei percipite regnum quod paratum est vobis, &c. *Onus Ninive,* Euãgelium Iesu Christi onus est Niniue, siquidem graue est infidelibus, audire Verbũ caro esse factum, natumque & conceptum de intemerata virgine Maria, & reliqua fidei mysteria. Onus est mundanorum audire, quod igne æterno sunt deurendi, nisi de patratis sceleribus resipiscant.Onus est salacibus,audire castimoniæ obseruantiam esse necessariam ad vitam æternam.Onus est auarorum audire,restituenda esse aliena, aliàs non patebit vita æterna,& ita de reliquis alijs.At vero, quod est onus mundanorum liber est visionis timoratorum. Euangelium enim Iesu Christi aptissimè, dixeris esse onus infidelium,ob memoratas causas,vt erat onus illis qui aiebant. Durus est hic sermo,& quis poterit eum audire? Ioã.6. at est liber visionis fidelibus timoratis. Quandoquidem, in hoc libro vident scelera sua, & ea contemplantur in eo tanquam in speculo, in hoc libro item aduertunt quæ sunt illis necessaria ad vitam æternã capessendã. Fides,scilicet,in Christum ex sacramentorum perceptione, viuens sanè liber visionis, volentibus quidem videre in hoc seculo, vt licet,diuina, at nolẽtibus liber est obcæcationis. Quapropter Petrus ait,Christum esse petram scandali, & lapidem offensionis, nempe infidelibus qui offenduntur ex fide Christi, & mundani, qui fidem quam colunt obseruare negligunt. Ad eundem modũ, Euangeliũ Christi est liber visionis, morigeris, & timoratis, & liber obcæcationis discolis & proteruis, & procacibus, vt Sol suo splendore oculos sanos illustrat & exhilarat, at vero oculos ægros excæcat,& conturbat. Huic allegoriæ cõcinit quod sequitur in vate, *dominus æmulator.* Quasi dicat ô vos mundani, quibus onus est Christi Euangelium, persuasum habetis bonum esse in vestris peccatis residere: quia forte putatis Deũ non habere vestri rationem,neque videre vestra scelera, vt illi asserebãt,quorũ meminit Ezech.8. Dicunt enim,non videt Dñs nos: dereliquit Dominus terram.Et cap.9.Dixerũt enim, Dereliquit Dñs terrã: & Dñs non videt.Tales etiã erant illi qui aiebant circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat. Et ille insipiens, cum istis insipientibus concordans dixit in corde suo, non est Deus.Talis enim est vestra nequitia,vt credere vos delectet,Deum nescire vestra crimina,aut si scit, illa non curare. ¶At vero expergiscimini ebrij, & flete & euigilate, à veterno, quo premimini, Deus enim scit vestra delicta, & illa vlciscetur suo tempore. Est enim Deus æmulator, & zelotis: quia quanuis non continuo profert iram suam,ideo peccatores effrænes se præcipitant in peccatorum barathrum,at vero,nó ideo negligit punire, sed differt punitionẽ, quia is ipse qui zelator est misericors est,& quivltor est,clemens est, & is ipse patiens denique est, qui æmulator,& vlciscens est, ideoq; cũ dixeritis,pax nobis est, atque tranquilla securitas, superueniet vobis repentinus interitus, vt temporibus Noe pace agebant summa,& de repẽte gurgitibus profundissimarũ aquarum fuerunt demersi illius æui omnes homines exceptis, quos Noetica continebat arca.¶Sodomæos,& Gomorrhæos de repẽte ignis de cælo descẽdit & deuorauit eos, & quis poterit in omnia discurrere, huiusmodi supplicia, sat est, dixisse, Israeliras quiete viuentes in suis sceleribus,captiuitas perpetua absumpsit Ierosolymitas, ob eadem scelera Babylonica vastatio corripuit. Niniuitas sibi gratulantes in suis peccatis, diuinus furor per Chaldæos abrasit, Chaldæos elatissimos, Deus per Medos & Persas, acerbissimis corripuit supplicijs. *Vlisciẽs Dominus in hostes suos, & vlciscens ipse inimicis*

Euãgeliũ est onus mundanorum & liber visionis timoratorum.

1.*Pet.*2. *Isaiæ.*8. *Psal.*117. *Matt.*21. *Lucæ.*2.

*Iob.*22.

*Ioel.*1.

*Eccles.*8.

micis suis. Vocat hostes, & inimicos Niniuitas,sub quibus omnes impios subintelligere qui volet, aptè faciet, *Dominus patiens, & magnus fortitudine,* Dominus quidem vlciscens est, at non crudelis est, sed patiens est:& non est patiens, quia nõ est potens continuo vlcisci, imo potens est, quia magnus est fortitudine, at interim dissimulat, expectans nostram pœnitudinem. *Et mundans non faciet innocentem,* hoc est quanuis non coercendo delicta, videtur reputare illa non esse delicta,sed mundum esse autorem, quia contra eum non sæuit vindicta: at vero non faciet, id est re vera patrator sceleris non est innocens coram Deo: quia suo tempore vlciscetur Deus, quod interim dissimulare videbatur. ¶ Ideoque dicitur Deus longanimis, & multum misericors. Ipse enim iudicat populos in æquitate, vnde ipse ex sua lõganimitate vel patientia expectat peccatorum pœnitentiam, at vero peccatores ex sua prauitate, thesaurizant sibi diuinã iram, vt Apostolus loquitur ad Roma.2. Etenim quo magis expectantur à Deo, ipsi obdurantur vehementius, ideo maiores sibi parant pœnas. *Dominus in tempestate, & turbine viæ eius.* Quod ait modo, est quod Apostolus dudum aiebat, peccatores obstinatos, qui abutuntur Dei patientia, & longanimitate thesaurizare sibi iram in die reuelationis iræ & vindictæ diuinæ. Et hoc sibi vult *Dominus in tẽpestate &c.* id est, etsi interim dissimulet Deus peccata, at vero, quando decreuerit pœnas sumere, terribiles sumet, & cito sumet, acerbitatem nanq; pœnarum,subaudit sub tempestate, & turbine. Siquidem, quando ingruit maris tempestas, aut turbines accidunt in terra, velocissimè, & vehementissime nocent, & rapiunt illos quos inuoluunt, *viæ eius*, id est vltiones eius. *Et nebulæ pulus pedum eius.* Quas dixit vias Dei, modo appellat pedes Dei. Et est metaphorica locutio hæc vt prior, id est sicut quando magnus exercitus hostium ingruit in hostes, magnã nubem ex puluere excitat adeò, vt excæcet oculos militũ,quia caligine quadã omnia obducit,vt non pateat via,qua sit eundum. Ita Deus quando presserit grauissime suos hostes veluti nube quadam obducet caligine eorum mentes,vt nesciant sibi prouidere, quia iræ Dei nullus est qui resistere possit, *increpans mare & exiccans illud.* Persuadet modo vates,quod dixerat vias Domini esse tempestatem,& turbinem, contra hostes suos.Enim vero Deus est omnipotens,& vniuersa illi subduntur. Siquidẽ ipse est, qui sub Mose exiccauit mare rubrum, & viam fecit in aquoso populo suo,diuidens illud sua potestate, vt cecinit vates alter,qui diuisit mare rubrum in diuisiones, quoniam in æternum misericordia eius. Et omnia flumina ad desertum deducens. *Increpans,* translatitia est locutio,idest maris elationem, & tumorem qui videtur immensus,suo verbo,idest imperio Deus deponit, & facit ipsum detumescere citissimè.

Peccatores quidã abutuntur Dei longanimitate.

¶Vnde Christi diuinitas, ex hoc itẽ fuit demonstrata:quia mare,& ventum increpauit imperando illis, vt sedarentur, & continuo sedata sunt. Quare stupentes discipuli dixerunt,Quis putas hic est, quia & ventis,& mari imperat, & obediunt ei? Lucæ 8. Solus enim Deus habet potestatem super omnem creaturam:cui quoque omnis creatura est in potentia obedientiali,vt Theologi scholastici tradunt: nã quidquid Deus de suis creaturis facere disposuerit,creatura obediendo sustinebit. *Et omnia flumina ad desertum deducens.* Etenim cui subsit,exiccare fluenta Iordanis, sub Iosue duce Hebræorum, vt Hebræi sicco pertransirent vestigio, suberit quoque omnia flumina siccare, si vnquam voluerit facere.

Diuinitas Iesu Christi.

¶Hæc ante omnia tendunt, vt insinuet vates, quod qui potest mare & flumina in siccum vertere, poterit quoque Niniuen sicut mare æstuantem opulentissimis opibus,ciuitatẽ, & omnia flumina eius,id est omnes vrbes illi subiectas exiccare,id est deducere, ad exterminium.

¶Moralis vero sensus est,si per mare mũdanas opes, mundanasque delicias intelligas,& per flumina voluptates seculi huius. Deus potens est hæc exiccare. Siquidem homines superbos, gratia euangelica facit humiles, carnales, castos deceptores veridicos. Potẽtior enim est Christi gratia, quam vniuersa mundi blandimenta: videas Christi martyres, omnia mundi blandimenta, omnes opes parentes omnes, seculi honores omnes, adhuc & ipsam vitam omnium charissimam perdere ex Christi amore, videas virgunculas, sub tenerrimis annis, idem præstare, quod viri,& in sexu fragili, vt martyrij

Moralis sensus.

fortitudo resplēderet: videas demum homines alioqui feroces, & veluti leones furentes in alios, at euangelica gratia susceptra mansuescere: & tanquam agni quidā diuinis & ecclesiæ mandatis obtempera-
Leo Papa Primus, Totillā ci curat, Ambros. Theodosium humiliat. re. Sicut de Totilla Vandalorum Imperatore legimus, qui ad preces Leonis Pontificis suum contra Romam, & Italiam liniuit furorē. Et Theodosius ad imperium Ambrosij publicā pœnitentiā egit: istud igitur est increpare mare, & flumina, & ventos, & exiccare iniquitatem eorū, scilicet, qui in mundo potentia florebant, & domino insultabant, vertere in iustitiam, & sanctitatem. Vt Paulus item nobis est exemplo, qui spirans minas, & cædes, properabat Damascum, vt lupus sanguinis Christiani auidissimus, at vero hoc mare, quod tumescebat cōtra Dominum, exiccatum est, increpante, de cælo Christo, verbis illis Paule, Paule, cur me persequeris? Nonne & Augustinus maximus ecclesiæ Catholicæ doctor, hoc mare erat despumans hæreses contra Dei ecclesiam, & fluctibus suarum cauillationum, catholicos conturbans, at vero increpauit hoc mare Deus, & exiccati sunt fluctus eius, cessauerunt suæ dialecticæ captiones, & amaritudo huius maris versa est in dulcedinem excellentissimæ doctrinæ, & tumor huius maris, contra Dei ecclesiam, versus est in summum zelum pro Dei ecclesia. At verò exigua sunt hæc si referantur ad initia nascentis ecclesiæ. Scimus enim Apostolos & Christi discipulos ferocientem contra euangelium mundi tyrannidem, & instar tempestuosi maris fremētem, Christi fidei subiugasse, & maris mundum æstuantissimos feruores verbo euangelij mitigasse vt verum fuerit, Deū tunc increpasse mare, & ipsum exiccasse. Et quòd psaltes, ait Psal. 65. Qui conuertit mare in aridam: in flumine pertransibunt pede. ¶ Et equidem meo iudicio, etsi maris rubri diuisio, & Iordanis siccatio, ad modum sunt mirabiles, & diuinæ potestatis manifestatiua: cæterum, cordis humani quod cum impietate abundat, mari feruido confertur, cor enim impij, vt mare feruet Isa. 57. sedare æstus, exiccare feruores, longe mirabilius est. Nam mare & flumina, & omnia quæ sunt rationis expertia diuino imperio diuinæque increpationi repugnare nequeunt: at vero mare humani cordis, Deo sæpe repugnat, ne exiccetur, sed contendit contra Deum in suo feruore persistere. ¶ Vnde illud Act. 7. Vos Spiritui sancto semper restitistis. Et Matthæi 23. Rursus Dominus. Quoties volui congregare filios tuos, vt gallina congregat pullos sub alas suas, & noluisti. Deus igitur in omnibus, summè mirabilis est, at in conuertendo se humano corde longe mirabilior. Nanque non temere proditum est. Terribilis in consilijs super filios hominum. Etenim non cogendo hominis arbitrium, cogit illud & trahit ad se, & sine violentia videtur violentiam inferre. Quam violentiam desiderabat, quæ dicebat, Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Et hac ratione traxit ad se Christus vniuersum orbem, & maris huius mundani fluctus, & tempestatem, mirabiliter exiccauit. *Infirmatus est Bassan, & Carmelus, & flos Libani elanguit.* Bassan & Carmelus pascua erant armētorum pinguissima: at sub Elia tribus annis & mensibus sex cælum non stillauit pluuias super faciem terræ Iacobi 5. Deo prohibente pluuias. Hoc item refert, quod est diuinæ potentiæ signum, pluuias negare terræ, quādo sibi complacitum est ob hominū peccata. Tunc igitur ex inopia imbrium Bassan aruit, & Carmelus, & Libanus. Non solum igitur potens est, stare facere mare, & flumina Deus, sed virgulta omnia, & herbas, frutices, & arbores: quia subdūtur vniuersa suæ infinitæ potestati. *Montes commoti sunt ab eo, & colles sunt desolati. Et contremuit terra à facie eius, & orbis.* Pergit vates diuinæ potētiæ celsitudinem ex alijs mirandis operibus eius declarare. Montes, ait, commoti sunt ab eo, etenim ex terræmotibus accidit aliquando montes dissolui, & terræ coæquari: itemque & colles ob eandem causam idem in Psal. 96. commemoratur, montes fluxerunt à facie eius. Sunt qui hunc aliter exponant locum: referunt enim hunc locum ad defluxionem, & colliquationem niuium ex montibus. Siquidem videntur tunc montes dissolui, & colliquari. Et vulgo ita dicimus montes, & colles niuosos, colliquari ex solis aspectu. *Contremuit*, quando Deus diluuio aquarum deuastauit orbem, tunc terra, id est habitātes in ea sunt conterriti à potentia Dei, quæ modico tē pore totum orbem inuoluit aquis. Alij referunt ad conflagrationem Pentapolis,

Deus mirabiliorē, se demonstrat in vrahendis hominib⁹ ad se quam in cunctis alijs operibus.

orbi

orbi enim fuit stupendum miraculum, quod ex igne descendente de cælo quinque vrbes illæ cum suis incolis, in cinerem redigerentur. *Ante faciem indignationis eius quis stabit*: quasi dicat nemo poterit Deo resistere. *Et quis resistet in ira furoris eius repetitio est* prioris sententiæ. *Indignatio eius effusa est sicut ignis, id est effundetur*, cōtra Niniuē, & sicut ignis quia maximè actiuus est cito omnia deuastat, & vertit in cineres, ita deuastandā prædicit Niniuē & in nihilū redigendā. ¶ Obserua, hoc loco tradi quod diuinæ iræ resistere nemo potest: at vero Act. 7. traditur, vos Spiritui sancto semper restitistis. Vnde nō inepte quæret aliquis, qui fiet, dicens, quod Spiritui sancto resistere possumus & diuinæ iræ nō possumus? Nūquid ira Dei potētior est Spiritu sancto? Non sanè, sed eo dicitur quod possumus resistere Spiritui sancto, quo possumus resistere Deo volēti nos iustificare. Vt Dñs ait. Quoties volui cōgregare, & noluisti Matth. 23. Em vero, etsi iustificatio primum pendeat à Deo, tamen etiā pendet ab arbitrio humano. Qui enim fecit hominē sine hominis cooperatiōe, nō saluat hominē, nisi ipso cooperāte homine. Quare cū liberum sit homini cooperari Deo volēti iustificare, aut nō cooperari, annuere, vel renuere si renuit, iā resistit Spiritui sancto. ¶ Siquidē hæc est volūtas Spiritus sancti, hominē mūdare à suis coinquinamētis: teste Apostolo, hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Aduerte autem, quod ista volūtas, nō est volūtas efficax Dei, quæ si adesset oēs homines essent sancti: sed est voluntas signi, Deus enim præcipit nostram sanctificationem, illam consulit illam prætendit, à nobis exequi, quæ omnia fecit, & dixit Christus, huic autem voluntati signi resistere potest humana voluntas efficaci autem voluntati Dei, nulla creatura repugnare potest. ¶ Quā quia habet Deus volens hominē punire pro delictis suis (quæ punitio vocatur trāslatitiè ira Dei) ideo iræ Dei resistere nemo potest, quippe nemo potest subterfugere pœnā quā Deus infligere decreuit. Nunquā autem vult efficaciter iustificare hominem, nisi volentem iustificari à Deo: quia vt aiebam iustificatio nostra, pendet à libero arbitrio volente Deo inspiranti obtemperare: ideo Deus nūquā vult efficaciter nos iustificare, quousq; nos velim⁹ efficaciter, Deo obedire, tūc autē nō resistimus diuinæ voluntati, imo illi morē gerimus. *Cōtremuit terra.* Istud si referamus ad diē finalē iudicij, optimè illi diei cōuenit, qui cælimouendi sunt & terra & cæli calore solūtur, vt Petrus ait, & renouabitur huius sæculi facies, & in alteram cōmutabitur. ¶ Et Christus sicut leo rugiet in oēs impios, & iræ summi iudicis nemo poterit resistere. Et indignatio eius effundetur sicut ignis, quia ante faciē eius præceder, & ignis exardescet, & deuret impios in æternum tūc montes cōmouebūtur, & colles. Quia terra reducetur in sphericā suā figuram sine tuberculis montiū, vel vallium. Et Bassā, Carmelus, & Libanus elāguescent, quia vbertas pascuorū, omnis cōsumetur. Quia generationū, & corruptionū alternatio, atq; vicissitudo cessabit. Generabilia enim vniuersa, & corruptibilia tūc habebāt periodū. *Et petræ dissolutæ sunt ab eo* id. est rupes, vel silices rumpūtur, à Dei verbo, significat nihil esse forte, sed omnia esse debilia, & infirma corā Deo. Et ad literā in Psal. 113. refertur accidisse, qui cōuertit petrā in stagna aquarū, & rupē in fontes aquarū. Moraliter referas ad cōuersionē peccatorū obstinatorū, quorū corda erant, vt petra durissima: at Deus sua gratia sæpe duritiē eorū dissoluit: & conuertit in fontes lachrymarū, quas fundunt pro ante actis delictis, vt Ezech. 11. Dñs pollicetur facturus. Auferā à vobis ait, cor lapideū, & dabo vobis cor carneū. *Bonus Dñs, & cōfortās in die tribulationis: & sciens sperātes in se. Et in diluuio prætereunte cōsummationē faciet loci eius: & inimicos eius persequētur tenebræ.* Quia ostēderat dudum Dei omnipotentiā, ad sumendū pœnas de hostibus suis, quales erāt Niniuitæ, cæteriq; diuinæ religionis hostes, declarat modo Deū vltionē sumere, de peccatis nostris, nō quia istud illi est cordi: quippe qui nō lætatur in perditione viuorū: sed quia à nostris iniquitatibus irritatur ad vltionē. *Ideo* ait, *bonus est Dñs*, & benignus est prōptior ad benefaciēdū, quā ad nocendū. Et cōfortās in die tribulationis suorū seruorū, quibus est tutissimū præsidiū, ne deficiāt in laboribus, quos patiūtur propter iustitiam. Vnde aiebat Apostolus, omnia posſū in eo qui me cōfortat, & rursus, abū dātius omnibus laboraui, nō ego, sed gratia Dei mecū. Et iterū consolat nos in omni tribulatione nostra: & sæpe alias istud

Apparens collisio diluitur.

Iustificatio primū pendet à Deo dein à nobis.

Voluntas efficax.

Voluntas signi.

Pſal. 96.

Pſal. 17.

Num. 24.

Moralis sensus.

Ad Philip. 4.

1. Cor. 15.

2. Cor. 1.

docetur in arcanis musis. *Et sciens*, hoc loco, vt sæpe alibi, approbationem, & dilectionem diuinam significat, ideſt, Deus diligit, & speciali cura tuetur sperantes in se. ¶Porro, quia Assyrij in Deum non sperauerunt, sed potius eum irritauerunt in vanitatibus suis; ideo senserunt Dei potentiam contra eos. *Nam diluuio prætereunte, consummationem faciet loci eius.* Ideſt Niniues confert vates calamitatem quã prædicit Niniuitis agmini impetuoso aquarum quę repente irruũt in locum aliquẽ, siquidem, impetuosè latæ, euertunt locũ quem impetunt, vt diluuium generale, vniuersa prostrauit, & solo coæquauit exercitus autem Chaldæorum subintelligitur per hoc agmen aquarum qui irruit in Niniuitas, & eos euertit. *Et inimicos*, ideſt, Assyrios idololatras, & inimicos diuinæ religionis, quam colebant Iudæi, vnde erant infensissimi hostes Israelitarum, hos ergo hostes persequentur tenebræ sub voce tenebrarũ, vt sæpe admonebã, in primo tomo, omnia infælicia, & calamitosa subaudiri debent. Quod si etiã velis referre ad diem iudicij finalem congruenter poteris, siquidem diluuiũ tunc erit ignis, vnde erit consummatio, vel faciet Deus consummationẽ loci eius, ideſt mundi huius peribit forma. Et quidẽ tunc bonus Deus, & benignus in suos famulos, quibus dicet, venite benedicti, &c. Eritque præsidium eis, quia deducet eos ad regnum cæleste, vbi ad eos non accedet malum: quia altissimum est eorum refugiũm. Confortabitq; eos, quia dotibus immortalitatis, & impassibilitatis eos ornabit, *& sciet sperantes in se*, quia tunc clare patebit omnibus, quanta cura prosecutus fuerit suos Deus. Quippe si Deus suos non custodiret in hoc seculo, actum esset de eis. Vnde ipsi diuina sibi exhibita præsidia laudantes dicent, Benedictus Dominus, qui non dedit in captionem dẽtibus eorum, &c. ¶At vero tenebræ persequentur hostes Dei, ideſt peccatores impœnitentes, quoniam dicet illis Christus, Ite maledicti in ignem æternum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. ¶Si iuuat tamen, istũ credere sensum esse allegoricum, non refragor. *Quid cogitatis contra Dominum. cõsummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio.* Quorsum vestris facinoribus sine fine irritatis ò Assyrij iram Domini? vtiq; vestro magno malo incumbitis peccatis vestris; siquidem Deus cõsummationem, & exterminium faciet vestri regni, & vestræ potentiæ. Neque necesse erit vos affligere semel atque iterum, quia semel in vos sęuiet Chaldæa potestas & ad terram prosternet, vt non sit necesse rursus vos affligere. Quia affligio vobis ventura vltima erit, adeoque acerbissima vt alia nõ sit necessaria, semel igitur vos perdet, & non iteranda calamitas oborietur. ¶Obijcies forsan huic loco alterũ, qui videtur huic oppositus. Nã que Gene. 4. proditum est. Qui occiderit Cain septuplum punietur. Et Leuit. 26. Addam correptiones septuplũ propter peccata vestra. Et Eccles. 7. Fili non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. Vnde videtur, quod nõ solum propter peccata nostra non cõsurget duplex tribulatio, quin consurget septupla: quæ est multo grauior. Et rursus inferri videtur, peccata nostra puniri à Deo vltra condignum, siquidem septuplum puniuntur. Respondetur, quod verba commemorata, *Non consurget duplex tribulatio*, non sunt accipienda ad illũ sensum vt inde inferamus, aliqua peccata, bis punienda: sed ad sensum quem iam expressimus. ¶Obiectis autem testimonijs fiet satis, si reduxeris in memoriam, quod tomo primo diximus, phrasim esse sanctæ scripturæ, vti locutionibus istis, septuplum punietur, non vt sensus sit septuplo grauius punietur, quã peccatum mereatur; sed ad significandum acerbitatem pœnæ vtitur illo loquendi modo. Vt illud quoq;, septies in die cadit iustus, non significat, lapsum iustorũ diurnũ esse sub septenario numero; sed significat frequenter in die labitur iustus. ¶Septenarius igitur multitudinẽ, aut frequentiã significat actionis, si actio sit, aut grauitatẽ si pœna sit cui addatur, aut excellentiam nobilitatis si virtuti coniungatur vnde septuplum punietur, ideſt grauissimè punietur. Et ita de reliquis, vnde inualida est illatio, igitur Deus punit vltra condignũ. *Quia sicut spinæ se inuicẽ cõplectũtur, sic connuiũ pariter potantiũ, cõsumẽtur sicut stipula aridi tate plena.* Ideſt similes erunt Niniuitę, cũ obsessi fuerint à Chaldæis fasciculo colligatarũ spinarũ siccarũ, qui facilimè succenditur ab igne, quia nihil resistet. Etenim est aridissimæ, itẽ similes erãt ebrijs, qui nesciũt vbi cõcidũt attoniti, & stupidi redditi à vino. Insinuat ex istis similitudinibus imbelles, & minimè pugnaces futuros contra Chaldæos, & nihil cõsilij frugiferi esse habituros, vt se se ab hostibus defendant: quia tanquã ebrij erũt stupidi, nesciẽtes vbi corruant. *Ariditate*, id est erũt, vt stipulæ, quæ prorsus sunt aridæ, quæ facillimè inflammãtur, & consumuntur. ¶Impij quoq; fasciculis cõburẽdis conferũtur in sacris eloquijs sarmẽtorum aridorum. Etenim Matth. 13. Conferuntur impij zizanio, quod eradicatur ab agro, & conijcitur in ignem, vt comburatur. Et Ioan. 15. Conferuntur palmitibus siccis. Et item apud Matthæum alligate ea, traditur, in fasciculos ad comburendum capit. 13. *Ex te enim exibit cogitans contra Dominum malitiam mente pertractans prænaricationem*. Ad Sennacherib impijssimum, & Rabsacẽ eius ducem hæc referuntur, qui fuerunt blasphemi contra Dñm, & studuerunt euertere ciuitatẽ sanctã sub Ezechia. *Exibit*, quia Sennacherib erat rex Assyriorum, quorũ caput erat Niniue, extat histo. Isai. 37. & 4. Reg. 19. Et huius regis filius fuit Salmanasar, qui transtulit Israelitas, in Assyrios, vt supra non semel commemoratum est. *Ex te* subaudi, ò Niniue, quasi dicat, digna es, ò Niniue subuersione, quam patieris, quia ex te exibit pessime cogitans contra Dominum. Cogitauit enim Sennacherib, se esse potentiorem Deo, & Deum infirmum esse, vt eriperet Ierosolymam à sua potestate. Alia translatio habet, *ex te exibit, consultor Deo & hominibus infestus. Enim* non est de textu. At vox Hebræa cogitantem significat, à verbo, Hassab, quod cogitauit, reputauit, vel numerauit significat. ¶ *Hæc dicit Dominus si perfecti fuerint, & ita plures, sic quoque attondentur.* Prædicit deuastationem Niniuitarũ, *si perfecti fuerint*, Hebra. Si pacifici fuerint, & ita plures, id est, etiam si in summa degẽtes pace multiplicentur, nam ex pace multiplicatur genus humanũ, vt ex bello minuitur: nihilominus, hac ratione etiã cõsumentur. ¶Quod iam dixerat dudum *consummationem ipse faciet*, id est Deuastationem, & desolationem, *si perfecti* perfectionem vocat abundantiam pacis, & aliorum bonorum. Nam regna cum pacifica sunt tunc maximè florent & ideo addit, & ita plures, & hac ratione, scilicet, sint multi numero, nihilominus attondentur, ideſt consumentur: vt capilli ex capite detonsi proijcientur. *Et transibit*, scilicet regnum, potestas *& gloria* Niniuitarum trãsibit, ideſt peribit. *Perfecti*, aliter in euangelicis literis vsurpatur hæc vox ad significandum perfectos sanctitate viros corã Deo; estote ait, perfecti sicut pater vester perfectus est. Hoc autem loco, perfecti significat integritatem regni, & multiplicationem in opibus, & viribus. Perfectum enim est, cum, vt ait Aristot. nihil deest ad suam integritatem. Vnde Deus est perfectissimus, quia est infinitæ bonitatis. Et homines, qui pollent sanctimonia dicuntur etiam perfecti: quia incorruptos habent mores. At istæ acceptiones sumuntur ex translatione visibilis rerum perfectionis. Est autem naturaliter illud perfectum, quod in se habet finem, & complementum. 1. de cælo tex. com. 12. ¶ *Afflixite, & nõ te affligam vltra*, subaudi per Assyrios, quia peribunt. *Et nunc conteram virgam eius de collo tuo, & vincula eius disrumpam. Et præcipiet super te Dominus, nõ seminabitur nomine tuo amplius.* Prosequitur cõsolationem, exhibendam Iudæis sub Ezechia, dixerat enim, *afflixite*, subaudi per exercitum Assyriorum, tentantem expugnare Ierusalem, nõ tamẽ vltra per Assyrios te affligam, quia Sennacherib interfectus fuit à filijs suis, & exercitus totus eius fuit deustus ab angelo nocte vna. Et ideo & nunc conteram virgam, seu iugũ eius de collo tuo, vocat virgam percutientem iugum obsessionem, qua erant obsidendi Ierosolymitę, ab Assyrijs. Idemque vocat vincula. Quia scilicet nequibant Ierosolymitæ libere ingredi vias, quas voluissent obsessi ab hostibus suis. *Et præcipiet super.* Id est contra te erit diuina præceptio, qua præcipiet angelo suo, vt deurat immensam vim tuorum bellatorum. Vnde 4. Regum 19. hoc præceptum scribitur in hęc verba. Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum audiui. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo. *Spreuit, & subsannauit te virgo Israel.* Et cætera quæ ibi traduntur, contra Sennacherib, qui regnauit in Niniue post quam Salmanasar pater eius adduxerat in captiuitatem filios Israel, vt supra expositum est. ¶Nam insolescens filius ex triumpho patris, contra Israelitas, voluit prorsus abstrahere Iudæos, à proprijs laribus: ideo restantes duas tribus, quarum

Deus habet specialem curã suorũ seruorum.

An Deus punit vltra condignum.

Septenarius numerus in scriptura quid denotet.

Impij conferũtur fasciculis spinarũ aridarum qui solũ seruiũt igni itẽ sarmentis aridis item zizanijs.

Tob. 1.

Regnatũc florẽt cum pace fruũtur.

1. de cælo text. cõ. 4.

Metropolis est Ierosolyma impetiuit magnis copijs bellatorum, at vero impetum cassauit Deus faciens magnam stragem Assyriorũ. *Non seminabitur.* Nõ nascentur ex te filij amplius, etenim Tob. 1. post 45. dies à reuersione Senacherib à Iudæa fugientis plagam, quæ cœlitus fuerat percussus eius exercitus, si excepit in Niniuem: vbi ipsum occiderunt filij sui vel *non seminabitur.* Videlicet in Assyria deficiet proles tua, quia licet vt. 4. Regum traditur capite decimonono. quidam filius eius regnauit in Niniue, defuncto scilicet patre, at quia tandem erant desolandi per Chaldæos, ideo ait non seminabitur nomine tuo amplius, idest in posterum. *De domo Dei tui interficiam sculptile & conflatile, ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es.* Per Chaldæos, ablata sunt idola Assyriorum, & hæc ablatio ab interprete abusiue vocatur interfectio. Nã proprie interfectio est animalium, idola autem non erant animalia. Et *ponam:* in templo enim suorum deorum, à filijs est interfectus Senacherib, ideo versa sunt idola in sepulchrum Senacherib, quia in loco adorationis, ibi fuit iugulatus. Et forte ibidem sepultus, vt inos fertur esse Turcarum, principes sepelire in suis muschetis: alios vero in agris.

1. *Reg.* 1. *Inhonoratus.* Qui Deum contemnunt teste scriptura ignobiles erunt, iste Senacherib, Deum contempsit, ideoque ignobilis factus est. Et sicut ipse Deum maximum, & optimum patrem vniuersæ creaturæ, dehonestauit, per ducem suum abominanda conuitia conijciens in Deũ, ita quoque filij eius patrem contempserunt eum iugulantes.

¶*Ecce super montes pedes Euangelizantis, & annuntiantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas.* Postquam pessimum exitum Senacherib declarauit Nahum, reflectit vaticinium in Ierosolymitas, dicens, *Ecce.* Quasi dicat, vos Ierosolymitæ qui eratis sub summa angustia constituti, ex obsidione Senacherib, quem non putabatis euasuri, vt neque euaserunt vestri fratres Israelitæ Salmanasar patris eius captiuitatem, iam gratulandum vobis esse prænũtio: Quia ecce iam super montes qui vestram Ierosolymam cingunt, veniunt properantes, qui euangelizent vobis, idest afferant lætissima nuntia, videlicet exercitum assyriorum iacere in terra prostratum ab Angelo Dei; quod Senacherib, qui vos maximè turbauerat iam sit à sua prole interfectus. Vnde isti præcones pacis iam clamãt vobis dicẽtes, celebra Iuda solitas tuas festiuitates, quas ab hostibus impedita celebrare nequibas. *Et redde vota tua.* Hoc item addẽt vos Ierosolymitæ, & qui habitatis terram Iuda, vouistis Deo insignia vota, vt vos erueret, à potestate immani Assyriorũ; iam obtinuistis cœlestẽ victoriã, reddite ergo Deo, quæ illi nuncupastis vota.

¶Hoc idem testimoniũ, proditur Isai. 52. Etsi Paulo aliter quam hic profertur. Et Apostolus idem refert ad Romanos. 10. Tametsi Apostolus, ad Euangelicos prædicatores, scilicet, ad Apostolos, & discipulos Domini, hoc retulit testimonium. Et referre videtur ex Isaia. Quia Isaias, pulchros esse pedes annuntiantium pacẽ, scripsit, id quod Paulus item commorat, dicens speciosos esse pedes euangelizantium pacem.

¶Porrò Nahum non meminit huius pulchritudinis pedum. At qui Paulus egregiè vsurpauit locum ad commendãdum Euangelicos doctores. Quanuis secundum literam, & Isaias, & Nahum sint exponendi vt prædictum est. At allegoricè Paulus exposuit locum referendo ad Apostolos, & discipulos Domini. Quorum pedum pulchritudinem extulit cum Isaia, dicẽs quam speciosi sunt pedes, &c. Porrò autem mirari subit, quid est quod pedes Euangelizantium, scriptura vetus & noua commendat, & non os & linguã, siquidem hæc videbantur potius cõmendanda, quia diuinum Euangelium non per pedes sed per linguam Apostolorum fuit in orbem diffusum. At vero ex industria pedes Euangelizantium laudantur, de pulchritudine, & non os, aut lingua, non quia hæc non sunt valde commendabilia, quia os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium; sed vt leuemus mentes nostras ad sublimiorem loci huius intelligentiam. Pedes nanque affectus animi in scriptura denotant. Sicut enim corpus pedibus se motat: & procedit quo vult, aut recedit; vnde vult: ita mens nostra affectibus se mouet. Enim vero, amore se mouet ad amata, quærenda, & assequenda: at vero odio se mouet ad fugienda, quæ odit. ¶Quocirca scriptura diuina non

Allegoria sacra.

Pedes euangelizantiũ quos cõmẽdat scriptura qualis pulchritudo.

non intendit modo pedum materialium Euangelizantium commendare pulchritudinem materialem: siquidem fortasis obducti erant luto, & puluere, & callis, etsi de hac pulchritudine ageretur, aliorũ pedum esset potius commendanda pulchritudo. Nempe eorum, qui in delicijs agentes, eximiam suorum corporum curam agunt: vnde dixit Aristot. fæminarũ pulcherrimos esse pedes. Non igitur de hac visibili pedum materialium pulchritudine, nũc vertitur sermo, sed de pulchritudine affectuum mentalium. Horũ enim pedum pulchritudinem miratur scriptura in Apostolis, & discipulis Domini. Quippe non ex ambitione honorum, aut ex cupiditate pecuniarũ discurrerunt per vniuersum orbem, euulgarunt euangelium Iesu Christi, innumeraque sustinuerunt tormenta, vt illud plantarent in humanis cordibus. Istud sanè est summe commendabile, videlicet quod in hominibus idiotis, tantum vigeret Christi amor, tantumque euangelij salutaris diuulgandi feruentissimum fuerit eorum studium, vt nihil formidarent omnia mũdi perferre mala, vt optato fine frueretur. ¶Isti sunt pedes quorũ meminit spõsa dicens, laui pedes meos quomodo coinquinabo illos? Isti sunt pedes quos Christus lauans pedes Apostolorum exteriores interiori lotione lauit Ioann. 13. Qui mundus ait, est non indiget nisi vt lauet pedes, subaudiebat animi. ¶Et rursus, iã vos mũdi estis propter sermonẽ meum. Et iterum si non lauero pedes tuos nõ habebis partem mecum. Nũquid referebat aliquanti pedes exteriores mundos habere, vt Christi amore frueretur Petrus? nõ arbitror: at vero maximi referebat mundos habere cordis pedes, vt Christi consortio ipse gauderet. *Quia non adijciet vltra vt pertranseat in te Belial, vniuersus interit.* Belial interpretatur peruersus, sine iugo. 1. Reg. 10. 1. Corint. 6. pro diabolo sumitur. Hoc autem loco sumitur pro Sennacherib peruerso homine, & elatissimo cõtra Deum. Prædicitque hunc cũ suo exercitu esse abolendum. ¶Similiter post diẽ iudicij, Belial non nocebit fidelibus, vt modo nocet. Quia diabolica tyrannis, quæ nunc sæuit in genus humanum, tunc abolebitur. Tunc enim euacuabitur principatus, & potestas, quæ modo, ad coronas sanctorum texendas, diabolo permittitur, vt Paulus commemorat. 1. Corinthiorum. 15. Vniuersus igitur tunc interibit, non quod dæmonis natura interibit, quia immortalis est: at quia eius vaframenta, quibus nocet hominibus, cessabunt, id temporis & eius tentamenta, quibus exercet fideles Christi, item peribunt, ideo recte traditur vniuersus Belial tunc interibit omnes enim spiritus maligni, qui per aera istũ circumuolitãt, & tanquam leones quærunt quem deuorent, detrudentur ad tartara, vnde amplius non exibunt sempiterno conclusi carcere.

Allegoricus sensus.

EXPLANATIO
IN CAP. II. NAHVM.

ASCENDIT qui dispergat, coram te qui custodiat obsidionem: contemplare viam, confortalumbos, robora virtutem valde. Hoc capite vates prosequitur, quod dicere ceperat cap. proximo, scilicet deuastationem Sennacherib in cõsolationem Iudæorum. Et capta parabola ex fumo, qui in altum se tollens, euanescit, & dispareat, inquit, ascendit subaudi sicut fumus, tam altum se sustulit, Sennacherib propter eius maximam contra Deum superbiam. Qui dispergat, idest, qui est dissipator, & disperfor, qui scilicet vehementi studio studuit perdere Dei populum: qui fuit Sennacherib. Ascẽdet igitur idest euanescet, qui dispergat, qui dispergere te instituit, coram te, idest te vidente. *Qui custodiat,* idest venite qui eratis custodes vrbium munitarum, & rursus custodite eas. Dimisistis custodiam, correpti timore Assyriorum, iam Assyrij perierunt, non est cur formidetis, custodire vestras obsidiones, idest vestras munitiones seu ciuitates vestras munitas. *Cõtemplare viam.* Idest ò vos Iudæi, nihil deinceps timete Assyriacam tyrannidem Sennacherib; imo contemplamini viam, seu vias per quas ipse cum suis fugam arripuit, & scitote quod per eam non reuerteretur. *Confortalumbos.* Idest ne sitis animo pauido, & remisso, vt hactenus fuistis: imo induite iam virum, & confortamini; quia Assyrius iam vos non nocebit, *lumbos.* Qui timent valde dissoluunt lumbos.

¶Possu-

¶Possumus & aliter exponere, & est communior expositio: vt referatur sermo hic ad Niniuen, vt prosequatur vates, Niniuitarum deuastationem. Vnde sensus hic est, ascendit Nabuchodonosor, pro ascendet, qui dispergat, id est, qui dissipabit Niniuen, & dissipabit in oculis tuis. Ascendet rursus, qui custodiet obsidionem, hoc est fixam habebit obsidionem, nec remouebit eam, quousque te comprehendat. Contemplare ò Niniue viam, qua tibi sit fugiendum, si vnquam effugere poteris. *Conforta lũbos, &c.* Ironica sunt verba ista, Quasi dixisset, para tibi acies, & militum copias, quia frustra parabis, & est sermonis figura sæpe vsitata, in diuinis eloquijs. *Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel.* Admonuimus in primo tomo superbiam in diuinis musis, aliquando vsurpari in bonum, vt significet excellentiam super alios, & dignitatem: & hac acceptione vsurpatur modo. Sensus autem est superato Assyrio & abolita eius Tyrannide reddidit, id est restituet Deus superbiam Iacob, id est excellentiam, & dignitatem qua primo splendebat Iacob, ideſt Iudæi, *& superbiam Israel*, repetitio est eiusdem sentẽtiæ. Siquidem sublato hoste, & mirabiliter deuicto Assyrio sub Ezechia, floruit regnum Iuda, & diuinus cultus fuit egregiè auctus. *Quia vastatores dissipauerunt eos, & propagines eorum corruperũt.* Exhibet rationẽ cur obscurata fuerit Iacob & Israelis dignitas, & maiestas. Nempe, quia vastatores vel spoliatores Assyrij spoliauerũt eos. *Et dissipauerũt propagines eius.* Assyrij enim fere singulis annis irruebãt in terram Sanctam, & incolas spoliabant bonis suis, & tollebant sibi prædam ex prole Iudaica, & ex supellectilibus suis. ¶ *Clypeus fortiũ eius ignitus.* Exponit vim grandẽ Chaldaici exercitus. Et est relatiuum *eius* sine antecedente, quod est satis consuetum in scripturis sanctis. Et significat Nabuchodonosorem. *Clypeus fortium*, seu ducum, & heroum Nabuchodonosoris, *ignitus*, id est rubens, *clypeus* singulare pro plurali, Nabuchodonosoris enim acies, rubentes erant, ex purpureis vestibus, aut rubicundis, id quod data opera fiebat, vt cruor ex vulneribus manans, non esset admodum conspicuus, si super vestes alterius coloris manaret, & exanimaret, milites vel ad terrorem hostium. Clypei quoque rubebant, ob eandem causam: & ideo vocat eos ignitos, quia quæ valde rubent, videntur ignea, ideoque ignis rubens pingitur. *Viri exercitus eius, in coccineis.* Militares viri Nabuchodonosoris induebantur rubentibus vestibus, quales sunt coccineæ vestes, vel purpurata vestimenta, vel hoc dicit quia ex cruore occisorum Assyriorum, erant rubore tingendæ, vt maximã eorũ significet cædem. *Igneæ habenæ in die præparationis eius*: id est, habenæ equorũ, item igneæ quando, ideſt splendentes valde, & rutilantes, quandoquidem, vt aiebam tantam futuram Assyriorum cædem prædicit, vt vestes militum sint purpurãdæ & clypei, & ipsę habenę, vnde videbũtur igneæ, seu splendescentes maximè, si cruentæ *habenæ currus* pro currum Nabucho. sole per fundebantur, *In die*, id est, quando præliũ adornabatur contra Assyrios. *Et agitatores eius consopiti sunt.* Pro *agitatores* Hebraicè est abietes eius contremuerunt, ideſt principes Assyriorum, qui rectè per abietes significantur, propter harum arborum proceritatem, contremuerunt in aduentu Regis Chaldæi cum suis copijs. Idemque sensus est, si legas *agitatores*, nanque principes illi Assyrij, erant qui agitabant plebem sibi subditam consopiti sunt, ideſt enerues reddentur stupefacti ex magna vi hostium, & perinde se habebunt acsi somno fuissent consopiti profundo nescientes quo se vertant. ¶ Et re vera mira est hæc descriptio exercitus Chaldaici. Et istud est prophetis minoribus præsertim commune, mirabiliter describere suorum & calamitates & prosperitates, & item alienorum graphicè, describere vim & potentiam, vt sumant vindictam de hostibus suis. Vnde per supradicta omnia voluit demonstrare, Nabuchodonosorem esse impetiturum Assyrios, per fortissimos milites, & cum falcatis curribus, qui sua velocitate se rotantes super terram essent excitaturi ex lapidibus igneas flammas tantamque futuram esse necem Niniuitarum, vt ex cruore occisorum vestes Chaldæorum rubescerent, & clypei rubore perfunderentur. ¶ *In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis.* Describit fugam, & turbationem Assyriorum, in itineribus dicens, vel in vicis discurrentes ascensores curruum, conturbati sunt pro conturbabuntur. Quadrigæ in

uicem collidentur: quia aurigæ eorum, velut attoniti, nescient, quo illas agant. *Aspectus eorum quasi lampades*, ideſt, ex pudore, adeo rubescẽt Assyrij, aut ex nimia lassitudine ex fuga, vt videantur eorum aspectus igneus, vel si de Chaldæis hoc intelligas, qui deuastauerũt Niniuen, aspectus eorum describitur quasi lampades, quia ex fulgore armorum, & gladiorum videbantur fulgere quasi lampades. Significatque terribilem & trucem fore aspectum Chaldæorum Assyrijs eodem spectat. *Quasi fulgura discurrẽtia*, fulgura enim velociter discurrunt per aëra, & suo discursu terrent videntes. *Recordabitur fortium suorum ruens in itineribus suis: velociter ascendent muros eius: & præparabitur vmbraculum.* Potest referri ad Chaldæos quã do obsidebant Niniuen, vel ad Assyrios curantes se defendere. *Memorabitur fortium suorum*, si ad obsidentes referas, scilicet, Nabuchodonosor, iubebit ducibus suis fortissimis, vt aggrediantur vrbem Niniuen, atqui milites irruentes in eam, ruent in aggressione præ multitudine aggressorum, & feruore aggrediendi, *velociter ascendent muros*, vt obtineant ciuitatem, *& præparabitur vmbraculum*, ideſt, testudo, quæ erat machina militaris, sub qua delitescebant arietes, ex quibus impetebant muros, vt ruerent Hispanè, Aparejaua se la bateria. Aut per vmbraculum subaudit tentoria Chaldæorum, quæ fixerunt circumcirca Niniuen, vt obsiderent eam. *Ascendent*, Hebraicè, *Festinabunt ad murum.* Si vero ad obsessos referatur, plana item est litera Rex Niniue memor erit fortium suorum, ideſt, eos conuocabit ad defensam suam, corruent in itineribus, dum scilicet properant ad muros, Hebraicè, prosternentur in agmine suo. *Festinabunt ad muros*, vt qui non possunt se defendere in agrorum planitie se tueantur in muris suæ ciuitatis, *præparabitur vmbraculum*, ideſt, iam præparata erat testudo, verum multo congruẽtius locus iste totus congruit obsidentibus, quam obsessis. Siquidem Niniuitis non erat opus præparare testudinem, si per vmbraculum intelligamus testudinem. Nam hæc machina est ad impetendum muros, at Niniuitæ non erant impetituri muros suos, si vero per vmbracula intelligamus, tentoria, Niniuitis poterit congruere, si in exordio prælij milites egressi vrbem fixerũt tentoria, vnde præ lium committerẽt cum Chaldæis, & deinpressi vi belli, se exceperunt in Niniuen. *Portæ fluuiorum apertæ sunt: & templum ad solum dirutum*, captura vrbis Niniue explicatur, futura ea parte qua ipsa alluebatur annibus. Insinuatur ex parte fluuiorum esse portas Niniue, vnde erant munitissimę. At vero vi hostiũ irruente, sunt apertæ, & templum seu domus regia vel palatia, sed ædes procerum sunt vsque ad solum collapsæ, vt solet fieri furentibus victoribus in victos. *Et miles captiuus Græcè, portæ ciuitatum apertæ sunt, regalia cecide runt*: & miles captiuus *adductus est, & ancillæ eius mirabantur gementes vt columbæ, murmurantes in cordibus suis*, Hebraicè, *munitio firmissima, denuta est atque sublata: ancillæ autem istius imitantur voces turturum: & suis pectoribus pertunduntur.* Id quod ab Hebræis duobus exponitur modis, primo, *cõstitutum erat, & reuelata fuit & abijt. Et ancillæ eius ducebant se se mutuo, iuxta vocem columbarum, & instar tympani percutiebant pectora sua.* Hoc est, palatium illud erat confirmatum in felicitate, seu in maximo honore erat. Et turpitudo Niniues reuelata fuit, ideſt, patuit hostibus, siue euanuit, siue euersa fuit. Et mulieres principes, seu nobiles fœminæ, & seruæ & ancillæ vbi venerant in potestatem hostium, comitabantur se se mutuo, edentes vocem lugubrem, voci columbarum, & more lamentantium instar tympani. *Vatablus.*

¶ Alij vero vertunt, & ancillæ deducebant suam reginam, edentes vocem lugubrem instar turturum aut columbarum. Demum alij existimant vocem Hebræam, quę hic habetur Husab, quam vertit noster interpres in militem, aut quam alij vertunt cõstitutum erat seu munitio, esse nomen proprium Reginæ Niniues. vt sit literæ sensus hic. Et Husab fuit reuoluta, & ancillę eius sequebãtur eam, edentes vocẽ lugubrem, instar columbarum, murmurantes in cordibus suis, quia nõ audebãt alta voce gemitus proferre & lamẽtationes, propter Chaldæorũ metũ. *Reuelata est*, ideſt, eiecta fuit Regina à palatio suo vbi delitescebat, vel à thalamo suo vbi quiescebat, & iussa est ascendere currum vt deduceretur captiua in Babylonem. Et hæc litera videtur congruentiorẽ habere sensum. Nã iuxta editionẽ vulgatam,

tam, miles captiuus est, planum habet sen sum, quod Milites Niniuitæ sunt ducti captiui à Babylonis reges. Et vsurpatur singulare pro plurali vt sæpe aliàs in scriptura. Sed, quod sequitur, & ancillæ eius minabantur, si eius referat militem, non habet in aperto sensum. Græcè. Et *substantia reuelata est, & ista ascendebat, & ancillæ eius ducebant: columbæ loquentes in cordibus suis. Et Niniue quasi piscina aquarum, aqua eius, ipsi vero fugerunt.* Confert vates Niniuen piscinæ aquaticæ, quæ scilicet, abundat aquis, aquis vero eiusdem confert ciues, & opes illius ciuitatis. Et hoc est quod ait, aquæ eius subaudi sunt ciues eius & ipsi fugerunt àpotētia Chaldæorū. Aut vocat piscinam, quia vndiq; erat flumine cincta Niniue, vnde sibi fidebant ex tanta munitione Niniuitæ. *State, state, & non est qui reuertatur*, declarat effusam & irreuocabilem fugam Niniuitarū. Quippe qui, etsi vocabantur à Chaldæis quibusdam, illisque dicebant, subsistite subsistite, at vero nullus erat qui subsisteret, tantus erat fugæ appetitus oportet nonnihil subaudire, videlicet quidam Chaldæi Niniuitis aiebant state, state, at illi voces has spernebant. *Diripite argentum, diripite aurum, & non est finis diuitiarum, ex omnibus vasis.* Verba hæc referri possunt ad ipsum vatem, prædicentis Chaldæis, vt referant opima spolia auri, & argēti ex Niniue. Aut sunt verba Chaldæorum, seu Babyloniorum sibi colloquentium mutuo, diripite, &c. Ex omnibus vasis desiderabilibus, ideſt multę sunt opes repositæ in loculis pretiosis. *Dissipata est, & scissa, & dilacerata, & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.* Dissipata est, subaudi Niniue, quod venturum per spiritum Dei videbat, iam factum esse dicit. Dissipata est Niniue, dilacerata, scissa siquidem arietibus, & alijs machinis impetita Niniue ab hostibus Chaldæis, fuit scissa & dilacerata. Nam muri, & portæ, & alia præsidia vrbis fuerunt dissipata, & rupta ab hostibus, vt solet fieri in captura violenta vrbium. *Cor tabescens*, quia Niniuitæ, mœro re profundo sunt affecti. *Defectio in cunctis renibus*. In lumbis quibus hærent renes esse fortitudinem scriptura declarat Iob 16. Fortitudo in lumbis eius. Et rursus Prouerbio. 31. Accinxit fortitudine lumbos suos roborauit brachium suum. Vnde Isaiæ 31. Accingite lumbos vestros ideſt induite virum, inde homines ineptes, dicuntur elumbes. Atqui etiam in renibus est generatiua potestas *facies* præ timore & fame, nigrescit vultus. Vnde illud Iob 30. Cutis mea denigrata est. Et Thren. 4. Denigrata est super carbones facies eorum. Idem Ioelis 2. traditur, Omnes vultus redigentur in ollam, ideſt contrahent speciem ollæ, quæ quia nigredinem, & fuscedinem ex igne cui admouetur sibi contrahit, ideo interpres exposuit facies omnium eorum, vt nigredo ollæ. Vt igitur olla, ex igne demutat album, vel rubeum colorem natiuum, in fuscedinem, aut nigredinem, ita homines ex nimia tribulatione qua premūtur, quę est tanquam ignis quidam vultus demutant, vt est videre in ijs, qui longos sustinuerunt carceres, quando exeunt à carcere & vinculis, vultibus denigratis, & macilentis exeunt *dissolutio geniculorum*. Præ vehementi, item trepidatione genua colli duntur, & crura tremunt, quia debilitantur spiritibus vitalibus, retractis in cor. ¶ *Vbi est habitaculum leonum & pascua catulorū leonū, ad quā iuit leo, vt ingrederetur ille luc catulus leonis.* Quia videbat ex Spiritu sancto Nahum Niniuen subuersam, etsi quando videbat, nondum erat subuersa, sed infallibiliter subuertenda, ideo secum quærit vates vbi est habitaculum, &c. vocat Niniuen habitaculum leonum. Nam reges Assyrios vocat leones: siquidem erant tyranni valde & inuadebant armis suis omnes gentes, & spoliabant eas, & prædas deducebant in Niniuen, filios autem regum vocat leunculos, & reginas vocat vates leænas. Quasi dicat, iam non extat lustrum leonum, iam perit Niniue, quæ erat regia Assyriorum, iam pascua catulorum aruerunt, id est, *Principes* Assyrij nō deliciabuntur in Niniue, vt solebant. *Ad quam*, siue ad quæ ibat leo: id est rex Assyrius, vt ibi morarentur catuli, eius ideſt filij eius, & proceres eius, *Et non est qui exterreat*, hoc est tanta erat vrbis fortitudo, tantaque potentia Assyriorū, vt à nullo exterrerentur, aut deijcerentur Assyrij: imo ipsi alios deterrebant, & depellebant a suis sedibus, vt decem tribus, & alias nationes in quas grassabātur. *Leo cepit sufficienter catulis eius, & necauit leænis suis, & implenit præda speluncas suas, & cubile suum rapina.* Tyrannidem Senncherib, & aliorum Regum Assyriorum explicat vates hoc versu, habent leones speluncas & cubilia secreta, vbi recondunt prædas, quas violentia rapiunt, & dilaniant, instar quorum, & Reges Assyrij, ex spolijs aliarum gentium quas iniusto bello impetebant implebant Niniuen, *Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, & succendam vsque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos, comedet gladius: & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltra vox nuntiorum tuorum.* Subuersio Niniue, prædicitur à vate in persona Dei, & quia erat Assyrijs maximus vsus quadrigarum vel curruum, ait Deus, ego succendam quadrigas, Hebraicè, *eius*, & est mutatio personæ, cum debuisset dicere *tuas*, vt habetur in editione vulgata vsque ad fumum, ideſt, valde succendam quousque resoluantur in fumum, *leunculos*, ideſt, Regiam prolem, & duces, & viros militares, qui etiā erant raptores, & prædatores, vt Rex eorum. *Exterminabo*, quia collapso Assyriaco regno, nō amplius fuit potestas ad prælian-

In lumbis est fortitudo & vis animalis.

dum. *Non audietur*. Mittebat Assyrius Rex fidens in sua magna potentia, legatos ad exteras gentes, ad deditionem, quā legationem prædicit abolendam.

¶ Quidam totum hoc caput exponunt de Nabuchodonosore, vt sit vaticinium, deuastationis Iudææ, & Ierosolymæ, quam fecit Nabuchodonosor. Vnde exponunt. *Ascendit* Nabuchodonosor ex Babylonia, quæ est sita humiliori loco, quam Iudæa, quæ situm habet respectu illius in loco editiori, *qui dispergat*, ideſt, qui cognominetur dispersor Nabuchodonosor, propter feruentissimam tyrannidem eius, omnia dispergens. Ascendet inquam coram te ô Iuda, ideſt, te spernens, vt verè spreuit Iudæos. Qui custodiat obsidionem, vt custodiuit, nam Nabuchodonosor sub Ioacim obsedit Ierosolymam, & factus est illi seruus Ioacim, & post modum sub Sedechia, rursum obsedit, idem & obtinuit vrbem, & cætera adhanc rationem interpretantur.

¶ Cæterum mihi non est grata hæc expositio, siquidem Propheta hic contra Niniuen vaticinatur, vt liquet ex cap. 1. Onus Niniue, & appellatur Nahum, quia vaticinium eius, erat in consolationem Iacob, & Israel, vt Hieronymus & expositio communis autumat. At vero si prædicit ruinam regni Iudaici, quaratione esset appellandus consolator?

¶ Porrò autem si moralibus libet ludere sensibus, scito Niniuen vrbem potentissimam, & florentissimam, multis alioqui abundantem iniquitatibus, mundū hunc adumbrare. Et merito, quia Niniue pulchra interpretatur, nihil autem pulchrius nihilque ornatius hoc mundo visibili. Vnde &, cosmos, Græcis dicitur ex ornatu, & latinis item mundus ornatus est vnde mundus muliebris. Significat apparatum omnem, quibus ipsæ se ornant. Cum ergo vates ait, *Ascendit qui dispergat*, subauditur Niniuen, diabolus est iste qui ascendit ad dispergendum, & dissipandum homines degentes in hoc mundo. Ascendit sanè, per superbiam suam tentans disperdere genus humanū. Diabolus enim est, qui conatur omnibus modis dispergere, & dissipare diuinum cultum, & sanctam Christi religionem. Qui enim non colligit cum Christo dispergit, diabolus, non colligit cum Christo, ideo dispergit. Dispersa autem, amittunt robur, relaxant vires: at vero collecta seruant robur, & custodiunt suas vires. Quoniam virtus vnita fortior est se ipsa dispersa. Hoc autem est diaboli institutum, eneruare vires spirituales Sanctorum, quibus pugnant contra ipsum, ideoque varijs machinamentis diuersisque astutijs contra fideles agit, vt à recto tramite eos auocet: & contra peccatores, qui mundana amant, eisdem vtitur vaframentis, vt eos ad obstinationem deducat, & inde ad desperationem deijciat. *Coram te*, nonnunquam aggreditur aperto, nonnunquam occulto marte, & per insidias agit. Sæpe enim imponit sub specie boni, & fallit sub specie recti, & dominū Iesum, quem non potuit fallere, tentauit occulta tentatione, quæ videbatur vitæ necessitas, & non culpæ tentamētum. Dic inquit vt lapides isti panes fiāt. At vero finalis tentatio suam prodebat malitiam, omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. *Qui custodit obsidionem*, aptè conuenit diabolo, esse custodem obsidionis, nullus enim hostis, tam feruido animo obsidionem obseruat, quam

Moralis sensus.

Matt. 12. Luc. 22.

Matth. 4.

hostis iste antiquus humani generis. Nanque semper circuit quem deuoret, tanquam leo rugiens. Nunquam dormit, semper incumbit hominum perditioni, quia ipse homicida erat ab initio. ¶ Et non solum custodit obsidionem animorum, eis varias pessimasque suggestiones suggerendo, sed nonnunquam obsessa habet corpora. Vt sacra testantur eloquia, multos fuisse à dæmonibus obsessos, quos *Ioan. 8.* Christi curauit virtus. Alij hostes tandem fessi ex prolixa obsidione, illam soluunt, & in sua remeant? at vero hostis iste, ad finem vsque vitæ nunquam soluit obsidionem. Morituris enim, & qui iam iam animam sunt exhalaturi, ipse astat, non desperans ex obsidione, victoriam. Vnde dixit beatus Martinus, iam iam moriturus, astanti diabolo quem diuino illustratus cernebat spiritu. Quid astas hic bestia cruenta? Et proinde in Genesi legimus, Et tu insidiaberis calcaneo eius. Est autem calcaneus finis humani *Genes. 3.* corporis, tunc autem insidiatur calcaneo nostro, quando iam iam decessuris peccata refricat vetera, diuinam seueritatem in puniendo proponit, vt ægrotum in desperationem impellat.

Obsidio diaboli cõtinua est.

¶ Obsessis non patet exitus, quia conclusi sunt ex inimicorum angustijs, & quidem peccatoribus, nulla patet via euadendi diabolicam obsidionem, nisi gratia Iesu Christi eis sabueniat. Nanque hæc obsessio bifariam superari potest, aut soluto animæ, & corporis naturali nexu, quem vltimus spiritus soluit. Etenim post mortem nulla est obsidio, fit enim homo extra viæ statum, iamque neque bonis, neque malis meritis locus est. Rursus Satanas si mali sunt homines non quærit eos tunc ad deuorandos, quos æterno deuoratos secum habet, si vero boni, iam sunt extra pugnam & certamina. Porrò essi in hac vita, non soluatur hæc diaboli obsidio, nam nunquam non quærit quem deuoret, cæterum iustis quandiu in iustitia perseuerant nihil nocet, imo proficit hæc diaboli hostilis obsidio, quia fidelis est Deus, qui facit cum tentatione prouentum. 1. Corinthiorum. 10. *Contemplare viam, &c.* aduersus tyrannicam Satanæ obsidionem, ex qua prætendit homines in suam deditionem pertrahere, vates exhibet remedium, vt non deducamur, in tanti tyranni deditionem, videlicet, *Contemplare viã.* Hæc autem à nobis via contemplanda, est ille qui dixit, Ego sum via, veritas & vita. Hæc autem via contemplatur per fidem. Infideles igitur omnes non possunt se eruere à diabolica obsidione, nisi deposita infidelitate, fidem consequantur. Quia Hebræ. 11. Sine fide est impossibile Deo placere.

¶ At vero, ne sibi gratulentur huius æui hæretici, qui cum suo hæresiarcha Luthero nugantur fidem esse solam quæ nos liberat à diaboli obsidione, vide quid adiungat vates, *Conforta lumbos, robora virtutem.* Non ergo sola fides sat est, nisi lumbi confortentur, & virtus roboretur. Sunt autem isti lumbi mentales, de quibus beatus dixit Petrus. 1. Petri. 2. Vt succinctos haberemus lumbos mentis. Et Isaiæ. 11. Erit inquit iustitia cingulum lumborum eius, de Messia Domino nostro vaticinium edens. Iustitia igitur addenda est fidei, si volumus diaboli hanc tyrannicam superare obsidionem.

Lutherus refellitur.

¶ Est autem iustitia quædam particularis, vt meminit Aristoteles. 5. Ethicorum, circa particulares contractus, & hominum commercia habens actionem, vt in vendendo, emendo, commutando, puniendo, præmiando, alia vero generalis, quam ipse vocat legitimam, quæ est habitus inclinans hominem, ad faciendum quidquid legibus comprehenditur, aut faciendum, aut vitandum. Et hæc iustitia si spectat Euangelicam legem, est Christiana iustitia, ex qua homo fit iustus, præparatum habens animum Deo morem gerere, in omnibus Euangelicæ legis mandatis. Et quia Euangelicæ, & Apostolicæ leges, fidelem subdunt proceribus Ecclesiæ, ideo ad iustitiam hanc spectat, ecclesiasticis legibus subditum habere animum. Qui ergo huiusmodi est fidelis contemplatur viam per synceram fidem, & confortat lumbos mentis suæ per Euangelicam & Apostolicam iustitiam. Et quod sequitur. *Robora virtutem valde.* Admonet nos, vt sanctis doctrinis & admonitionibus incumbamus. Etenim teste Paulo, corrumpunt bonos mores, colloquia praua; & contra, roborant, & conseruant

seruant bonos mores, colloquia bona, & vt plantæ rigatæ crescunt, & orbatæ irriguo arescunt, ita & virtutes, si doctrinis Sanctis fouentur augentur, si ab istis destituuntur, arescunt: ideo Apostolus aiebat, Exhortamini idipsum sapite. 2. Corinthiorum. 17. *Quia reddidit Dominus.* Per Iacob actiuos intelligimus, quia ex nominis interpretatione, vitam actiuam significat, interpretatur enim luctator, vel supplantator, cum igitur actiui, in luctamine degant cum vitijs & concupiscentijs Iacob, adumbrat eos Israel, item ex interpretatione, contemplatiuos, nam interpretatur videns Deum. Deus ergo, & actiuos, & contemplatiuos, tantisperdum viuunt dimittit concuti tentamentis, & tribulationibus multis, at vero, tandem eos liberabit à secularibus iniurijs, & vexationibus, & manifestabit meritorum suorum superbiam, idest excellentiam, quia donabit illos præmij excellentia, qua sunt ornari digni. Diximus enim superbiam, non vsurpari semper in malum, vt vitium elationis significet, sed aliquando excellentiam denotare. Deus igitur in die iudicij, reddet Sanctis suis præmiorum excellentiam, quam interim dum viuebant in carne promeruerunt. Quanuis enim beatas iam habent in cælo animas, at vero tum itidem habebunt, & corpora. *Quia vastatores*, isti sunt diabolus, caro, & mundus, nam omnes quas potuit diabolus, machinas excogitare, excogitauit, & etiam num aduersus Sanctos Dei in carne degentes, itemque & caro, & mundus: & intendunt omnibus modis, eos ab integritate sua deijcere, in mundanam, aut carnis, aut diaboli corruptionem. At vero, nihil potuerunt contra eos. *Quia clypeus fortium eius ignitus.* Sancti sunt fortes eius, idest, fortes Dei: siquidem induerunt armaturam Dei, de qua Apostolus inquit, Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo. Clypeus autem istorum fortium, est fidei catholicæ scutum, in quo extinguntur tela nequissimi hostis diaboli horum fortium veritas succingit lumbos, lorica iustitiæ armat pectus, pedes armat euangelica præparatio, quam carnis affectus mitigat, caput vero charitas armat, quam Apostolus vocat galeam salutis, manus & brachia fidei scutum, quæ sunt defensiua arma, contra diabolicam nequitiam: at offensiua arma sunt gladius spiritus, quod est verbum Dei. Non quia verbum Dei ex se est offensiuum, sed quia impios offendit, aduersus illos armat Deus suos famulos verbo Dei, vt se armauit Christus contra principem tenebrarum eodem verbo dicens, Non in solo pane viuit homo, &c. Matthæi. 4. *Et propagines*, siquidem hostes prædicti, sancta opera quæ sunt propagines Sanctorum, intendunt corrumpere, malo fine ea maculando, & quando eorum sanctitatem inquinare nequeunt, in vulgi opinione, illa sordida faciunt, vt Pharisæi intendebant Christi heroica sordidare opera, dicentes in Beelzebub esse facta, aut contra legem Dei esse operata. *Igneæ habenæ currus.* Currus hic sanctorum, est virtutum Cardinalium quadriga: scilicet, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia: quas Sancti habenis igneis ducunt. Nanque, etsi philosophi, istis virtutibus floruerunt, at philosophicæ quadrigæ istius habenæ frigidæ erant, non igneæ erant. Siquidem non ex charitate Dei, & fratrum istis virtutibus florebant: sed ob alios studiosos fines. Sancti vero, igneas habent huius quadrigæ habenas: quia charitas Dei veluti ignis quidam spiritualis est, ex quo famuli Dei feruentes studia virtutum Cardinalium colunt, & eundem habet sensum quod præcedit, *viri exercitus eius in coccineis. In die præparationis*, vita hæc præsens est dies præparationis Sanctorum, nanque quæ hoc seculo seminauerit homo, hæc in altero metet. *Et agitatores consopiti sunt*, Sancti armati inuisibilibus, & cælestibus armis, pugnam ineuntes, cum agitatoribus suis, scilicet, cum diabolo & angelis eius, eos vincunt & superant, vnde fraudes, & nequitiæ eorum, consopiuntur, quia nihil obtinent contra Sanctos victoriæ quã prætendunt obtinere. *In itineribus.* Vocat vitam præsentem itinera, siquidem in vita mortali, Sancti multi excogitant salutis vias. Alij enim monachismum, alij eremicolatum, alij cœlibatum, alij actioni, alij contemplationi incumbunt, alij lectioni sacræ, alij prædicationi incumbunt. Et in istis diuersis vijs, hostes isti Sanctorum cõturbantur, & quadrigæ eorũ collidũtur, & frãguntur. Hoc

Vastatores sanctorũ sunt diabolus, caro, & mũdus.

Armatura spiritualis sanctorum.

Ad Ephe. vlt.

Diabolus in vulgi opinione sæpè maculat vitam sanctorũ.

est, per insignia opera, quæ Sanctorum vnusquisque facit, secundum viam quam elegit: diabolus & sui satellites conturbantur, & machinamenta, quæ struunt ad eos peruertendos alliduntur. Lege Sanctorum historias, & suppetent tibi huius rei, non pœnitenda exempla. *Aspectus eorum.* Lucæ decimo. confertur fulguri Satanas. Videbam Satanam, tanquam fulgur de cælo cadentem: ideo nihil mireris, si lampadi fulguranti etiam similis censeatur. Est sanè lampas, non illuminans, sed deurens, est fulgur, non illustrans sed conturbans. Etenim imperfectis horribilem ostendit esse viam Dei: ideoque eos deterret. Et si quos consolatur, consolatio eius est vt fulguris coruscantis illuminatio, quæ ad modum clarescens, subito tamen euanescit. *Recordabitur* vt Sancti varias vias excogitant, quibus incumbendo, credunt se gratiores fieri Deo, ita & impij varias vias excogitant, vt optatis criminibus detur frui. Alij enim vt ambitiosi, quærunt honores, alij vt auari quærunt pecunias, alij vt salaces, quærunt venereas voluptates, & hæc sunt fortissima seculi huius bona, horum autem Satanas recordatur, quando vnũquemque hominũ ad id maxime pellicit, ad quod maxime ex sua natura cognouit aptiorem.

Amatores seculi fortia seculi concupiscunt.

¶ Porrò, ruent peccatores in itineribus prædictis, *ascendent*. Porrò cum se viderint impij vitijs succumbere, ascendent diabolicos muros, ideſt quærent, humanas defensas suorum criminum, vt quod reuera impium est colore sophistico fallacis rationis perfusum, insipientibus videatur pium.

Lutherus reijcitur.

¶ Qua pessima techna vsus est hæresiarcha Lutherus, cum se enim vidit collapsum in itinere pestifero, quod sibi terendum machinatus est, illudque ab ecclesia Romana, damnari de hæresi, ascendit velociter muros, vis scire quos iste hæresiarcha velociter ascenderit muros, exponam tibi, corruptissimi sunt sensus sanctarum scripturarum, corruptissimique sunt Germanorum principes, ex istis muris sibi petiuit suarum hæresum suffragia: suæque perfidiæ quæsiuit præsidia. Ab istis sibi contexuit vmbraculum, quo se protegeret, & sua impia defenderet dogmata. Verum hos muros non ædificauit Spiritus sanctus, sed Lutherana excogitauit superbia. Hos in principes nõ constituit Deus, sed secularium opum auaritia dedit principes. Rursus in die iudicij ascendent impij in quosdam muros, dicent enim, nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes fecimus multas? ista enim miracula quæ fecerunt, obtendent in vmbraculum quo se protegant à Dei ira: at dissoluet muros istos Christi verbum, dicens, Recedite à me operarij iniquitatis, &c. *Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum, &c.* Istæ portæ sunt conscientiæ impiorum, quæ sunt instabiles, vt fluuius. Et quæ deflexerunt à recta via Dei, tunc aperientur, & manifestabuntur cogitationes cordium, quæ nunc sunt absconditæ. *Et templum*, Hebraicè, & palatium, quia ædes amplissimæ, & pulcherrimæ solo tunc æquabuntur, vt Niniue palatia, vt dicebamus in explanatione literali. *Et miles captiuus*, omnes impij qui milites diaboli sunt, etsi in seculo florebant opibus, & potestate, tunc à diabolo captini æterna captiuitate detrahentur ad tartara. *Et ancillæ*, non solum impij viri, sed & fœminæ quæ ministrabant, & seruiebant voluptatibus impiorum simul detrudentur, *gementes*, quia tunc plangent se omnes tribus terræ. *Murmurantes.* Quia vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & blasphemabunt nomen Dei, Apocalypsis 16. & contra Deum obloquentur in cordibus suis, imo & oribus suis. *Et Niniue.* Niniue, ideſt, mundana pompa, quæ erat referta aquis instar piscinæ, euacuabitur piscina hæc in die illo. Quia cessabunt aquæ eius, videlicet principatus mundanus, sapientia seculi, opes & honores mundani. Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni, Isaiæ 40. *Ipsi vero fugerunt*, ideſt, mundani hac nitentes pompa, fugerunt Christi præcepta, *state*, Prædicatores Euangelici, fugientibus Christi obtemperare mãdatis, clamabunt sub Antichristo dicentes impijs, Nolite fugere à lege Dei, imo in ea figite corda vestra vt benè sit vobis. *Et non est qui reuertatur.* Mundani vero, non audierunt vocem Domini, sed aure surda, illam pertranseunt. *Diripite*, ideſt, argentum & aurum, & omnes seculi opes, in nihil redigentur, quia præterit figura huius mundi. 1. Corinth. 7.

Matt. 24. Isaiæ vlt.

Diſſipata. Omnis secularis pompa dissipabitur tunc, omnis humanus fastus deprimetur die iudicij. Et exaltabitur Deus solus illa die, Isaiæ. 2. *Cor tabescens*, cor impiorum, quod tumidum erat, & sibi gratulans in potestate, honoribus, & delicijs mærore tunc contabescet. *Et genicalorum*, per quæ omnia intelligitur, quod tunc impij nihil poterunt, quia vilissimi, & despectissimi erunt, Sapientiæ. 5. *Et facies*, nam impij exustione ignis, deustas habebunt facies. *Vbi est.* Mundus hic est tanquam habitacula leonum, siquidem in mundo hoc permittitur tyrannis principibus, & militibus, & alijs trucibus hominibus suam tyrannidem, & truculentiam exercere. Et permittitur item à Deo optimo, in hoc mundo habere pascua catulos suos, ideſt, successores habere tyrannidis suæ: qui male partis à progenitoribus fruantur, quasi bene partis, & verè vates vocat habitaculum impiorum mundum hunc, quia iustis via est non habitaculum. Non enim Apostolus ait, Habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus, *ad quæ pascua iuit leo*, ideſt, quæ pascua, progenitores rapuerunt iniuste ab alijs, vt est videre modo in Turcarum principibus, qui quietè fruuntur, regnis, & imperijs tyrannice vsurpatis à Christianis Regibus, & Imperatoribus. Idemque accidit Assyrijs, de quibus ad literam hæc expositа supra sunt. *Et non est qui exterreat*, quippe ea potentia tyrannorum est aliquando, vt nemo sit potens, eos deturbare, à suis possessionibus & regnis, vt exemplum adest promptum in Turcarum principe, qui est potentissimus. Isti tyranni principes instar leonum, rapuerunt, & rapiunt per violentiam à iustis possessoribus regna, & imperia, & occiderunt iustos possessores, vt ipsi cum suis vxoribus, quæ modo vocantur leænæ, fruantur alienis bonis, &c. At vero in die iudicij cessabit mundanorum horum tyrannis, quibus dicent sancti & iusti, tunc, Vbi est mundana pompa vestra? vbi vestra truculenta tyrannis? quid profuit vobis iactantia vestra? Tuncque implebitur illud Psalmi. Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Vocat sanguinem peccatoris vltionem quam sumet Deus, de facinoribus peccatorum. *Ecce ego ad te.* Subaudi veniam ad te munde immunde, dicit Dominus, & succendam pompas tuas, machinamenta tua, fraudes, & iniurias tuas. *Et leunculos tuos*, ideſt, omnes ministros tyrannidis, & iniuriarum, qui animo leonino in alios sæuiebant accepta potestate à principibus pessimis, gladius diuinæ vindictæ, comedet vt maiores, & minores inuoluantur pœnis sempiternis. *Exterminabo*, ideſt, cessabit ô impij vestra tyrannis, vestraque autoritas, & maiestas in expediendis impijs legatis, vt expediuit Sennacherib, pessimum Rabsacem, prorsus peribit.

Sapien. 5.

Isaiæ 37. 4. Reg. 19.

EXPLANATIO
IN NAHVM PROPHETAM.

CAPVT III.

Væ ciuitas sanguinum Ezec. 24. Abac. 2.

vniuersa mendacij, dilaceratione plena: non recedet à te rapina. Moris esse prophetici primo tomo dixi idem multis inculcare modis. Rem enim agebant, cum durissimis, & peruicacibus hominibus: ideoque opus erat facto frequenter repetere semel dicta. Vt vel sic emollirentur auditorum corda ad pœnitentiam, & comminata mala à Deo non exequerentur. Gutta enim cauat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.

¶ Quapropter, modo vates refricat apertius quæ supra dixerat obscurius, & quæ sub velamine metaphoræ, dixerat, esse Niniuitas, truces tyrannos, vocans eorum principes leones, & progeniem leunculos: quippe quos parentes in tyrannide nutriebant: nunc patentibus verbis, idem eisdem improperat. Nisi quod prius, in Reges Assyrios, spectare videbatur sermo propheticus, nunc vero in ciues Niniue propheta directius agit dicens, *Væ ciuitas*, ideſt, ciuitati sanguinum. Cõdolet vates de Niniuitarũ vẽturis malis, & exponit causas eo

rum. Siquidem Niniuitæ erant patratores iniuriarum, & homicidiorum, ideo vocat Niniuen, ciuitatem sanguinum. Quid velit diuinus sermo, cum væ intonat contra aliquos tomo primo prosecuti sumus. Rursus Niniuitas increpat de mendacio, qui insinuans contractus celebrare fraudulentos. Et *dilaceratione* insinuat fuisse in Niniue dissensiones & factiones, vnde erant in eis diuisiones ciuium, quas vocat dilacerationes. *Non recedet*, itemque incumbere Niniuitis rapinis, est autem rapina, peior furto. Nam hoc clanculum agitur, rapina vero publicè: ideo qui rapit maiorem iniuriam infert: quia fit ex maiori contemptu. *Vox flagelli*, declarat commeritam pœnam, qua erant afficiendi, propter præscripta delicta. Pœnam hanc intulit illis Deus per Chaldæorum exercitum. Nam quanuis Babylonij etiam essent truces, & tyranni, verum Deus ex sua sapientia, ad punitionem impiorum, alios diligit impios, vt tandem peccatores per dæmones puniet, & punit modo. ¶ Vates ergo spiritu Dei plenus præuidens Babylonicas venturas contra Niniuen acies, ait, vox flagelli, ideſt flagellorum. Nam olim non erat calcarium vsus, sed pro calcaribus, erant flagella, agitandis equis apta. Significare igitur volens vates, Chaldæas acies dixit se iam audisse sonitum flagellorum, & impetum sonantem rotarum. *Et equi frementis*, pro equos frementes, *& equitis ascendentis*, ideſt, equos ascendentes. *Et micantis gladij*, ideſt, micantes gladios. Et fulgurantis hastæ, pro fulgurantes hastas. *Et multitudines interfectæ*, ideſt, stragem cadauerum, *& grauis ruinæ*, totius vrbis Niniue, *grauis* pro *graues*. *Et corruent in corporibus suis*, ideſt, Babylonij corruēt in cadaueribus Niniuitarum. Hæc describsit propheta, quæ accidunt, quando iam consertissimum est inter aduersas acies prælium. Quæ omnia adeò minutatim describit, ventura vt manifestum faciat, se hæc præuidisse Dei spiritu, qui solus exactissime nouit vniuersa futura contingentia. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ*, expressérat causam excidij Niniue fuisse peccata patrata contra proximos, mendacium, scilicet, factiones, rapinæ, homicidia, nunc vero exponit, non hæc sola inquinasse Niniuitas crimina, quinimo, & alia multo peiora, quæ sunt contra Dei honorē, quales sunt idololatriæ.

Singulare pro plurali.

Peccata in proximos, & in Deū sunt causa ruinæ regnorum.

¶ Et confert vrbem Niniuen, meretrici pulcherrimæ ex sua pulchritudine salax est, & vt in primo tomo expressimus, fornicatio vsurpatur in arcanis musis, pro idololatria, quæ est spiritualis quædam fornicatio. Idola igitur conferuntur, mœchis, & ciuitas idola colens meretrici. Quia ergo Niniue deditissima erat cultui superstitioso idolorum, ideo ait puniendam à Deo propter multitudinem suarum spiritualium fornicationum. *Et gratæ* quæ curabat se gratam exhibere dijs falsis, cultus eximios illis exhibendo. *Et habentis maleficia*, meretrices veneficijs vtuntur vt suos sibi semper habeant deditissimos amasios. Sic Niniuitæ multa excogitabant sacrificiorum & superstitionum genera, vt idola sibi efficerent quam gratissima. *Quæ vendidit gentes in fornicationibus suis: & familias in maleficijs suis.* Impiorum hic mos est, in alios suam contendere propagare impietatem. Et in re hac agens voluntariū imitatur agens naturale, quod prætendit sibi assimilare passum. Isti igitur Niniuitæ non contenti suis impietatibus in Deum, nitebantur in gentes sibi subiectas suam proferre iniquitatem: eas prouocando, ad suas exercendas idololatrias. Et hoc est quod ait, *quæ vendidit gentes*, subaudi diabolo, in fornicationibus spiritualibus suis. Vel si de fornicatione carnali sermo vertatur Niniuitæ vendebāt puellas, quas bello, vel rapina rapiebant, vendebāt scilicet alijs nationibus, vt scortarentur cum illis: itemque iuuenes, vt essent catamyti aliorum, ex pretio vendebant. Et istud est quod ait, *& familias in veneficijs suis*, ideſt, malas excogitabat artes Niniue, ad quæstum, & ad superstitionem. *Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua: & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Ignominiosum valde est fœminæ, si fimbrias vestimentorum suorum sursum leuet quispiam, vt patescant pudenda eius. Quia igitur Niniuen vocauerat vates scortum, persistens in cœpta parabola, ait, quia scortum tu es, & scortationes amas, reuelabo & manifestabo pudenda tua, volens dicere, ego te afficiam maxima contumelia, id quod sequentibus versibus exponit. *Isaiæ.47.*

Et

Et istud fuit completum, quando Babylonij Niniuen pessundederunt: tunc enim ignominiosi sunt facti corā gentibus alijs; & Regibus. Quod amplius declarans, ait, *Et proijciam super te abominationes & contumelijs te afficiam: & ponam in te exemplum.* Hoc est tu Niniue, quæ eras tanquam meretrix pulcherrima, & venustissima ex multitudine opum, & potentiæ tuæ, eris meo iussu abominabilis & sordida valde: quia contemnent te valde Chaldæi, aliæque gentes postquam te duxerim in captiuitatem eris q; in exemplum, ideſt, in spectaculum miseriæ, & summæ calamitatis. Quando te desolatam & deuastatam, & dissipatam, quæ olim eras potentissimi regni caput, & multis fulgens & opibus & viribus viderint. ¶ *Et erit omnis qui viderit te resiliet à te, & dicet, vastata est Niniue quis commouebit super te caput?* Summæ miseriæ est, ad eam deuolui hominem calamitatē, quæ indigna sit misericordia, itaque nullus sit qui tantæ calamitatis condoleat, nullus sit qui commisereatur. Et hoc est quod subnotat vates, dicens. Quis cōmouebit super te caput? Et prius dixerat. Qui te viderit resiliet à te, id est, tui non miserebitur. *Vnde quaram consolatorem tibi* ideſt, non video vnde nam, tibi aderūt consolatores: quippe omnes potius gaudebunt, de miserabili lapsu tuo. Hic insinuatur Niniues regnū fuisse valde superbum, odiosum, quia iniurium cæteris nationibus: quandoquidem in ruina eius, & miseria non habebat consolatorem, sed ab ipso resiliebant. *Nunquid melior es Alexandria populorum.* Hebra. pro Alexandria scribitur, No, Amon, quam dicūt Hebræi esse Alexandriam Ægypti: quæ etsi munitissima tamen, capta est à Chaldæis. Deijcit verbis istis spem Niniuitarum euadendi, Chaldæorum potestatem, exemplo proposito de Alexandria, qua non erat potentior Niniue. *Quæ sita est in fluminibus*, ideſt, quæ est aquis circumflua, nam Nilo magno flumine alluitur. *Aquæ in circuitu eius: cuius diuitiæ mare, aquæ muri eius.* Est enim maris nobilissimum emporium, ideo ait, cuius diuitiæ mare, quia ex marinis cum omnibus nationibus mercimonijs erat opulentissima, & hodie etiam opum copia gaudet, aquæ muri eius, quia est mari & anne Nilo. *Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus.* Ostendit etiamnum quantum præstabat viribus Alexandria, quippe Æthiopiam habebat secum pacis fœdere confœderatam, & Ægyptus, erat illi subdita, nam id temporis, erat metropolis totius Ægypti. *Et non est finis*, ideſt habet infinitas diuitias, & vires & est hyperbolicus loquendi modus, scripturis sacris familiarissimus, & profanis, *Africa & Lybies fuerunt in auxilio tuo*, ex tertia persona transit in secundam, nanque hactenus locutus est de Alexandria, vt de tertia persona, nunc vero, illi loquitur vt secundæ personæ dicens Africanos & Lybies, item esse Alexandriæ amicos, & confœderatos, *Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captiuitatem: paruuli eius elisi sunt in capite omnium viarum*, huc spectant quæ præcedunt omnia verba demonstrantia, vires & præstantiam Alexandriæ, quibus nō obstantibus à Nabuchodonosore fuit deuastata, & à Cambise filio Cyri: & tandem ab Alexandro Macedonio in suam ditionem redacta est. Qui eius commutauit nomen, quæ enim appellatur, No Amon, appellata est Alexandria: quod nomen hactenus retinet. *Paruuli*: truculenti hostes, etiam in paruulos innoxios sæuiunt: ideo ait, in capite omnium viarum elisi sunt. *Et super inclytos eius miserunt sortem.* Hoc idem accidit captis vrbibus inclytos & nobilissimos quosque in seruitutem redactos, sortem mittere à militibus super eorum præda, vt fiat æqua inter eos diuisio prædarum & spoliorum, vt vnicuique ea portio contingat, quæ sibi pro labore periculo, & officio quod administrat in prælio debita iure militari est. *Et omnes optimates eius confixi sunt in compedibus*, ducti scilicet in captiuitatem, ne fugam arriperent. *Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta, & tu quæres auxilium ab inimico.* Quia homines presi tribulationibus sæpe abstrahuntur à sensu, adeò vt nesciant, quid dicunt, aut quid faciunt, ideo multitudo tribulationum irruens in hominem ab scriptura cōfertur multo vino epoto: & ipsa passio malorum ebrietati, & hoc est quod ait, *Et tu ergo* subaudi Niniue *inebriaberis* ex malis tibi contingentibus eris attonita sicut ebria à vino. Et sicut ebrij huc illucque vagantur incertum habētes gressum, tu similiter nescies quo tendas. *Et tu quæres auxilium ab inimico*, te imminutam senties viribus, adeò vt cogaris à tuis inimicis auxilium petere. Quod est summi dedecoris, nam si auxilium conceditur

petentibus, ab hostibus sub cõditionibus ignominiosis semper conceditur. *Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint cadent in os comedentis.* Auxilia & præsidia tua, quibus fidis te posse prævalere contra Chaldæos, erunt instar ficorum maturarum, quæ pendent ex arbore ficus: nanque, cum iam maturæ sunt ficus, si concutiatur arbor, cadunt ad manum & os concutientis. Significat hoc sermone, quod leui concussi Niniuitæ prælio erant casuri. Siquidem dispositũ erat à Deo tempus suæ deuastationis ob sua iam cõmemorata scelera. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui inimicis tuis, ad apertionem pandentur portæ terræ tuæ.* Niniuitas demonstrat imbelles esse, & effœminatos, quippe non poterunt resistere Chaldæorũ copijs. Quibus, pandentur portę Niniue, vt exclusis ciuibus eius & ductis in captiuitatem, Chaldæi ibi demorentur victores. *Deuorabit ignis vectes tuos*, vectes portarũ tuarum, erunt tunc infirmi velut lignei sunt, qui non possunt resistere fracturæ, aut ignis consumptioni. Quanuis enim vectes huiusmodi solent esse ferrei, at vero vt vates subnotet eorum debilitatem, vel exiguam eorum futuram resistẽtiam, ait, deuorabit eos ignis. ¶ *Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitionem intra in lutum, & calca: subigens tene laterem.* Quasi iam instasset Chaldæorum contra Niniuitas prælium, loquitur modo vates, deriſorie monens Niniuitas, vt se se præparent ad prælium quod illis impẽdit. Vnde, ait, quod sibi hauriant aquam, vt misceant lutum, & faciant lateres, vt munitiones extruant, olim enim munitiones erant lateritiæ, verum hæc frustra tentabitis, quia nihil proficiet vobis munitio, tanta erit ingruens in vos potentia hostium. *Ideo subdit, ibi comedet te ignis, peribis gladio.* Idest cito ibidem absumeris. Ignis enim velociter agit, vt ergo significet ocyssime esse superandos, & vincendos, vsque ad desolationem, ideo ait, comedet te ignis, aut quia hostes incendio deusserunt opes, & supellectilia Assyriorum *deuorabit te vt bruchus*, qui segetes omnino pessundat, vt in Ioelis explana. exposuimus. *Congregare, vt bruchus, multiplicare vt locusta*, & si multipliceris, vt solent innumeri esse bruchi, & numero crescas vt solent crescere locustæ irruentes in segetem, non poteris tamen resistere hostibus tuis. Id est, & si copiæ tuorum militum, sint numerosissimæ vt bruchorum, & locustarum, nihil tamen efficies, vel aliter, congregaberis, ad internecionem, vt bruchi solent cõgregari à collectoribus ad combustionem. Nã solent congregari hæc insecta in acervos magnos, vt igni tradantur, ne noceant amplius segetibus. *Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sunt cæli: bruchus expansus est, & auolauit.* Multum incubuisti ô Niniue negotiationibus, vnde infinitas tibi parasti diuitias, at venit Nabuchodonosor cum copijs suis, qui expandet se supra te, vt solent bruchi facere incumbendo segetibus, quas vt depasti fuerint auolant, ita Chaldæi depascent omnia bona tua, & postquam depasti fuerint in Chaldæam reportantes spolia, auolabunt, vel hoc dicit propter exercitum Assyriorum, qui fugit Chaldęas copias, ergo milites tui Niniue auolabunt, scilicet, fugiendo Chaldæos de futuro autem tunc est vaticinium hoc, sed vsurpatur tempus pro tempore, vt fere semper in prophetarum libris: est autem hyperbole, *fecisti plures negotiationes tuas, quam stellæ cæli*, frequentissima in sacris literis *custodis tui, quasi locustæ, & paruli tui quasi locustæ locustarum quæ considũt in sepibus in die frigoris, sol ortus est, & auolauerunt.* Per custodes intelligit principes, & magnates Assyriorũ, & inferiores subaudit per locustas locustarum, quæ sunt proles locustarum, quæ adhuc cum exigua est salire nequit: ideoque valde nocet segetibus hærens, quę vocatur Attelabus. Est autem hoc locustarum ingenium, cũ friget, ad sepes conuolare, & ibi cõsidere, vt sepibus conditæ à frigore se defendant. At vero incalescente sole, deserunt sepes, & auolant, quo fert earum appetitus. Et sub hac metaphora voluit docere Niniuitarum principes, & minores, aduentante Babylonico exercitu, se se excepturos in præsidijs fortissimis Niniue, instar locustarum, quæ se excipiunt intra complexus spinosos sepium: at vero sub ardore solis, idest intrante Nabuchodonosore vrbem, qui ardẽti & deurenti soli cõfertur, inde esse fugam arrepturos, vt suæ vitæ cõsulere queant. *Et non est cognitus locus eorũ vbi fuerunt.* Quia Assyrij deferentes patriã eo non sunt amplius reuersi. *Dormitauerunt pastores tui Rex Assur, sepelientur principes tui, latitauit populus tuus in montibus, & non est qui congreget.* Erunt proceres

ceres tui instar eorum qui dormituriunt, aut dormitant, quorum nullum est consilium, de re de qua consuluntur, alij vero iacebunt in sepulchris, ab Assyrijs interfecti. Populus vero tuus dispergetur in montes, fugiens hostilia arma, & nõ erit qui eos congreget: vt recuperatis viribus iniuriam sibi à Chaldæis irrogatam retalient. *Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua, omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum suam super te: quia super quem non transit malitia tua semper?* Manifesta erit contritio tua, ideſt, cõminutio tua vniuerso orbi pessima erit plaga tua, quam tibi inferet Chaldæus, & non erit curabilis. Qui audierunt famã huius ruinæ tuæ, & excidij tui cõpressserunt, ideſt iustam eam esse dixerunt, & ipsi si potuissent qui audiunt, voluissent, aggrauare vehementius supplicia tua. Etenim malitia tua & tyrannis tua, in omnes vagatur, & omnibus nocere studes; ideoque vellent etiam comprimere contra te manus suas, vt te percuterent.

Moralis sensus. ¶ Restat paucis moralẽ sensum huius capitis aperire, & quidem hoc caput si ad tropologiam referre placet, vt sub tropologia etiam alios cõprehendamus, vt Hieronymus testatur comprehendi mores improborum hominum, à Deo reprobatorum, quorũ est maxima orbis pars, quippe multi sunt vocati, pauci vero electi hoc capite describuntur. ¶ Nanque quã aptissimè, cœtum, & turbam horum esse ciuitatem sanguinum esse dixeris. Sanguis enim in scriptura diuina, vel graues & atroces iniurias, aut cædes, aut alimenta denotat, vt in primo tomo à nobis dictũ est. Atqui cætus & congregationes hominum reprobo rum, huic vni rei vnicè studet, vt iniurij sint alijs, vt cædes inferant, vt alimenta pauperum & inopum sibi iniustè vendicent. Vnde Psal. 9. horum improborum insidias explicat Dauid dicens, Insidiatur vt leo vt rapiat pauperem. Et Michææ. 7. Omnes in sanguinem insidiantur vt ibidẽ exposuimus. Et Eccles. 11. homo peccator in sanguinem insidiatur id quod bifariam exposuimus, ibidem, aut quia insidiatur vt occidat fratrem, aut quia fraudibus substantiam pauperum, ex qua viuũt moliuntur reprobi auferre. In hac item ciuitate sonat *vox flagelli*, abusiua est locutio, quia flagellum non habet vocẽ, vox enim est sonus ab animali prolatus cum imagine significandi, at vero sonus flagelli, non est huiusmodi, ideo sonum quem edunt flagella quando aliquid percutiunt, vates vocat vocem. Qua item ratione Apostolus dixit inanimata habere vocẽ. Sonitus igitur flagellorum personat in hac ciuitate. Etenim reprobi, temerè lædũt electos Dei, & inuicem se percutiunt. Amãt enim alios percutere, vel in fama, vel in bonis, vel in personis. Item sunt obmurmuratores, & oblocutores, & infamatores, & contuitiatores, & contumelioſi in alios. Et flagello linguæ alios ferire amant, ideo inter reprobos homines vox flagelli auditur. Isti aduersantur oraculo diuino. Prouer. 17. Non est bonum damnũ inferre iusto, nec percutere principẽ, qui vera iudicat. Et Apostolus indignum episcopatu iudicat percussorem, & quanuis de percussione sanguinaria sit audiẽdus, at vero indignũ est episcopos flagello linguę alios percutere, qui ex officio à suis ouibus huiusmodi flagella vocalia arcere debent: est sane aliquo linguę flagellum sanctum, & vox huiusmodi flagelli, Deo quam gratissima videlicet fraterna correptio, pro loco & tempore, adhibita. Hæc autem vox flagelli ex charitate profecta, in ecclesia sanctorum auditur, verum vox flagelli quæ in ecclesia malignantium auditur, conuicia sunt, contumeliæ & id genus. ¶ Rursus in huiusmodi reprobis auditur vox *impetus rotæ*. Et rectissimè cor impiorum rotæ simile traditur. Etenim cum non sit stabilitum in recta Dei fide, neque in Dei charitate, ideo sibi non constãt, mobiles habent affectiones & cogitationes. Vnde Ecclesiasti. 33. Præcordia fatui, vt rota carri, & cogitatus, axis versatilis, rotãtur enim per bona visibilia huius seculi, iamque voluuntur affectibus honorum, iam diuitiarum, iam voluptatum, & sicut rota, iungit finem suo principio, ita & isti quia natiuitatem, habuerunt culpabilem, quippe in peccatis nascimur omnes, isti etiam processum vitæ & finem sub peccato claudentes rotã suæ natiuitatis in peccato consummant. Vox igitur rotæ auditur inter hos, quia vox consummationis vitæ in peccato auditur in eis. Et vox *equi frementis*, equus significat superbos homines, qui ex arrogantia, & elatione animi fremunt in alios: superbia autem, est satis cognata reprobis. Nam inuicem fremunt & contra humiles item fremunt.

Vox flagelli est apud reprobos.

Vox rotæ apud eosdem.

Vox equi frementis.

Vox quadrigæ ferentis.

¶Vox *quadrigæ feruentis* aut vt Hebraicè legitur quadrigę exultantis. Etenim reprobi lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Est sane quædam quadriga, probanda virtutum quatuor Cardinalium: at vero hæc quadriga non est feruens, quia moderata est ex moderamine prudentiæ præcipientis agere, quando & quomodo, & propter quid oportet agere. Vnde hæc quadriga optima est & necessaria est ad spiritualem vitæ humanæ cursum, quia neminem suo feruore præcipitat: sed qui ea vehitur, tranquillè deducitur. ¶At vero est alia quadriga feruida, quæ quos vehit præcipitat suo feruido cursu quæ quatuor passionum seu affectuum humanorum quadriga est. Videlicet, amoris, odij, spei & timoris quadriga. Isti enim affectus feruidi sunt, nisi aliunde ex diuina gratia temperentur. Hæc quadriga humanas mentes præcipitio dat. Enim vero temporalia vehementer amamus, vnde & alia quæ essent amanda odio habemus. Et hæc conditio improborum, est hac quadriga feruente vehi. Etenim amant, odiunt, sperant, timent, sine fræno, sine moderamine, sed pro sua libidine quo appetunt, eò aguntur. *Micantis gladij fulgurantis hastæ.* Vox item gladiorum micātium ideſt districtorum, & hastarum fulgurārium, ex ferro cuspidis polito, sonat inter impios. Amant enim bella iniusta factiones mouent, dissensiones excitāt, & semper ad iurgia fouēda, & excitāda sunt paratissimi, vt ij qui distringunt enses, & hastas lucentes sub ipso prelio tenent, offensuri hostes, *vox multitudinis interfectæ.* Omnes impij sunt mortui corā Deo, quia orbātur vita spirituali diuinæ gratiæ. Vnde hæc vox intelligibilis est, quia coram Deo clamat, ad vindictam peccatorū, non tamen est vox sensibilis. Non enim reprobi huiusmodi voces audiunt, qui sibi gratulantur in peccatis suis, *& grauis ruinæ;* subaudi semper *vox* tane grauis ruina est ab spirituali gratia baptismatis si de fidelibus prauis agatur, ad peccata labi, en rursus ex gratia pœnitentiali, iterum in crimina prolabi. Si vero de reprobis agatur, itē ipsi grauem ruinam habent tantisperdū viuunt, quia à peccato labuntur in alia peccata, & in peccatis vitam degunt, & tādem ex miseria huius vitæ labuntur in miseriam mortis æternæ. Hæc autē vox non auditur nisi per Spiritum sanctum, miserias humani generis spirituales docētem: quia corporalium miseriarum voces, non egent doctore nam ipsæ nunquam nō clamāt. *Neque est finis cadauerum,* in bello corporali cruentissimo immensa est strages, corporum mortuorum; at vero in bello spirituali, quod sine cruore est cruentissimum immensa est perditio animarum. Quippe crebra est pugna & rara victoria. Et anima deserta à Dei gratia viuificante, est instar cadaueris: spirituale nanque cadauer est. Digna est sanè hæc appellatio, quam euangelicum testimonium probat Matth. 8. Sinite, ait Dominus, mortuos sæpelire mortuos suos. Nūquid mortui possunt sepelire mortuos? vtique mortui spiritualiter sepeliunt sæpe mortuos naturaliter. Et rursus apud Lucam. Hic filius meus, mortuus erat, & reuixit. Quomodo obsecro mortuus erat? non quidem morte naturali, sed morte mystica. Hinc- que Theologi apte, tradunt quædā peccata esse mortalia, quippe quæ mortē spiritualem animæ inferunt, nam mortem naturalem nō possunt illi inferre, siquidem anima immortalem sortita est naturam. *Corruent in corporibus suis,* ideſt, viui cadent supra cadauera, tanta erit strages. Sæpe enim ex malo exemplo reproborum, viri boni, & iusti caduntin peccata mortalia. *Propter multitudinem fornicationum, meretricis speciosæ, & gratæ.* Anima auersa à Deo est instar meretricis, ait enim, hæc se prostituit cunctis ex lasciuia sua, ita anima reproba, ex amore visibilium illecta cūctis peccatis se prostituit, vnde propter multitudinem spiritualis fornicationis, quæ est auersio à Deo legitimo viro & conuersio ad diabolum, qui est tanquam adulter, reprobātur omnes reprobi. ¶Et aptè anima rationalis est vt meretrix speciosa, & pulchra siquidem spiritualem est sortita naturam, & capax est æternæ beatitudinis, & ad imaginem & similitudinem Dei condita est. Hæc igitur pulchra, meretrix est, non quatenus est meretrix, quia hac ratione auersa à Deo est, & fœda est, at quatenus anima est.

Quadriga virtutum trāquille homines vehit.

Quadriga affectuum feruēs est.

Miseriæ spirituales egent spiritu Dei doctore.

Anima orbata Dei gratia viuificante est cadauer mysticum.

Peccatū mortale vnde sic appellatur.

Formicatio spiritualis.

Ecce ego, Domini sunt verba, qui quāuis aliquamdiu sinat reprobos sibi indulgere, tandem de illis sumet dignam vindictā: quia quanuis, sæpe in vita præsenti, reprobi prosperentur, & impunè degant, at tandem torquebuntur. Vnde subdit & *reuelabo pudenda tua.* Nanque in die iudicij manifestabuntur cum pudore, omnia peccata, & cordium consilia mala: vnde perit pudor impijs sempiternis, quare ille Matth. 22. qui se ingessit in nuptiale conuiuium non ornatus nuptiali condignaque conuiuio veste, reprehensus præ pudore obmutuit, & confusus est. ¶Sanctis vero nullus erit pudor nullaque confusio ex peccatis, quæ patrauerunt. Vt Petrus non erubescet, ex Christi negatione, neque Paulus ex Christi persecutione, & ita de reliquis sanctis alijs Isai. 45. Non erubescent in seculum. Siquidem ex pœnitentia, aut ex baptismo, iam abluerunt sua crimina coram Deo: ideoque amplius non computa buntur. Vnde in Michæa legimus cap. 7. Proijciet in profundū maris peccata tua siquidem etsi semper sunt nota Deo peccata vniuersa, at vero, quia nō puniet æternò peccata sanctorum; quippe quæ ipsi correxerunt ex gratia Dei, & ex sua opera: ideo perinde se habent illa peccata, acsi essent in profundissimo mari delitescētia, quæ nulli patent. ¶At vero impijs summa erit cōfusio de peccatis admissis. Isa. 2. cōfundētur ab idolis suis, sunt autē peccata sicut idola, quippe quę per Dei charitatem non sunt cooperta. Charitas enim operit multitudinem peccatorum, oppor tunum igitur erit, vt nos pudenda nostra patefaciamus pœnitentiarijs, vt coram illis nos pudeat illorum, nā hic pudor tollet pudorem quem habebunt reprobi de peccatis suis in die nouissimo. Eodem pertinet quod sequitur. *Et nuditatem tuam.* Enim vero quanuis multi ex reprobis insignibus claruerint in hoc seculo virtutibus, vt reputarentur viri iusti. Vt plerosque Reges & Imperatores, & philosophos historiæ multis etiam heroicis fuisse exornatos virtutibus tradunt. Cæterum coram Deo nudi sunt omnes qui Dei charitatem non induunt. Charitas enim est vestis nuptialis, quæ si sola adsit Deo placida est: at vero si cætera adsint, & hæc deficiat, in homine Deo gratum non est aliquid ad vitam æternam. Hæc igitur nuditas tunc manifestabitur fuisse in omnibus reprobis, quorum plures reputabantur, esse virtutibus ornatissimi. ¶*Omnis qui viderit te resiliet à te.* Tunc enim exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum. Et iusti condemnabunt impios. Vt in libro Sapientiæ proditum est, fulgebūt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, dominabuntur populis, &c. & impij non inuenient consolatorem, quia nulla poterit esse tūc consolatio, vbi est infinitus cruciatus. Vt neque iustis tunc poterit aliqua accidere turbatio, nanque vbi est sempiterna gloria qualis poterit esse turbatio? Neque parentes si viderint filios æternis deuri flammis, aut contra commiserebuntur eorum, aut illis compatiētur, imo summo gaudio erit illis spectaculum cruciatus impiorū. *Nunquid melior,* credant certissimè impij esse æterno cruciandos: siquidem si angelis non pepercit Deus, sed æternis tradidit cruciandos flammis, quomodo parcet impijs hominibus? & est simile propheticū argumentum de Alexandria ad Niniuen si Alexandria ditissima & munitissima, & celeberrimum Ægypti oppidum, nō euasit hostiles manus, quomodo tu Niniue longe inferior euades? & quod subditur. *Populus tuus mulieres, &c.* conditionem reproborum alteram exponit, quia non habuerunt spirituales vires vt repugnarent vitijs, sed omnibus peccatis manus dederunt victas, & quod ait, *Inimicis pandentur portæ terræ tuæ,* optime illis quadrat: quia diabolo, & angelis eius qui sunt humani generis hostes patuit consensus reproborum ad omnia perpetranda mala. Et item isti hostes deuorant vectes, reproborum sunt autem vectes animæ virtutes, verum has diabolus facit infirmas dum eos detinet in criminibus suis. *Aquam propter obsidionem, &c.* Quia nullum peccatum est desperatum, tantisperdum hic agitur, semper enim nunc est locus veni impetrandæ, si pœnitentiæ faciendæ locus non obstruatur. Ideo vates modo, reprobos omnes admonet, vt si volunt non superari à diaboli obsidione. Hauriant aquam, si infideles sunt sibi salutares baptismi aquas hauriant, vt regenerati in Christo, à se decutiat Satanicam tyrannidem, qua infideles premūtur. Si autem fideles praui sunt hauriant sibi aquam pœnitentiæ. Vt ille inclytus rex faciebat: testatur enim exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non custodierunt legem tuam. Et cum peccatrice illa nobili, ad pedes Domini humilitate, & contritione cordis deiecti, defleāt crimina sua. *Extruant munitiones,* contra infernum acies, vtique munitio est oratio, munitio est ieiunium, munitio est eleemosyna. Extruite igitur peccatores has munitiones,

Sāctos nō pudebit de peccatis suis in iudicio finali.

Quomodo ignis deuorat vectes animæ.

Sapien. 3.

Psal. 118

Lucæ. 7.

tiones, quę sanè firmissimæ sunt cõtra diabolicũ impetũ, de quib⁹ omnibus nos abũdè diximus in declamatio. ad Isaiã, & in 4. senten. libro, & in. 1. tomo. nõnihil attigim⁹ de eisdẽ. *Intrare* autẽ oportebit lutũ, & calcare illud, subigẽdo vt has munitiones cõponamus. Tũc sane intramus lutũ, & calcamus, & subigimus, & lateres mysticos ad munitiones extruẽdas facim⁹. Quãdo subit nobis mortis memoria, quia statutũ est omnib⁹ hominib⁹ semel mori. Quãdo ergo nos cogitamus vilitatẽ nostri corporis, quod ex luto compacti sumus, & tãdẽ q̃ in lutũ reuertemur: tũc sane calcamus mente nostra lutũ, & subigimus, quãdo versamus, & reuersamus, mortis memoriã, cũque, cogitamus iudiciũ, quod illã sequitur, vt Paulus ait, & post hæc iudiciũ, tũc egregios facimus mysticos lateres sanctorũ operũ, vnde extruimus firmissimas munitiones cõtra peccata. Quia scriptum est. Memorare nouissima tua & in ęternũ nõ peccabis Eccles. 7. *Ibi comedet te ignis.* Si hæc fecerint peccatores, comedet eos ignis, Spiritus sancti ignis cõsumet, & purgabit eorũ delicta vt zelus domus Dei, comedebat inclytum illum regem & vatem. Psal. 78. Et enim quando valde nos trahit ad Deum diuinus ignis, tunc ab illo comedimur, quia amor Dei, nos transfert suo modo in diuinitatem vt ignis ligna in suã naturã cõuertit. Etsi hæc conuersio est naturæ in naturã, illa vero, naturæ humanæ, in diuinos mores & amores. Ibiq; peccator perit gladio spiritus quod est verbum Dei. Quo gladio visus est Petrus occidere illa animalia immunda, & illa comedere. Actor. 10. Perit tunc peccator, peccato, & viuit gratiæ Dei. Vt Apostolus aiebat viuo ego, iã nõ ego, sed viuit in me Christus.

Hebr. 9.

Ex quibus lateribus fiat munitio spiritualis.

¶ *Custodes tui quasi locustæ, &c.* Hactenus monuerat vates peccatores ad pœnitentiam, & vtilitatem pœnitentiæ docuerat dicens, ibi deuorabat te ignis, & peribis gladio, quia Dei ignis deuorat peccata nostra, & illa veluti occidit, vt nusquam nobis noceant, nunc vero, diuertit sermonẽ, ad prælatos, & maiores ecclesiæ, ex quorum negligentia, perit populus sibi subditus. Ait igitur *custodes tui quasi locustæ*, sanè locustæ infirmæ sunt & imbecilles, magno autem detrimento hærent segetibus, quas depascunt. Accidit item vt prælati & proceres ecclesiæ infirmi sint, non habẽtes robur spirituale, neque valentes obtrare, contra peccata, neque resistere peccatis ne vltra serpant, sciunt, vnde dixit Isai. 56. canes muti non valentes latrare. Sciunt quidem sæpè latrare contra Dominum, vt hæresiarchæ oblatrant: non tamen contra vitia. Imo peruersis dogmatibus imbuentes plebes quas erudiunt peccatis eorum blandiuntur. Vt hoc seculo Lutherani factitant, dicunt enim suis Germanis per solam fidem quam profitemini pax vobis est, cum tamen illis non sit pax cum Deo, sed atrum bellum. Ierem. dicentes pax, pax, & nõ erat pax. Et sicut agmina locustarum regẽ non habent ideo inordinatum habent incessum. Prouer. 30. Ita isti Lutherani sicut locustæ, non habent regem spiritualem, vnde regantur. Quia à summo Põtifice, qui est ecclesiæ Catholicæ caput, auerterunt humeros suos, vt seruirent idolis suorum prauorũ dogmatum. Vt olim decem tribus, desciuerunt à regno Dauidico, vt seruirent vitulis Ieroboam. Et sicut quondam Ægyptus fuit percussus locustis. Exod. 10. qui Ægyptũ deuastauerunt, nihil virens relinquentes in eis ita & modo, isti locustæ, scilicet doctrinæ Lutheranæ assertores & doctores, Germaniæ virorem absumũt, & quę olim fide, & doctrina sana vigebat, depasta, à locustis istis, sterilis, & squalida est. Vnde scribitur Apoc. 9. de fumo putei exiuit locusta. Quia doctrina hæc pessima, ex fumo idest, vana cogitatione Lutheri, qui fuit puteus profundæ iniquitatis, puteus non aquarum viuentium, sed aquarũ mortuarũ sordidarũ, & valde fætentiũ. De fumo igitur huius pestilentissimi putei, exiuit locusta, vel locustarũ agmina pessima prodierũt, quæ inuadẽtia in Germaniã eã deturbarũt à fide vera, & ab obediẽtia summi Põtificis. ¶ Et quidẽ locustæ se pascũt, nõ tamẽ ex pastu vtilitas cuiquã accedit, sed dãnũ. Ad eũ modũ tyrãni reges ex opibus subditorũ se pascũt magno detrimẽto ipsorũ. Siquidẽ vt se impleãt miseros subditos euacuant, itẽ & prælati mali, seipsos pascũt, ex fructib⁹ ouiũ suarũ at vero has nõ pascũt verbo doctrinæ, sed sæpe pessimis exẽplis eas destruũt. Vt Ezech. cõmemorat dicẽs c. 34. Pastores pascebãt semet ipsos, gregẽ meũ nõ pascebãt. Et qđsequiẽ, paruuli tui quasi locustæ locustarũ aptè cõgruit prędictis, etenim qualis popul⁹ talis sacerdos, si custodes locustæ, & inferiores q̃ sunt velut paruuli eorũ sicut locustæ locusta-

Lutherus refellitur.

Mali prælati sunt sicut locustæ.

rum. Sunt enim inferiores, veluti quidam filij superiorum, vnde & superiores patres eorum dicuntur, quippequi curam eorum gerere debent, & pro cura, sæpe euersionem impartiunt. Et obserua nõ semper in scriptura replicatio genitiui supra nominatiuum excellentiam significare, vt Cantica canticorum, idest excellentissima cantica. Nam hoc loco locustæ locustarum, non primarias locustas, sed inferiores denotat, nam ait, paruuli tui locustæ locustarum. Quod vero ait confidunt in sepibus in die frigoris, sol ortus est & auolauerunt, ex eo dicit, quia nihil variabilius plebe, facile agitatur quoquo versus vt est videre in plebe illa Iudaica, quæ Dominum Iesum suscepit in die ramorũ, summis laudibus ouans, & paulo post clamat, Tolle, Tolle crucifige eum. Vt igitur tempus facile alteratur à frigido in calidum, & contra, ita inferiores, iam frigent odio, & iam vero feruẽt amore, iam vituperant iam vero laudant quos dudum vituperabant. Et equidem hæretici sunt vt locustæ locustarũ, siquidẽ quando suppliciũ timẽt capitis, latibula quærũt, vbi sua falsa dogmata susurrent, abscondũtur tũc ex frigore, idest ex timõre in sepibus suorũ latibulorũ, nõ audẽtes palã loqui, at vero si sol exoritur, idest, si fautores habent suæ hæreseos, seculares principes, vt habuit Lutherus, tũc sepes & latibula deserunt & in publicũ auolant, & pro cõcione suas in auditores suos stillãt hæreses.

EXPLANATIO IN HABACUC PROPHETAM, AUTHORE MICHAELE DE PALATIO.

Prologus in Habacuc Prophetam.

QVAE de alijs vatibus, exquisiui in Prologis, eisdem præfixis, hæc de isto disserenda modo veniunt. Nempe, ex quo genere fuerit, quæ illi patria fuerit, quando vaticinatus fuerit, quid prætenderit ex eius nos docere vaticinio, siue quod fuerit sui vaticinij institutum præcipuum. Et quidem vnde Habacuc originem duxerit ex diuinis non liquet literis, siquidem neque in suo vaticinio, neq; alibi expressum videmus. ¶ Porrò Epiphanius lib. de vitis Prophetarum, tradit oriundum fuisse ex tribu Simeon, Patriam vero illi fuisse agrum Bexzogar, aut Bizachar. Vbi ipse vt Epiphan. tradit fuit ortus. Cui conuenit D. Isidorus libro de Patribus veteris testamenti. ¶ Tempus autem sub quo Prophetauit, item non liquet ex diuinis literis. Hierony. autem in prologo autumat floruisse abactis iam duabus tribubus ex terra Iuda, in Babylonem. Et hoc colligit, quia Habacuc ex Iudæa fuit ab angelo delatus in Babylonem, vt pasceret Danielem, qui captiuus ibidem erat. Etsi addat hanc historiam non esse authenticam apud Hebræos, ideo, subdit, quod si post captiuitatem non floruit, sed ante captiuitatem igitur quasi Propheta rem futuram præuidit. ¶ Alij vero ex annalibus Hebræorum referunt Abacuc floruisse sub Manasse rege Iuda, esseque synchronum Ioeli, & Nahũ, quos sub eodem tempore credunt Hebræi floruisse. At vero Manasses fuit antequam Iudæi abducerentur captiui in Babylonem. Nãque fuerunt captiui sub Sedechia, anno vndecimo regni Sedechiæ; cæterum Sedechias fuit post Manassem vt patet ex. 4. libro Regum. ¶ Quod si quæsierit aliquis cur igitur Abacuc nõ meminit tẽporis Manasses, vt alij plerique vates meminerunt temporum regum sub quibus ipsi floruerunt. Respondent, quia Manasses fuit impijssimus. At vero, longe peior fuit Ieroboam filius Nabat, & Ieroboam alter filius Ioas, & nihilominus horum temporum, meminere vates. Vt in Osea, & quibusdam

4. Regũ. 24. 4. Regũ. 25. 4. Regũ. 21. 3. Regũ. 12. 2. Paral. 33.

dam alijs est videre Manasses enim suam fleuit impietatem,& obtinuit veniam, alij vero in sua mortui sunt impietate. Quare responsio hæc non absoluit rem istam. Et quidem si iudicium Epiphanij requiris, consonat cum Hebræo dudum memorato placito. Habacuc floruisse ante expugnatam Ierosolymam,& captiuitatem Iuda, ideſt duarum tribuum in Babylonem. Verba eius sunt Habacuc cum ante expugnationem prospiceret captiuitatem Ierosolymæ, maximè cum super ciuitatem, tum super populum eius luxit. Testatur autem, quod biennio ante reditum Iudæorum de captiuitate, à morte occupatus fuerit,& sepultus in natali loco suo. Vnde iuxta hanc sententiam, cum captiuitas Babylonica fuerit septuagenaria,& vates fuerit ante illam, quia Prophetauit, antequam Babylonij exirent septuagenaria,& vates fuerit ante illam, quia Prophetauit, antequam Babylonij exirent pugnarent vrbem Ierosolymam,& antequam populus ille duceretur captiuus collectum iri videtur, Habacuc fuisse longæuum,& post longam vitam fuisse defunctum. ¶ At vero meo iudicio, res hæc non est cur controuersa sit autoribus. Enim vero, cum historia sit authentica, quod Habacuc, concessit Babylonem delatus ab angelo, prandium portans ex quo pasceret Danielem, necessario conficitur, Habacuc fuisse sub ipsa captiuitate, vt etiam Epiphanius,& Isidorus testantur. Nanque nihil curandum est, si Hebræis præfata historia, non sit canonica, sufficit, quod ab ecclesia Catholica inter canonicas recenseatur. An vero vixerit ante captiuitatem, an non, hoc incertum videtur. Potuit autem vixisse ante captiuitatem,& non floruisse ex dono Prophetico, nisi sub captiuitate. Refert autem Epiphanius, quod appropinquante Nabuchodonosore Ierosolymis fugam arripuit Habacuc in Ostracinam,& manebat incola in terra Israel. At remeante, Nabuchodonosore in patriam, Habacuc reuersus est in Iudæam, Danielis vltimo. ¶ Porro autem si regula illa, Hebræorum quorundam, esset vera, videlicet si vates non signat sui vaticinij tempora, ea sunt, quæ prioris vatis describuntur Prophetiæ tempora, quomodo obsecro veteris regula hac in hoc vate? siquidem proximè præcedens Nahum, item non signauit sui vaticinij tempus. Quod si recurrendum est ad distantem Michæam vtique Michæas longe præcessit captiuitatem. Qui fuit sub Ioathan & Achaz, & Ezechia regibus Iuda, qui fuerunt multo ante captiuitatem duarum tribuum, vt patet ex lib. 4. Regum.

¶ Fuit hic vates ante Christum natum Anno 707. & à creatione 3255. est autem vatis huius institutum. Consolari duas tribus abactas in captiuitatem Babylonicam: aut si Prophetiam edidit ante captiuitatem, consolari abigendas. Nam prædicit ruinam Babylonici Imperij, id quod vertebat in solamen captiuorum, vindictam sumere de hostibus suis. Et sicut Nahum consolatur Israelitas abductos in captiuitatem prædicens illis collapsurum regnum Assyriorum quod illis erat valde inimicum: eodem modo Abacuc tribum Iuda,& Beniamin consolatur ex suo vaticinio. ¶ Refert autem Petrus à Natalibus lib. 2. de vitis Sanctorum cap. 78. corpora Micheæ & Habacuc sub Arcadio Imperatore fuisse reperta diuina reuelatione in Iudæa. Quod si hoc verum est, & Epiphanius item vera narrat, in proprio natiuitatis loco fuisse mortuum Habacuc, magis videdetur ducere genus, ex tribu Iuda aut ex tribu Beniamin. Nisi velis Iudæam significare omnem prouinciam Iudæorum,& Israelitarum: Et non solum quam duæ tribus particulari sorte possidebant. ¶ Aduertit autem Hierony. in Prologo tres solum Prophetas ex numero minorum, habuisse in proœmium Prophetiæ, verbum hoc, onus, videlicet Nahum, Habacuc,& Malachias. At Zacharias in medio,& circa finem, item in titulum suæ Prophetiæ ponit onus, in Isaia autem. capite. 21. 22. 23. 15. 17. & sæpe aliàs hãc eãdem reperias inscriptionem, indidisse suis vaticinijs. Et maximè hoc titulo ornant sua vaticinia diuini vates quando Prophetizant mala ventura gentibus idololatris: quibus non prædicunt solamen, sed grauamen,& pondus diuinæ iustitiæ eas oppressurum. Vt contra Moab, contra Tyrum,& c.

EXPLA-

EXPLANATIO
IN HABACVC CAP. I.

ONVS quod vidit Habacuc Propheta. Superiore explanatione exposuimus, septuagintа non onus, sed lema legere, quod significat assumptionẽ, vel acceptionem, & cur hac nomenclatura appellentur sacra vaticinia. ¶ At vero Hebræa vox Massa, quæ hoc loco habetur, pondus vel onus interpretatur. Quoniam vaticinium est graue & molestũ ad ferendum Babylonijs contra quos dirigitur. Quæ enim molesta sunt nobis auditu, vel visu, grauia dicimus esse. Erat autem molestissimum hoc vaticinium Chaldæis quod prædictio erat excidij Babylonici regni, quo nihil Babylonijs grauius, vel molestius prænuntiari poterat. Ideo dicitur onus. Et loco illius orationis, quæ est in Nahum, liber visionis, hic ait, *quod vidit Habacuc Propheta*, raro reperies in exordio se insignire vates nomine hoc Prophetа, in hoc extat, & in Ieremia, verba ait Ieremiæ Prophetæ id quod Paulo Apostolo est solenne se in exordio suarum epistolarum vocare Apostolum Iesu Christi, excepta epistola Hebræis conscripta. Interpretatur Habacuc, luctator, vel amplexans. Et verè illi accommodum est nomen, nam luctatur cum Deo, disputans cum ipso, cur permittat iustos, & probos subigi ab iniustis, & improbis. Vnde luctam hanc, sic exorditur. *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens & non saluabis?* Ieb. 21. *Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniustitiam contra me?* Ier. 12. Mala. 3. Fuit olim opinio Philosophorũ quorundam, nomine tenus Philosophorum, qui æstimarunt Deum nescire particularia, & ideo illa non curare, quorum delirium Psal. 93. denarrat dicens. Dixerunt, non videbit Deus, nec intelliget Deus Iacob. Et Ezechi. 8. & 9. idem refertur. Et dixerunt ait, non videbit Dominus: & sæpe aliàs in scriptura huiusmodi error repetitur & reprehenditur. Et quidem est facilis lapsus humani ingenij in huiusmodi errata. Etenim, cum homines se indigne premi calamitatibus aduertunt, & ad Deum recurrunt vt asserantur, nihilominus illis succumbunt, continuo humana prauitas existimat Deum non curare humana. Alij vero, qui in voluptates incumbunt, & hoc vnicè optant satiari sæculi delicijs, cum illis occinunt prædicatores diẽ iudicij, & horrendas peccatorum in altero sæculo pænas subsannãt, pænas quas nõ vident, & asserunt vt sibi securius in vitijs gratulentur, Deum humana non curare. Vnde processit illud Hispanorum stultũ prouerbium, *En este mundo no me veas mal passar, que en el otro no me veras mal penar.* Hæc autẽ errata esse insipientissima egregius psaltes Psalmo præcitato refellit dicens, intelligite insipientes in populo. Et stulti aliquando sapite, Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum, nõ considerat. Qui corripit gentes, nõ arguet &c. Et equidem pulcherrimum est Dauidicum argumentũ. Etenim Deus aut est causa omnium particularium effectuum, aut non est causa, igitur iners & dormiens est Deus si nihil efficit. Si vero efficiens, aut efficit omnes effectus, aut quosdã efficit, & alios non efficit: si efficit omnes, igitur cum efficiat per intellectum & voluntatem, quos efficit scit omnes. Et quia effectus sunt particulares qui efficit omnia particularia scit omnia particularia. Quod si dixeris non esse cautam efficientem omnium effectuum, rogito cur non omnes efficit, num quia impotens, num quia inuidus, Deus autem est omnipotẽs, & optimus, igitur cum bonũ sit sui ipsius diffusiuum, qui est infinite bonus, nulli inuidebit. Non me latet hoc erratum fuisse Arabi illi summo Philosopho attributũ. Verum Arabs iste, qui fuit Aristotel. egregius commentator, non hoc credidit, esse Deum ignarum rerum particularium, vt alibi nos diligentius ostendimus, sed confessus est Deum nescire particularia sicut nos scimus. Nostra enim scientia particularium ab ipsis particularibus dependet: at vero diuina scientia non est dependens à particularibus, Deus enim non accepit notitiam à rebus, sed ipse est suapte natura omnium rerum notitia purissima, & per seipsum omnia nouit. ¶ Porrò autem Hieronymus com. ad hoc caput, item videtur irrationabilium Deum non habere notitiam particularem, neque prouidentiam, sed solum generalem. Videlicet nouit quod loco terrestri nascuntur culices, & vermes vespæ & apes, aquis vero pisces, quibusque cibis nutriantur, at vero parti-

Erratum Philosophorum.

Argumentum quo probatur Deum habere scientiam particularium.

1. *sentent. dist.* 39.

particulatim non nosse quot sunt arenæ maris,aut pisces,&c. Quia absurdum ait, est ad hoc deducere maiestatem Dei, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices,quot ve moriantur. Quæ cimi cum & pulicum & muscarum in terra sit multitudo,&c. At vero creditur ex sententia aliorum hoc dixisse. ¶Et quidem dogma istud non probat candida philosophia,neque syncera Theologia. Enim vero,vt colligebam dudum Deus efficit vniuersa non solum perfecta, sed etiam animalcula, & vniuersa irrationabilia;quia causa prima plus influit in effectum quam secunda,secundum axioma Philosophis receptissimum,cum ergo Deus efficiat per intellectum & voluntatem, planum est Deum intelligere distincte vniuersa animalcula,& vniuersa denique rationalia,& irrationalia. ¶Et Hieronymus ipse idē testatur tractans illud Matth. 10. Nonne duo passeres asse veneunt super terram, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. Quæ verba tractans Hieron. aperte docet etiam animalcula & irrationalia diuinæ subiacere prouidentię. Quia passerculi non possunt decidere,sine Dei disponente nutu. Et apertè Dominus hoc elidit erratum, ait enim. Respicite volatilia cæli,quæ nō seruntneque metunt &c. Cōsiderate lilia agri quo modo crescunt,non laborāt neque nent.

Matth. 6. Dico autem vobis,quod nec Salomon in omni gloria sua &c. ergo si fœnum agri Deus sic vestit igitur fœni habet prouidētiam vestiendo illud & volatilium vestiē do illa, sicut igitur Deus nihil excludit à sua efficientia ita prorsus nihil excludit à sua prouidentia. Hæreticum igitur dogma est, excludere singularia à Dei prouidētia. Porro autem Psal. 72. proponitur, hæc expostulatio quam quidam habent cum Deo, cuius habere, fit mentio. Eccè ait,ipsi peccatores & abūdantes obtinuerunt diuitias,& dixi,ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Et prius de peccatoribus dixerat in labore hominum non sunt, & cū istis non flagellabuntur. Verumtamen, quia Dauid diuino imbutus spiritu, hoc dicebat,sanè inculpatè dixit. Sed dixit in persona hominum multorum,qui ita cogitant, cum enim aduertunt se meliores esse alijs,at vero se despectos & pauperes, alios vero onustos peccatis sublimes esse personas continuo obmurmurant contra Deum,quod non iuste agat cum ipsis, & quod frustra ipsi Deo seruiant, quandoquidē à Deo deserūtur. ¶Et hoc est quod ait Dauid. Et dixi,ergo sine causa iustificaui cor meum. Et subdit,existimabam, vt cognoscerem hoc,labor est ante me,idest, putaui me assecuturum esse causam huius quæstionis;cur Deus affligat nunc iustos & benefaciat impijs,verum duxi quæstionem esse laboriosam & difficilem scitu donec intrem in sanctuarium tuum idest,donec tu doceas me; quod interim iniusti prosperos habent successus tantisperdum vita hæc labitur mortalis,at vero nouissima eorum,erūt miserabilia,quia eos æterno damnabis. ¶Est autem consuetum diuinis autoribus,quædam proponere in persona aliorum,vt supra vidimus, & nunc in regio vate,& in Eccles. apertè monstratur,nihil inquit habet homo,iumento amplius,&c. quæ sunt verba opinantium hominis animam mortalem esse vt iumentorum. Hocque idem reperire licet modo in nostro vate. Nanque multa quæ hoc cap. tradit ex persona male affectorum in Dei prouidentia refert. Siquidem cū ipse hæc dicat ex Dei spiritu,nam ait, *Onus quod vidit* Habacuc, igitur inculpata sunt vatis verba,neque ipse in propria persona cum Deo expostulat sed agens personam male affectorum ad Dei prouidentiam. Est autem aduertendum, Dei prouidentiam, quia ex infinita sapientia Dei,atque bonitate creaturis omnibus impenditur, ideo non est ab humano captu comprehensibilis,maximè,in prouidentia, quam humano generi impartit: Siquidē est valde occulta nobis. Cum enim Deus hominibus prouidet,non solū habita ratione ad præsentia,vel inala,vel bona,sed etiā ad æterna,quæ cum sint nobis occulta,ideo fit vt Dei prouidentia quam Deus administrat humano generi,item sit admodum fugiēs humanum intellectum. Quocirca exortæ sunt quæstiones de diuina prouidentia, videbatur enim Deum benefacturum sem per pijs,& lęsurum impios;& cum contra fœpe aduertatur accidere, hinc obmurmurat humana meditatio contra suum autorem: quia huius mysterij causam ignorat. ¶At vero, si vestigare licet tantum arcanum, quia comprehendere non licet donec intremus in sanctuarium Dei,& aperta visione diuinam cernamus claritatem dicere

Quidā male affecti sunt ad Dei prouidentiam.

Ecclē.3;

Diuina prouidentia incomprehensibilis ab homine.

dicere oportebit,nō semper iustos opprimi ab iniustis,neq; semper iniustos,pseros habere successus. Nōnūquā em etiā iusti superāt iniustos,quos subiectos habēt. Itēq; aliqn in hoc seculo magnis honoribus & diuitijs fruūtur vt est videre in Patriarchis,& in Prophetis,quibusdā fuit em Ioseph in magnā prouectus gloriā apud Ægyptios, vt Daniel apud Babylonios, & esset immēsi operis, exēpla alia referre. Itaq; hac ratione Deus tēperauit puidētiā suā,circa res humanas, vti ex cōsideratione eiusdē leuaretur mens nra,ad prenoscēda futura pmia, iustorū & vēturas pœnas iniustorū. Vnde Iustin. Philosoph. cū videret quosdā Chri fideles propter fidei cōfessionē,mortē subire secū reputauit, q si illi vitā perdere nō timebāt,obfidei cōfessionē,q ex fide præmij sibi vēturi,occūbere illis nō fuit molestū. Indeque cognouit pmia esse æterna virtutis propter quæ adipiscēda sancti,nec vllas pœnas,neq; mortē ipiam formidabāt,quā quoq; oppetere ipse nō timuit eadē ipe illectus. Quaobrē, si Deꝰ in vita hac iustos nō sineret torqueri,sed feliciter semper agere, iuberet tātisperdū colerēt iustitiā,& impios omnino malis subderet omnibus, vtiq; crederetur alia prēmia nō esse sperāda,aut supplicia timēda,nisi tēporalia Ad hæc virtus nō in tēderet in æterna,sed tēporalia. Et quidē meritū virtutis eleuaretur si solū tēporalia spectaret præmia,itēq; peccata si deuitarētur,ob solas tēporales pœnas,&nō ex amore & virtutis studio, virtutis efficacia valde relaxabatur. ¶Accedit eodē,q viri iusti ex tolerātia tribulationū,& vexationū quas interdū iniustè patiūtur,multū promouētur in virtutis amore,valdeq; inhiāt æterna vētura prēmia,vt tādē quiescāt à laboribus suis. Id qd nō cōtingeret, si p votis omnia eis succederēt ¶Præterea quia ex vexatione humiliant corda sua coram Dño,&recognoscūt se esse peccatores,etsi alioqui sint iusti: siquidē in multis offendimus oēs. At vero,si p votis esset rerū successus,humilitas relaxabatur, & superbiæ & arrogātiæ dabatur occasio: crederēt em iusti ob sua merita sibi omnia fœliciter succedere. ¶Et quidē cū patiētia,& humilitas sint clarissimę virtutes,istis nullꝰ erat locꝰ si iusti,nihil mali paterent. ¶Eildē accedat q Dns Deꝰ primū condidit hominē in paradiso voluptatis,& in summa naturæ beatitudine eū collocauit: at vero ipse abusus fœlicissimo statu,lapsus est *in miseriā*,ideo Dns suos famulos affligere decreuit, ne abusi fœlicitate protoplasti augeāt calamitatem. Et ideo omnibus ait. Qui vult esse meus discipulus tollat crucē suā, & abneget semetipsum,& sequatur me. Et rursus illi concinit, quod acta Apostolica referūt per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. ¶Et cōcinnè ecclesia canit. Tunsionibus,pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis &c. Sicut enim artifex tundēdo lapides,illos expolit, vt aptentur ædificijs ita Deus iustos tundendo laboribus, eos expolit,purgando illorum peccata, vt apti sint, qui coaptentur cœlesti regno. ¶Non ergo afflictio iustorum est indicium, quod Deus circa res humanas prouidentiā nō habeat, imo re benè expēta est signū summæ prouidētiæ ad bonū iustorū promouendū, vt videlicet merita ipsorum increscār, vnde vberiores reportent remunerationes. Hac igitur finit ratione iniustos homines eos affligere, vt ex patiētia,afflicti, reportēt coronas,& inde affligentes, grauioribus premātur supplicijs. Ideoq; afflicto Paulo dixit sufficit tibi gratia mea,nā virtus in infirmitate perficitur. Iā vero istis præmissis strata est via,ad intelligētiā quæstionis quā proponit Habacuc disputās cū Deo, cur Chaldæos pessimos homines,& tyrānos sinat præmere Iudæos, Dei cultores. Quippe durū satis videtur per iniquos seruos,affligere filios. Erāt autē Chaldæi velut iniqui serui,siquidē idololatræ erāt: at Iudæi tāquā filij adoptiui erāt. Et hoc est quod ait, *Vsquequo Dñe clamabo*. Videlicet vt Iudæos liberes à tyrānide captiuitatis Babylonicæ & nō exaudies? *Cur ostendisti mihi iniquitatē*. Ostēdit Deus illi vel quia vates vidit captiuitatē,quia sua ętate facta est,aut vidit visione vatidica. *Iniquitatem* vocat ipsam captiuitatē, quā iniquo animo fecerūt Chaldęi,hāc quoq; vocat laborē,& prædā. Chaldæi enim & gētē Iudaicā,& opes trāstulerūt in Babylonē, vt sæpe annotatū est. *Cōtra me*, quia captiuitas illa erat cōtra fratres suos,erant enim omnes ex eadē stirpe descēdētes. *Quare respicis cōtēptores,& taces cōculcāte impio iustiorē se*,contēptores vocat Chaldæos, qui contemnebant Deum, & impium vocat Nabuchodonosorem, & *iustiorem* vocat populum Iudaicum. Et hoc idem accidit quotidie, vnde & Sarraceni, conculcant

Ex diuina prouidentia mens surgit ad prænoscenda præmia virtutis et stipendia vēturæ pœnæ cati.

ſæpe Chriſtianum populum, & olim redegerunt Hiſpaniam in ſuam ditionem & Turcæ bonam partem, aut maximam partem Chriſtiani dominij ſubiectam habent cum alioqui ſint impijſsimi & ſpurciſsimi. Et quanuis fideles ſint peccatores ſunt vtique longe meliores illis, qui fidem Ieſu Chriſti colunt. Et in principio naſcentis eccleſiæ, Chriſtiani omnes erãt ſubditi gentibus idololatris, à quibus mirum in modum fuerunt diuexati, adeò vt innumerabilium fidelium innoxiorum ſanguinem funderent. Et quidem huiuſmodi quæſtio etiam apud gentiũ poetas, pdita eſt, vnde Heſiodus in operibus.

Iuſtitiæ nulla eſt ratio quicunq; decorum
Religione calet, qui ſanctè nomina iurat
Hunc homines ſoliti, veluti contẽnere inertẽ
Sed qui ſacra Deum neglexit faſq;, nefaſq;
Permiſcet falſæ & nouit periuria linguæ,
Hic multum ante alios ſolet admirabilis eſſe
Fortior hic vexat meliorem ſæpè nocendo
Artibus iniuſtis, iniuſta & fraude doloq;

Verum etſi hoc expertum ſit & modo, & ab antiquo, imo ab exordio naſcentis mũdi, Cain enim iniquus occidit Abel fratrem iuſtum, nihilominus perpetua experientia, non detrahit diuinam erga res humanas prouidentiam. Etenim vt egregius cecinit pſaltes vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriã eorum. Et iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. Et rurſus Sapien. 14. Deo odibilis eſt impius, & impietas, & item non eſt hoc tuum qui iudicas terram in æquitate.

Gene. 18. Quod ſi iudicat orbem in æquitate, nulla eſt iniquitas ſed ſumma æquitas permittere malos affligere bonos. Quanuis enim afflictio eſt iniqua, at permiſsio diuina, eſt æquiſsima. Ex iniqua enim illa afflictione, qua ſancti, premuntur ab iniquis, vt ſancti martyres ab impijſsimis tyrannis, martyres lucidiſsimas & æternas adepti ſunt ſedes, & eccleſia Dei fidei teſtimonium aſſecuta eſt non pœnitendum. Rurſusque, alij iuſti & boni, paſsi iniurias ab iniuſtis, ex patientia merita ſibi conciliant magnæ gloriæ coram Deo. Et pœnas ſuorum peccatorum patienter ſic ferendo purgant. Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia vero ſpem vitæ æternæ. Vt enim fornax probat aurum, ſic tribulatio probat iuſtos, vt ij ſcilicet qui probati ſunt coram Deo, coram hominibus manifeſti fiant. Permiſit igitur Deus Iudæos, pati à Chaldæis, quippe Iudæorum multa erant facinora, quæ illa paſsione erant punienda. Et quãuis eſſent inter Iudæos multi pij vt fuerunt Ezechiel, & Daniel, & cæteri pueri, quos ob ſuam pietatem flamma non tetigit ignis, alijque plures, quos ſilet ſctiptura, cæterum iſti eandem captiuitatem paſsi ſunt, quam & peccatores Iudæi ſuſtinuerunt. Siquidem iſti eò captiui ducti ſunt, vt eſſent ſolatio alijs, & deducerent ad pœnitentiam, Deus enim puniens ſuos, etiam eoſdem conſolatur. Vt etiam Iſraelitas ſceleſtos, quos abegit Salmanaſar, conſolabatur Deus, & trahebat ad pœnitentiam, per Tobiam, & alios pios homines. Quorum etſi non fiat mentio, at credibile eſt alios item fuiſſe, qui idem præſtarent, quod Tobias, etſi hic quia excellentior illis, ideo memoria proditus eſt. Quanuis enim Deus affligat per iniuſtos iuſtos, cæterum etiam eos ſolatur, vt Paulus ait, Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Sarracenos autem, & Turcas permiſit vſurpare Chriſtiana Imperia vtique in vindictam noſtrorum peccatorum. Nanque Hiſpania, quando capta fuit à Sarracenis, multis erat contaminata ſceleribus, in quorum vltionem Hiſpanos ſubiecit peſsimis hoſtibus & potiſsimè, quia tunc diuina religio læſa erat. ¶ Vt & Græcia quia iam pridem recalcitrabat cõtra Apoſtolicam Sedem, nolens illi colla ſubmittere, ſubiecit Deus eam Turcis, ſiquidem noluit ſe ſubijcere legitimo vicario Chriſti Romano Pontifici, ſubiecta ſit ſpurciſsimo vicario Diaboli Imperatori Turcarum. ¶ Denique, bona & mala naturæ & fortunæ diſpoſuit Deus communia eſſe & iuſtis, & iniuſtis: quanuis, plerunque permittat iniuſtiſsimos homines valde in hoc ſeculo florere, & pijſsimos marceſcere, propter cauſas prætactas: bona autem gratiæ & gloriæ iuſtis ſolum conceſsit. ¶ *Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem*, verſus hic neque extat in Hebræo, neque in Græco codice: imo neque in latina editione, quæ dicitur beati Hieronymi, quæ habetur in Biblijs Hiſpanienſibus: neque in tranſlatione Vatabli, etſi infra fere ad calcem tradatur huius capitis.

¶ Eſt autem ſenſus. Permittes Domine homines

Ex malis à Deo permiſsis multa parãtur bona.

Hiſpania curreda-cta eſt in poteſtatẽ Sarracenorum itẽq; Græcia in poteſtatem Turcarũ.

mines eſſe inſtar piſcium, in quibus magna rapacitas, & ſæuitia eſt: ſiquidem, maiores deuorant minores. Et non ſolum eos deuorant, qui diuerſam habent ſpeciem, imo eos qui ſunt nacti eandem ſpeciem, id quod crudelius eſt vt eſt videre ſæpe in faucibus piſcium alios piſces ſemitraiectos piſces item nullum habent ducem: neque etiam ordo iuſtitiæ, recognoſcendi ſuperiorem in ipſis ſeruatur, qui alioqui in auibus, & volucribus videtur gallinas, videlicet, ſequi ducatum gallorum, & pullos gallinarum ſequi adminiſtratione & grues, literario ordine ſuum ducunt agmen: item & greges ouium, caprarum & armentorum, ſuum ſequuntur ducem, & paſtorem.

Inpiſcibus & reptilibus immanitas eſt & crudelitas.

¶ Reptilia item vt lacerti & colubri, &c. Item ſe immaniter deuorant, & ordinem iuſtitiæ non ſeruant, neque etiam ducatum alterius ſequuntur, ſed pro ſua libidine viuunt ex rapinis. Deus igitur ſæpe hoc ſinit fieri in humano genere, vt nullus ſeruetur ordo iuſtitiæ, nulla lex obtemperetur recta, ſed quod tyrannicè viuatur, vnuſquiſque quo potentior fuerit, eò dominetur amplius. *Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior.* Iudicium hoc loco vt ſæpè alibi litem ſignificat. Vt ſit ſenſus & facta eſt lis, & contradictio potentior. Hoc eſt pugna, & contradictio Chaldæorum præualuerunt contra populum tuum te colentem. Quaſi dicat cur tu hoc permittis? & eſt repetitio prioris quæſtionis per alia verba.

¶ *Propter hoc lacerata eſt lex: & non peruenit vſque ad finem iudicium.* Infert vates, mala quæ ſequuntur, quia Deus permittit impios florere in hoc ſeculo, & pios torqueri. Quoniam inde infertur, quod diuina lex laceratur, & non mandatur executioni, ſiquidem inſipientes homines credunt nullius eſſe frugis legem Dei obſeruare, cum vident obſeruatores eiuſdem malè in hoc ſeculo habere enim vero inſipientes totum fructum diuini cultus, temporalium bonorum copiam eſſe reputant: neque ad bona ventura quæ æterna ſunt mentes ſuas erigunt. Et non *peruenit*, ideſt lex Dei non mandatur executioni: nam per iudicium, Dei legem ſubaudit modo. *Quia impius prævalet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.* Quia tu Domine permittis iuſtiſsimum quemque pati ab iniuſtiſsimis, & ſceleratiſsimis, ideo putant ignari homines tuum iudicium ſeu prouidentiam non eſſe rationabilem. Ignorantes enim cauſam huius tuæ permiſsionis arbitrantur eam eſſe iniuſtam.

¶ *Aſpicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cum narrabitur.* Sumit hoc loco vates perſonam Dei vt demonſtret diuinam prouidentiam eſſe iuſtiſsimam, curamque Deum gerere ſuorum, in tempore opportuno. Quanuis enim ſinat ad tempus ſuos affligi ab impijs at vero non ſemper. Vt dixit Iſaias capite. 54. ad punctum immodico reliquite, & in magnis miſerationibus congregabo te. Vnde ait modo luſtrate omnes gentes, & videte diligenter, vt Deus dilatauit imperium Chaldæorum, non ſolũ contra Iudæos, ſed etiam contra alias gentes. At vero conſiderate etiam quod vlciſcetur tandem hoſtes ſui populi Babylonios, euertendo, & deſolando eorum Imperium, quod magnificentiſsimũ eſt. Admiramini Dei poteſtatem, & ſtupor vos corripiet, in ſubita mutatione tanti imperij, & tranſlatione eiuſdem ad Medos & Perſas ſub nocte vna. Quis crederet tam ſubitam narrationem, hanc narranti? Mirabilia enim, quando narrantur ſuperant fidem audientium. Non ergo deſerit Deus ſuos, vt ignari credunt, ſed ad horam ad profectum ſpiritualem ipſorum concuti ab iniuſtis eos ſinit. At vero, ipſe qui vulnerat, ipſe ſanat, & vberior eſt ſanitas, quam fuerit vulnus. Optimi enim medici eſt propinare potionẽ ægroto, quando oportet, quæ alioqui amara cum ſit nihilominus propinatur, vt ſaluti ægroti ea ratione conſulatur. *Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poßideat tabernacula non ſua*, declarat quod ſit illud ſtupendum opus & mirabile, quod dixerat dudum eſſe facturum Deũ, eſt autem opus amplitudo Babylonici imperij, quod dilatatũ eſt tunc in multas orbis partes, id quod fieri nequibat, niſi Deo annuente, vt per Chaldæorum tyrannidem, vlciſceretur ſcelera multarũ gentium. Ego *ſuſcitabo*, meo nutu excitabũtur. *Gens amara*, ideſt crudelis, & tyrãnica, & velox, ideſt præcipitãs cõſilia ſua, freta multis viribus ſuis *ſuper latitudinẽ* cuius Imperiũ erit latiſsimũ. *Vt poßideat*

tabernacula vocat vrbes & regna aliarum gentium, non sua quia tyrannice vsurpauit illa. *Horribilis est, & terribilis est, ex semetipsa: iudicium, & onus eius egredietur* terribilem, & horribilem aspectum ad terrendum videtes habere Chaldæos significat. Itemque quod dixerat supra esse præcipites consilio, nunc aliter inculcat, dicens ex se ipsa egredietur iudicium & onus, ideſt, sunt adeo feri moribus, vt non legibus iustis sua & aliena moderentur, sed potius pro sua libidine agãt quod cunque agendum decreuerint. Hoc autem vera Philosophia dictat, vt homo non dominetur, sed ratio. Nolumus dixit ille hominem dominari, sed rationẽ: contra quod, est illud tyrannicum, non Philosophicum verbum, sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Hoc autem erat consuetum Chaldæis sententiam ferre non pro rationis moderamine, sed pro suæ libidinis impetu id quod bestiarum mos est. Pro onere Chaldæus paraphrastes legit sententiam, & satis quadrat, *Ex semetipsa*, scilicet pro sua voluntate & libidine egreditur iudicium, seu consilium de agendis, aut vitandis & sententia. *Leuiores pardis equi eorum*, velociores lupis *vespertinis*. Chaldæorum vultus qua les essent, qualeque ingenium cum dudum ostendisset, apparatum, & instrumenta bellica, nunc describit vates dicens equos Chaldæorum esse leuiores pardis. Quid sit pardus primo expressimus tomo, esse videlicet animal in genere ferarum rapidissimum & velocissimi motus: maculosam gerens pellem, mediam inter leonẽ, & tygrim. Equi igitur cum sint præcipua instrumenta bellica, ij aptissimi bello sunt, qui velocissimi sunt, ad fugiendum si opus fuerit, & ad inuadendum hostes, cum temporis opportunitas postulauerit. Quales feruntur esse equi Arabum, & Africanorum cursum qui habent ocyssimum, etsi non sunt pulchri admodum aspectu sunt tamen valde veloces motu. Et in bello, non pulchritudo equorum sed velocitas, & impauiditas desideratur. Lupi autem item sunt dexterrimi, ad prædas captandas. Luporum autem vespertinorum meminit. Quia lupi noctu suas parant insidias, & noctu suas rapiunt prædas: est autem lupus animal truculentissimum, quod non solum pro alimento sibi comparando, prædatur, sed pro sua truculentia satianda, greges mactat. Ex quibus vates demonstrat truculentissimos, & immanissimos esse Chaldæos contra duas tribus, & contra alias nationes contra quas sæuiebant. *Et diffundẽtur equites eius: equites nanque eius de longè venient*, si equos dixit velocissimos, equites qui ipsos equitant, item velocissimè discurrent super faciem terræ. Et significat sermo hic, Chaldæos velociter sibi subiugasse nationes. *De longe*, Chaldæa enim valde distabat à Iudæa, id quod subsequenti versu, euidentius declarat. *Volabant quasi Aquila festinans ad comedẽdum. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens.* Ventus Orientalis, qui flat in terram sanctam, est vehementissimus, & intolerabilis, quia maximè deurens, significat igitur quod prima aggressio Chaldæorum qua aggressuri erant Iudæorum terram, erat futura intolerabilis Iudæis. *Et congregabit quasi arena captiuitatem*, ideſt immensam captiuorum ducet copiam, hyperbolicus est sermo. Neque hoc solum intelligito de Iudæis, sed etiam de alijs nationibus in quas aggressurus erat Chaldæorum exercitus. *Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Ideſt Reges potentes subiugabit, & principes tyrannos sibi subdet, & illos pro ridiculo habebit, ridens eorum imbecillitatem, ad resistendum sibi. Itemque munitissima loca occupabit, & pro ridiculo item sibi erunt, quia sibi facilia erunt captu comportatis nanque aggeribus, illas solo æquabit. Potest item hoc referri ad tres reges Iuda quos superauit Nabuchodonosor, scilicet, Ioakin, & Ioachim, & Sedechiam, & per tyrannos intelligit reges gẽtium qui ex maiori parte erant tyranni. 4. Regum. 24. & 25. ¶ *Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet: hæc est fortitudo eius, Dei sui* Nabuchodonosor, post multas victorias lapsus est in amentiam Daniel. 4. & Regnum & Imperium eius pertransiuit ab ipso, quia septennio durauit eius amentia, & in agro versans vt bestia, moderamina imperij administrare nequibat, sed alius administrabat. *Et corruet*, vt enim vates describerat Nabuchodonosoris gloriam, ita describit modo eiusdem lapsum miraculosum, vt dixerat supra, & futurum esse incredibilem

Chaldæorum ingenium.

Pardus ferum animal.

bilem. Et reuera videbatur superare humanam fidem, quod imperator ille opinaretur se esse bestiam, & campos versaret vt bestia. Exhibet autem ruinæ tantæ causam, quia victorias & triumphos quibus fuit à Deo vero honoratus, tribuebat Deo suo Bel, qui erat Deus falsus Chaldæorum. Hoc est quod ait fortitudo eius, ideſt, magnificas victorias dicebat esse Dei sui, & non veri Dei vel aliter. *Tunc mutabitur*, ideſt, ex felicissima fortuna, superbiet & efferetur contra Deum: nam vt prouerbio fertur honores mutant mores & transibit, ideſt transgredietur superbiendo, humanas superbiæ metas. Dixit enim, Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei? Daniel. 4. Sed vide ruinam. Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transijt à te, & ab hominibus deijciet te. Ideo modo vates ait, *& corruet*. Siue vt alia translatio habet & delinquet, fuit enim magnum peccatum Nabuchodonosor elationis contra Deum. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur?* Hic ostendit se conquestum fuisse supra de diuina prouidentia, non quia ignorabat, eam esse ineffabilem, sed agendo personam multorum ignorantium, qui illam temerè culpant, quia suis ignorantijs non fauet. Ideo ait modo, *à principio Deus meus es tu*, quem scilicet semper colo, & colui, & reuereor, vt summum vniuersorum Deum, *& sancte meus*, cuius sanctitatem super omnem sanctitatem colo, ideo omnia opera tua sunt sanctissima & nihil obliquum est in eis, & certa fide teneo quod te protegente non moriemur, sed tandem eripiemur à potestate Nabuchodonosoris: à qua etiam si voles eripiamur, ne tradamur in eius ditionem. *Tu à principio Domine.* Deus à principio, ideſt, ab æterno est verus Deus, at vero Dominus est creaturæ, postquam condidit creaturas ad gloriam sui nominis. Nam Dominus refertur ad seruum, ideo non extante seruo Dominus non erat actu, sed solum potestate: quia poterat habere seruos. *Domine in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes fundasti eum.* Explicat profunditatem diuinæ prouidentiæ, cur scilicet disposuerit Nabuchodonosorem, tanta amplitudine & imperij maiestate gaudere, alioqui pessimum, & trucem hominem. Non sanè quia Deo placebat Nabuchodonosoris impietas, quæ odio est valde Deo, vt infra docebit: sed vt per illius tyrannidem peccata & scelera multorum corriperet. Talia enim erant peccata, quæ talem vltorem poscebant. *In iudicium* positus est, vt iudicaret nationes iudicio pessimo, & corriperet eas correptione amarissima. *Munda sunt oculi tui ne videant malum.* Ideſt, tu sanctissimus es, ideo oculi tui non possunt probatam habere iniquitatem, sed potius quod placet oculis tuis mundum & sanctum est. *Et respicere ad iniquitatem non poteris.* Hic versus est repetitio dudum dicti. Hoc enim loco videre, & respicere, non denotant actum contemplatiuum mentis diuinæ, quæ omnia ab æterno intuetur; sed potius approbationem subnotat, sensus igitur est Deo non esse probatam iniquitatem. *Quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se.* Regreditur ad primã quã proposuerat in exordio capitis quæstionem. Et turgentiorem effecit quæstionem, quia iam confessus fuerat Deo non placere iniquitatem, quod si non placet, cur non punit iniquos diuexantes pios, & iustos homines. At hoc loco respicere, est respicere ad vindictam. Quod est dictu cur dissimulas iustis illatas iniurias? Vnde Ecclesiasticæ. 8. traditur. Quia non profertur cito contra malos sententia, absque vllo timore filij hominum perpetrant mala. *Et facies hominum quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem*, ideſt, ex tua dispositione factum est, vt Nabuchodonosor, tam facile vincat omnes nationes, quam est facile piscatori reti, vel hamo expiscari pisces. Et item sunt similes reptilibus, quæ cum non habeant Dominum facile capiuntur. Et sicut pisces & reptilia, impunè capiuntur, ita te disponente Nabuchodonosor sine magno damno suorum nationes sibi subiugabit. Est autem impunis horum captura, quia Dominum non habent, vt greges & pecudes, &c. alium sensum supra edidimus, at hic videtur Germanior. Quod si obiecteris nonnunquam pisces habere dominos, nam qui est Dominus fluuij, item est & piscium. Respond. hunc sermonem habendum se-

Deus ante quam conderet creaturas non erat Dominus actu, sed solum potestate.

cundum ea, quæ frequentius accidunt. Frequentius autem accidit piſces non habere Dominum defendentem piſcaturam. Niſi velis intelligere, non habere piſces alios piſces in duces, itemque reptilia, quod etiam textui congruit. *Totum in hamo ſubleuabit, leuabit illud in ſagenam.* Nabuchodonoſoris explicat ampliſsimum Imperium dicens, totum orbem videlicet expiſcatus eſt in hamo ſuo, ideſt, per exercitus ſuos *leuabit*, ideſt, ſubdet ſuæ ampliſsimæ poteſtati, quam ſubaudit per ſagenam. Et congregabit in rete ſuum, ideſt, transferet omnes nationes in ſuum imperium, quod eſt ceu rete irretiens, & detinens homines violenter ſubſeipſo. Sunt qui per rete, & ſagenam, ſubaudiant idolum Bel, quia omnia quæ redigebat Nabuchodonoſor in ſuam poteſtatem, tribuebat ſuo idolo & videtur verſus ſequens idem inſinuare. *Super hoc lætabitur, & exultabit: propterea immolabit ſagenæ ſuæ.* Ideſt propter hoc Nabuchodonoſor lætabitur, & exultabit, ex ampliſsimo Imperio cui præſidet, & immolabit ſagenæ ſuæ, ideſt Deo ſuo immolabit victimas ex gratiarum actione, aut occidet Deo ſuo in ſacrificium homines, idem eſt quod ſequitur, *& ſacrificabit reti ſuo.* Nam Nabuchodonoſor ſtatuæ, quam erexit voluit, quod omnes ſui ſubditi ſacrificarent & illi genuflecterent. *Quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.* In ipſis in idolis, ſcilicet, ſuis, dixerat, quod illis immolabat, & ſacra faciebat, quia *in ipſis*, ideſt, per ipſa idola (ex phraſi familiari ſcripturæ) pinguis facta eſt portio eius ſiquidem vt diximus vniuerſam gloriam, & opes. Nabuchodonoſor idolis ſuis tribuebat. Et per cibum pinguem, ſubaudit opulentiam diuitiarum. *Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat.* Propter hoc expandit ſagenam ſuam, ſi idolum ſubaudias, exponens hac ratione, quia putat ſibi Nabuchodonoſor à ſuo idolo hæc omnia tribui, ideo Nabuchodonoſor expandit gloriam ſui idoli, interficiendo illi quoſdam in ſacrificium ex nationibus ſubiectis. Si vero per ſagenam poteſtatem ſubaudias, *propter hoc*, quia ſcilicet ſecundos habet ſucceſſus, quotidie nititur dilatare ſuam poteſtatem, & bello nationes impetere, ſibi rebelles occidendo.

Moralia & myſtica.

Moralis ſenſus.

IAM vero vt ad moralia proferamus ſtylum, quæſtio quam propoſuit vates, cur boni affligantur, & diuexentur in ſeculo, & impij floreant in eodem. Cur quæ Deus ſinat peccatores conculcare iuſtos in præſenti vita, quæſtio eſt in diuinis literis ſæpè apud ſacros autores inculcata. Legimus enim Iob vigeſimoprimo. Quare ergo impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitijs? ſemẽ eorum permanet coram eis propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ: & non eſt virga Dei ſuper illos. Et apud Ieremiam capite. 12. Iuſtus es tu Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt. Plantaſti eos, & radices miſerunt: proficiunt & faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum, ideſt, etſi facis quæ ipſi petunt, & deſiderant, at vero à renibus, ideſt, à cogitationibus eorum tu longe abes. Et in Malachia capite tertio. refertur hæc impiorum ſententia, dixiſtis, vanus eſt omnis qui ſeruit Deo, & quod emolumentum quia cuſtodimus præcepta eius: & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum. Id quod primo proditum inuenimus in libro Iob capite præcitato. Qui dixerunt Deo, recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? Aut quid nobis proderit ſi orauerimus eum.

Collatio diuinorum oraculorũ ſuper quæſtione ab Habacuc propoſita.

¶ Porrò autem, etſi hanc quæſtionem à ſacris authoribus inueniamus motam, procul ſit à nobis praua cogitatio, quæ forſan quemquam afficere poterit putantem, diuinos authores dubiam traxiſſe ſententiam, circa Dei prouidentiam, an ſcilicet æquabilis ſit in diſpenſandis humanis rebus.

¶ Enim vero dubio procul, certiſsimè credebant Dei prouidentiam, ineffabilem & iuſtiſsimam eſſe in moderandis rebus humanis. Vnde Iob, loco prænotato expoſita felicitate impiorum, ſubdit continuo, diuinæ iuſtitiæ ordinem, in puniendis impijs: ſubdit enim ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferos deſcendunt. Neque locus hic de morte

morte & ſepultura temporali audiendus eſt, quæ omnes vorat, & iuſtos, & iniuſtos: ſed de pœnis gehennæ intellectum velis. Quaſi dicat Iob. Miramur ſanè, quod impij plurimum in modũ proſperentur. Nam ille mirabatur, de proſperitate impiorum ſui æui: nanque idololatræ id temporis ſceptra regnorum tenebant & nos de proſperitate impiorum noſtri temporis itidem miramur. Turcas ſcilicet, & Sarracenos ſpurciſsimæ ſectæ cultores florentiſsima nihilominus obtinere huius mundi imperia. At vero temperatur admiratio, dum ſubit, florem huiuſmodi cito ſiccandum, & deſcenſuros eſſe tandem ad inferos. Vbi nihil iuuabit eos ſeculi tranſacta maieſtas.

¶ Rurſus Ieremias iſtud non quærit, quia de iuſtitia diuina hæſitabat, nam præambulum ad quæſtionem proponendã præmiſit, dicens, iuſtus es Domine. Habacuc quoque, qui eandem quæſtionem propoſuit apertè ſe quæſtionem protuliſſe, non ex dubio quod habebat circa Dei prouidentiam, an eſſet æquabilis, oſtendit dum ait. Tu ab initio Deus meus, & ſanctus meus, vt in expoſitione literali elucidauimus.

¶ At vero huiuſmodi quæſtionem diuini autores, non formidarunt proferre, & ſcriptis mandare, ne ignari putarent quod iſtud eos latebat, & vt illam ſoluentes fideles rectam de diuina prouidentia fidem conciperent. Et ferè idem ſpectat quod in Eccleſiaſt. legimus. ca 9. verti me ad aliud, & vidi ſub ſole neque velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientum panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus & caſum in omnibus. Ex quibus verbis ſecũdum prætextum, videtur in diſpenſatione rerum humanarum non eſſe Dei prouidentiam, ſed opportunitati & caſui tribuendam.

¶ At vero Salomon non hæc memoriæ prodidit, quia ipſe exiſtimauit Dei prouidentiam humana negligere. Enim vero cum eſſet edoctus magiſterio cæleſti non poterat eum hæc veritas latere, vt ex eodem libro capite vltimo. patet vbi docet Deum ab homine ſuper omnia colendum: at vero ſi Deus humana negligeret, non eſſet cur ab homine eſſet ſuper omnia colendus.

¶ Verum illa verba dixit agens perſonam hominum inſipientum, qui cum arcana diuinæ prouidentiæ ignorent, caſui, & tempori humanarum rerum ſucceſſus tribuunt, & non diuinæ prouidentiæ. Quippe cum illis videatur iniuſta eſſe rerum humanarum diſpenſatio diuinæ prouidentiæ non tribuunt quam iuſtiſsimam eſſe futuram cum arbitrentur, iniuſtam diſpenſationem ab illa protinus ſubtrahunt, & caſui vel fortunæ illam tribuunt vt multis Philoſophis ſic Philoſophari accidit. Eodemque modo & ſancti vates agentes perſonam iſtorum ignarorum hominum propoſuerunt quæſtiones, quas hactenus diſſeruimus.

Qui dubitat de diuina prouidẽtia infidelis eſt.

¶ Porrò autem quicunque huiuſmodi quæſtionem propoſuerit dubitans diuinam prouidentiam curare res humanas infidelis eſt: nam dubius in fide infidelis eſt. Qui vero illam proponit, vt diſcat veritatem non vt dubitet de fidei veritate, non eſt infidelis, etſi imperfectus fidelis.

¶ Quorum perſonam modo agens Habacuc ait. *Vſquequo Domine clamabo & non exaudies.* Habacuc enim luctator interpretatur, tales ſunt fideles imperfecti qui nondum domauerunt cõcupiſcentias ſuas ſpiritui eas ſubdendo, ſed militiam ſpiritualem agentes ad Deum clamant atque vociferant dicentes vſquequo Domine clamabo vt vindices me ab aduerſarijs meis, à carnalibus ſcilicet & mundanis deſiderijs, & non exaudies? vociferant dicentes, vindica me Domine ab aduerſario meo, & tamen Dominus ſæpè tacet, dimittens famulos ſuos pugnare contra mundanas tentationes, vt quo magis perſeuerent in pugna vberiorem referant victoriam. Vnde Apoſtoli clamabant ad Dominum dormientem ſuper ceruical. Marci. 4. dicentes, ſalua nos quia perimus. Fluctus enim marini turgebant vehementer, & maris tempeſtas Apoſtolos vehementer deterrebat, nihilominus, Dominus dormiebat & dormiendo carne, vigilabat ſpiritu, ſed ſinebat eos clamare, vt ex maiori periculo erepti, Chriſti potentiam euidentius diſcerent.

Actor. 1.

¶ Non enim noſtrum eſt ſcire tempora & momenta, quando ſumus exaudiendi, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Quare cum beatiſsima virgo, peteret à Chriſto vinum, quod nuptiæ ille iam deſiderabãt dixit matri ſuæ. Quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea.

Ioan. 4.

Quæ igitur sit hora Christi, ad exaudiendas preces nostras nos latet, ideo clamant fideles sæpè & vociferantẽ & non exaudiũtur. At vero assiduam iustorum orationẽ valde esse proficuam, Iacobus meminit: nam si non conceditur quod petitur, forte vtilius est petenti quod iubtrahatur, quàm quod cõcedatur, & aliud donabitur suo tempore, quod petenti erit fructuosius. Vnde egregius psaltes, hoc idem sentiens aiebat, vsquequo Domine obliniscere me in finem. Quamdiu ponam consilia in anima mea? Et rursus cur despicis in opportunitatibus. Videntur enim nobis opportunitates ad impetrandum postulata, quæ coram Deo non sunt opportunitates, & subditur. *Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem videre.* Nanque cũ videt iusti se premi tentationibus violentis, & sciunt ex diuina permissione premi, clamant & dicunt, cur Domine iniquis istis tentationibus, & laboribus istis nos cõcuti permittis? Obseruandum est autẽ, quod non tolum Habacuc adumbrat imperfectos, sed etiam & viros sanctitate perfectos. Etenim, si quia interpretatur luctator, imperfectos adumbrat, vt prædictum est, item quia interpretatur amplexãs perfectos adumbrare nemo vetabit. ¶Perfecti enim viri Deum amplexantur charitate feruida, vnde eadem charitate imperfectorum, & totius ecclesiæ labores & ærũnas suas esse ducunt. Et pro illis abigẽdis, & arcendis Deum quotidie anxiè precantur & cũ Habacuc clamant dicentes. Quare ostendisti mihi iniquitatem, &c. Et rursus, vsquequo clamabo, & non exaudies? Talis ille erat qui aiebat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nõ scandalizor? ¶Nã sanctus Apostolus eo feruore charitatis vrgebatur, vt labores fidelium, & scandala quæ sustinebant ab impijs hominibus sua esse duceret. 2. Cor. 5. Charitas Christi vrget nos. Viri igitur perfecti, cum vidẽt ecclesiam Dei afflictari vel à tyrannis, aut ab hæreticis clamant & dicunt. Quare respicis contemptores? Infideles enim schismatici hæretici sunt contemptores fideliũ: & quia sæpè habent prosperos cõtra fideles successus indignantur sancti & dicunt, quare respicis contemptores, & violatores tuæ fidei & legis? hoc est cur videris illis fauere permittens eos prosperè agere contra ecclesiam. ¶Vt hoc æuo accidit Luthero, cuius perfidia latè se diffudit contra ecclesiã Iesu Christi. Lutherani enim vere sunt contemptores Catholicæ ecclesiæ. Quippe caput ecclesiæ Romanum Pontificem subsannãt, asserendo esse vicarium Antichristi, & episcopos, & cæteros fideles, hoc scomate feriunt, appellando eos papistas. ¶Verum nihilominus ex Dei occulta dispensatione habet Lutherus plerosq; multos sectatores, qui verbo & scripto contemnant ecclesiam Dei. At vero Paulus nos docet dicens oportet hæreses esse vt ij qui probati sunt manifesti fiant. Et Dominus. Necesse est vt veniant scandala, verũtamẽ vę homini illi, per quem scandalum venit, &c. Deus igitur permittit hæreticos esse, ad probationem fidei fidelium. Et equidem si coniectibus aliquid dare licet, coniector, in pœnam grauissimorum peccatorum, quibus Germani onusti erant Deum permisisse Lutherum eos seducere. Vt Paulus item meminit Philosophos quia cognoscendo Deũ, non sicut Deum glorificauerunt, ideo tradiros fuisse in desideria cordis sui. ¶Cur autem Deus taceat, videns conculcari fidẽ Catholicã ab hæreticis & ab infidelibus, scilicet à Iudæis & Sarracenis, & alia innumera mala fieri. Vtique vt ostendat suam benignitatẽ in aduersarios & hostes suos. Exemplum præbens nobis diligendi inimicos, & benefaciendi eis, siquidem ipse qui est omnipotens, & ideò, potẽs subito omnes euertere malefactores, non tamen euertit, sed facit solem suũ oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. ¶Adde quia expectat eos ad pœnitentiam: dissimulans ait sapiens peccata hominum, propter pœnitentiam. ¶Aduersarij autem Dei, contemnendo diuitias, bonitatis diuinæ, & patientiæ, & longanimitatis, quia ignorant, quod Dei benignitas, & longanimitas, est vt eos trahat ad pœnitentiam, thesaurizant sibi, impænitentes perseuerando iram & vindictam magnam Dei, in die nouissimo illis demonstrandam. Et quia noluerunt frui benignitate Dei expectante eorum pœnitentiam, experientur iram Dei, quæ exercebitur tunc contra impœnitentes. Et qui noluerunt esse vasa misericordiæ, erunt vasa iræ. Iustum enim est Dei iudicium, vibrare suam iustitiam, in eos, qui contempserunt suam misericordiam. *Hæc igitur est ratio cur tacet*

Psal. 12. *Psal. 9.* *Lutherani contẽptores Dei & ecclesiæ.* *Germania decepta à Luthero propter peccata sua.* *Roma. 1.* *Matth. 5.* *Sapiẽ. 11.* *Rom. 2.*

tacet Deus. Hæc ratio item cur illis videatur fauere, vt ex misericordia illis impensa, trahantur ad pœnitentiam.

Cur Deus non statim peccata. ¶Ineffabilis item dispensationis est quod Deus taceat quando impij conculcant iustos. Istud enim exercet patientiam iustorum, & auget merita ipsorum, ad maiora obtinenda præmia. An non conculcauerunt impij Iudæi ipsum iustum iustorum Christum, ipsum tradentes ignominiosissimæ morti? at vero ex conculcatione illa salus profecta est orbi terrarum. Et glorioius surgens ex mortuis hostes suos conculcauit, & conculcabit æternò in die nouissimo, vbi tunc iusti suos contemptores etiam contemnent, conculcatores conculcabunt, nam dominabuntur populis, Sapien. 3. & impij fatebuntur suam cõtra iustos stultitiam, Sapien. 5. ¶Porrò autem, quia Deus interim tacet, & arcum suum non vibrat, neque ferit impios, inde rapiunt securitatem ad peccandum ignari homines: ideo ait, propterhoc lacerata est lex, vt in Ecclesiast. legitur. Quia non cito profertur sententia contra malos, ideo filij hominum perpetrant mala. At vero Deus sic tacens non præbet occasionem peccandi. Qui enim exhibet spatium ad pœnitendum de peccatis non tribuit ad peccandum occasionem. Sed homo abutens Dei patientia, & benignitate, sibi ad peccandum arripit occasionem. Itaque causalis hæc, *propterea lacerata est lex, &c.* non significat quod Deus sit causa laserationis legis: Deo enim autore nemo fit deterior. At in hoc sensu sumenda est hæc propositio, vt significet propterea peccatorem ex sua prauitate arripere ansam, seu licentiam ad peccandum, quia videt Deum statim non animaduertere in peccatores. Eodemque modo accipito quod sequitur. *Propterea egreditur iudicium peruersum.*

Diabolus hostis humani generis, & maximè Christianorũ. ¶*Quia ecce ego suscitabo Chaldæos.* Per Chaldæos hostes atrocissimos Iudaicæ nationis, aptè subintelligemus dæmones hostes immanissimos humani generis, & maximè Christianę nationis. Dæmones enim sicut leones ferocientes circuunt fideles, technis multis & tentamentis varijs, si forte possint eos abducere à fide, & à Sanctis moribus. Ideò rectè dæmon vocatur diabolus, ideſt, calumniator, & Satanas, ideſt aduersarius. Et in Apocal. cap. 12. accusator fratrum, ideſt, fidelium appellatur.

¶Suscitat autem eos Deus, sinens eos nos tentare diuersis modis. Non quod Deus instiget, aut inducat dæmones ad tentandum nos, nam ea est dæmonis prauitas, vt non egeat instigante ad nocendum hominibus: quia suopte ingenio ad huiusmodi nocumenta inferenda nobis est prõptissimus. ¶Verum tamen, quia nihil potest suas contra homines exercere vires, Deo prohibente, ideo si Deus permiserit, dæmoni suam exequi prauitatem, hæc permissio, vocitatur sæpè in sacris scriptis suscitatio, vt & induratio permissio indurationis. ¶Describit autem vates diaboli pessimas conditiones, dum ait, *gentem amaram, &c.* Vtique amarissimi sunt dæmones. Nihil enim agunt nisi ex depravato & obstinato in malum animo: Quanuis enim bona velint aliquando impendere hominibus, vt medelam ad sanitatem, aut promotionem ducatum vel alia hoc genus, quæ suis cultoribus quandoque præstant, non tamen benè illa volunt. Quia ad malum finem ad decipiendum & nocendum sub prætextu boni illa impendere volunt. ¶Item est *velox*, habẽt enim perspicacissima ingenia, quia naturalia eorũ manserunt integra, etsi vitio maculata. Rursus sunt dæmones veloces, motu locali. Quia velocissimè mouentur, Iob. 1. vt nos. 2. Sententia. lib. vberius disseruimus. Tertia conditio, quod ambulant super latitudinem terræ. Etenim super terrenos homines, qui viam latam sibi elegerunt, dæmones ambulant, & istis dominantur, trahendo eos post se tanquam irrationalia pecora. Item possidet tabernacula nõ sua. Nam corda immunda infidelium, & corda inquinata fidelium, dæmon possidet, quæ tamen non sunt dæmonis, sed Dei creaturæ: ipse autem possidet tantisper dum sub peccato iacent. ¶Nam qui facit peccatum, seruus est peccati. Nonnunquã etiam corpora humana possidet, vt testantur energumeni. Quia igitur Deus dæmonem, sinit homines irretire, inde sequitur, quod fiat tyrannicus possessor hominis, qui alioqui non est suus ex natura, sed ex culpa se illi subdit. Et quò grauior est culpa eò grauior & periculosior est subiectio. *Item horribilis & terribilis est*, sæpe enim diabolus horrorem incutit fidelibus, & terrorem in via Dei ambulantibus: illam enim suadet suis iniquis suadelis esse valde horribilem & difficillimam, atq;

Diabolus conditiones. *Diabolus velox.* *Diabolus super latitudinẽ terræ ambulat.* *Ioan. 8.* *Diabolus horribilis & terribilis.*

accliuem, voluptates seculi omnes defere re,& malè parta restituere, inimicis parce re,eos diligere,illisque benefacere,&c. Et peccatoribus horribile esse,dimittere pec cata suadet,vt à pœnitentia arceantur, itē & hæc conditio est dæmonis quod vates inquit, *ex semetipsa iudicium egredietur & onus*. Nanque hoc amat valde, superbos esse homines, seipsos amantes,qui nō du cantur consilio aliorum, neque velint te neri iustis legibus: sed pro sua libidine fa ctitent,quidquid in animum eorum vene rit. Et ipse Satanas quales amat, talis ipse est,qui noluit Deo parere,& illi subdi dū erat in cælo,sed suæ voluntati hærens, di uinam deseruit ideoque rectè illi conue nit quod dicitur ex se ipso iudiciū & onus egredietur. Quia quidquid facit pro suo, non pro Dei arbitrio facit. *Et quod subdit vates leuiores pardis, &c.* aptè conuenit in fidelibus,qui sunt velut equi quibus dia bolus insedit,vt eos fræno infidelitatis du cat quo ipse volet. Sunt enim infideles le uissimi, ideſt promptissimi ad peccandū. Itemq; & hæretici,qui sunt etiā equi dia boli,quos ipse equitat & ducit pro suo ar bitrio, vt eos præcipitet in barathrum ge hennæ. Itemque & fideles qui fidem mor tuam habentes,præcipites sedant in pec cata velociores item sunt lupis vespertini, omnes peccatores,quorum studiū est alijs nocere, & sanguinem suggere paupe rum,vt est mos luporum, ouibus simplici bus insidiari, vt mactent & perdant eas. Equites autem horum equorum,sunt dæ mones, qui diffunduntur per vniuersum orbem,vt hominibus noceant. Isti autem equites de longe veniunt, nam dæmones de cælo fuerunt deturbati in terrā. Resi dent autem in caliginoso isto aere, vnde prosiliunt ad nocendum hominibus. Vo lant quasi aquilæ,quia ab Oriente in Occi dentē,& à Septentrione in Meridiem, ab vno denique hemispherio in aliud, subi to volant, sunt enim spirituales substan tiæ,ideoque subitos locales motus habēt. ¶At vero festinus iste motus, est ad come dendum,ideſt,ad satiandum suam libidi nem,ex hominum ruinis,quas dæmō nun quam non molitur. Ideo subdit, *omnes ad prædam venient*,quia animus dæmonis est, deprædari animam hominis. *Faciesq; eorū est tanquam ventus vrens*. Non habent dæ mones facies,quia substantiæ incorporeæ sunt, at vero metaphoricè facies eius, fa uor eius,quem impendit suis. Nanque fa miliaribus suis multa spondet bona:item que non familiares sæpe tentat ex volu ptate,ex honore,ex opibus,vt istis bonis oblatis eos trahat, & illectet ad culpam. ¶At vero facies hæc illecebra hæc titilla tio hæc,quæ plausibilis & amabilis vide tur facies ventus vrens est,quia deurit ani mi bona si illis assentiamus. ¶Et quia mul ti dæmoniacis suggestionibus parēt, ideo dæmon congregat sibi captiuos quasi are nam, quia infinitus est numerus stultorū, Eaque est tyrannica dæmonis potestas, quod *de Regibus triumphat*, nam hos habet captiuos,& tyrannos habet derisui, ideſt, principes mundi,facile inescat, & capit in suam seruitutem:imo soli ij eripiuntur ex vniuersis hominibus, qui Christi fidē syn cerè colunt,& secundum eam operantur, qui alioqui sunt pauci. *Et omnem munitio nem ridet*, Satanas nanque ridet philoso phorum philosophiam,& morales virtu tes,quamlibet sint clarissimæ, ista enim non eripiunt hominem à Satanæ potesta te, nisi gratia Dei per Iesum Christum. Nam omnes in Adā peccauerunt, & egēt gratia Dei iustificante. *Comportat autem aggerem*, vt capiat homines. Nam inuidia diaboli mors introiuit in mundum: & per vnum hominem peccatum, & per pecca tum mors. Obserua quem comportauit aggerem,in exordio mundi,vt munitissi mum protoplastum labefactaret, cur in quit vobis præcepit Deus,&c. Et hac ra tione cepit genus humanum in suam ser uitutem. *Tunc mutabitur*, videns se obti nuisse genus humanum,mutatus fuit dia boli spiritus,ideſt,auxit suam superbiam ex qua lapsus de cælo erat exultans quod hominem, quem Deus condiderat, vt la psum angelicum repararet, iam viderat item collapsum,& à regno Dei extorrem. At vero pertransibit, & corruet,hæc eius exultatio diluta est per Iesum Christum qui suo sanguine,ipsum expulit à sua ty rannide,& corruere eū fecit spolians prin cipatus & potestates, & traducēs sanctos patres ad cælestia regna. Erat enim diabo lus sicut fortis armatus, custodiēs atrium suum,at vero fortior superueniens Chri stus expulit ab atrio quod custodiebat, ideſt, à genere humano, & diripuit vasa iniquitatis in quibus confidebat. Erant au tem vasa hæc peccata,quæ Christus mo riens in cruce purgauit, ad Hebræos. 1. Domi-

Diabolus suo cū non prohibetur arbitrio facit quid-quid facit.

Dæmones subito mouentur.

Illecebræ diaboli etsi videantur sunt tamen ad deurendum mentem.

Nihil erit pit hominem à Satanæ potestate quamuis sit clarissimum nisi gratia Dei per Iesum Christum.

Marc.3. Luc.11.

Domine in iudicium posuisti eum. Permittit Deus diabolum fideles suos tentare, & exercere, ad profectum suum spiritualē, fidelis inquit Paulus.1.Cor.10. Deus est, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum. Rursus in iudicium diabolus est positus,vt qui in sordibus sunt diabo lo procurante sordescant adhuc. Nanque impius Prouerb. 18. cum in profundum peccatorum venerit contemnet. Et Deus obstinatos in suis peccatis permittit in ma iora prolabi peccata, & ideo ad punitio nem horum positus est à Deo diabolus. Et quidem fortis est hic hostis, quia, nisi Deus adiuuet speciali adiutorio, nullus euadet huius hostis tyrannidem. *Totum in hamo subleuabit*. Hamus diaboli sunt tendi culæ eius,& imposturæ ex quibus totum orbem inescat,quia & protoplastum pri mo inescauit, à quo hamo solum liberat gratia Iesu Christi,per fidem eius & sacra menta,& sancta opera nostra. Totum fa nè orbem sibi attraxit diabolus ex hamo suo. Quia in Adam omnes peccauerunt, solus Christus non fuit leuatus ex hoc ha mo qui venerat confringere diabolicam piscaturam,ipse enim peccatum nō fecit, neque est inuentus dolus in ore eius, quia sibi peccati macula repugnat. Beatissima autem virgo Maria cum iam paratus esset hamus vt expiscaretur à diabolo, Deus omnipotens fregit hamum,infundens ani mam eius in corpus gratia vberrima ple nam, vnde non potuit diabolus eam ex piscari. Non solum autem capit homines ex peccato originali, sed ex alijs, & hac captura lætatur,& exultat vt vates memi nit. Obseruabis autem vatem hoc loco me minisse trium instrumentorum, quibus pi scatores vtuntur ad piscandum,scilicet ha mi, & retis & sagenæ. Hamus autem est vncus in quo latet esca,inescādis piscibus. Rete autem, habet maculas quibus se in cauti inijciunt pisces. Sagena vero est ma gnum rete, quam Latini vocant verricu lum. Et hæc significant diabolicos astus esse varios ad capiendos homines.Nāque Reges & principes hamo piscatur, nam tyrannide & superbia eos capit. At mino res rete siquidem fraudibus,& calumnijs, nō potentia nocēt, vt Reges. At vero sage na vtitur ad omnes, nam voluptatibus,& delicijs seculi, omnes capiūtur,& summi, & infimi. Vnde peccatum originale est tanquam sagena, omnes homines capiens vt supra dictum est.

Apoc. 21.

Diabolus confertur piscatori.

Christus cō fregit diabolicū hamum.

Virgo Maria nō fuit expiscata à diabolo.

Hamus rete sagena quid sint, & quid denotent.

Peccatum originale

est tanquā diaboli sagena.

EXPLANATIO
IN HABACVC CAP. II.

VPER custodiam meam stabo,& figam gradum super munitionem: & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguētem me. Institutum est huius capitis,quæstio nem proximo capitulo motam, diluere. Et docet se quæstionem mouisse in perso na insipientum, solutionemque eius acce pisse à Deo. ¶Et breuiter quæstio erat,cur Nabuchodonosor impius quia erat idolo rū cultor florebat in seculo adeò, vt om nia illi pro voto cederēt,vnde & eius sæui tia in Iudæos fideles esset acerrima, id qđ videbatur minuere Dei prouidentiā in cu rādis istis inferioribus. Et respōsio est, nō esse diminutā neque inertē Dei prouiden tiam,sed esse solertissimam. Nanque Na buchodonosor erat tandem miserabiliter dejciendus ab imperio,in Balthasar nepo te suo,ait igitur *super custodiam*: vtitur pul chra metaphora,hominis obsessi. Etenim cum ciuitas est obsessa, distribuitur custo dia mœnium, hominibus industrijs & fi delissimis: qui partem sibi commissam, quæ vocatur custodia vigilantissimè cu stodiunt:ibi figentes gradum, ne ex incu ria custodiæ vrbs obsessa periclitetur. ¶In quem modum volens vates ostende re,se de quæstione mota fuisse solicitum, & à domino exquisiuisse solutionem, ait se modo esse obseruantissimum diuini ser monis,instar eius,qui obseruat custodiam suam. *Contemplabor*, ait, quid mihi dicat Deus, vt ego respondeam, ad arguentem me,ideſt,ad proponentem mihi quæstio nem præfatam, vel ad argumentum mihi propositum contra diuinam prouiden tiam, & istius arguentis cuius modo me minit,in cap. superiore agebat vates per sonam,vt pernotatum ibidem à me est. *Et respondit mihi Dominus, & dixit, Scribe vi sum,& explana eum super tabulas: vt percur rat qui legerit eum*. Reuelationem prophe ticam super argumento proposito, man dat Deus vati, vt scriptis mandet: scribat que eam clare,vt quilibet legens,legat eā sine offensione. Quia res est maximi momenti,certissimè habere Deum curare nostra:

noſtra: hinc enim omnia pendent, quæ ad ſalutē noſtrā & cultum Dei ſpectant. Nāque ideo colimus Deum vt benefactorem & iudicem noſtrum, vnde Apoſtolus, Accedentem ad Deum oportet credere quod eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt. Quod idem dictu eſt, oportet credere, quod habet rerum humanarum ſummam prouidentiam. Qua fide ſubmota periret ſalus noſtra, omniſque diuinus cultus aboleretur. *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem.* Reuelatio hæc non ſtatim executioni mandabitur, ſed in poſterum, erit implenda. Siquidem abolitum fuit imperium Babylonicum ſub Balthaſare nepote Nabuchodonoſoris, & non ſub ipſo Nabuchodonoſore. *Et non mentietur*, ſubaudi viſus vel reuelatio, quia certiſsima erit. *Si moram fecerit expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Expectare viſum, eſt executionem reuelationis propheticæ expectare: & ait, quod ſi executio fuerit moroſa, expectetur, quia non tardabit, & videtur colliſio in verbis. Etenim ſi morā facit, tardabit, quomodo ergo inquit non tardabit? Tu intellige, ex lōgitudine tēporis futurā tūc moroſam, at ſecūdū diffinitū tēpus à Deo, nō poterat eſſe moroſa. Quippe ſtatim ſub diffinito tempore erat implenda. Ideo iuxta deſiderium vatis erat moroſa, ſecundùm autem diuinam præſcriptionem, non erat moroſa: quia nondum acceſſerat diffinitum tempus, ſcilicet, quia poſt ſeptuaginta annos, erat abolendum imperium Nabuchodonoſor ſeu Babylonicum. *Ecce qui incredulus eſt non erit anima eius recta in ſemetipſo.* In Chaldæis Biblijs hic locus ſic transfertur. *Ecce dicunt in corde ſuo, non erunt hæc omnia quæ Deus prædici iubet: ſed iuſti in veritate eius, ſcilicet, Dei firmabūtur.* Vatablus vero, nō tranſtulit incredulus ſed faſtuoſum, & arrogantē. *Ecce animus faſtuoſi, & arrogantis, non eſt in ſe ſe rectus.* Græca vero lectio, aliter trāſtulit. *Si ſe retraxerit, non complacebit anima mea in eo.* Quæ tranſlatio eſt diuerſa valde ab alijs relatis.

Ad Hebr. 11.

Varietas tranſlationis.

¶ At vero quæ hic habetur vox Hebræa, deſcendit à verbo Hopal, quod ſignificat Hebræis ſuperbire & ponere cor contra Dominum, vel obſtinari in peccato contra Deum, vt exponit Rabi Kimhi in hoc eodem loco. Et ſenſus eſt Nabuchodonoſoris animus non eſt rectus in eo, & ideò ſuperbiuit contra Deum propterea; perit vel peribit. *Et quod ſequuntur iuſtus autē in fide ſua viuet*, ideſt, qui humilis & rectus eſt in fide ſua, hic non peribit ſed viuet. Hūc locum vellicant Lutherani, cum ſuo principe Luthero ex illo credentes ſe obtinere veritatem ſui peſtilentis dogmatis, ſolam fidem eſſe ſufficientem ad iuſtificationem impij. Siquidem vates ait, Iuſtus ex ſua fide viuet. Nam iuſtificatio eſt animæ vita ſpiritualis. Benedictus contendit hunc locum non de iuſtificatione eſſe audiendum, ſed de tolerantia ærumnarum, quæ multæ premunt iuſtos, vt ſit ſenſus, iuſtus per fidem quam habet in Deum, & quia credit diuinis verbis, ideo non deficiet in tribulationibus, vt deficiunt infideles, ſed per fidem ſuam conſtans erit & perſeuerans in mandatis Dei. Et ſuffragatur illi Chaldæa tranſlatio. *Iuſti in veritate eius firmabuntur*, ideſt, conſtantes erunt in gratia Dei propter fidem quā habēt diuinorū verborū. ¶ Item quia Paulus ait, Sācti per fidē vicerunt, regna operati ſunt iuſtitiā. Et tertio quia argumentatio hæc eſt ſophiſtica, iuſtus ex fide viuet, ergo fides eſt vita iuſti. Quia in ſimili forma hæc eſt inualida collectio, fur viuit ex rapto, igitur rapina eſt furis vita. ¶ Sed reuera, argumētatio nō eſt ſophiſtica, ſed legitima argumētatio, quia topicū eſt argumentū à cōiugatis, cuius Ariſt. 2. Topic. c. 3. meminit, itē Cice. in Topic. Et ſi ſeruetur vniuocatio vtrūq; verū eſt & antecedēs, & cōſequens. Etenim ſi quis colligat Petrus eſt coloratus ex albedine, igitur albedo eſt color optimè colligit. Et rurſus Petrus albeſit, ex albedine, igitur albedo albefacit, apta eſt collectio. Aut ſic, animal viuit ex anima, ergo anima eſt vita, vel, ſentit ex ſenſu, igitur ſenſus eſt ſentiens, cōgrua eſt illatio, quæ etiam ex alio loco tenet ab effectu ad cauſam, vt hęc aër illuminatur à candela igitur cādela eſt lumen. ¶ Dixi autem ſi vniuocatio ſeruetur, etenim, hæc vera eſt, iuſtus ex fide viuit vita gratiæ, ſi ſit ſenſus fundamentaliter viuit ex fide. Eſt enim principiū & fundamentum vitæ ſpiritualis, quæ eſt mentis humanæ iuſtificatio: quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Ideo Paulus vocat eā rerū ſperādarū ſubſtantiā, ideſt fundamētū. Et tūc cōſequēs eſt verū, fides eſt vita, ſcilicet, fundamētaliter. Nā fides non eſt formaliter, vel ſimpliciter loquēdo iuſtificatio, qa multi peccatores habent fidē mortuam, at vero eſt fundamentum, & principium iuſtificationis, non quidem formale, fides enim formaliter non iuſtificat: at vero eſt principium quodammodo efficiens iuſtificationem. Vt is qui docet ſiue doctor eſt efficiens doctrinam in diſcipulo, non quia eſt ipſa doctrina quę eſt in diſcipulo: ſed quia docet ea diſcipulum quæ ſi ipſe vult poteſt recipere, vt euadat doctus, vel ſi non recipiat, manebit indoctus. Ita propemodum fides docet nos viam iuſtitiæ & veritatis, qua ſcilicet ratione cōciliabimus nobis offenſum Deū, vt vero in doctrina hac ſiſtit: quia voluntati humanæ liberum eſt, illi vel acquieſcere, vel non acquieſcere. ¶ Similiter illa & argumentatio, viuit ex rapto, igitur rapina eſt, vita ſi ſeruetur vniuocatio bona eſt. Nanque antecedens, viuit ex rapto formaliter falſum eſt, vt & conſequens, quia ſolum ex anima viuitur formaliter. Itemque ſub eodem ſenſu & conſequens eſt falſum. ¶ At vero in ſenſu ſub quo effertur vulgo vtrumque verum eſt, & antecedens, & conſequens. Eſt enim ſenſus viuit ex rapto, ideſt, parat ſibi victum ex rapto, & hac ratione rapina vita eſt: quia ex ea etſi iniuſtè paratur tamen victus.

Bene. Mōtanus non probatur.

Fides non eſt principium formale iuſtificationis.

¶ Accedit eodem, quod ſenſus quem ipſe putat eſſe genuinum nihil habet genuini. Siquidem fides non præbet tolerantiam in laboribus, & ærumnis ferendis, ſed patientiæ, eſt iſtud opus. Tribulatio ait, patientiam operatur. Iſtud etiam ſpectat ad longanimitatem, cuius Paulus frequenter meminit dicens ad Rom. 2. Deum eſſe patientem, & longanimem expectando hominis pœnitentiam. Similiter, & homo fidelis eſt patiens & longanimis ferendo mala huius vitæ, propter bona alterius, quæ ſperat. ¶ Præterea Paulus hoc vtitur teſtimonio ad Roman. 1. loquens de iuſtificatione. Iuſtitia, inquit, in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, Iuſtus autem ex fide viuit. Item ad Galat. 3. eodem vtitur eandem iuſtificationis materiam tractans. Et ad Hebræ. 10. hunc locum vatis indicans cap. 10. ait, Iuſtus autē meus ex fide viuet, quod ſi ſubtraxerit ſe non placebit animæ meæ. Indicatque locum, iuxta editionem Septuaginta. Et ſi hæc iudicatio non tam apertè refertur in iuſtificationem, vt priores. Imo magis refertur, ad cōſtantiam in diuinis obſequijs. De qua loquebatur Benedictus. Cæterū vt aiebam, etſi fides ſit fundamentum huius conſtantiæ, tamen ſola ipſa non præſtat tolerantiam ſupra memoratam: ſed, charitas Dei patientia & longanimitas: at Paulus de fide formata loquitur, non de fide informi. Nos igitur cum Apoſtolo credimus locum intelligendum, de iuſtificatione. Et aſſerimus fidem formaliter nō iuſtificare, ſed fundamentaliter. Et fundamentum eſſe vitæ ſpiritualis, non tamen complementum. Iuſtus autem ex fide tūc omnino viuet, quando fuerit formata ex charitate Dei. Nam qui diligit filium habet vitam æternam. Ioan. 3. Erit igitur ſenſus hic verſus prædicti, qui incredulus eſt non erit recta anima eius in ſemetipſo, vſurpatur anima hoc loco pro voluntate, ideſt, non poteſt habere rectam voluntatem, imò peruerſam, vnde non habebit proſperum ſucceſſum, quia tandem peribit æterno. At vero iuſtus, qui fidē & charitatem Dei habet, ex fide, hac formata rectam habet voluntatem, ideo viuet æterno. Et hæc verba ſpecialiter tendunt contra Nabuchodonoſorem, cuius ſuperbia contra Deum fuit à Deo punita, & contra nepotem eius qui fuit orbatus imperio & vita. Porrò noſtra tranſlatio, tranſtulit vocem Hebræam ſignificantem faſtuoſum contra Deum, per incredulum. Quia omnes infideles ſunt faſtuoſi & arrogantes contra Deum, quia diuinis veritatibus quæ ſunt fidei veritates non acquieſcunt. Neque te moretur, quod dixit vates, Iuſtus in fide viuet, at Apoſtolus citat ex fide viuet. Quia in fide viuere ex phraſi Scripturæ, eſt per fidem viuere, & hoc eſt ex fide viuere. Et obſerua, quod ait in fide ſua viuet, vt ſubaudias non in aliena, aut ex aliena. Quod autem proditum eſt Ieſus autem videns fidem illorum dixit paralytico, Tolle grabatum tuum, &c. Eſt quidem verum fidem aliorum prodeſſe alijs de congruo, vt Dominus excitet cor hominis ſomnolenti ad pœnitentiam, at vero ſine propria fide nemo iuſtificabitur. Quod ſi obieceris paruulos nō in propria fide iuſtificari, ſed ex fide eccleſiæ, vt Auguſt. commemorat, & in. 1. tomo libro 1. Sententiarum diſſeruimus dicēdum eſt, paruulorum aliam eſſe rationem. Qui ſicut peccauerunt non ex proprio conſenſu, ita per baptiſmalem gratiam iuſtificantur, citra eorum conſenſum, ſed conſenſu eccleſiæ pro illis præſtito. Et quanquam non

Tolerātia Chriſtiana in laboribus non eſt proximè à fide ſed à charitate Dei & patientia.

non habeant propriam fidem actualem habent fidem habitualem à Deo infusam per baptismum, de qua re loco indicato operosius scripsimus. At vero Græcè habetur. *Ex fide mea viuet*, & idem est, quia fides est donum Dei, ad Ephes. 2. *Et quomodo vinum potantes decipit, sic erit homo superbus.* Vinum sæpissimè decipit potantes hauriunt enim plusquam satis est sæpe vinum, & inebriantur, id quod ipsis nõ subibat. Ita quoque superbia fallit superbos, quia eos præcipitat, quo ipsi non cogitabant. Hoc dicit propter Nabuchodonosor quem fefellit sua superbia contra Deum, Daniel. 5. quia deiectus est ab imperio, vt inter feras syluestres vitam duceret suam, & propter nepotem eius Balthasar, qui superbia contra Deum abusus est. Per superbum igitur intellige, vel Nabuchodonosorem, aut nepotem eius, aut vtrunque. *Et non decorabitur, quia dilatauit sicut infernus animam suã: & ipse quasi mors, & non adimpletur. Et congreganit ad se omnes gentes: & coaceruauit ad se omnes populos.* Propter eorum superbiam non decorabuntur, imo valde dehonestabuntur, vel si de Nabuchodonosore, intellectum velis fuit affectus à Deo magno dedecore, quia fuit deiectus ab imperio per septennium, & cum bestijs vitam agens submotus ab humana consuetudine. Item fuit maxime dehonestatus in nepote occiso à Medis, & Persis, & prorsus extincto suo imperio. Et rationem exhibet. *Quia dilatauit*, vsurpatur hoc loco infernus, pro sepulchris, quæ nunquam explentur cadaueribꝰ, quia nũquã cadauera à se respuũt. Vnde inter insatiabilia à diuino sermone recensetur infernus loco primo Prou. 30. superbiam, & tyrannidem Nabuchodonosoris vates explicat sub metaphora ex inferno desumpta. Quod videlicet desideria dominandi Nabuchodonosoris erant insatiabilia. Nam anima hoc loco desiderium significat, vel concupiscentiam, seu appetitum, vt supra non est recta anima eius in semetipso, &c. Confertur itẽ eiusdem desiderium dilatandi imperium suũ morti. Hęc enim inexplebilis est. Et quod dixerat sub metaphora explicat sine metaphora, *& congregabit ad se omnes gentes*, violenter subaudi, & tyrannice. *Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument & loquelam ænigmatum eius: & dicetur, væ ei qui multiplicat non sua? vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum*, idest, odio erit iste tyrãnus nationibus omnibus sibi subiectis, obloquentur ei & sument contra eum sermonem parabolicum, & ænigmaticum explicantem eius tyrannicam ambitionem. Et dicent ei, vsquequo multiplicas opes ingentes ex rapinis gentium, *contra se*, idest, rapit ad se immensam vim opum, instar luti, quod luto congregatũ multiplicatur. Nam præpositio Hal, Hebræis multa significat, scilicet, contra, & ad, & super, &c. *densum lutum*, idest, copiosum. Et reuera contra se congregabat diuitias, quia in malum suum erat congregatio hæc, vt mox subdit vates, *Nunquid nõ repente consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Istud accidit sub Balthasar, eius Babylonico imperatore postremo, quem Medi & Persæ orbarunt vita opibus, & imperio. Et Persas & Medos confert vates canibus mordentibus & lacerantibus, & fuit in rapinam istis. Quia quæ Babylonici imperatores spolia detraxerant ab alijs, Medi & Persæ sibi rapuerunt. *Quia spoliasti gentes multas spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ, (& ciuitatis, & omniũ habitantium in ea.* Qualia intulisti gẽtibus, talia tibi inferentur spolia. Isti iniustè gentes, regno & opibus item spoliaberis, à Medis & Persis, qui sunt reliqui populi quos tu scilicet non redegisti in tuam seruitutem. Et quia fudisti sanguinem humanum, tuus item fundetur. Et quia iniuriam magnam fecisti, & iniquitatem cõtra terram sanctam & ciuitatem sanctam, & ciues Ierosolymitanos, ideo tibi & imperio tuo, eadem inferentur. *Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius: & liberari se putat de manu mali.* Sermo dirigitur ad Nabuchodonosorem, vt prior & taxatur eius insatiabilis auaritia. Ideo ait, væ qui congregat auaritiam malam, idest tyrannicam, siquidẽ spoliat cæteros, vt se opulentum reddat, *domui suæ*, idest propter domum suam, hoc est, ad magnificandam domum suam, cæteras humiliat, *vt sit*, vt se scilicet constituat in excelso loco, hoc est paret sibi arces munitissimas, ibi enim se putat liberari, de manu mali, idest, de potestate hostium suorum. *Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccauit anima tua.* Quidquid cogitasti contra gentes quas superasti

Anima nõ nunquam vsurpatur Hebræis pro voluntate vel desiderio.

Diuitiæ male partæ luto cõferuntur.

perasti vt spoliaret eas, hoc erit tibi in pudorem, & ignominiam: quia eadem patieris, tandem enim spoliaberis, *concidisti*, trucidasti populos multos, quæ erat tua immanitas, & peccasti in animam tuã, idest, vertetur peccatum tuum in caput tuum, vt supra dictum est ex Danie. 5. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod intra iuncturas ædificiorum est respondebit.* Simili tropo loquendi prosopopeiæ vtitur Scriptura cum ait, Sanguis fratris tui clamat ad me. Et rursus, Sanguis Christi melius loquitur, quam sanguis Abel. Similiter lapides munitionum, & ædificiorum, quæ construxerat Nabuchodonosor ex rapinis & spolijs aliarum gentium, exigebant rapinæ vindictam. Non quod lapides clamarent, qui sunt sine sensu: at vero Deus, videns rapinam prouocabatur ad vindictam, ideo ait, quod lapides clamabunt. *Et lignum*, idest, annuet clamoribus lapidum. Quasi dicat, tota structura ex rapina facta, testimonium exhibet tuæ auaritiæ insatiabilis ô Nabuchodonosor. Hic insinuatur Nabuchodonosorem, multas & sublimes fecisse ædificationes, in præsidiũ sui imperij ex spolijs iniustis diuersarum, quas subiugauerat, gentium. *Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.* Ædificabat Nabuchodonosor ciuitates sui regni ex iniurijs aliarũ nationum. Nam opibus malè partis faciebat sumptus ædificationum, vel quia occidendo principes aliarum nationum, sibi Babylonicus imperator parabat immensas opes ad construendas munitiones & vrbes, ideo ait, quod ædificabat ciuitates in sanguinibus, & in iniquitate. *Nunquid non hæc sunt à Domino exercituum?* idest, vtique hæc quę dicemus mala inferẽda Chaldæis, à Domino erant inferenda. *Laborabunt populi in multo igne.* Laborabũt Chaldæi, vt extinguant incendia iniecta à Medis, & Persis Babyloniæ, & non poterunt flammas extinguere incendij, quia erat vehementissimum incendium. *Et gentes in vacuum laborabunt*, Chaldæi frustra repugnabunt Persis, & Medis. *Et deficient*, quia nihil proficient. *Quia replebitur terra, vt cognoscãt gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare.* Idest cum impijssimus tyrannus, & potentissimus Nabuchodonosor dederit commeritas pœnas pro superbia, & tyrannide sua, tunc habitantes in terra, abũdè instruentur, quanta sit virtus & potentia Dei quæ deprimit fastum tyrannorũ, & conculcabiles eos præbet alijs gẽtibus. Istud est quod ait, *vt cognoscãt gloriam Domini.* Et quia fama huius diuinæ vindictæ contra tyrannidem Chaldæi imperatoris peruagata est in orbẽ, tunc ideo ait, *Quasi aquæ, &c. Væ qui potum dat amico suo, mittẽs fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.* Diximus non semel inebriare ex trãslatione in diuinis eloquijs, denotare multa miseria, & concussione, alium onerare. Nabuchodonosor autem, Reges & principes, quos sua potentia vincebat, magna crudelitate tractabat: ideo vinum amaritudinis illis propinabat bibendum, *vt aspiceret nuditatem*, idest, vt eos afficeret magna ignominia, & videtur alludere ad Noeticam ebrietatem, vnde fuit nudatus à filio, & eius pudenda retecta. *Amico*, idest, socio, vel proximo, singulare vsurpatur pro plurali, socios vocat alios principes, & Reges, de quibus supra dixerat, De Regibus triumphabit, &c. c. 1. quos Babylonicus Imperator, habens subditos, ignominia replebat. Hic versus ad literam in Christo Domino impletus est etiam: quem Iudæi potauerunt vino ex felle mixto, & nudauerunt beatissimum corpus eius suspendentes illud in ligno, ad ignominiam eius. *Repletus es ignominia præ gloria, bibe tu quoque & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini.* Quia gloriam magnam tibi tribuisti ex victorijs & triumphis, & non Deo, ideo pro hac gloria vel hanc gloriã ego vertam in ignominiam tuam. *Bibe, & consopire*, idest, tu quoq; inebriaberis ex vino felleo quod alijs propinasti Regibus & tyrannis, & patet ex prioribus. *Circumdabit*, idest, obruat calix dexteræ Domini, idest, diuinæ potentiæ sumentis de te vindictam. *Et vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* Homo repletus cibis, quo stomachus ferre nequit, pondere ciborum onustus, vomit: ita tu Nabuchodonosor maxima ignominia afficieris, post gloriã regni & imperij, aut clarius dignitas tua regia inquinabitur ignominia, sicut vestes vomitu solent inquinari. Perinde est ac si dixisset, tanta erit ignominia, & calamitas tua quam patieris, vt videaris ebrius ex vino, quasi stupidus ex mœrore & consopitus ex turbatione mentis tuæ. Quippe ignominiosum fuit illi, proijcere eum in campum, vt iumentum, & tunc consopitum habuit sensum, velut ebrius. *Quia iniquitas*

Genes. 4. Hebr. 12. Prosopopeia.

quitas Libani operiet te, & vastitas animaliū deterrebit eos: de sanguinibus hominis, & iniquitate terræ. Per iniquitatem Libani subaudi violentiam factam Libano aut eiusdem concussionem. Per Libanum autem quidam templum Salomonis intelligunt, quia eius contignatio facta fuit ex lignis Libani. 3. Reg. 5. Nabuchodonosor autē, violentiam intulit Libano huic, quia totū templum, incendio absumpsit. Hæc igitur violentia, operiet te Nabuchodonosor, ideſt, recidet super te. Aut per Libanum terram sanctā subaudire licebit, quæ ex altera parte Libano terminabatur. Et fere idem est, quia maximam violentiam intulit Iudææ Nabuchodonosor, vt sæpè diximus. *Et vastitas.* Vocat animalia ipsos Chaldæos, quia erant feri animo. Et alia translatio clarius transtulit calamitas iumentorum, ideſt, calamitas, vel deuastatio quam Chaldæi intulerunt Iudæis, hæc ipsa deterrebit eos, vel per animalia subaudit ipsa sacrificia animalium quæ offerebantur in templo. Quæ deuastator Nabuchodonosor aboleuit tēpore longo. *De sanguinibus*, non solum terræ intulit violētiam, sed etiam hominibus, quia multum fudit sanguinem innoxium violētus quo in ciuitatem sanctam Ierusalem, *& omniū habitantium in ea*, quos partim occidit partim duxit captiuos. *Quid proderit sculptile, quia sculpsit illud fictor suus*, ideſt, tua ido Iolatria ô Chaldæe imperator, cui tu fidebas, in quam tuas victorias acceptas referebas non proderunt tibi, vt euadas, quæ tibi annuntio ventura. Quippe, infirma sunt tua idola, vt sunt infirmi eorum fictores. *Conflatile, & imaginem falsam?* Subaudi, nihil tibi habere proderit vocat idola imaginem falsam, quia præ se fert numen & nihil numinis habet, cum sit Deus falsus. Item imaginem appellat falsam, quia cultores sperabant in idolum, eius operendos à malis, & fefellit eos spes eorū. Ideo subdit, *quia sperauit in figmento fictor eius*, vt faceret *simulacra muta.* Quia sperabant in idolis suis cultores eorum, ideo fiebant multa simulachra muta, quæ ipsi colerent ad obtinendum, & ad arcendum mala. *Væ qui dicit ligno expergiscere surge, lapidi iacenti, nunquid ipse docere poterit?* Quasi dicatur, væ ei qui implorat auxilium ab idolis non potentibus loqui, neque videre, neque audire. *Ecce iste coopertus est auro & argento, & spiritus non est in visceribus eius*: iste lapis, quem colitis in Deum obductus est auro & argento, & tamen caret spiritu vitali. *Dominus autem in templo sancto suo, sileat à facie eius omnis terra.* Deus autem qui colitur in templo Salomonico, est verè Dominus, & omnipotēs, ideo sileat corā eo vniuersus orbis, quia omnia illi sunt ex sua natura subdita. Quæ in hoc capite sunt dicta à vate eò tendunt, quo intelligamus, Deum prosperare sæpe impios ad sumendam vindictam de alijs impijs, & ad exercitium virtutis piorum, nihilominus, etiam animaduertit sæpè, acerbissimè in impios, vt nemo cau setur Deum non curare in hac vita punire peccata impiorum, vnde voluit respōsum fuisse quæstioni propositæ contra veritatem diuinæ prouidentiæ.

Moralia & mystica.

Moralis sensus.

EXpedito sensu literali, opus facto erit, nonnihil de morali attingere. Nam quanuis literalis sensus sit qui ædificat, & sustinet, fidei veritatem, ideoque instruit mentem in diuina doctrina concipienda purè, & syncerè, quando scilicet sensus huiusmodi exhibetur, secundùm rationem, & intelligentiam, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est magistra ecclesiarum: & non secundùm interpretationē hæreticorum, qui abalienati à fide catholica, sensus eos ingerunt, quibus suis pessimis dogmatibus suffragentur. ¶Et quia hæretici increduli, sunt fastuosi, arrogantes contra ecclesiam catholicā, ideo vt testatur noster vates anima ipsorum non est recta in ipsis, & interpretatio diuinæ Scripturæ est etiam obliqua. At vero sensus moralis, conducit admodum, ad componendos Christianos mores. *Quod ergo ait, vates super custodiam meam stabo*, idem legimus in Isai. cap. 21. Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. ¶Et quidem super custodias statur, & illis admodum incumbitur, quādo premit hostilis obsidio. Tunc enim custodes vrbis inuigilant & obseruant attentissimè, super munitiones videntes & contemplantes, nequa via, subrepat hostium acies, vnde ipsi cum custoditis pereant. ¶Supra autē tradebamus nos esse obsessos ab hostibus fortibus. Nempe à mundanis pompis, à carnalibus voluptatibus, à diabo-

licis fraudibus. Quocirca maximè oportet stare super custodiam, ideſt, nos habere instar eorū, qui in custodijs suis vigilantes custodiunt concreditas vrbes, ne impetantur ab obsidentibus hostibus. ¶Vnde Petrus monebat dicens, Fratres sobrij estote, & vigilate. Et Dñs, orate, & vigilate ne intretis in tentationem. Etenim summa vigilantia custodiendum est cor nostrū, ne maculetur à seculi huius inquinamentis, ideo monuit sapiens Prouer. 4. Omni custodia serua cor tuū, quia ab ipso procedit vita, si rectè, subaudi custodiatur, si vero negligatur eius custodia ab eo cōtra, pcedit mors. ¶Sūt autē varia offendicula, in hoc seculo, quæ nisi aduertātur cautissimè, in illa impingemus. Vnde Psal tes egregiꝰ aiebat, Posui custodiā ori meo, *Psal. 28. cap. 3.* vt nō delinquā. Etenim vt Iacobus qui verbo nō offendit hic perfectus est vir. Neq; solū custodiēdū est os, ne Deum, & proximos offendat, quinimo & cætera membra sunt custodiēda, quibꝰ nō custoditis mors se insinuat latēter per illa. Vnde Eccl. 28. precipitur vt sepiamus aures nostras spinis, ne demus auditum detractoribus & susurronibus. Rursus quātā sint oculi custodiēdi custodia, psalmus nos docet dicens, Auerte oculos meos ne videā vanitatē, in via tua viuifica me. Quamobrem Aposto *Coloss. 3.* lus aiebat, Mortificate mēbra vestra quæ sunt super terram, nam ipsa mortificatio, est membrorum custodia: hanc insuper custodiam, ad Galat. scribens Paul. cap. 5. vocat crucifixionem: nam Christi sectatores, ait, crucifixisse carnem suā cū vitijs & concupiscentijs. Et equidem quia crucifixio hęc & mortificatio nostrorum membrorum, quæ item est abnegatio nostrarū cupiditatū, & prauorū affectuū, est summopere difficilis, ideo stare in custodia, & ibi figere gradum summi negotij est, vnde paucis hæc contingit. ¶Sunt qui se custodiunt diligenter, aliquādo, at vero relaxāt curas, & desistunt à custodia: & patet tūc hostibus hominis anima. ¶Porrò noster vates inquit, standum esse in hac custodia mentis nostræ, ibique figendū gradū præcepit. Enimuero, cū vita hominis, dum in peregrinatione versatur, sit semper sub perpetua cū vitijs pugna; est enim vita hominis cōtinua militia, spiritus & carnis super terrā, ideo necesse est vt quia circūdamur hostibus cōtinue, continuè simus in custodia. At vero quia vires nostræ non suppetūt, ad perpetuā hāc retinēdā custodiā, ideo Deo inniti oportet, ferēte præsidia: vnde Dauid aiebat, A custodia matutina vsque ad noctem, speret Israel in Dño. Enimuero, si nō figimus in Dei præsidio spē, vtiq; desistemus à custodia. Spes autē ex meritis, & gratia Dei procedit, ideo ad custodiā perpetuā habendā, & diligentia nostra operari debet, & diuinā gratiā cooperari. ¶Porrò autē legimus sacrū vatem Dauidem, orasse Dñm, Educ inquit, de cu *Psal. 14.* stodia animā meā, ad cōfitendum nomini tuo. Vnde forsan dicet quispiā, quid ergo, in custodia præfata nō possumus cōfiteri Dño? sanè possumus, verū nō tā liberè, neque tā feruēter cōfessionē, ideſt, laudē diuinā prestare possumus, tātis perdū sumus in custodia, sicut quando iā nō est necessaria statio in custodia, id quod accidit, quādo soluta cōpagine, animę & corporis, spiritus reuertitur ad eū qui fecit eū. Sāctissimi igitur viri ex perpetua hac custodia fessi labore, quietē patriæ exoptantes, verba Dauidis promūt. Educ de custodia animā meā, ad cōfitendū nomini tuo. Aut verius, desiderātes Deū perfectè laudare sol ui custodiā hāc anxiè postulant. Quia, negotijs vitæ districti in laudes diuinas incūbere pro votis nō possunt. ¶Quāuis autē omnes fideles ad hāc custodiā tenēdā, quo ad viuitur teneamur, at vero prelati & ecclesię proceres, in illā incūbere arctiꝰ obligātur. Positi enim sunt à Deo vt custodes in vinea Dei, vt in Cāticis traditur, Posuerūt me custodē in vineis. Enimuero, quilibet fideliū, semetipsum custodire à peccato diuino iure præcipiē, at vero epi, & prælati alij, nō solū hāc tenere custodiā pro se ipsis tenētur, sed pro cōmissis sibi gregibꝰ, aut pro cōmissis sibi rebus publicis. Nā reges & principes, & magistratus, item sunt custodes rerū publicarū: & ideo tenentur stare in custodia, si reges nāq; sunt sanctas leges ferēdo, aut latas obseruari præcipiēdo. Rursus quidēdo rei publicę optimos gubernationis ministros, non ex maiori cēsu potētiores, sed ex maiori prudētia in regimine sapiētiores. Epi autē debēt figere fortius gradū super munitiones, vt ait vates, Fige gradū super munitiones, sunt autē munitiones ecclesię catholicæ sancta Dei eloquia, sanctaq; œcumenica Cōcilia iuraq; Pōtificia, doctrinaq; sactorū super istis debēt figere gradū Epi & doctores ecclesiæ, vt possint opportunū pabulū pui

dere ſuis gregibus, & à lupis veſpertinis defendere, de quibus meminimus in. 1. capitulo. Quod ſi iſtum figunt gradum contemplabũtur quid in ipſis munitionibus, Dominus manifeſtabit illis, ad decoram, adminiſtrationem ſuarum ouiũ. Etenim ſi in iſtis figunt gradum, & ſtant in cuſtodia mentis ſuæ dubio procul, Deus diriget illos in agendis, & in docendis, & in fugiendis, vt poſsint reſpondere ad arguẽtem, ideſt, poſsint opilare iniquitatis os, hoc eſt, hæreticos refutare, & fidem catholicam confirmare, ſanctosq; mores inſtillare, & hæc deſcribere in tabulis cordium ſuorum gregũ. Et hoc eſt quod ait, *Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, &c.* Quanuis enim de rebus fidei, non fiat illis noua reuelatio: at ſcribere viſum diuinũ eſt diuinas veritates quæ latent in Scripturis ſanctis, manifeſtare fidelibus, vt experimur feciſſe ſanctos patres coactis illis quatuor œcumenicis Concilijs, Nicæno, Epheſino, Chalcedonenſi, & Conſtantinopolitano. Quibus veritates catholicæ quæ ſunt columina fidei expreſſa ſunt. Quos edocuit Spiritus ſanctus, quia ſtabant in cuſtodijs ſuis, & fixos tenebãt pedes mentis ſuæ ſuper munitiones ſacras, diuinorum eloquiorum, quæ ſunt propugnacula firmiſsima ad euertendas diaboli phalangas. ¶Et ſcripſerunt viſum, vt vate præcepit, quia mãdata eſt fidei manifeſtatio ſcriptis vt videmus. Item in alijs Cõcilijs œcumenicis manifeſtantur ab iſtis cuſtodibus, quæ Deus pro pace & ſalute fidelium manifeſtauit illis. ¶Seculares itẽ principes, ſuper has munitiones figere debent gradum, ſiquidem leges ciuiles, quæ ſunt cõtra fidem Dei, aut ſanctos eccleſiæ mores, non ſunt leges, quippe non obligant ad ſuam obſeruantiam, ſed potius ad earum repugnantiã. ¶Rurſus debẽt aſtare iſti in ſua cuſtodia, & figere gradũ in fide, & rectiſsima ratione, à qua munitione diſcedunt, quoties miſeras plebes grauãt impoſitionibus, exactionibus, exugentibus ſanguinem pauperum. Qui enim ſe tales præſtant ſunt illi de quibus Nahũ loquebatur cap. 3. dicens, Cuſtodes tui locuſtæ, locuſtæ enim cũ magna pernicie ſegetum ſe ipſas paſcunt, nihil dolentes, quod omnia deuaſtant, modo ipſę pingueſcant. Ad eandem rationem, iſti primates, impoſitionibus, & exactionibus grauantes plebes, ſunt inſtar locuſtarum, diteſcunt enim, & pingueſcunt ex pauperũ ſanguine quem auidè, & crudeliter ſugunt, vt ibidẽ expoſuimus. Quod ſi epiſcopis aliquibus hoc accidit, itẽ illos ſi dixeris eſſe locuſtas, nõ errabis. ¶Iſti igitur ſunt mali cuſtodes, qui poſiti ſunt ad cuſtodiendas vineas Dñi, ideſt, rempublicã ſpiritualem, & ciuilem. Et tamen vineas ſuas nõ cuſtodiunt: vt dixeris eſſe vineas illas ſtultorum, quarũ meminit Salomon. Nã vt cuſtodibus dormientibus iniimicus homo venit, & ſeminat zizania in agro Dñi, ita in vinea Domini cum cuſtodes dormiunt, aſcendunt vepres, & vrtice, ideſt, peſsimi mores ſuccreſcunt in fidelibus, vt exemplo nobis Germania eſt, quæ olim erat fidei nutrix, nunc vero corruptrix. Cur ita obſecro, quia cuſtodes eius non ſteterunt in cuſtodia, nõ fixerunt gradũ ſuper munitiones, ſed coaceruauit ſibi Germania magiſtros peſsimos Luthierũ & ſectatores ſuos, qui ſibi dicerẽt placentia, videlicet quod ſuffi ciebat ſibi fides ad ſalutẽ. Et principes vt epiſcopi, & magnates reipublicæ Germanicæ, qui debuiſſent Lutheri ſe obijcere conatibus, nõ ſe oppoſuerunt, ſed ſomno graui preſsi fidei catholicę ſoluerũt cuſtodiam quã tenebantur habere, ſuper gregẽ Dñi. Auerteruntq; gradum ſuum, à ſacris munitionibus, à Concilijs vniuerſalibus, à iuribus Põtificijs, à doctrinis Sanctorũ, vnde reſultauit, vt ipſi cũ ſuis præcipitio æternæ damnationis ſe dederint. Et aptè illis accõmodabitur, quod ſequitur in vate, *& ſicut vinũ potantem decepit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.* Superbus Lutherus, qui contra matrem ſuam Romanã eccleſiã, recalcitrauit. Et obedientiæ iugũ quod illi debebat obſeruare, fregit: & ore impudenti, maledicta multa, contra eccleſiam Romanã protulit. Hic deceptus eſt à vino ſuæ elationis, ſuperbia enim inebriat mẽtem, vt vinum materiale corpus. At vero non decorabitur, quia ab eccleſia catholica, vt peſsimus hæreſiarcha eſt damnatus. *Dilatauit enim vt infernus animam ſuam,* verbis enim impudentibus, & ſcriptis impudentioribus, dilatauit doctrinam ſuam contra eccleſiam Dei: nam hoc vnicè illi erat cordi corda fidelium vbilibet peruertere, *Et ipſe quaſi mors.* Nam doctrina ſua mortifera eſt omnibus credentibus eam. *Aggregauit ad ſe omnes gentes, & coaceruauit populos.* Adiunxit enim ſibi multos ſui peſtiferi dogmatis diſcipulos.

Prou. 24. Matt. 13.

Lutherus refellitur.

los. Et vt olim Nabuchodonoſor inſaniuit contra ciuitatem ſanctam Ieroſolymam, & contra templum Dei, & populum Dei, ſic iſte debacchatus eſt cõtra eccleſiam catholicam, contra caput eius Romanam eccleſiam, & erexit cornu ſuum contra omnes Chriſti fideles. ¶At vero fideles, qui huic peſsimo magiſtro nõ hęſerunt, ſumpſerunt parabolam contra eum, & quotidie ſumunt. Nam eccleſia catholica, Lutheranis occinit dicens, Væ ei qui multiplicat non ſua, væ Luthero veſtro præceptori, & pſeudoapoſtolo, qui vſurpauit ſibi ſummum eccleſiæ magiſterium, quod non erat ſuum, ſed ſolius Romani Pontificis. Etenim Lutherus miſſas abrogat, cæremonias vniuerſales eccleſiæ detrahit, interpretationes ſanctæ Scripturæ ſibi tribuit, nouamq; pro ſua libidine religionem induxit, tanquam eccleſiæ archiſimiſtes, cum alioqui eſſet priuatus quidam ordinis Sancti Auguſtini monachus. Et quod ſequitur in illum aptè referas, *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius.* Væ tibi Luthere, qui congregaſti libros damnatorum iam olim hæreticorum, vt Witclephi, Hieronymi Pragenſis, & Ioannis Huſitæ, vt horum ſectareris errores, horum biberes venena, quæ in tuos refunderes. Congregaſti tibi peſsimam hanc horum librorum ſupellectilem, in malum tuũ, & tuæ Germaniæ. ¶Congregaſti inquam vt in excelſo poneres nidum tuum, vt ex horum doctrinis, tua dogmata confirmares: & faceres tibi diabolicas munitiones, & deſereres, quas tibi donabat eccleſia Dei ſacras munitiones. Numquid fideliores & ſapientiores reperiſti eſſe Witclephum, & Hieronymum Pragẽſem, & Huſitam combuſtum, quam ſacros eccleſiæ doctores, quam œcumenica Concilia? Voluiſti ponere in excelſo nidum tuum, vt ſcilicet tui Germani, & alij hæretici, te ducerent eſſe nouum à Deo miſſum Apoſtolum, reformatorem religionis Chriſtianæ, tuamq; doctrinam cenſerent eſſe apoſtolicam. Hæc prætendebas miſer, ea erat tua ſuperbia, & animi tui faſtuoſitas. ¶At reuera, dum hæc cogitaſti, cogitaſti confuſionem tibi, & Germaniæ tuæ, quia concidiſti animas multas auertens illas à recta fide eccleſiæ catholicæ, quam ab initio obſeruauit vſque modo inuiolatam, obſeruauit ſanè hactenus, & obſeruabit Deo duce vſque in finem: ideoq; peccauit vehemẽtiſsimè anima tua. Lapides ſanctæ eccleſiæ, & ligna eius clamant contra te, quia turbaſti pacẽ eccleſiæ Chriſtianæ, & abſtraxiſti ab eccleſiæ ſanctæ gremio Germanos, & pleroſque alios, & cum debuiſſes illam ędificare verbo Dei, quia monachus & Theologus eras, non ædificaſti, ſed eam deſtruxiſti, væ tibi qui deſtruendo ſanctam Dei ciuitatem, quæ eſt eccleſia catholica, ædificaſti tibi Babylonẽ ciuitatem diaboli: & hanc Babylonem ædificaſti in ſanguinibus. Etenim tu perdẽdo animas innumerabilium, qui tuo dogmati aſſenſerunt, ex animabus perditis ædificaſti ſynagogã Satanæ, quę eſt vt altera Babylon confuſionis ciuitas, cui præeſt non Chriſtus, ſed diabolus, non veritas, ſed mẽdacium, laborabunt populi multi qui tua peruerſa ſunt ſecuti dogmata, in igne, quia tecum ducẽtur ad æternas flammas, & tunc videbunt, quam vacua erat tua doctrina, vnde deficient perpetuò viribus vt non poſsint deinceps blaſphemare eccleſiam Ieſu Chriſti. Potũ dediſti proximis tuis, & cõprouincialibus tuis, mittens fel in ipſo. Siquidem doctrinã propinaſti Germanis tuis, quæ videbatur pia, quia magnificabat fidẽ Ieſu Chriſti ex ipſo primo aſpectu, vnde ſuauiſsima viſa eſt tuis, at plena erat felle, & amaritudine prauorũ dogmatum. ¶Verum ſuauitatẽ præ ſe ferens, biberunt eã amici tui, Germani tui, & eã bibendam porrexiſti, cunctis fidelibus, & qui incauti eam biberunt, inebriati ſunt, & mentem catholicam amiſerunt, & ſicut ebrij & inſani ſine fræno quod libebat factitarũt. Monachi nanque depoſuerunt monachiſmũ, ſacerdotes horruerunt cœlibatum, & vxores publicè duxerunt ſanctimoniales, religionẽ ſpreuerunt, & viros ſeu adulteros ſibi copularunt. Laici imagines ſacras irriſerunt, & eas fregerunt eccleſiæ patrimonia ſibi diſtribuerunt, & alia innumera denique tui ſectarij facinora perpetrarunt, an nõ hæc ſunt ebriorũ? quos ſanè tu tuæ doctrinæ vino inebriaſti, & pudenda ſua, ideſt, peccata ſua toti orbi patefecerunt. Et aſpexiſti nuditatem eorum, quia tu nudaſti eos à veſte virtutum infuſarum, & moraliũ, quibus Deus eos veſtierat in ſacro fonte baptiſmatis. Repletus quidẽ tu es ignominia ô Luthere pro gloria mũdi quã affectabas. Bibis iã tu quoque modo ex vino feileo, & ex eo

consopiris, quia circũdat te modo à calix inebrians dexteræ Domini. Bibis enim vltionem Domini, vsque ad fastidiũ tuum: & fel amarissimum est in corde tuo, dum quotidie tuæ grauantur pœnæ, ex perditione animarũ, quæ tua falsa dogmata sequuntur. Et nunc vomes ignominiam super gloriam tuam. Quia nunquam cessabit os tuum blasphemare nomen Domini iacens in inferno, cũ cæteris hæresiarchis. Et gloriã quam tibi dabant tui te vocãdo nouum Apostolum, & reformatorẽ ecclesiæ Christianæ, vomitibus tuis, maledictijs tuis ignominiosis sempiternò obscurabitur: nam in summum tibi vertetur cruciatum. Quia iniquitas quam fecisti cõtra Libanum, ideſt, sanctam Romanam ecclesiam, eam tuis vocibus, & libris dehonestãdo, hæc ipsa te opprimet, & cooperiet. Et deuastatio fideliũ, quos tuis perfidis persuasionibus deuastasti, deterrebit te & tuos quãdoquidem extremas pro huiusmodi, tu & tui cõplices datis pœnas. Vos igitur quicunque estis, qui hoc pestilẽtissimo vino inebriati estis, credendo fallaci Luthero, euomite illud nũc dum tempus habetis, ne vos circundet in inferno calix vltionis diuinæ, & siquidem in fide sanctæ ecclesiæ Romanæ baptismum suscepistis, illi iam morem gerite vt saluemini.

EXPLANATIO IN HABACVC CAP. III.

RATIO Habacuc Prophetæ pro ignorantijs. Sunt qui credant, hanc subsequentẽ prophetiam esse orationem, quã vates Deo fudit, vt donaret sibi peccatum obmurmurationis, quod cõtra Dei numen admiserat: obloquens contra diuinam prouidentiam. Et quia hoc peccatum, non fuit ex malitia vatis, sed solum ex ignorantia: ideo ait, pro ignorãtijs. ¶ At vero dubio procul, vates nõ obloquebatur capite. contra diuinam prouidentiam: quia illustratus Dei spiritu, certissimum illi erat diuinam prouidentiam esse prouidentissimam in curandis rebus humanis, vt ibidem fuit expositum. At vero quia propofuit quæstionem, contrà diuinam prouidentiam sub persona, populariũ qui sæpe obmurmurant contra diuina iudicia, accepta iam quæstionis solutione in. 2. cap. postulat à Deo veniã peccati populariũ: quippe ex ignorantia obloquebantur contra Dei prouidẽtiam. Ideo ait, *Oratio Habacuc pro ignorantijs*, ideſt, ad impetrandam veniam ignorantiarum populi. Erat autem ista ignorantia crassa vel affectata, quia inuincibilis ignorantia inculpata est, & ideo pro illa non orasset vates. Item Dauid orabat pro suis ignorantijs, dicens, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris. ¶ Alia trãslatio habet pro perplexitatibus, ideſt dubijs. Et idem sensus est, quia dubia mota à popularibus mouebantur, ex ignorãtia ipsorum. Græcè autem habetur, oratio Habacuc prophetæ cum cantico. Nempe quia persoluit vates nunc Deo laudes pro admirabili dispensatione ex qua res humanas administrat. Puniens scilicet peccata Iudæorum per Babylonios, & hos puniẽs per Persas & Medos. Et denique in puniẽdis peccatis & præmiandis virtutibus hãc inscrutabilem formam seruans. Vt quædam peccata hic corripiat, alia vero in futurum reseruet corripienda. Et virtutes quasdã hic coronet, multo honorũ splendore, aliàs hic affligat multo cruciatu, in posterum vberrima beatitudine beandas. *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Sæpe meminimus, auditionem propheticam, esse visionem. Nanque reuelatio diuina, qua donantur vates, est auditio, qua tenus docet vates de præteritis, aut præsentibus, aut de futuris, aut de omnibus simul. Et est visio, quatenus, certissimos eos facit de rebus quæ prophetant, vt visio nostra nos certos facit, de his quæ videmus. Et quia visus, & auditus sunt discipli næ sensus, quia prophetia est doctrina quædam diuina, qua edocentur sancti vates supra vires naturæ, ideoque iam visio, iam vero auditio nuncupatur. *Audiui*, aure mentis ideſt, intellectu illustrato lumine prophetico. *Auditionem*, ideſt reuelationem, & manifestationem de arcanis tuis, quæ mihi patefecisti. Græcè, *Auditum*, & in Scriptura reuelatio diuina, iam auditio, iam auditus appellatur, iuxta illud Isaiæ, Domine quis credidit auditui nostro? aut brachium Domini cui reuelatum est? vbi quod dixerat auditum, vocat post modum reuelationem. Erat autem reuelatio quod Deus erat permissurus duas tribus abire in captiuitatem Babylonicã. Aut reuelatio hæc erat quod erant grauiter à Deo puniendi Chaldæi, & ita refertur

tur ad reuelationem factam in. 2. capit. *Et timui*, ideſt reueritus sum tuam iustitiã ex qua tempore opportuno animaduertis in homines impios. Aut si de reuelatione transmigrationis sit sermo, item timuit propheta aduertens, quod Deus etiam in populum suum exigẽtibus peccatis suis, seuere animaduertit. Alij exponunt, *Et timui*, ideſt, cũ aduerterẽ ex tua Dñe manifestatione, quod populus tibi dilectus, & charissimus, in extremã calamitatẽ esset deijciẽdus sub Babylonica captiuitate, timui, ne eò procederet tua ira contra eos, quò eos funditus perderes, eoq; vehemẽtius timui, quo considerabã, quod perdito populo tuo, orbis inde cessaret redẽptio, quia ex tribu Iuda pollicitus est, vẽturus, in mundũ vt ipsum saluum faciat. At vero hæc expositio non videtur germana textui, siquidem, hic vates, vt & alij, qui captiuitatem prædixerunt commemoratam, ex diuina item inspiratione prænoscebant liberationem populi Iudaici, ab illa captiuitate. Vt liquet ex Isaia. 45. & Ieremia præfigente terminum captiuitati septuaginta annos. Quocirca & huic vati itidem idem reuelatum est. Quidquod, quia vt diximus in prologo ad hunc vatem, hic vates fuit sub tempore captiuitatis relatæ, & ideo non poterat latere eum prophetia Ieremiæ, qui apertè esse reuersuros Iudæos postliminio fuit testatus. *Ierc. 29.* Rursus, & hic fuit cum Daniele, cui ministrauit in Babylone edulia, at Daniel manifestè sciebat, & prædicebat liberationem illius populi. Quamobrem non propter hanc causam timuit vates, sed ob commemoratas prius causas. *Domine opus tuũ in medio annorum tuorum viuifica illud.* Græcè, longe aliter transfertur. *Domine consideraui opera tua, & obstupui*, *In medio duorũ animalium cognosceris, cum appropinquauerint anni cognosceris.* Theophilactus etsi meminerit, animalium duorum, tamen ipse legit in medio vitarum, ideſt, in medio vitæ præsentis & futuræ cognoscetur Deus. At reuera vtcunque legatur, siue secundum literam Hebræam, siue secundum translationem septuaginta Græcam, locus est difficilis intellectu, imo totũ hoc caput continet abstrusum admodum intellectum: quippe quod sermonis obscuritate valde sit inuolutus. Græcanicam translationem, multifariã exponit glossa ordinaria. Per duo animalia duos Cherubines illos, intelligens, qui Dei iussu, erãt in penetralibus Salomonici templi constituti, inter quos medium erat propitiatorium, vnde Deus, Hebræis inter Cherubinos quasi sedens responsa dabat, ideo ait, in medio animalium cognosceris. Alij referunt ad duos Seraphinos inter quos Isaias vidit Dominum sedentem in throno suæ maiestatis, Isai. cap. 6. vel ad duo testamenta, per quæ Deus cognoscitur ab omnibus hominibus. *Exod. 25. 26. 30. Hebræ. 9.*

¶ Ex hac autem translatione Græca originem sumpsit, quod vulgo creditur, Dominum Iesum, iacuisse in præsepio infantulum inter duo animalia, bouem, & asinum. ¶ Porrò, quia hæc translatio, non habet originalem textum in Hebræo, ideo hac dimissa, nostra translatio quæ est vulgata explicanda est. Et vt aiebam, operosam satis habet expositionem. Vnde quidam eam explicant, ad hanc rationem. Domine opus tuum, ideſt, Chaldæorum punitionem, quæ est opus tuum, quia tuo nutu, & virtute fiet in medio annorum tuorum, ideſt sub iuuentute Balthasaris viuifica, ideſt, executioni manda. Nam fertur Balthasarem occisum à Persis, & Medis, in media ætate sua, scilicet, sub anno trigesimoquinto. Nam hæc ætas est medium annorum humanæ vitæ secundum communem cursum. Nam testante Regio vate, Dies annorum hominis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta, &c. vnde Ezechias hac ætate florebat, dum aiebat, In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, ideſt, ad sepulchrum. Itaque iuxta hanc interpretationem, oratio hæc Habacuc, postulat à Deo punitionem venturam Chaldæorum fieri in vita florenti Balthasaris vltimi Imperatoris Chaldæorum. Hanc expositionem tetigit Nicolaus, & eam sequitur Diony. in sua elucidatione. At vero Nicolaus in prædicta expositione, non quieſcit, ideo aliam adiecit, in medio annorum tu Domine sume pœnas de Chaldæis, ideſt, in primo anno Imperij Cyri. Nam vt ait, à destructione templi facta per Nabuchodonosorẽ, vsque ad primũ annũ Cyri fluxerũt anni. 52. Et ab hoc anno vsque ad reparationem templi fluxerunt anni 46. Ioan. 2. Quadraginta & sex annis ædificatum est templũ hoc, & vnde quia in medio horum annorum euersionis, & reparationis templi, fuit pu-

nita tyrannis Chaldaica, fuit, vt ait, ipſe enim occiſus Balthaſar, biennio ante imperium Cyri ideo ait, vates in medio annorum viuificabis opus tuum, ideſt, executioni mandabis Chaldæorum decretã à te ſumendam pœnã. ¶ Alij vero vt Theophil. Dionyſius, & Theodore. & Burgen. in additione hoc opus cuius meminit vates credunt eſſe opus illud quod ſuperat omne Dei opus, videlicet Dominicam incarnationem. Annos autem ſic diſtingũt, alterum eſſe annum iræ, alterum eſſe annum gratiæ. Hoc eſt, duo fuiſſe tempora, & tempus iræ ante Chriſti aduentum, & tempus gratiæ ſub Chriſti aduentu, cuius meminit Paulus ad Galat. 4. Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, &c. Precatur igitur vates dicens, Domine illud opus tuum, longe magnificentiſsimum, quod pollicitus es per prophetas. Et paulò ante dixiſti, Si morã fecerit expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit, in medio annorum tuorũ, ideſt, quando decreueris, non iraſci generi humano, ſed miſereri, viuifica illud, ideſt, exequere illud mittendo verbum tuũ carne indutum in orbem. ¶ Et iuxta hunc ſenſum quod ſequitur, facilem habet declarationem. Cum iratus fueris, dimittendo videlicet ſub tempore iræ tuæ, genus humanum laborare ſub pœna originalis culpę, illiq́ue obdendo cæleſtem ianuam, miſericordiæ recordaberis, illi reſerando cæleſtes fores, per Chriſtum filium vnigenitũ tuum. ¶ Porrò autem hæc expoſitio, ſi allegorica credatur, optima allegoria eſt: at vero literalem ſenſum modo inueſtigamus, quo explorato, allegoricos pro more noſtro ſuperaddere, literalis nãque ſenſus eſt fidei fundamentum, cæteri vero myſtici ſunt fidei ornamentum. ¶ Arbitror autem, priores expoſitiones literales, non eſſe admodum congruas textui: ſiquidem modo vates vt videtur ex prætextu non erat quod Deus ſumat pœnas de Chaldæis, ſiquidem iam ſecundo capite, Deum eſſe ſumpturum pœnas ſatis expoluit. ¶ At vero modo precatur ne ignorantiæ populi Iſraelitici, qui detinebatur captiuus in Babylone, eſſent cauſæ quod ibi diutius detineretur. Vnde petit ne ignorantiæ, de quibus ſupra meminimus prolixiorem ducant captiuitatem. Sed ſuo tempore, à Deo iam decreto, relaxetur captiuitas, ideo ait, *Domine in medio annorum tuorum, &c.* At vero, primo obſeruandum eſt, quod per opus Dei hoc loco, oportet ſubaudire, ipſum populum Iſraeliticum. Enimuero, etſi vniuerſi ſint opus Dei, vt & cætera omnia, at vero populus ille ſpeciali prærogatiua, appellabatur populus Dei: quippe ſolus à Deo electus in peculium ſuum. Quare & vocat illum Deus primogenitum ſuum. Et eſt conſueta loquendi Hiſpanis forma, dicimus, *Fulano es hechura del Rey*, vel alterius principis. Qui enim ex paruo ſtatu, ad ſublimiorem alterius opera & autoritate eſt promotus, dicitur Hiſpanè, *ſu hechura*. In quem quoque modum, quia populus ille, ſingularibus Dei beneficijs prælatus erat ſuper omnes nationes, ideò rectè à vate vocatur opus Dei per antonomaſiam, vt vocatur populus Dei. Nos autem inquit Pſaltes, Populus eius, & oues paſcuæ eius. Et ſimili loquendi tropo, Ioan. 6. legimus. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quẽ miſit ille fidem, quæ operatur per dilectionẽ antonomatice vocat opus Dei, quia nihil præclarius operatur Deus in nobis, dum hoc ſeculo viuitur. Quia quanuis credere hac ratione ſit opus noſtrum, at vero quia eſt magis egregiè diuini muneris, ideo vocatur opus Dei. Rurſus obſeruabis, vt alibi à me eſt annotatũ, quod *medium* in diuinis literis, plerunque non ſignificat medium, quod phyſicis vocatur medium, quibus eſt medium, quod æquè diſtat ab extremis. 2. Ethic. capit. 2. vbi traditur duplex eſſe medium, alterum ex parte rei, alterum ex parte noſtra. Ex parte rei, id quo definitum eſt, vt centrum mundi eſt medium ex parte rei: quia æquè diſtat à cæli extremitatibus. Ex parte autem noſtri, eſt quod noſtra opinione neque exuperat, neque deficit, vt eſt medium in virtute. Id quod ſecundum prudentiam noſtram accipitur, vt medium inter duo extrema vitioſa. ¶ Porrò non eſt acceptio hæc nobis modo neceſſaria: non enim vocatur modo medium annorum quod æqualiter diſtat ab annis præteritis, & à venturis. At modo medium ſignificat, quod eſt intra rem ipſam, & vox Hebræa, quæ hic habetur, Quiber, hoc idem ſignificat, & eſt conſueta phraſis Scripturæ, Eccleſ. 15. In medio eccleſiæ aperuit os eius, ideſt, intra ipſam eccleſiam, nõ enim ſignificat, quod erat in puncto æquè diſtanti ab extremis, ſed

Tẽpus gratiæ, & tẽpus iræ.

Incarnatio diuini verbi eſt ſummum opus diuinæ potentiæ.

Reijciũtur priores literales.

Mediũ ex parte rei, & ex parte noſtra.

Et item Sap. 4. Properauit educere de medio iniquitatum, vt etiã illud Ioan. 1. Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, ideſt, inter vos eſt Chriſtus quem vos ignoratis: & ſæpè alibi, & Hiſpanis cõſuetus loquendi tropus, *eſtoy en mitad de mis enemigos*, ideſt, *entre mis enemigos*. ¶ Quod ergo ait, *Domine opus tuum*, &c. ſic accipe Domine populum tuum Iſraeliticum in ipſis annis tuis, ideſt, à te decretis, intra ipſos ſcilicet annos viuifica illum, ideſt, intra ipſos ſeptuaginta annos, relaxa illius captiuitatem, ne quæſo propter peccata illius, & ignorantias diutius velis prorogare tantam populi tui miſeriam ipſam igitur relaxationem captiuitatis oblongæ, vocat populi illius viuificationẽ, vt extat in Ezech. c. 37. vidit enim agrum refertũ oſsibus cadauerũ, & dixit Dominus Ezechieli, fili hominis putaſne viuẽt oſſa iſta? & ſubdit, vaticinare de oſsibus iſtis, Oſſa arida audite verbum Domini, &c? Quæ viſio denotabat captiuitatem prolixam Iudæorum, ſub qua erãt velut mortui: at vero ſoluta Dei virtute, captiuitate, viuificati ſunt. Quo ritu loquendi, etiam nos vtimur, nam hominẽ valde abiectum, vt ſeruum, vocamus mortuum ciuiliter: quippe qui non eſt ſui, ſed domini ſui iuris: at vero, illi conceſſa libertate, tunc reuiuiſcit, quia fit ſui iuris. *In medio annorum notum facies*, ideſt tunc ſoluta captiuitate in fine ipſorum ſeptuaginta annorum, notum facies opus tuum, ideſt manifeſtabis te diligere populum Iſraeliticũ, ceu opus tuũ. *Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis*, ideſt, poſtquam iram tuam expleueris, affligendo populum tuum miſera captiuitate miſericordiam exercebis, ſoluẽdo eiuſdem captiuitatem. Et hæc ſub forma precatiua legenda ſunt, ideſt, miſericordiam Domine exerce, & impone finẽ vindictæ tuæ. *Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de mõte Pharã: operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra.* Hebra. pro ab *auſtro, &c. De Theman veniet*, & ſanctus Paran. Græcè, *de monte ymbroſo Pharan diaplaſma*, Hebraicè, *ſæla*. Ad intelligentiam horum verſuũ aduertendũ eſt, quod Theman, ſignificat primo oppidũ quod erat in Idumæa, vnde Themanites verũ itẽ Theman eſt idem quod Seir, Seir autẽ eſt mons in Idumæa, quod accepit nomen ab Eſau, vt diximus Amos. 3. At vero Pharan, plura ſignificat in Scriptura, etenim Geneſ. 14. eſt nomen oppidi, item ſignificat deſertũ quoddam trans Arabiã, contra auſtralem plagã, per quod filij Iſrael ducti ſunt in terrã Chanaeorũ Moſe ductore. Itẽ prima pars deſerti Arabiæ prope mõtem Sinai, & multũ dilatatur mõs hic. Et Deut. 1. pro vltima parte deſerti verſus terrã promiſsionis. Et appellatur deſertum Sin. Nã montes productiſsimi ex eorũ productione, cõtingẽtes varias regiones, varias cõtrahunt denominationes. Rurſus ſignificat partẽ eiuſdem montis contiguã monti Sinai, vbi lata eſt lex à Dño. Vnde Deute. 33. Dominus de Sina venit, & de Seir ortus eſt nobis apparuit de mõte Pharã cũ eo ſanctorũ millia, ideſt, angelorũ innumerabilis multitudo: quippe tũc animę ſanctorũ nondũ fruebãtur diuino intuitu. Quanuis autẽ lex lata fuerit in mõte Sinai: cæterum, quia vicini erant & mõs Seir, qui & Theman appellatur, itẽ & mons Pharan, per Metonimiã dicitur, quod Dñs venerit de illis mõtibus venire autẽ dicitur Deus non paſsibus corporalibus, ſed operationibus miraculoſis, quæ ibidẽ ſupra omnem naturã operatus eſt. Et itẽ quia claritas illa ſupernaturalis, quæ obtexerat mõtem Sinai, effundebatur in mõtibus vicinis, propter eius magnitudinem, & ſummã excellentiã, ideo dicitur, quod Dñs venit de montibus illis. Et ſi Pharan ſit multo vicinior monti Sinai quã mons Seir, qui eſt in fine deſerti Pharan, vt patebit intuenti deſcriptionem terræ Sanctæ: item obſeruandũ, quod dictio Hebræa hæc, *ſæla*, quæ hic habetur, & in pſalmis frequenter, eſt dictio notans cantorũ voces, qui canebant cantica diuina, cum ad eum locũ venirent, vbi erat ſæla, eleuãdos, vt exclamarent Dei magnificentiam, ſublimiq́; tono eandem proclamarent diligẽtiq́; meditatione eſſe expẽdendũ quod pręceſsiſſet, & quod ſequebatur: vt ex eorũ collatione, diuinæ munificentiæ exclamarent magnitudinem, vt ſi ſic exclames, ô acerbiſsimam calamitatem, ô ſummam Dei benignitatem, quæ implorantes ſic exaudiat. Quia igitur hæc prophetia, eſt canticum, ideo ponitur in ea *ſæla*, Græcè diaplaſma. Etenim cum vates ſummam Dei benignitatem explicet modo verſibus prædictis, erga Hebræam nationem, videlicet, quod illis tulerit legem quãdam diuinam, & ideo admirabili põpa, adiecit ſæla, vt expẽderent cãtores huius cantici, quam indigna erat Hebræa

Quid ſignificet Hebræis eſſe in medio tribulationis, vel aliàs.

Theman, Seir, Pharan.

natio tantæ munificentiæ, vnde vehementer proclament summam Dei in eos charitatem, ait igitur. *Deus ab austro*, interpres, quia viderat quod Theman, quæ hîc habetur in Hebræo significare australem plagam, ex sua interpretatione, ideo est interpretatus *ab austro*, cum reuerâ, hoc loco significet montem Seir, vt diximus: quanuis mons Sina, est meridionalis, Theodoritus intellexit per austrum Bethlehem, vnde est ortus Dominus, & ante eum Hierony. cæterum allegoricus est sensus iste, & *sanctus*, repetitio est eiusdem sententiæ per alia verba, id quod Moses dixit, de Seir ortus est nobis, & apparuit de monte Pharan. Quod vero ait ortus est nobis. Non est siniſtrè accipiendum quod Deus fuerit ibi simpliciter ortus, ideo ait, ortus est nobis, vt Sol oritur nobis, quando incipit fulgere nobis, etsi ipse modo in se non oriatur, qui fuit factus ab origine mundi. Quia autem fulsit diuina notitia, nationi Hebrææ in montibus illis, ideo ait, ortus est nobis. In quibusdam Biblijs pro *sæla* quæ hîc scribitur, habetur *semper*, non tamen est in Hebræo neque in Græco codice. *Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra.* Cum Dominus tulit legem in monte Sina, summa claritas lucis obtexit montem, & admirabiles coruscationes fulgura, & tonitrua. Vnde Exodi. 24. cum ascendit Moyses, operuit nubes mõtem: & habitauit gloria Domini super Sinai. Et paulò infrà. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens, super verticem montis, in conspectu filiorum Israel. Idem traditur Exodi. 19. & Deuteron. 4. istud igitur est quod ait, Operuit cælos gloria eius, ideſt lux & claritas, quæ tunc resplendebant tangebat cælos, vel dicit hoc hyperbolicè, aut per cælos intelligit aëra, aut quia tanta erat refulgentia claritatis tum à Deo creata, quod cælorum tollebat à visu humano aspectum. *Et laudis*, fuitque materia summæ laudis omnibus duodecim tribubus, videntibus, tam mirabilem claritatẽ, & fulgura, tonitrua, & voces & lampades, montemq; fumantem, & buccinam resonantem. *Splendor eius vt lux erit cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.* Locum hunc refert Nicolaus ad fulgorem armorum Medorum, & Persarum contra Babylonem, quando venerunt, scilicet, expugnaturi Babyloniam, per cornua intelligit arcus, sagittas, & ballistas eorum, ibi *abscondita* erat fortitudo diuina, quia Persæ & Medi magis ope diuina, quam humana fortitudine expugnarunt Babylonios. Et prior a item refert ad idem, videlicet, Deus *ab austro*, ideſt, sicut Deus per desertum australe deduxit Hebræos ad terram Chananæorum, ita deducet exercitum Medorum & Persarum contra Chaldæos. Et *sanctus*, & sicut per desertum Pharan, deduxit mirabiliter nationem Hebræam, ita mirabiliter Medos & Persas deducet contra Chaldæos. ¶Hebræi autem quidam totum hoc capitulum tradunt esse orationem propheticã Habacuc, petentis à Deo pluuiam contra sterilitatem, quæ id temporis premebat. Quia versus illi, Nũquid in fluminibus iratus es Domine, aut in mari indignatio tua? & ille ficus non florebit, & arua non afferent cibum, illò referunt. Nempe quod ex ira Dei exiccati erunt rivi aquarum, & ficus aridæ, & arua sterilia. At vero hanc expositionem si sectemur, multa in hoc cantico non possunt cohærere. Et rursus, quia titulus huius propheticæ orationis est, oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs, nõ ait, pro pluuia, vel ad depellendam siccitatem terræ. Quocirca huic expositioni ego non suffragor. Sed neque expositio Nicolai, quæ totum caput refert ad Medos & Persas, non est mihi admodũ plausibilis, quia alia est mihi plausibilior, quã modo sequor, Quod ergo ait, splendor eius vt lux erit, ideſt, resplendescentiam, quam Deus creauit quãdo tulit legem, erat maximę claritatis, vt lux Solaris. *Cornua in manibus eius.* Hæc cornua, erant duæ tabulæ, vbi digito diuino erant præcepta primæ, & secundæ tabulæ exarata, aut per cornua aptius intelliges splẽdores, quos Deus indidit vultui Moysi, nã *eius* demonstrat Mosen. Et est relatiuum sine antecedente, vt sæpe accidit in diuinis eloquijs, vt enim locus ille facies Mosi erat cornuta, ad splendorẽ vultus Mosi, refertur, nã irradiatio, ex vultu Mosi micans videbatur instar irradiantis cornu: ita modo, per cornua si intelligamus splendores quibus affectus erat vultus Moysi aptè intelligemus. Locus autẽ sic redditur ex Hebræo, *splendores è manu eius*, ideſt Dei, *fuerunt ei*, scilicet, Mosi, *ibi abscondita*, ideſt, ibi subaudi reuelata est latẽs fortitudo Dei, ideſt, tũc cognouit Moses, arcana diuinę potẽtiæ. Siquidẽ Moses vt

Exod. 20. *Exod.* 9.

Hebræorũ expositio non probatur.

Exod. 34

vt multi Theologi sequẽtes August. placitum, credũt tunc Mosem vidisse diuinã essentiam, exque illa visione, splendorẽ micantissimum resultasse, in faciem Mosaycam Exod. 34. Quanuis visio illa non fuit beatifica, quia beatitudo est clara Dei visio cũ æterna cõsistentia: at vero illa visio cito euanuit. *Ante faciem eius ibit mors.* Sub aduentu Israelitarum per desertum, multi ex ipsis perierunt. Siquidem solus Iosue & Caleb ingressi sunt in terram promissionis, ex omni multitudine Israelitarum qui egressi sunt ex Ægypto. Aut hoc referri potest, quia sub aduentu Israelitarum, multi sunt prostrati, & interfecti ex gentibus, quas expugnarunt. Nam sub Iosue & sub Mose multi sunt interfecti, vt in Psal. canit. Qui percussit gentes multas & occidit reges fortes, Seõ regem Amorrhæorum, & Og, regẽ Basan, &c. item qui percussit Ægyptum cũ primogenitis suis & forte ad hãc percussionem locus etiam refertur. Nicolaus refert locum ad mortalitatẽ quandam quã passi sunt Babylonij antequam aggrederentur à Medis & Persis: verum istam mortalitatem non refert scriptura: *eius* vel Dei vel Moysi, aut Israelis est relatiuum sine antecedente. *Ee egrediatur diabolus ante pedes eius*, vox Hebræa reſſec, quæ hic scribitur, significat carbonem ignitum aut ignem inuolẽtem grandinem, vel morbum adurentem, qualis est epidemia vel pestis adurens, ideſt cito interficiens, item denotat dæmonẽ adurentem: ideo noster interpres transtulit *diabolus*. Verum clarior est interpretatio, si pestem vrentem transferamus. Vt sit sensus antequam Israelitæ ingrederentur terram sanctam pestis quædam vrgentissima, consumpsit, accolas illius terræ. Et hoc est quod ait, ante pedes, ideſt ante ingressum populi Israelitici in terrã promissam. Vsurpatur vero pes pro ingressu, qui est effectus eius solita scripturæ figura. metonimiæ, Vatablus transtulit *deflagratio*, & voluit esse morbum ex carbunculo, *stetit, & mensus est terram, aspexit & dissoluit gentes: & contriti sunt mõtes seculi, incuruati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.* Stetit, arca enim testamenti stetit in Galgala 14. annis. Et mẽsus est Deus terrã illam sanctã, ideſt, iussu eius fuit à Iosue distributa. *Stetit* mota arca, dicebatur moueri Deꝰ. Num. 10. cũ mouebatur arca, dicebatur à Mose, & populo exurgat Deus, & diſsipentur inimici eius: ita quoque stante arca, stare modo dicitur Deus. *Aspexit* quia non violentia armorum aut bombardarum, ceperunt gentes illas Hebræi, sed solum Dei virtute, ideo ait, *aspexit* & dissoluit gentes. *Et contriti* sunt montes, ideſt reges illi illarum septem nationum, qui quia ab antiquo regnabant in regnis illis, ideo dicuntur montes seculi: phrasi consueta diuinis literis. Ex qua reges dicuntur montes, propter eorum eminentiam, quam habent inter reliquos homines. Et seculum, diximus supra Hebræis significare aut æternitatem aut longæuitatem. *Incuruati*, per colles vero, reliqui subintelliguntur principes qui sunt minores regibus. Loco *mundi* Hebraicè scribitur seculi, & est sensus qui prior. *Ab itineribus*, hoc est quia Deo subduntur itinera æterna, vocat motus cæleſtes, & syderum discursus itinera æterna. Quia isti motus sunt æterni, & subsunt omnes dispositioni & voluntati diuinæ, ideo quãdo voluit, Deus solem quiescere sub Iosue, & sub Ezechia rege Iuda quieuit, & nihil cõturbatus est mundus. Sensus igitur est reges, & principes huius mundi Deus dissoluit, quando illi beneplacitum est, & non solũ hos, sed & ætherea omnia, quæ sunt æterna, illi subduntur Hebraicè non habetur *colles mundi*, sed *colles seculi*, nam dictio Hebræa *holam* scribitur. Et pro montes *seculi* habetur montes æterni, nam *had*, æternitatem significat Hebræis. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles Madiã.* Enarrat nunc alia singularia Dei beneficia erga Israelitas, postquam denarrauit singulare, & incomparabilis amoris diuini erga eosdem symbolum in legislatione. Et continetur primum horum, Iudicũ. 3. Quando sub Othoniel iudice decem tribuum, Deus asseruit Israelitas à tyrannide Chusam regis Mesopotamiæ, cui seruierunt octo annis. Et aliud beneficium scribitur Iudicum. 7. Quando facili negotio & sine cruore suorum Gedeon prostrauit Myriades Arabum. Pro iniquitate *Hebraicè* legitur *Auen*, Auen autem significat iniquitatem, vanitatem, nihilum, vnde idolũ vocatur Auen, & quia est incentiuũ peccãdi cultoribus, ideo dicitur iniquitas, & quia nihil habet numinis, vocatur vanitas, & nihil: vnde Bethauen domus idoli, vel vanitatis, &c. Et sensus est apertior, si exposueris, pro nihilo vidi tentoria. Sub-

Moses vidit diuinã essentiam.

Psal. 135 *Num.* 21. *Deut.* 3.

Iosue. 5. *Iosue.* 21. *Num.* 10. *Psal.* 67.

audi deſtructa. Pro Æthiopia, legitur *Chuſan* Hebraicè,& quia Chuſi ſignificat Æthiopiam, ideo interpres tranſtulit Æthiopiam, verum lectio Germana vidi tẽtoria regis Chuſan, euerſa p nihilo, ideſt, exiguo negotio Othonielis fuerunt euerſa: quia diuina virtute, denotatur fuiſſe deſtructa, ideſt ſuperata, atque deuicta. *Turbabuntur*, ideſt, turbatæ ſunt Madianitarũ pelles, ideſt tentoria, quæ ex pellibus cõſtruebantur, ſi legis pro iniquitate exponesfuiſſe Madianitas, & Syros à Deo euerſos propter eorum iniquitatem in fauorẽ tamen Hebrææ nationis. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?* Rurſus & alia præclariſsima in fauorem Iſraelitarum, denarrat exhibita beneficia. Et quidem tale fuit quod Iordanem celeberrimum flumen, diuiſerit Deus, vt illi ſicco veſtigio illud calcarẽt. Et quod mare Rubrum ſiccauerit, vt ſiccus pateret illis ingreſſus: quæ duo inſignia diuinæ virtutis miracula fuerunt. Has igitur diuiſiones iram Dei vocat votens tranſlatione, ex rebus humanis, ad non humanas. Etenim cum ſumus irati lædimus ſi valemus ea cõtra quæ iram accenſam, continemus. Sic Deus quia videtur tum læſiſſe naturam
*Exod.*14. Iordanis, reſtringens eius fluxum, & item
Ioſue. 3. naturam maris Rubri ſoluens illius continuitatem, ideo dicetur iratum fuiſſe cõtra prædicta. Vnde canit Pſalmus. Quid eſt tibi mare quod fugiſti, & tu Iordanis, quia cõuerſus es retrorſum, quaſi timẽtes Dei. *Quia aſcẽdis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio, aſcendis* pro aſcẽdiſti. Et per equos Dei, atque quadrigas intelligit angelicum miniſterium, in ſubmergendis Pharaone, & Ægyptijs. Et vtitur tranſlatione more ſolito ex bellatoribus qui vtuntur inſtrumentis bellicis, ſcilicet equis, & quadrigis equorum, ad debellandum hoſtes. Vnde in Exodo proditur AEgyptios dixiſſe fugiamus Iſraelem, quia Dominus pugnat
*Exod.*14. pro eis, cõtra nos, & Exod. 15. Dominus quaſi vir pugnator, &c. *Saluatio*, ideſt tuæ quadrigæ ſunt in ſalutem tui populi. Similiter in Zacharia cap. 6. per equos intelliguntur Angeli, vt Domino opem ferente, ibidem exponetur. Vocat Iordanem, flumina, vtens plurali, pro ſingulari conſueto loquendi ſcripturæ tropo. Vel vocat eum flumina, propter illius magnitudinem, aut quia ex duobus fontibus Ior, & Dan, originem ducit. Et eſt repetitio eiuſdem ſententiæ. *Suſcitans ſuſcitabis arcũ tuum, iuramẽta tribubus quæ locutus es: fluuios ſcindes terræ*, ſuſcitare hoc loco eſt manifeſtare & arcus ſignificat potentiam. Suſcitare arcum ſuum Deũ eſt manifeſtare cũctis ſuam maximam potentiam, vt manifeſtabit duodecim tribus in exitu Iſrael, ab AEgypto & in peregrinatione earundem per deſertum quadraginta annis, futurum pro præterito, ideſt ſuſcitans ſuſcitaſti, & geminatio iſta abundantiam manifeſtationis denotat; *Fluuios ſcindes*, pro *Exod.*17.
ſcidiſti, inſinuat, miraculum illud grande *Num.*20.
diuinę virtutis, educentis de ſilice aquam. *Deut.*8.
Iuramenta hæc per appoſitionem ſunt le- *Pſal.* 67.
genda. Hoc eſt hæc miracula quæ feciſti Domine, ideo feciſti, vt impleres promiſſiones à te factas patribus duodecim tribuum, quas iure iurando firmaſti: *Viderũt te & doluerunt montes, gurges aquarum tranſijt: dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit*, vocat montes, quos ſupra vocarat, reges illarum nationum quas ſubiugarunt Iſraelitæ ex diuina virtute. Iſti reges, & cæteri magnates doluerunt valde, ad aduentum filiorum Iſrael, in terrã ſanctam, quia illos deiecerunt: vnde Exo. 15. traditur. Tunc conturbati ſunt principes Edõ, ideſt Idumæorum, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Et rurſus irruat ſuper eos formido, & pauor, ideſt, irruet, modũ, pro modo vſurpatum intellige. *Viderunt*, cum famam aduentus tui, ideſt tuæ operationis circa tuos perceperunt. *Gurges* ſignificat Iordanis aquas diuiſas ſummo Dei miraculo: quia pars earum defluxit in mare, alia vero pars ſe ſuſtulit, in maximum globum ſeu culmum. Et hoc eſt quod ait gurges aquarum tranſijt, *Abyſſus*, vocat Abyſſum flumen Iordanis, propter illius profunditatem, & maximè quia habetur Ioſue. 3. Quando illud tranſierunt filij Iſrael erat tempus ſuæ maximæ inundationis: ſub tempore enim meſsis alueum ſuum implebat, ideo erat maximæ tunc profunditatis, dedit vocem ſuam, ſiquidẽ, ex illa diuiſione aquarum, & ex conglomeratione in altum, quia aquæ ſuperiores in mole vna conſiſtebant, exque earum detentione in ſublimi quouſque Iſraelitæ tranſirent, neceſſario reſultauit ſummus ſtrepitus ex aquarum vehementiſsima colliſione. *Altitudo*, ideſt profunditas, ſe ferebat

ferebat in altum, vt is qui manibus ad ſuprema conſcendenda reptat, & eſt metaphorica locutio, ex reptantibus ad ſublimia accepta. Nicolaus ſequens ſuam expoſitionem iſtud retulit, ad Euphratem, quem Medi, & Perſæ diuerterunt in diuerſiones multas, vt ipſum tranſuadare valerent. Sed reuera, meo iudicio, ſatis violenta eſt eius expoſitio huius loci, & aliorum huius capitis; ideo congruentior eſt expo
Burgẽ. in addit. & Vatab. in commen. ſitio quã Burg. tetigit, & breui Vatablus eſt amplexus, in ſuis commenta. & ego amplius ſum proſecutus. *Sol & Luna ſtetерunt in habitaculo ſuo: in luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Proſequitur etiamnum vates ſingularia Dei alia beneficia, quibus affecit Deus Iſraelitas. Et prior pars huius verſus, inſinuat, illud magnum portentum, quod accidit, ſub Ioſue quando Sol ſtetit immotus ſpatio diurno, ad preces Ioſue dimicãtis contra Gabaonem Ioſue. 10. Et quidẽ
Oratio Ioſue fecit ſtare Solẽ & Lunã & omne cælos fecit in otos mino vnius diei interuallo. Sole ſtante, Luna item repreſsit curſum ſuum. Imo omnes cœleſtes orbes ceſſarũt à ſuo motu; nulla interim in mundi machina alteratione facta: Deo per ſeipſum illã ſuſtinente. Nam quod Deus poteſt præſtare & præſtat per medias creatas cauſas, per ſeipſum item præſtare valet, & tunc præſtitit, & ſæpè alias, & tu interim expẽde, quantum valuit oratio fidei Ioſue, & intelliges quod Dominus ait, ſi habueritis fidem, vt granum, &c. ¶ Altera vero huius verſus pars referenda videtur ad exitum filiorum Iſrael ab Ægypto. Et quantum præfert litera, videtur, quod ſub nocte illa fuerunt illuminati Iſraelitæ mirabiliter à Deo, vt ingens illa multitudo quæ egrediebatur & per profunditatem maris Rubri incedebat, luce diuina perfuſa, non ceſpitaret neq; offenderetur in itinere. Hoc eſt quod ait, in luce ſagittarum ibunt, futurum pro præterito, ideſt iuerũt, & in *ſplendore* radios illos, & ſplendores illos mirabiles, vocat ſagittas & haſtas. Siquidem etſi illuminabant Iſraelitas, excæcabant, & percutiebant oculos AEgyptiorũ. Vnde quod lux Iſraelitis, erat, hoſtibus ipſorum erat offenſio. Etſi videtur, quod hic locus & ille Pſal. 76. *Sagittæ tuæ tranſeũt vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ commota eſt, & contremuit terra. In mari via tua*, &c. Sit referẽdus ad exitum de AEgypto vt mox patebit, *haſtæ* ſingulare vſurpatur pro plurali. Vt de Chriſto Domino dicitur Lucæ 2. Hic poſitus eſt in ruinã, & reſurrectionem, multorum. Fidelibus enim eſt reſurrectio, & infidelibus hoſtibus Chriſti, ruina. Quibus eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali, credentibus autem virtus diuina, & cæleſtis eſt protectio. Aliter autem per ſagittas intellige, grandines quibus percuſsit Deus AEgyptios rebelles, quas quo que vocat haſtas fulgurantes, quia fulgura illa erãt intermiſta grandinibus. Et ideo grandines erant ſagittæ in lucem, ideſt, lucentes & haſtæ fulgurantes. Quia vibrabãtur vt ſagittæ, & vt haſtæ. Et forte quia maximis tenebris ſunt tunc inuoluti AEgyptij, & denſiſsimis, quæ palpari poterant, ideo ait Sol & Luna ſteterunt, &c. Ideſt non illuminauit Sol neque Luna tũc AEgyptios & per ſtare ſubintelligit non diffundere ex ſuo curſu lumen: habes hiſtoriam Pſal. 67. & Exod. 9. Ibi traditur quod ignis & grando mixta de cælo cadebant. *In fremitu conculcabis terram, & in furore obſtupefacies gentes*, ideſt conculcaſti obſtupefeciſti, ſeptem nationes quæ erant in terra ſancta quas Dominus ſua virtute ſubegit Iſraelitis. Quanto autem timore fuerint coruptæ gentes illæ, & quam cõculcatæ in libro Ioſue apertè oſtẽditur, & Exod. 15. idem traditur. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.* De narrationem diuinorum beneficiorum Iſraelitis collatorum in exitu ab AEgypto adhuc cõtinuat, dicens *egreſſus* ſane Deus egreditur, nõ natura, quia immobilis eſt, ſed operatione illa mirabili, ex qua eduxit populum ſuum, per Moſis famuli ſui miniſterium, ex captiuitate illa duriſsima Pharaonis. ¶ Moſem vocat Chriſtũ Dei, quia electus fuit à Deo in ducem illius populi. Sicut & ipſos Iſraelitas, quos elegit in ſuum populum ſcriptura vocat Chriſtos, nolite tangere Chriſtos meos, & qui ſint iſti Chriſti, exponit ſubdens, & in electis meis nolite malignari. *Percuſsiſti caput de domo impij.* Impium vocat Nabuchodonoſorem, qui impius fuit contra Deũ, illi rebellando, obduratiſsimo corde. Domũ eius vocat familiam, & prolem eius. Deus autem percuſsit primogenitum Pharaonis, cũ alijs primogenitis. Vt cecinit Pſalmus percuſsit primogenita eorum ab homine, vſque ad pecus. Et Exod. 11. Primogenitus autẽ erat ceu caput in domo Pharaonis. *Denudaſti fundamentum vſque ad collum*

collum fundamentum regni eſt exercitus, qui defendit regnum ab incurſionibus hoſtilibus, at vero in mare Rubrum demerſæ ſunt omnes militares copiæ Pharaonis, imo & ipſe Pharao, qui erat præcipuum Ægypti caput Exodi. 15. Currus Pharaonis, & exercitus eius, electi principes eius. Et hoc eſt quod ait denudaſti fundamentum: domus enim, tunc habet vltimã ruinam cum eius fundamenta manifeſtantur, nam hoc vocat denudare vſque *ad collum* collum hæret capiti, & principes hærent regi, quia igitur non ſolum exercitus Pharaonis, ſed etiam electi principes eius ſunt demerſi, ideo. *Semper Hebraicè ſæla.* Quid velit hæc notatio Hebraica, ſupra expoſui mus. *Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius: venientibus vt turbo ad diſperdendum me.* Sicut benedictio Dei eſt operatio Dei fauorabilis, ita maledictio Dei, eſt operatio iuſtè lędens. Quia igitur Pharaonem, cum curribus & equitibus ſuis & vniuerſis copijs, Deus demerſit in mare Rubrum. Exodi decimoquinto. Ideo ait. *Maledixiſti* ſceptris, per ſceptra intelligit regium belli apparatum. Per caput bellatorum, intellige Pharaonem, & duces primarios eius. *Venientibus* oſtendit cauſam cur Dominus maledixerit Pharaoni cum ſuis copijs, & apparatibus, quia veniebant feſtini ex Ægypto egreſſi contra Iſraelitas, quia pœnituit regem, & ſuos, quod manumiſiſſet, illos. Ideo inſtar turbinis vehementis: irruebant Ægyptij contra Iſraelem, *ad diſperdendum me*, ideſt, gentem meam Iſraeliticam. *Exultatio eorum ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito.* Veniebat Pharao exultans, perſuaſus, quod vi erat reducturus Iſraelem in Ægyptum: quia videbat Iſraelitas inermes, & AEgyptij ipſi veniebant armati. Ideo credebant AEgyptij pauperem, ideſt, infirmum eſſe viribus Iſraelem. *In abſcondito*, ideſt, deſtitutum ope & auxilio. Nanque qui infirmus eſt viribus & deſtitutus ope facile ſuſtinet iniuriam à potentiore. *Viam feciſti equis tuis, & in luto aquarum multarum.* Fortaſsis Angeli ſancti viſibiliter inſidentes equis apparuerunt tunc formidabiles AEgyptijs. Vt Heliodoro, & ſuis apparuiſſe inſidentem Angelum equo, libro Machabæorum proditum eſt. Et ſæpè legimus ſanctos apparuiſſe equis inſidentes in fauorem fidelium, pugnantes contra infideles. Vt de beato Iacobo Hiſpanorum meminit hiſtoria. Et de beato Mauricio refertur idem in fauorem Germanorum. Vel hoc dicit ſub metaphora, quia videbatur Deus ſe habere vt pugnator inſtructus equis & equitibus, contra Pharaonem, vt ſupradictum eſt. *Audiui & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea.* Relatis iam multis diuinis erga Iſraelitas beneficijs, ex quibus venia etiam eos donari propter ignorantias, non erat indignum, vt ſcilicet captiuitas non diutius eſſet protelanda id quod huius ꝓpheticæ orationis erat inſtitutum, nunc vates quaſi iam exauditus, inquit audiui, ideſt reuelatione diuina aure cordis in terra audiui, videlicet quod Dominus relaxabit captiuitatem ſui populi. Et quod mittet Medos, & Perſas poteſtate magna, vt eruat Iſraelitas à captiuitate tędioſa quam perferunt, vnde ex mirabili hac auditione, venter meus, ideſt, cor meum conturbatum eſt. Etenim ſolemus auditis portentoſis valde inhorreſcere. Erat valde portẽtoſa, ſeu mirabilis, excedens humanam fidem, liberatio Iſraelitarũ à captiuitate illa Babylonica. Siquidem Babylonicum Imperium id temporis erat potentiſsimum, vt ſupra vates noſter docuerat. Ideoque exaggerans hãc liberationem vates dicit, quod accepta reuelatione eiuſdem, conturbatum eſt cor eius vt beatiſsima virgo, audita nũtiatione Angelica turbata eſt *à voce* non ſenſibili, ſed intelligibili, contremuerunt labia nam ex trepidatione corporis, tremunt labia. *Ingrediatur putredo in oſsibus meis.* Perinde me habui acſi putrida haberẽ oſſa, quæ ex putredine nõ poſſunt ſuſtentare mollẽ totius corporis ſimile eſt huic quod legimus in Ierem. cap. 20. Factus in corde meo quaſi ignis exæſtuans clauſusque in oſsibus meis: & defeci ferre non ſuſtinens. Et in Danielę capite decimo. Et audiui vocem ſermonum eius, & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus hærebat terræ idem legimus de Apoſtolis ex voce cœleſti cadentibus in facies ſuas Matth. 17. *Et ſubter me ſcateat*; repetitio eſt prioris ſentẽtiæ, *Vt requieſcam in die tribulationis*, Ideſt, qui tamẽ requieſcã, etſi modo ſum turbat⁹, in die tribulationis, vocat diẽ tribulationis, venturę ſcilicet Babylonijs, quando ſunt redigendi in ſeruitutem Perſarum, & Medorum, in die illo ait, ſe accepturum

2. *Mach.* 3.

prurum quietem, ideſt conſolationem, videns Iſraelitas aſſertos à miſera, quam ſuſtinebant iamdiu captiuitate. Et loquitur in perſona Iudæorum captiuorum Babylonc. *Vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Aſcendam* pro aſcendat ad pro contra, quia vt ſæpe diximus præpoſitio ad in diuinis vſurpatur pro cõtra. Et hic etiã ſumitur pro contra. Vt ſit ſenſus quieſcã in die tribulationis, ideſt oppugnationis Babyloniæ: quia tunc aſſerentur captiui. Quæ tribulatio aſcendat, & veniat contra populum, &c. Vel ſi legis ad, lege ad oppugnandum populum, &c. & eſt idẽ ſenſus qui prior. Pro *accinctus* eſt nomen, Hebraicum Gudenu deſcendens à verbo, Gadad, quod ſignificat accinctus eſt ad prælium. Et Rabi kimhi, pro accincto, ipſe exponit cuneum, ſeu cætũ & eſt ſenſus quæ tribulatio veniet, contra cuneum militum ſeu cætus militum Babyloniorum. Vocat *noſtrum*, quia vt diximus Iudæorum captiuorum agit modo perſonam vates. Et captiui vocãt Babylonicos noſtros, quia ibi degebant, ex multo tempore, ibique detinebantur captiui. Aut ſi legas populum noſtrum, lege ironice, ideſt, hoſtem noſtrũ, id quod eſt familiare ſanctis ſcripturis vti huiuſmodi tropo. *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis mentietur opus oliuæ & arua non afferent cibum.* Sub tẽpore enim oppugnationis hoſtilis omnia perduntur quia mos eſt hoſtibus, vniuerſas perdere arbores fructiferas, truncãdo eas, ne proſint obſeſsis, & hoc eſt quod ait, *Ficus non florebit*, quia truncatæ erunt ficus: vſurpatur ſingulare pro plurali, &c. ſimili modo intelliges. Et oleæ mentiẽtur heris ſuis qui ſperantes fructum ſpe ſunt deluſi, & hoc vocat mentiri. *Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.* Hoſtes enim graſſantes in obſeſſorũ ſubſtantiam, rapiunt ſibi peccora, & armẽta ſibi tollunt. Curant enim rapinis & ſpolijs huiuſmodi, grauare ſuos hoſtes. *Ego autẽ in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Vox hæc eſt captiuorum, qui detinebantur in Chaldæa, qui fuerunt ſeruati à Cyro, ideoque poſtquam retulit vates quæ ventura mala erant Chaldæis, introducit ſuos Iudæos captiuos dicentes. *Ego autem in Domino gaudebo*, ideſt tunc ſub in uaſione Perſarum nos gaudebimus in Domini ope nos protegente: quia nihil nos lędent Perſarum copiæ: imo iuuabunt, id quod erit nobis materia ſummi gaudij, *Deo Ieſu*, Ieſus eſt nomẽ Saluatoris, Deus autem ſolus eſt qui eſt verus hominis Saluator: qui totum hominẽ ſeruare poteſt, quo ad animam, & corpus. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cernorum: & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.* Deus vocatur fortitudo fidelium, nõ quia ſit formaliter eorum fortitudo, ſed quia effectiuè fert opẽ illis. Eodemque modo à Paulo Chriſtus vocatur iuſtificatio fidelium, non quod formaliter nos iuſtificat, Chriſtus enim non eſt forma iuſtificans hærendo formaliter animæ: ſed quia per Chriſti merita iuſtificamur. Vnde male Theologizat Lutherus cum ſua claſſe aſſerens, Chriſtum non per gratiam inhærentem nobis, aut charitatẽ iuſtificare: ſed ſolum iuſtificat, ſeipſo quia non imputat peccatum noſtrum ad pœnam æternam, ideo credidit Chriſtum per ſe animam iuſtificare formaliter: quod delirium alibi à me eſt ſatis reprobatũ. Vox item hæc eſt captiuorum, ouantium ſpe captiuitatis, ſoluendæ. *Pedes*, ideſt velociter tanquam cerui, qui ſunt velociſsimi curſus, properabimus in terram ſanctam, ſoluta captiuitate. *Et ſuper excelſa mea*, terram ſanctam vocat excelſa, quia eſt ſatis montuoſa. Iuxta illud Lucæ. 2. Abijt Maria in montana Iudææ, cum feſtinatione vocat *mea* quia erat propria terra captiuorum. *Et deducet me victor*, ideſt Deus deducet me per iter cum victoria. Et in Pſalmis Canam, Deo agens gratias: pro captiuitatis relaxatione. Et ſunt Pſalmi pro huiuſmodi laudibus Deo perſoluendis, vt eſt Pſal. 143. pro hiſtoria contra Goliath, habita editus.

Lutherus refellitur.

Moralia & myſtica.

Senſus moralis mixtus allegoricus.

SEnſus literalis, eſt ſicut, palatium & domus regia fidei Catholicæ, quia in huiuſmodi ſenſibus, ſi recti ſint & ſynceri, fides Catholica commoratur, & in huiuſmodi inuenitur. Ideoque fides orthodoxa in huiuſmodi ſenſibus habitat ceu regina in palatio ſuo. ¶ Verum ſenſus reliqui myſtici, qui dicuntur etiam tropologici ſenſus, ſunt ſicut aulea & tapetes exornantes domum iſtam regiam.

¶ Et quidem palatia Regum etſi pulchrè ſint conſtructa, at vero magnus ſplendor illis accedit, ſi pulchris tapetibus, oloſericis

cis vel ex auro & argento contextis illustrentur. Ita prope modum sensus literalis admodum exornatur, si tapetibus sensuū mysticorum decoretur, & illustretur. ¶Iā ergo, quod vates ait, *Domine audiui auditionem tuam & timui*, omnes fideles aptè dicere possunt, maximè ij, qui iam se parāt, ad agendam pœnitentiam suorum veterum peccatorum. Isti enim cum ex fide docentur ingentia manere supplicia impœnitentes, vnde timent valde hos fidei clamores. Et apte fides attribuitur auditui, nā fides docente Apostolo, est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Huiusmodi igitur, qui adornant contritionem suorum peccatorum, exhorrescente pœnas vēturas, prēcētur oportet Deum, sequentibus verbis. *Domine opus tuum in medio annorum tuorum viuifica illud*, sed quale est obsecro hoc opus? vtique illud opus, cuius Ioann. 6. meminit. Vbi Dominus ait, hoc est opus Dei vt credatis in eum qui fecit illud. Hoc igitur opus Dei est fides: cæterum hoc opus nonnunquam mortuum est, quia vitali halitu charitatis non respirat, aliquando autem viuit ex charitatis halitu formante. Cum ergo mortuum est precandus Deus, vt viuificet opus suum, donando pœnitentiā, *in medio annorum tuorum*, ideſt ipſis annis vitæ nostræ, etenim dum curriculum vitæ præsentis ducitur, est locus pœnitentiæ, quo transacto cessat. Omnis pœnitentia fructuosa, Ideo petit huiusmodi pœnitens, *Vt viuificet Deus fidem*, quam habet ipse, tātisperdum hic agitur. Vt Dominus alibi monet, dicens Matth. 5. Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via. Quia vero, anni nostri quibus hanc ducimus vitam, sunt anni Dei, ideo ait, *In medio annorum tuorum viuifica illud*. Sūt quippe anni Dei, quia ipse fecit illos, & anni nostri, quia nobis ad vitam agendam sunt à Deo cōcessi. ¶Porrò rectius precatur hic fidelis, quam dogmatizat Lutherus infidelis, ille precatur Deum vt viuificet fidem, quam habet mortuā ex peccato admisso, at vero hic preces has ridet, quia existimat nullam fidem esse mortuam, reclamāte Iacobo Apostolo, qui, fides ait, sine operib⁹ mortua est de qua re supra sæpè meminimus. Et subdit *in medio annorum tuorum notum facies*. Continuat suas fidelis preces coram Deo, dicens Domine viuifica fidem meam, quæ tua etiam est, quia tui est muneris, vt rectam & synceram fidem habeamus, ex hac autē viuificatione fidei meæ, & tuæ consequetur, vt fiat nota tibi fides mea, ideſt tibi accepta ad vitam æternam. Hoc enim tibi notum ducit esse scriptura tua, quod tibi gratum est ad vitam æternā assequendam. *Cum iratus fueris*, hactenus iratus mihi eras Domine, ex culpis meis, in quas me labi permisisti, meis malis meritis exigentibus, iam vero, misericordiæ tuæ magnificentissimæ, quam soles in peccatores, volētes malum animum in bonum commutare effundere, memineris modo, vt pœnitenti animo ad te accedēs, facinora relaxes mea. *Deus ab austro*. Tu enim ab austro, ideſt ex tua nimia & feruētissima charitate quæ per austrum significatur, quæ feruentissima est cæli pars, in mundum venisti vt peccatores saluos faceres & tu qui sanctus es, de monte Pharan, ideſt venisti de mōte pulchritudinis, virginalis pudicitiæ beatissimæ matris tuæ, in cuius vtero carnem assumere, non horruisti vt carne assumpta apparens in orbe, orbem redimeres, *operuit*. Ex hac autem tua incarnatione, & consequentibus mysterijs, cœli operti sunt gloria, nam te nato claritas Dei circumfulsit pastores, & angeli cœlestes in aēre canebant gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus: vnde laudis tuæ plena est terra, quia in omnem orbem effusa est laus tuæ erga homines munificētissimæ misericordiæ. *Splēdor autem tuus*, Domine Deus pater filius tuus est vnigenitus, qui est splendor gloriæ tuæ & figura substantiæ tuæ, & hic splendor tuus, est vt lux illuminans omnem hominem in hunc venientem mundum. *Cornua* salutis ipse tuus Christus exit in nobis, quia ipse habet in manu sua, ideſt potestate sua saluare hominem, quē de limo formauit. *Cornua*, ideſt potestas hæc in manibus eius est, ideſt in sacrosancta humanitate sua est, quia humanitas eius est ceu manus diuini verbi, per quam operatus est, vniuersa mirabilia, quæ ipse operari decreuerat. ¶Est autem humanitas ceu organum coniūctum verbi ideo recte manibus confertur, manus enim, est organum organorum teste Aristotel. 2. de Anima. Ibi autem est abscondita fortitudo & infinita potentia diuini tui verbi: latebat enim sua infinita potestas sub carnis humanæ infirmitate. *Antefaciem* Christi tui ibit mors, etenim nouissimè destruetur per ipsum inimica mors, nam in regeneratione in die nouissimo amplius non erit mors neq; luctus: quia absterget Deus omnem lachrymam sanctorum suorum. Expellet igitur prorsus, ante faciem suā, ideſt ante aduentum eius ad iudicium. Aut ante eius ibi moras, siquidem ante diē nouissimum, erunt pestilentiæ, & terræmotus magni & egredietur diabolus ante pedes eius, diximus autem per diabolum ex lectione Hebraica conflagrationē esse subaudiendam. Et hoc verū est quia ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos eius. Aut egredietur diabolus ante pedes Dñi, quia ante quā adueniat ad iudicandum, Antichristus inuadet orbem, & in ipso diabolus, habebit suum domiciliū, vt per Antichristum, ceu per instrumentum, imponat toti orbi, & nisi breuiasset Deus dies illos propter electos, non salua fieret omnis caro. *Steiit & mensus est terrā*. Ascensurus Christus in cœlum, dixit Apostolis suis, ite in omnes gentes, & prædicate Euāgelium omni creaturæ, &c. istud est stare & metiri terram. Rursus, surgens à mortuis, ait. Data est mihi omnes potestas in cælo, & in terra. Quia vniuersus est sibi subditus ex iure redemptionis, & iure diuinitatis, & quanuis, multi modo nō obediant Euāgelio, at vero, suo malo quia dabunt æternas pœnas suæ infidelitatis. *Aspexit & dissoluit gentes*, aspexit Christus Petrum, & cōuersus Petrus fleuit amare, dissoluta est glacies, cordis Petri, ex Domini aspectu qui est Sol iustitiæ. ¶Item q; & aspexit aspectu suæ clementiæ, in gentes idololatras, quæ iam olim in sordibus suorum facinorum iacebant sepultæ, & traxit ad se populos gentium, & dissoluit omnia opera Diaboli quibus fascinatos & excæcatos habebant mentis oculos. Imo quotidie eadem præstat conuertendo peccatores. *Et contriti sunt mōtes seculi*, quia principes, & magnates seculi, contriuit euangelium, sanè contriuit eorum superbiam & peruicaciam, subdens eos Catholicæ fidei. *Incurnatique*, colles, ideſt alij inferiores principes, & seculi proceres post quam intellexerunt, itinera æterna Dei, ideſt profundissima Dei æternaque consilia, ex quibus voluit suum vnigenitū dare in redemptionem pro multis item Christo se curuauerūt. *Pro iniquitate*, ideſt pro nihilo vt diximus in expo. lit. vidi tentoria Æthiopiæ quæ sunt infideles, in quibus diabolus habitat per internam suggestionem, decipiendo eorum mentes rectè enim conferuntur tentorijs Æthiopum, qui sunt nigri homines, tales sunt infideles denigratas super carbones gerentes ex sua infidelitate mentes. ¶At vero vt Psalmus ait, pro nihilo saluos facies eos; Christus enim, non propter merita ipsorum, quæ desiderabant, sed ex sua infinita clemētia, infideles, traxit ad Christianismum, & nigredinem suorum peccatorum mundauit per lauacrum regenerationis. ¶Pro nihilo vidi ait vates spirituali visione, tentoria Æthiopum subaudi euersa: Quia verbum Christi & sacramenta eius omnia vaframenta diaboli pessumdat cuius typū gessit historia Gedeonis, qui ferè nullo negotio maximas Madianitarum acies, fugauit, & eorum tentoria dissipauit, ita Christus fugat diabolum à corde peccatorum, & iustificat pœnitentes, ferè pro nihilo, enim vero, etsi requiratur noster consensus, atq; operatio, at vero nihil est in peccatore antequam iustificetur quod sit iustificationis venturæ condignum meritū dicente Paulo, iustificati gratis, &c. Est fanè meritum aliquod congruētis, quod est secundum quid, ideſt secundum congruētiam meritum, non tamen simpliciter meritum, quod est in præsentia condigni meritum. Non enim meritum simpliciter vocito, quod est secundum exactam, & rigidam iustitiam meritum, quod solum in Christo Domino extat, at voco simpliciter modo meritum, quod secundum præscriptam legem Dei, meretur vitam æternam. Et liquidum est, ante iustificationem nullum tale esse meritum, siquidem ante iustificationem, homo iniustus est, si iniustus dignus æterno supplicio, & indignus est præmio. Meritum autem cōgrui sunt attritio, timor gehennæ, & hoc genus alia, quæ præcedunt iustificationem. Pro nihilo igitur vidit vates tētoria Satanæ, à Christo dissipata, per fidem scilicet infusam & gratiam iustificantem. Quippe ex nullo propriè merito peccator iustificatur, siue infidelis is sit, siue fidelis. ¶In paruulis quoque ante regenerationem, habet diabolus fixa tentoria, verum item hæc tentoria, non ex meritis paruulorum sed sua benignitate Christus euertit, quando per suos ministros regeneratoria aqua illos perfundit. *Turbantur quoque tūc pelles*, ideſt, tentoria Madian, vt expositum est. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus*

Sensus mystici sunt veluti prætiosi tapetes exornātes fidei patulum.

Lutherus reijcitur.

Pharan interpretatur pulchritudo.

Ad Hebr. 1.

Rom. 3. Deus iustificat hominē peccatorē gratis.

Meritum congrui & condigni.

Quæ sunt merita congrui in peccatore.

1. *Cor.* 15.
Apoc. 21.
Matth. 19.
Matthæi 24.
Psal. 96.
Matthæi 24.

minibus furor tuus, aut in mari indignatio tua? Sanè Deus qui humilibus gratiam dat, superbis resistit, superbi autem subaudiuntur per flumina, in præsentiarum. Quibus illud Psalmi concinit, eleuauerunt Domine flumina vocem suam, eleuauerunt flumina fluctus suos. Etenim in scriptura eleuare ad malum vsurpatur nonnunquã, vt eleuauit cor suum, Oseę. 13. eleuauerũt cor suum & obliti sunt Deum. Et Iob. 15. Quid te eleuat cor tuũ. Istis igitur superbis, qui sunt velut rapida flumina, quæ magno impetu, se deuoluẽtia, omnia quæ illis obuia sunt violenter rapiunt Deus irascitur, quia Deo & hominibus odibilis est superbia Eccles. 10. Idem per mare intellige. Nã cor impij vt mare feruet. Ascẽdit autem Deus *super equos*, & super quadrigas, vt huiusmodi superbos conculcet. Idest habet se in modum bellatorum, qui quadrigis & equis vtuntur, ad debellandũ suos hostes, vt exposuimus quando incũbebamus in literalem sensum & ferè eadẽ hypothipoſi vtitur scriptura Sapient. 5. Armabat, ait, creaturam ad vltionem inimicorum, &c. Vnde in hymno beatissimæ Mariæ dispersit superbos, mente cordis sui & exaltauit humiles. *Quadrigæ tuæ salvatio.* Quadrigę Dei, scilicet disciplina omnis, & correptio diuina, ex qua ab ipso pœnis temporalibus castigamur, omnes sunt ad salutem nostram, ideſt, vt pœnis temporalibus castigati ad ipsum conuertamur. Vnde Prouer. 3. Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, cum ab eo argueris. Quem enim diligit Deus castigat ad Hebræ. 12. *Suscitans suscitat arcum suum*, quia pro arbitrio suæ voluntatis, nonnunquam demonstrat potentiam suam in corripiendis superbis vt benefaciat electis suis, siquidem electis suis repromisit fauorem suum illis præstandum. Vt in fauorem Israelitarum Pharaonem cum curribus & equitibus suis inuoluit in abyssо maris Rubri. *Fluuios* scindit, quia sicut olim in deserto durissimam petram conuertit in fluenta aquarum, ita & modo corda durissima, liquefacit in exitus aquarum, inducens ea ad pœnitentiam pro criminibus factis. *Viderunt* vident sæpe principes, & magnates per fidem Deũ, cum considerant eius omnipotentiam, & terribile iudicium venturum; & tunc dolent de peccatis suis, & curuantur Deo, & ministris suis ad pœnitudinem. *Gurges aquarum.* Considerant enim quod vniuersa huius seculi bona, siue pompæ, siue deliciæ, siue diuitiæ, sunt instar gurgitis aquarum transeuntis & nunquam amplius apparentis. Siquidem teste Iacobo, vniuersa hæc sunt vt vapor ad modicum apparens & præterit figura huius mũdi, vt docet Apostolus 1. Cor. 7. & ipsa quotidiana experientia demonstratur. *Dedit abyssus*, Abyssus hæc humanum cor est, quod profundũ est, & inscrutabile nisi à Deo, qui scrutatur corda & renes, aut profundũ est cor hominis super omnia, iuxta lectionẽ Græcam. Hæc igitur Abyssus, dat vocẽ suam, quando compunctum humanum cor, de erratis admissis in vita priore, vocaliter confitetur suo confessario, integrè & dolenter, & cum pudore, & discretione, euomens scelera sua, vt à morbis animæ quibus tenetur, sanetur. *Altitudo*, ideſt, idem cor quod est profundum in cogitationibus suis, soli Deo patentibus, quando sic compunctum, & contritum, vocalem facit confessionem, leuabit manus ad satisfaciendum Deo pro suis iniquitatibus.

Hypothipoſis scripturæ.

Deus punit superbos in fauorem suorum electorum.

Iere. 17. Apoc. 2. Pſal. 7. 1. Reg. 19

Vocalis confeſsio.

¶ Siquidem pœnitentiæ sacramentũ, istis tribus integratur partibus, scilicet contritione, confessione & satisfactione. *Sol & Luna steterunt.* Christus qui est Sol iustitiæ & lux quæ illuminat omnẽ venientẽ in hunc mundũ, est in cælis residẽs ad dexterã Dei patris, & ecclesia Catholica, quæ est tanquam ab hoc sole, semper recipiens illustrationem, quæ stat in fide & charitate Dei, tanquam in tabernaculo suo, semper monent peccatores fideles vt conuertantur ad Dominum Deum suum. ¶ Vnde Christus nisi habueritis pœnitentiam, omnes simul peribitis. Et ecclesia ex voce Ioannis, Agite pœnitentiã, appropinquauit enim regnum cœlorum. *In luce* veri fideles obedientes istis vocibus, agunt pœnitentiam de peccatis, & in luce sagittarũ, ideſt, per internas illustrationes, quibus vocantur, incitantur, feriuntur, sicut sagitis quibusdam ibunt, scilicet ad pœnitẽtiæ sacramẽtum, & inde ibunt procedentes de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion. ¶ Quas dixit sagittas vocat fulgurantem hastam. Et reuera, quibusdã, est vocatio Dei, & illustratio, sicut fulgurans hasta, quia sicut fulguris coruscatio, citissimè disparet, ita & isti citissimè, desserunt viam salutis, quam ingredi cœperũt. Vnde Dominus Matth. 13. Cum gaudio susci-

Partes integrantes pœnitẽtiæ sacramentum.

Matt. 3.

suscipiunt verbum, & in tẽpore tribulationis recedunt. Et de Galatis Apostо. cap. 1. scribit. Quis vos fascinauit, vt recederetis à via veritatis. *In fremitu conculcabis.* Trãslatio est à fremitu leonis, quo fremente, vel rugiente omnes bestiæ, timore cõturbantur, Deus igitur tunc fremitu suo cõculcat terram, quando homines terrena sapiẽtes terrore suæ iustitiæ, ad se trahit. Vnde legimus Ioan. 11. Christum infremuisse quãdo Lazarum suscitauit à morte. Et ferunt Ieænam fremitu incumbẽtem in catulum suum, ipsum viuificare. Et ad idẽ spectat. *Et in furore suo obstupefaciet gentes. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* ¶ *Cum enim venit* plenitudo temporis misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erãt redimeret. *Percussit* autem caput Deus de domo impij, ad literam quando Pharaonẽ & militares eius copias demersit in mare. At vero allegoricè, percussit caput diaboli adumbrati in Pharaone, quando moriens in cruce Sathanicas eius vires confregit: & prædicato euangelio in toto orbe, deceptiones, & fraudes diabolicas, quibus totum orbem inuoluerat, adorantẽ idola, retexit. Domus impij infernus est, vbi impius Lucifer, cum suis sempiterno est habitaturus, caput inferorum, ipse est. Lucifer autem percussus est à Christo, & erectus de cordibus fidelium & fundamentũ eius denudatum est vsque ad collum. Sunt autem fundamentum diaboli, fraudes eius & imposturæ quibus dementauerat humanam naturam, persuadebat enim hominibus idola esse deos, quos colere debebant, & persuadebat vitia esse virtutes, at vero per lucẽ euangelicam denudatæ sunt fraudes eius, vnde Apostolus. Non ignoramus cogitationes illius. 2 Cor. 2. & ca. 11. Euam serpens seduxit astutia sua, & quia prorsus sunt denudatæ, ideo ait, denudatas esse vsque ad collum quod enim vsque ad collum denudatum est satis nudatum est. Nãque caput, ideſt diabolus ipse percussus est à Christo, fundamentum autem capitis est collũ & reliquum corpus, hoc autem fundamentum omnino nudatũ est, & explanatum est per euangeliũ esse fundamentũ fallax, & mendacio plenũ. ¶ Vnde quod sequitur est facile intellectu, *maledixisti sceptris eius.* Sceptra diaboli sunt peccata, etenim per peccatũ dominatur diabolus in omnibus. Qui enim facit peccatũ ser-

Ioan. 8.

uus est peccati Christus maledixit peccatis, ostendens esse maledictum qui peccatis subditur. Maledicti ait Psaltes, qui declinant à mandatis. Et maledictos liberandos voluit ab hac maledictione dicẽs. Accipite Spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis peccata. Maledixit item capiti bellatorũ diaboli. Nã peccata sunt à Deo maledicta, & qui illis incumbunt. Et ipsi diabolo maledixit Deus, dicẽs, super pectus tuũ gradieris, &c. *Et bellatoribus*, ideſt militibus diaboli maledixit Deus. Sunt autem bellatores isti omnes hæretici, schismatici, apostatæ, infideles, denique obstinati peccatores horũ omnium caput est diabolus. non secundũ naturã, sed secundũ imitationẽ. Nãque cõmemorati omnes imitantur diabolum, sicut enim hic sibi hærẽs, se abstraxit à diuina charitate, ita & illi sibi hærẽtes se abstrahunt à Dei honore, & amore. ¶ Aptè quoque dixeris illos esse bellatores diaboli, quia diabolicas semper ducũt partes, & diabolicas amant factiones. *Exultatio* autẽ horũ est in rebus pessimis, & tunc demum gaudent cũ malefecerint, vel scilicet lædẽdo fidẽ vt hæretici & alij infideles, aut lædendo ecclesiã, vt schismatici aut lædendo religionem vt apostatæ, aut lædendo charitatẽ vt cæteri peccatores. *Viam.* Viã sibi sæpè facit Deus in mari, quia sæpè corda æstuãtia, & feruẽtia in peccatis, & obruta ex luto aquarũ multarum, ideſt multorũ peccatorũ Deus sibi subigit, & ex lutosis, & æstuãtibus iniquitatẽ mũda sibi reddit, & anhelãtia Dei charitatẽ. Vt tibi exẽplo sunt Paulus, qui spirabat mĩas & cędes, cõtra ecclesiã Dei, & Magdalena, quæ septem dæmoniis erat imbuta, & alij plerique. *Audiui* Ijs qui ex magnis culpis, ad Deũ cõuerti parant, iste versus congruit. Audiunt, ideſt interna consideratione ex fide quã ex auditu acceperunt expẽdunt quã infelix & periculosus sit culpæ status, quãque illis impẽdat exitiũ sempiternũ; ideo cõturbãtur ex hac fide cõcipientes gehennæ timorem: indeque oppido desiderant statũ culpę à se depellere, ideoq; affectãt vt ille status qui vigebat in eis putrescat, & contabescat, vt gratiæ diuinæ in eis paretur cõmodus locus. *Vt requiescam.* Vt scilicet abiecto statu culpæ vt putrido, & abominabili, requiescat spirit⁹ in die gratiæ. Quia status culpæ est nocti cõsẽtẽdus, at status gratię est status diei, & status quietis mẽtis humanæ, dũ hic agitur, quia

Pœnitẽtes vt se habent cũ se parant in Deum cõuerti.

pacē habet ad Deū, *vt ascendā*, vt ex statu gratiæ ascendam ad gloriæ statum, diximus enim per accinctū ex voce Hebræa significari cetum fortium, nullibi autem tanta est fortitudo, quanta in beatis, qui æternò viuent glorioſi. *Ficus non florebit*, describitur status culpæ, vt ex descriptione, pœnitens magis horreat ipsum, & ardentius conuertatur ad Dominum, sub statu enim culpæ ficus non floret, neque vineæ proferunt germen. Siquidē quæ Deo erat grata anima, per gratiā gratū facientē proferebatq; fructus dulces, & suauis saporis, significatos per ficus, & vuas, at vero exiccata per culpā, ficus nō floret, neq; fructificat Deo. Quia quidquid cogitatur tunc, aut operatur ab homine, Deo non sapit: quippe nō est gratum ad vitā æternā. ¶Eodē accedit, quod accidit, & arua non afferēt cibū, siquidem etsi sub culpa, quædā videantur hominū opera esse heroica, cęterum nō cibant animā, cibo diuinæ gratiæ. Quia teste Paulo citra Dei charitatē, nihil Deo gratū est ad vitæ æternæ meritū. 1. Cor. 13. *Abscindetur*, hæc sunt dāna alia quæ culpa mortifera infert animæ, nā ipsum sæpe abscindit de ouili, ideſt, separat ab ecclesiæ gremio: vt est videre in hæreticis, qui sunt abscisi ab ouili Dei, ideſt, ab ecclesiæ catholicæ communione. *Et nō erit armentum*, ideſt, ratione culpę sæpe fideles priuantur verbo Dei, & doctrinæ sanæ præsepia fiunt vacua: ideſt cathedræ ecclesiasticæ, quæ sunt velut præsepia quædam, euacuantur sancta doctrina, & subrogatur illi mala doctrina, vt ex cathedra salutis, reddatur pestilentiæ cathedra. Vnde resultat, quod ex fidelibus Dei ex culpa sua efficiantur infideles diaboli: vt proditum est Amos. 8. Mittam famem in terra, non famem panis, neque sitim aquę, sed famem verbi Dei. ¶Et impletur quod ab Isaia cap. 5. scriptum est. Nobiles eius perierunt fame, id quod accidit Germanis qui erant olim nobiles in ecclesiæ fide, ex quorum tamen culpis, præsepia Germaniæ, ideſt cathedræ, & suggestus, vnde solebant Germani antiqui pabulum sanæ doctrinæ assumere, versa sunt modo in cathedras pestilentiæ: quibus præsunt magistri Lutheri discipuli, & aliorum hæreticorum, pabulum venenatum exhibentes suis Germanis. Deus misereatur eorum vt resipiscant à laqueis diaboli, quibus capti ui tenentur. *Ego autem*, verba sunt hominis iam iustificati à Deo, qui Deo primo & sibi postmodum gratulatur: quod ereptus sit à damnis quæ patiebatur sub culpa. Et gratulans ait, *Ego autem in Domino gaudebo*, non in meritis proprijs gaudebo, sed in Domino: non enim mihi ascribam, quod ex lutoso statu culpæ ereptus sim in egregium gratiæ statum, quia non ex condignitate operum meorum, quæ ego feci, sed secundum suam misericordiam lauit me à sordibus meis, & induit me veste immaculata suæ gratiæ. ¶Ego quidem dolui de culpis meis, at vero meus dolor, non poterat promereri de condigno amicitiam Dei, quam ex culpa mea perdideram, quam tamen obtinui, ex largitate diuinæ benignitatis, non ex efficacia meorum meritorum quæ mihi multa erant mala sub culpæ meæ statu. ¶At vero respexit me Dominus suæ misericordiæ intuitu, & abstraxit me à luto fecis cui infixus eram: ideo ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. ¶Ipse enim est vera salus hominis, cui accepta ferenda est hominis peccatoris iustificatio. Nam etsi cooperetur homo Deo iustificanti, quia sine cooperatione, adultus non iustificabitur: at vero pusilla est nostra cooperatio, vt tam magnificum munus iustificationis assequatur. Nam obsecro quātus est hominis peccatoris dolor, etsi vehementissimus videatur, quantus timor, quanta ve spes, vt amissam Dei amicitiam assequatur? sane exigua hæc sunt, & non condigna tanto muneri obtinendo. ¶Ideo peccator iam iustificatus, dicat cum vate, Ego autem in Domiino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo: qui eduxit me de tenebris, in admirabile lumen suum. Et quod sequitur aptissimè eidem concinit, *Deus Dominus fortitudo mea*, quia per solas vires totius creaturæ nullus iustificari potest coram Deo, ideo diuina virtus est necessaria, auxiliumque cæleste est implorandum, conanti ad iustificationem obtinendam. Iustificatus autem homo, ad opera quæ præstare tenetur, habet pedes veloces vt ceruorum, & qui prius erant veloces ad peccata, redduntur postea veloces, ad sancta opera. *Et super excelsa mea*, excelsa peccatoris erant peccata quæ amabat, hæc autem sub statu gratiæ, tanquam victor conculcabit, & victoriam psalmis diuinis celebrabit.

Dāna & nocumenta quæ infert animæ morti fera culpa.

Germani nobiles olim in fide.

Iustificati hominis canticum.

Hominis ex peccato iustificatio Deo attribuenda, quia prima gratia non cadit sub merito.

EX-

EXPLANATIO IN SOphoniam Prophetam, Authore Michaele de Palatio.

Prologus in Sophoniam Prophetam.

QVOD fuerit Sophoniæ genus, quo ve tempore vaticinium suum ediderit, ipse prodit. Vnde iuxta Hebræorum quorundam traditionē stemate prophetico claruit. Siquidē expressit patrem suum, & maiores suos ad atauum vsque, qui omnes iuxta eorum sententiam fuerunt Prophetæ, & non solū ipse. ¶Verum quantæ veritatis sit hæc Hebræa traditio in primo tomo differtum est. Epiphanius libro de vitis Prophetarum tradit fuisse illustri prosapia natum Sophoniam non tamen expressit, qua ratione illustri. ¶Hierony. refert hoc idem Hebræum placitū, nō tamen vt sibi cōfessum. In prologo enim ad hunc vatē testatur, si vera narrant Hebræi Sophoniā ex Prophetica prosapia descendisse. Prophetauit sub Iosia rege Iuda, abactis iam decem tribubus in Assyrios; superstitibus tantum duabus tribubus quibus Iosias Imperabat. Vnde fuit coætaneus, aut synchronus Ieremiæ, qui fuit etiā sub Iosia, nam. 13. anno Iosiæ claruit. ¶Familia eius non exprimitur in sacris musis, quæ fuerit. At Epiphanius, & Isidorus, familiam, vnde genus traxerit, aiunt fuisse Simeonis tribum. ¶Quod si quærat aliquis cur hic vates, suos maiores exactius expressit, quā reliqui responderi potest quia maiores huius vatis erāt illustres, vt ex maioribus suis se manifestum faceret, & suam Prophetiam non cōfictam, sed certam esse auditores existimarent. Natalem locum Epiphanius scripsit esse Sarabathidem, Isidorus agrum Sabba, vbi tandem mortuus, in pace quieuit. Interpretatur autem, speculator, aut arcanū seu absconsio Domini, id quod omnibus sacris vatibus est commune speculari arcana Domini. Istud nanque est Propheticum munus, vnde Abacuc, ait super custodiam meam stabo, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, item Isaias, vt exposuimus Abacuc. 2. Et Ezechielis dicitur cap. 3. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.* Quod ergo sacris vatibus alijs ex munere conuenit, huic etiam ex nomine: fuit quidam alter, hac eadem nomenclatione insignitus, sacerdos filius Amasiæ Iere. 21. & 34. sub tēpore huius vatis claruit fœmina quædam Olda nomine Prophetica illustratione, vt traditur. 4. Regum cap. 22. idem Prophetizans Ierosolymitis, quod Ieremias, & Sophonias, videlicet excidium Ierosolymorum, & captiuitatem duarum tribuum, propter peccatum idololatriæ, quod apud illos maximè tunc vigebat. Miscet quoque consolationes, sub comminationibus more solemni Prophetarum.

Neque solum contra Iudam, vibrat iacula suæ
Prophetiæ, sed etiam contra gentes
confines illis.
(?)

4. *Re.* 22.

EXPLANATIO IN SOPHONIAM CAP. I.

Verbum Domini quod factum est, ad Sophoniam filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ filij Ezechiæ, in diebus Iosiæ filij Amon regis Iuda. ¶Vt sit intelligendus locus hic, explanatio nostra ad Oseam docebit, ibi enim explanauimus, quid sit verbum esse factum ad Prophetam. Nunc satis sit dixisse, per verbum factum, intelligendam esse reuelationem diuinam esse factam Sophoniæ. Istud enim exordium, vel aliud æquipollens, est solenne sacris vatibus, vt admoneant, verba sua, esse diuina verba, quare esse summopere obseruanda. Meminit autem suorum maiorum, & regis Iosiæ, vt ex istis, certiorem auditoribus faciat suam Prophetiam. Non autem memi nit regum Israel, vt alij priores meminerunt, quia iam regnum Israel, erat collapsum vt in prologo prædiximus. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus: congregans hominem & pecus. Congregans volatilia cœli: & pisces maris: & ruinæ impiorum erunt: & disperdam homines à facie terræ dicit Dominus*, Hebrai. conficiendo, conficiam, idest reuera perdere faciã, omnia à facie terræ, subaudi terræ Iuda, de qua est sermo. *Congregans*, idest conficiens, vniuersa, & homines, & pecora, volatilia cæli conficiens & pisces maris. Quia vniuersa hæc, & pecora, & aues, & volucres, & pisces, sunt creata propter hominem, & sunt hominis possessio, quia horum habet homo ex Deo Dominium Genes. 1. ideo priuatur homo sæpe horum dominio & possessione, propter hominis peccatum. Et Deus peste sæpe perimit iumenta, & item volucres non habentes in terra quibus vescantur pereunt, idem de piscibus maris, vel ex morbo pereuntibus, aut ex tempestate alio diffugientibus. *Congregans* Græcè *defectione deficiat*, editio vulgata tamen hunc habet sensum, *Congregans congregabit*, idest, cito congregabit ad interfectionem homines, &c. *Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes habitatores Ierusalem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum sacerdotibus.* Mirari subit, cum hic vates vaticinium suum ediderit, sub Iosia, at vero Iosias, fuit diuini cultus obseruantissimus. Nam ipse idola deiecit, vt fecerat Ezechias, vt liquet. 4. Regũ. 32. & 2. Para. 34. Vbi plurimum huius regis religio pura ad Deum commendatur, quomodo ergo adhuc sub tempore eius erat idololatria, & reliquiæ Baal? ¶Respondetur. Quod multi ex Ierosolymitis, & alijs occolis terræ sanctæ, tunc propter metum regis Iosiæ, missam fecerunt idololatriam exterius, quam tamen corde retinebant.

¶Et præterea, quandoquidem idololatriæ superstitio, plurimum serpserat inter Iudæos, illos ideo etsi Iosias diligentissimus fuit in abolendo superstitioso cultu, at vero, quia valde se dilatauerat inter Iudæos, inter quos ab antiquo profundas iecerat radices; ideo etsi publicitus non auderent, in cultum huiusmodi incumbere, cæterum clandestinè submotis arbitris, quos formidare poterant, sua idola colebant ideo ait, disperdam, idest perdere faciam reliquias Baal, idest cultus Baal. Quem cultũ Achaz rex Iuda, introduxerat in Ierusalem. 4. Regum. 16. Ædituisunt sacrista, habebant enim templa idolorum suos ædituos, atq; sacerdotes, quos perdidit omnes Nabuchodonosor. *Et eos qui adorant super tecta militiam cœli, & adorant & iurant in Domino, & iurant in Melchõ*, vetus fuit idololatria, adorare militiam cœli, idest solem, & lunam, & cætera astra. Quia idololatræ ducunt cœlos, & sydera esse animata, & esse numina quędam: decepti splẽdore, & pulchritudine stellarum. Cu tamen sint creata ad hominis ministerium. Vt habetur in Deuter. 4. & nos late prosecuti sumus hãc rem, tomo. 1. *Super tecta*, tecta Palestinæ sunt plana, & non cacuminata vt nostra; ideo poterant Iudæi super tecta ascendere, ad adoranda sydera. Vocantur autem militia cœli Quia syderum motus sunt ordinatissimi, vt motus acierum, quæ ordinatæ solent discurrere sub ducibus suis. Et vsque modo hic error perseuerat apud quosdam Indos, qui adorant Solem, & Lunam. Versus hæc rendentes manum, & eã postmodum osculantes, & signum reuerentiæ illis exhibitæ. *Et iurant in Melchom*, Hebraicè in rege suo, idest per idolũ suũ, quod colebant sicut regem, & Deũ suum; item Melchõ vocabatur, Deus Ammonitarum. Erant enim tunc apud idololatras Iudæos, & Israelitas hæc religio, Deum verũ colere & item idola. At vero, hic cultus est abominandus, Deus enim solus est ex toto corde, & ex totis viribus amandus & colendus, & nihil superstitiosi cultus est miscendum. Nam solus Deus creator omnium est, idolum autem nihil est, & ideo numinis habet nihil, ideo, qui illud colit grauissimè errat. De huiusmodi idolo Melchom legitur. 4. Reg. 23. & apud Ieremiam. 49. Melchom in transmigrationem ducetur. *Et qui auertuntur de post tergũ Domini, & qui non inquisierunt Dominũ, neque inuestigauerunt eum*, idest, qui retrocedẽtes à lege Dei non sequuntur vias Domini, & ideo legem Domini non requirunt, neque ipsum consulere satagunt. Dediti nanque idolis Deum verum negligunt. *Silete à facie Domini Dei, quia iuxta est dies Domini.* Expressis facinoribus idololatrarum, adicit vltionem venturam illis. Et ait, *Silete*, pro silebitis à facie Domini Dei, idest, quãdo sumpserit pœnas de vobis, nihil sufferagij habebitis: sed vobis erit silendum. Quãdo scilicet irruerit in vos ò Iudæi Babylonica potestas, quæ Dei nutu, superueniet vobis, ad vltionem vestrorum criminum, tum vobis non erit recursus ad arma, vel ad præsidia humana alia, sed silebitis corã hostibus vestris, siquidem non poteritis illis repugnare. *Iuxta* prope est dies vltionis, quam vocat diem Domini, vt sæpè supra annotatũ est. ¶Et rectè ait iuxta, quia hic vates claruit sub Iosia filio Amõ, & Ierusalẽ fuit sub Ioachim Iosiæ filio, quem Matthæus vocat Ieconiã. c. 1. obsessa & factus fuit Ioachim seruus Nabuchodonosoris, propter eius autẽ rebellionẽ amotus fuit à regno Iudææ, & illi subrogatus Ioakin frater eius, & hoc itẽ rebellãte fuit illi subrogatus Sedechias, patruus eius vt ex. 4. Reg. lib. liquet. Sub quo Ierusalẽ capta fuit, & populus ductus in captiuitatẽ anno. 11. regni eius. *Quia præparauit Dñs hostiã, sanctificauit Deus vocatos suos*, vocat hostiã vltionẽ quã Deus erat sumpturus de Iudæis illis, & quia iam erat in procinctu, ideo ait, *præparauit*. Per sanctificauit intellige, destinauit, vt sit sensus inuitatos suos destinauit ad victimam. Vocat autem inuitatos Chaldæos, quos destinauit Deus, vt sumerent pœnas, de sceleribus duarum tribuum; quæ sumptio pœnarum, appellatur hostia, vel victima: translatione accepta, ab hostijs, & victimis quæ Deo immolabantur. ¶Nam punitio iniquorum, est Deo quam gratissima, & ideo reputatur, velut victima Deo oblata. Et sæpè in editione vulgata vsurpatur sanctificare, pro destinare, aliquem ad aliquod opus faciendum Deo ex genere suo gratũm, etsi qui sunt facturi, nõ sunt sancti, sed sceleste interdũ. Cæterũ quia destinãtur ad opus sanctũ quale est, punire scelestos, dicũtur sanctificati vt sæpè à nobis est supra annotatũ. Vt nõ mirentur amatores sectæ Luthe ranæ, aut potius ne irrideant Catholicos appellãtes, ore pleno sanctissimũ Papam. Siquidẽ, etsi donemus illis quod aliqui Sũmi Põtifices sunt peccatores, cæterũ, non appellamus eos sanctissimos ex personali sanctimonia, sed ex officij sanctitate, quã administrant. Nullũ enim officiũ sanctius est quã vniuersalẽ ecclesiã gubernare. Fieri autẽ potest, quod quispiã, rectè administret ecclesiastica negotia, & ppriũ animę negotiũ praue gerat corã Deo, vt Paul. ait. Qui prædicas nõ furãdum furaris, &c. Et Dñs Matth. 23. super cathedrã Moysi sederũt Scribę, & Pharisæi, quę dixerint vobis facite, secũdũ opera eorũ nolite facere. Itẽ fieri põt, quod super cathedrã Christi sedeãt Põtifices aliqui, docẽtes sanãdoctrinã, at ipsi ea quæ docẽt nõ implẽt. Enim vero si Lutherani isti expẽdissent equabili trutina, Põtificatũ etiã summũ, nõ cogere liberũ arbitriũ ad sanctitatẽ, quia liberũ arbitriũ, à nemine cogi põt, neq; Deꝰ ipse ipsum cogit, viderẽt Sũmũ Põtificẽ libere se habere vt ante Põtificatũ ad bene & male operãdũ; aliàs nõ esset viator. Quocirca si male operatur nõnũquã quod absit istud quidem nõ est vitiũ supremæ suæ in ecclesia dignitatis, quæ sanctissima est, sed est culpa Põtificis, qui sicut homo circũdatus infirmitate peccat: fateor equidẽ Põtificatũ, sacerdotiũ, monachismũ, & hoc genus omnia admonere sanctitatẽ operũ: at aliud est admonere, aliud cogere. Si Apostolatus nõ coegit Apostolos, vt nõ peccarẽt, sed apostolatu nõ obstãte Petrꝰ Christũ negat, Iudas Christũ vẽdit, cæteriq́ue Apostoli, Christũ deserunt, quid tu rides Luthere, ecclesiæ episcopos quod peccata in ipsis aduertis? verum de re hac suprauberius meminimus. *Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Quãdo dederitis mihi pœnas, quia Chaldæus rex vox occidet, & in captiuitatẽ mittet, tũc visitabo, idest animaduertã in principes vestros, sermo est ad duas tribus. Principes em̃ Ierosolymitæ fuerũt occisi & alij ducti captiui à Nabuchodonosore.

Melchom idolũ Ammonitarũ.

Lutherus cũ suis explodituꝛ.

sore Ierem. 52. & isti sant acerbius puniti, quia ex autoritate, & permissu eorum plebs audet facinora perpetrare. *Et super filios regis* Sedechiæ, quos occidit Nabuchodonosor in Reblata Ierem. 52. *Et super omnes qui induti sunt veste peregrina.* Vel hoc refertur ad idololatras, qui ad exhibendum cultum suis idolis, vtebantur veste diuersa, ab alijs, vel ad nobiles regni, qui ad demonstrandam suam nobilitatē, vtuntur vestibus pretiosis, quibus non vtiuntur vulgares homines. *Et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur, super limen in die illa. Qui complent domum Domini Dei sui, iniquitate, & dolo.* Arroganter ingreditur, Hebrai. qui salit supra limen, & videtur referri ad idololatras, qui lumina templi Dei sui, non audebant tangere pede, propter liminis reuerentiam, vt de limine templi Dagon legimus, ideo transiliebant limen saltu, vel si legamus cum nostra translatione, refertur ad ministros nobilium, & procerum qui fidentes dominis suis, quibus ministrabant, iniurij erāt suis ciuibus, & quasi superbiētes, & arrogantes ex illatis iniurijs se excipiebant in domos suorum dominorū, & Dominus modo ait, se vlturum esse huiusmodi iniurias. Et hic ingressus, dicitur fieri in iniquitate, & dolo, *Dei*, non est de textu. Quod si legatur *Dei sui*, refertur ad delubra idolorum, quæ idololatrę replebunt rapinis, & iniurijs, quia ex raptis, & furto sublatis, ditabantur delubra. Verum germanior est sensus vt referatur ad ministros magnatum, qui freti potentia dominorum suorum, iniurias inferebant ciuibus rapiendo eōrum bona, & spoliando eos, & excipiebant se intra domos suorum dominorum, vt deluderent ciues. *Et erit in die illa dicit Dominus vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à secunda: & contritio magna à collibus,* describuntur angustiæ quibus obsessi, qui conclamatum habent euadendi spem solent teneri. Nam tunc vndique, audiuntur clamores, & vlulatus obsessorum, propter mortis, & captiuitatis periculum, quod illis impendit. Per portas has intelligit extrema vrbis, quia tunc à principio ad extrema vrbis, vsque omnia implentur clamoribus. Et non solum vrbes, sed adiacentes colles, & vici simili morbo lamentationis laborant, quia omnibus est eadem causa lamenti. *Vlulate habitatores pilæ*, per pilam intellige mortarium, & erat nomen loci publici apud Ierosolymam, quod erat velut forum, vbi mercatores exercebant sua cōmercia. Erat igitur locus publicus mercimoniorum, & quia erat profundus locus, idest, ad profundiorem vrbis partem situs instar mortarij, quod profunditatē habet, ideo hac gaudebat nomenclatura. Chaldæus vertit Cedron, vel Kedron, propter profunditatem eius. Et videtur quod huiusmodi pila, fuerit foris Ierusalem sita in valle Cedron: nam habetur. 4. Reg. 23. combusit illa foris Ierusalem, in conualle Cedron, ad radicem huius conuallis erat torrens Cedron: cuius fit mentio in Ierem. 31. & 2. Paralip. 30. & apud Ioannem capit. 18. Erat autem pila hæc inter Ierosolymam, & montem Oliuarum. Si tamen vera est Chaldæa trāslatio: habebat autem hæc pila habitatores, vt solent esse habitatores suburbiorū. *Contriuit omnis populus Chanaā, disperierunt omnes inuoluti argento.* Idest cessauit pro cessabit, omnis negotiatio mercatorum, & excisi sunt ij, qui veniebant ad nundinas onusti argento, idest, qui ferebant pecunias argenteas, mercandi merces gratia. Per populū enim Chanaa, congregationē mercatorū intelligit. *Et erit in tempore illo scrutabor Ierusalem in lucernis.* Irruentibus enim Babylonijs in Ierosolymam, quando eam ceperunt, quia non solum interdiu, sed & noctu erat futura oppugnatio, ideo Babylonij accenderunt lucernas, ne quis fugeret ciuiū, ne noctu, scilicet caperet fugam. ¶ Et rursum, quia sub ista oppugnatione solent obsessi in abscōditis & penitissimis locis, abscondere suos thesauros, ne illis hostes fruantur, quæ tamen loca ab hostibus item diligentissimè inquiruntur, etiam accensis lucernis. *Et visitabo super viros defixos in fœcibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet benè, Dominus, & non faciet malè*, visitabo sumendo pœnas de hominibus requiescentibus in suis opibus, quas vocat fæces, accepta metaphora à vino quod requiescit supra feces suas. ¶ Eodē quoque modo qui negāt Dei prouidentiam, & arbitrantur Deum neq; curare iustos, vt eos prosequatur condignis præmijs, neque curare impios, vt eos condignis afficiat supplicijs, requiescunt in opibus suis, & in bonis temporalibus, quibus gaudēt, & laxant fræna facinoribus committēdis dicentes, Dominus non faciet benè pijs neque malè impijs.

De

De prouidentia Dei in expla. ad Abacuc multa disseruimus, qui volet indidem hauriet. *Et erit fortitudo eorum in direptionem: & domus eorum in desertum.* Id est, opes eorū diripientur ab hostibus Chaldæis, & domus eorum erunt in ruinam, & deserētur à suis dominis, cōpulsi ex vi hostili. *Ædificabūt domos, & nō habitabūt, & plātabūt vineas, & nō bibent vinū earū.* Leui. 26. Hæc scribitur maledictio, aduersus prævaricatores diuinæ legis. Et quia Chaldæi erant dissipaturi domos, & vineas Iudæorum, ideo ait, *Ædificabunt domos &c.* ¶ *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est, & velox nimis.* Quia mala quæ comminantur, si procul ventura comminētur, non terrent eos quibus comminantur, at vero si propè ea esse prænuntietur, & in ianuis, vt dici solet, tunc valde terrent si magna sint quæ prænuntiantur ventura. Siquidem, timor est de malo imminenti, nam mala quæ nō imminent, non timemus: ideo vates noster vt terreat Iudæos, ait propè esse diem Domini, idest vltionem à Deo exercendā contra habitatores terræ Iuda, per Chaldæos. ¶ Quod si quæsieris à me quid causæ est, quod toties Deus per suos prophetas inculcat hanc vltionē? Respondetur vt supra responsum est, Deum videlicet tūc egisse, cum populo durissimæ seruicis, & indomabili, ideoque voluisse idem inculcari sæpe sæpius, atque sæpissimè, vt vel sic tandem mollesceret ad pœnitentiā, & ita demum Deus auerteret furorem suum ab ēis: quia gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo. Et quidem erat illis cor ita lapideum, vt etiam sæpissimè, illis inculcata mala, nihil mollefecit illos, sed semper perstiterūr in obduratione sui cordis: & ideo tandem Deus extremas de illis accepit pœnas. *Dies Domini*, sunt qui hoc referant ad diem extremum iudicij, & quidem omnia quæ hic traduntur illi diei congruunt, excepto, quod ait, *Propè est dies Domini magnus*, & rursus, quod ait, iuxta est, & velox nimis, idest festinus est admodū, id quod si referatur ad captiuitatem Babylonicam, concinnè conuenit. Si quidem captiuitas Babylonica, impendebat tunc, quando vates hoc vaticiniū prædicebat. Nā vt diximus, fuit synchronus, id est contemporaneus Ieremiæ: at vero ætate Ieremiæ accidit captiuitas Babylonica, vt cap. 51. eiusdem vatis apertè docet. At vero à seculo Sophoniæ vsque ad diem iudicij multa intercurrunt temporū interualla. ¶ Poteris si velis, secundū anagogen referre ad diem nouissimum: at vero secundum literalem sensum ad captiuitatem Babylonicam. Dies igitur ille, quādo Iudæi sunt comprehensi ab hostibus Chaldæis, dicitur magnus, non horarum spatio maiori: sed magnitudine diuinæ operationis. Quia tūc Deus magna est operatus, ostendens se iustissimum esse, animaduertendo in impios, quos interdum videtur sinere agere pro libidine sua. *Vox diei Domini amara*, idest vox mea prophetica, ex qua prænūtio diem illum vltionis, amara vox est: quia amara prædicat auditoribus: cur autem dicatur amara subditur. *Tribulabitur ibi fortis*: vocat fortes omnes reprobos recalcitrantes contra Dei legem: isti omnes Deo rebelles, tunc prædicetur tribulandos à Nabuchodonosore. *Dies iræ dies illa*, idest tempus illud erit tempus vltionis diuinę, quę translatitie vocatur iræ dies, vt pluries supra est annotatum. *Dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ:* Quæ verba vsurpat Ecclesia in responso quodam defunctorum solenni. Et quidem dies ille nouissimus erit calamitosus impijs, & reprobis, & amarissimus illis: quia æterno carceri includentur sine vlla redemptionis spe. ¶ At vero sanctis erit lætissimus, & triumphalis dies in quo reassumptis corporibus suis, secundum vtramque sui partem, & secundum, scilicet, animam, & corpus perenni beatitudine gaudebunt. *Dies tenebrarum & caliginis.* Non semel prædiximus in diuinis literis, per tenebras plerunque angustias extremas, quas homines patiuntur, subnotari, & ideo quia sub illa captiuitate Babyloni ca, erant Iudæi supra modum affligendi, à Nabuchodonosore, ideo vocat illu diem tenebrarum & caliginis. ¶ Vnde viduæ, quando orbantur viris, se abdunt in obscuris locis, & tapetibus nigris vestiunt parietes, vt mœrorem animi externa nigredine profiteantur, quocirca tenebras si referas ad mœrorem, & angustias animi, rectè retuleris. Porro in die iudicij erunt visibiles tenebræ, quia Sol obscurabitur, & Luna non dabit splendorem suum. *Dies nebulæ & turbinis.* Turbo est vehementissimè agitatus ventus, qui solet arbores magnas radicitus euellere, imo & tecta domorum, & ipsas domos sæpè secum sua violentia

Tenebræ in scriptura nonnunquam ex translatione denotāt animi mœrorem.

rapit. Id quod transfertur in Nabuchodonosoris exercitum, qui violentissimè, rapuit Iudæos à proprijs penatibus, reuellens in Babylonem. *Dies tubæ, & clangoris*, singulare pro plurali, ideſt tubarum multarum quibus milites Chaldæi, classico canendo vtebantur & clangoribus illarum se adornabant ad bellum contra ciuitates Iuda munitas. *Super ciuitates munitas, & super angulos excelsos*, Chaldæi enim deuastarunt omnes ciuitates Iuda, & per angulos excelsos, subintelligit turres angulatas, & præexcelsas. *Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*, cæci nesciunt quo tendunt, & item Iudæos prædicit futuros vt cæcos, sub vastitate hostili, ideſt nescient quo tunc se vertant, neque sibi poterunt consulere, irruente in eos grauissima hostium calamitate.

Moralia & mystica.

ET effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora, ideſt, Chaldæi, pro nihilo ducent effundere sanguinem Iudæorum, tanquam si esset humus, vel puluis terræ. Et item carnem eorum reputabunt esse stercora, quia insepulta relinquent eorum cadauera.

¶ *Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterunt liberare eos in die iræ Domini.* Siquidem Iudæi, neque opibus, neque armis, alijs ve præsidijs potuerunt obsistere Chaldæis. Facilis porrò est expositio horum, si ad diem iudicij nouissimum referas. Quia tunc impij erunt contemptibiles, à Deo & sanctis eius, instar puluis & stercoris, erit gloria eorum, & de potestate supremi iudicis nihil poterit eos liberare. *In igne zeli eius deuorabitur omnis terra*, ignem zeli vocat iram iustissimam Dei, qui zelat suos, ne faciant contra Dei legē, & si fecerint animaduertit in eos vt vir zelat vxorem sibi dilectam, *deuorabitur*, ideſt terra Iuda vastabitur à Chaldæis. In igne quoque isto zeli diuini veniet iudex supremus Christus, in die nouissimo, & deuastabit totum orbem, ex supremo, & vltimo conflagrationis incendio & veniet vnicuique redditurus iuxta opera sua. *Quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus terræ.* Si ad diem iudicij referas, cōsummatio hæc erit vniuersalis totius orbis, si vero secundum literam, ad deuastationem à Chaldæis inferendam tunc, solum est habēdus locus hic de terra Iuda. Nam sermones sunt habendi iuxta subiectam materiam: at vates, contra terram Iuda promit modo suum vaticiniū.

Moralia & mystica.

Sensus moralis.

FActum est verbum, &c. Sophonias prælatos subnotat, si sensus amamus mysticos. Qui sanè non sunt reijciendi, quandoquidem diuinæ literæ hoc inter cæteras mundi scripturas, imo supra omnes scripturas fruuntur priuilegio, vt præter sensum, quem literæ cortex videtur offerre, alios reconditiores, in sinu suo contineat. ¶Est enim diuina scriptura, liber ille, quem vidit Ioannes Apocal. capit. 5. scriptus intus & foris, signatus signaculis septem, quem solus leo victor de tribu Iuda radix Dauid dignus est aperire. Sanè foris scriptus est, ex historiali sensu, quem præfert: intus autem ex mystico, quem abscondit vt Sophonias ex sensu patenti, vatem illum significat, qui floruit sub Iosia illo optimo rege Iuda, verum ex sensu reconditiore, vt dudum aiebam prælatos ecclesiasticos, & ecclesiæ doctores insinuat. ¶Istis ēm fit verbū Domini, quia horum est speculari diuina mysteria. Diximus autem Sophoniam denotare, speculatorem, aut arcanum. At vero prælatorum est speculari arcana Dei: siquidem horum est docere plebes, & eas de agendis aut non agendis informare.

Episcoporū est arcana diuino rū eloquiorū contemplari.

¶Quare illis conuenit in diuinas incumbere literas, vt rimentur, arcana Scripturarum sanctarum, ad docendas plebes, & ad confutandas hæreses. Dominus enim non temerè illis dixit, Vos estis lux mundi, & sal terræ, & ciuitas supra montem posita, nisi quia illuminare debent fidelium populos, eos salire sale sapientiæ, & ad ipsos vt ad ciuitates refugij, quarū meminit Dan. 19. debent confugere fideles, quando se diuexari vel ab infidelibus, vel ab hæreticis, vel alijs calamitatibus, viderint.

¶Porrò neque illuminare valebunt, neq; sale sapientiæ salire neque se se ciuitates refugij exhibere fidelibus, nisi primum speculatores sint diuinę legis, ex hac enim sumenda sunt vt ex cælesti armamentario contra fidei hostes arma, & pharmaca salubria, vt ex diuino quodam pharmacopæo ad domesticos fidei curandos: quando morbis spiritualibus eos correptos viderint.

derint. ¶Quamobrem aptè diuina Scriptura, episcopos vocat custodes, Christiani populi, & inde efficitur, eosdem esse speculatores. Quippe nequibunt solerter custodire, nisi contemplentur in primis, vt custodiendi sunt secundùm Dei placitum dominici greges. Ideoque Abacuc, horum typum gerens, aiebat se stare in custodia vt contemplaretur, quid Dominus illi responsurus erat itemq; Isaias. Quamquam enim Deus non respondeat modo vt olim prophetis per nouas reuelationes, at respondet per reuelata in sanctis scriptis si ea scrutemur diligenter. Quod scrutinium est contemplatio diuinorum eloquiorum. ¶Episcopi igitur, stare debent super custodias suas, sunt autem custodiæ istæ ecclesiæ catholicæ, quibus ipsi sunt præfecti ad custodiam earum. Debēt autem custodire eas, & verbo doctrinæ sanę, & opere sanctæ conuersationis. Sicut autem ij qui tenent custodias, debent esse vigilantissimi, ne ex eorum incuria subrepat ecclesiæ hostis diabolus, & deuoret gregem Domini, vt accidit Germanis. Si enim Germaniæ prælati custodissent diligenter suum gregem, Lutherus non raperet gregem Christi, & in ditionem diaboli cam nō subigeret. ¶Ait aliquis, Lutherus cum suis, admodū contēplatur scripturas; adeò vt, solis esse credendū cōtēdat, solum enim verbum Dei esse recipiendum, & ex pressum verbum Dei esse venerandum, cætera autem omnia, siue œcumenica Cōcilia patrum, siue doctrinā Sāctorum, siue scholasticorum Theologorum dogmata, esse planè reijcienda autumat, quippe quæ non sunt expressum verbum Dei.

Episcoporū est esse custodes et speculatores.

Abac. 1.

Isai. 21.

Lutherus refutatur.

¶Porrò autem, isti etsi se iactent esse solius verbi Dei speculatores, vtique inanis eorum est iactantia. Malè enim speculantur verbum Dei, speculantur nanque illud duntaxat, vt suis dogmatibus, quę ipsi pro sua libidine excogitarunt consulant, vnde verba Dei, quæ ecclesia tanquam talia probatissima, iam olim habet, qualia sunt verba Iacobi Apostoli, quæ scripta reliquit in sua catholica epistola, vt interim alia taceam, hæc inficiatur Lutherus esse verba Dei. ¶Quandoquidem ibidem aduertit esse gladium confodientem suam hæresim, videlicet illa, Fides sine operibus mortua est. O egregium speculatorem diuini verbi, qui ea verba Dei speculatur, quæ sibi grata sunt, quippe quæ suo cerebro, videntur congruere, quæ vero Dei verba machinam suæ insipientiæ dissoluunt, hæc protinus clamat non esse verba Dei. Quasi vero ipse sit vnicus censor diuinorum verborum, vt ea sint probanda, quæ ipse probat, ea vero reprobanda, quæ ipse reprobat. Non sanè hos speculatores amat Deus, imò summè odit: eos: quippe amare Deum, speculatores suorum verborum dignum est, nempe eos qui ea speculantur verba Dei, quæ ecclesia catholica ex Concilijs œcumenicis, iudicat esse obseruanda, tāquam verba Dei, & quia œcumenica Concilia, & doctrinæ sanctorum, & doctrinæ scholasticorum Theologorum, hæc verba Dei, quæ diximus speculantur, & arcana illorum sedulo meditantur, non sunt repudiandæ, vt repudiat illa Lutherus, cum suis sectarijs, imo valde veneranda. Episcoporum igitur interest hęc meditari verba, nanque labia sacerdotis custodient, & ab ore ipsius requirent scientiam, non sanè Geometriam, aut Arithmeticam, aut Astrologiam, sed sciētiam Dei, quæ tota spectat ad vitam æternam hominem dirigere. Propterea Petrus. 1. Pet. 3. paratos voluit esse prælatos, ad satisfactionem omni poscenti ab eis rationem, de fide & spe Christiana. Nam quāuis fides catholica & spes superent omnem rationem naturalem, at vero Petrus non præcipit vt rationibus physicis, prælati, aut ecclesiæ doctores, fidem & spem demonstrent, quia Deus non præcipit impossibile. At vero reddenda est ratio ex scripturarum contextu proferendo ex illa testimonia, quæ fidem certam faciant & spem adiuuent. ¶Rationibus autem physicis, vti ad persuadendam fidem non est inutile: quia tametsi illæ demonstrare nequeant fidem, quia si demonstrarent illam, vtique eam redderent euidentem, vnde iam non esset fides, sed euidentia. ¶At vero rationes huiusmodi optimæ sunt vt mollefaciant mētem humanam, suadendo illi, fidem quam habet non repugnare veritati, neque includere contradictionem: imo potius esse valde credibile, quod credit. ¶Hæc igitur cōtemplari debent prælati, horum debent esse speculatores, vt princeps Apostolorum, speculatus est, siquidem ait. 2. Pet. 1. Non indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præscientiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Vt igitur Petrus

Rationes physicæ vtiliter apponuntur suadēdæ fidei, etsi fides indemonstrabilis est.

Lutherus pessimus censor diuinorū eloquiorum.

Prælati cũ sanctis Apostolis debent in monte contemplari diuina.

& alij duo Apostoli, Matth. 17. in mõtem conscenderunt cum Christo, & ibi speculatores facti sunt virtutis, & magnitudinis: & præscientiæ Christi, ita & prælati conscendere oportet montem sublimem sanctarum scripturarũ, & ibi cum sanctis Apostolis contemplari diuina: quæ distribuere debent gregibus suis. ¶Nam speculari, vt crescant census, vt locupletes reddant consanguineos, vt ad maiora sacerdotia promoueri queant, istud non spectat ad munus, quod profitentur episcopale. Episcopus enim, interpretatur superintẽdens, idest ad suprema tendens, & super gregem suum incumbens: sed qui ea quæ paulò ante commemorabam contemplatur, non in cælestia, sed in terrena intendit & non in suum gregem, sed in suam crumenam intendit. Vnde non superintẽdẽs, sed deorsum intendens talis Episcopus, potius esset appellandus. ¶At vero noster vates Sophonias, optimè superintendebat ijs, quos docebat, dicens, *Congregans congregabo, &c.* Idemque si volunt non temerè cognominari episcopi, qui episcopalia munera administrant, suis gregibus debent intimare. Congregans congregabit Dominus in die illo nouissimo, homines & pecudes, idest homines sapientes huius seculi, & insipientes qui sunt vt pecudes seruientes ventri, quorum meminit Paulus dicens, quorum Deus, venter est ad

1. Cor. 15. Phil. 3. ¶Et nõ solũ hos cõgregabit Deus, ad vocem illã angelicæ tubæ, surgite mortui ad iudicium sed & volatilia cœli, idest dæmones, quos scriptura intelligit per volucres cœli Matth. 13. sed pisces etiã maris, qui sunt voluptatibus carnalibus demersi homines. ¶Hos omnes cõgregabit Deus id temporis, vt eos pœna sempiterna afficiat; quippe qui in peccatis suis mortui sunt, & de perpetratis sceleribus pœnitentiam, non habuerunt. ¶Et tunc erunt

In die iudicij disperdẽtur prorsus omnes impij.

ruinæ impiorum, & disperdẽtur homines à facie terræ, homines inquam, quia noluerunt gaudere adoptione filiorum Dei. De quibus Paulus dixit. 1. Cor. 3. Cum sint inter vos zelus, & contentio nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? vnde Dominus Apostolos suos ab hominibus istiusmodi, discreuisse videtur, dũ

Matthæi 16.

quærit quem dicunt homines esse filium hominis, & illis respondentibus alij Eliã, alij Ieremiam, &c. euestigio subdit, & vos quem me esse dicitis? Quasi dixisset anno tante Hierony. super hunc locum, vos qui estis dij, & plusquam homines, quem me esse dicitis? Tuncque Dominus disperdet ab hoc mundo *reliquias Baal*, quãuis enim idololatriam Dominus iam aboleuerit, at vero sunt quidam mysticè idololatræ seu translatitiè. Etenim Paulus auaros, docet esse idolorum cultores, quippe propter aurum & argentum diuinum numẽ offendunt. Ait enim ad Coloss. 3. Auaritia quæ est simulacrorum seruitus. Quanuis igitur, idololatria sit abolita, ex orbis maxima parte, at vero adhuc Baal sunt reliquiæ. Interpretatur enim Baal, Dominus, omnes igitur, qui subduntur suis pecunijs, & sunt adoratores earum sunt à Christo disperdẽdi, & merito: siquidem Dominus horrendam summopere esse auaritiã, verbo & exemplo docuit. Verbo sanè, quia pauperes spiritu valde beatificat, & diuites difficilem habere ingressum cælorum ostendit. Exemplo autem, quia cum esset diues, pro nobis egenus factus est, adeò vt vulpes foueas habeant, & aues cæli nidos, & filius hominis non habebat, vbi reclinaret caput suum. ¶Sed & adorantes *militiam cæli*, tunc puniet æterno Deus, & corpore, & animo. Sunt autẽ isti qui credunt omnia pẽdere à cælo, fatalique necessitate, vniuersa administrari humana negotia. In syderibus enim collocant genethliaci, fata hominum ex quibus necessarios pronuntiant futuros rerum humanarum euẽtus. ¶Sunt quoque plurimi, de quibus cõgruit, quod vates ait, qui *iurant in Domino, & in Melchom.* Enim vero plurimi sunt, qui præstant sancta, & religiosa opera: vnde *iurant in Domino*, id est per Dominum: at vero etiam iurant per Melchom, dum quæ religiosè faciunt, prophanis alijs operibus, dissoluunt. Isti nanq; contendunt, & Deo & sibi placere, isti cõtendũt cælestia, sed nolũt spernere terrena; isti cor qui dẽ suũ Deo offerre studẽt, sed nũ totũ: sibi enim particulã rapiunt: cum tamen Deus sit tota mente quærendus, si sit inueniendus. Nihil enim est amandum cum Deo, quod sit contra Deum: nam qui sic Deum amat, vt cum Deo aliud amet, quod aduersetur Deo, hic iam non Deum super omnia, sed creaturam supra Deum amat. Qui ergo *iurat in Deo*, idest se religiosum culto rem Dei, præstare studet, non debet iurare *in Melchom*, idest quicquã amare supra Deum, sed quicquid amat huiusmodi, secun-

Auari sunt reliquiæ idoli Baal.

Matth. 5. Lucæ. 9.

2. Cor. 8.

Qui iurãt in Deo & in Melchõ idolo.

Amor Dei nihil contrariũ admittit.

cundum Deum oportet, & propter Deũ amare. ¶At tunc rectè, aliquid amatur cum Deo, quod non sit Deus, si non supra Deum, sed secundum, & propter Deum, ametur. Nam hic amor charitatis est, quam Deus infundit in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quanquam & hoc verum est, nos nõ teneri semper referre omnia quæ amamus in Deum: etsi teneamur nihil amare contra Deum. Porrò si meritoriè studemus amare aliquid cum Deo, amandum est propter Deum, si non actu, saltem in virtute, id quod Theologi scholastici relationem virtualem appellitant.

¶Enimuero, etsi in prosecutione operis boni, distrahamur, in alia à Deo, satis est, si quando adornabamus opus in Deum retulerimus, vt opus meritorium sit. quando ex charitate procedit. Cætera huius capitis facile est referre in diem illum nouissimum, vt illud, *vox clamoris, &c.* Significat enim, quod tunc plangent omnes tribus terræ, Matth. 25. Et quod ait, *vluiate*, item denotat, quod tunc omnis negotiatio cessabit, & non erunt necessariæ pecuniæ, neque argentum proderit habuisse neque aurum, neque sapientiam, neque eloquentiam, neque regnum, neque imperiũ, neque immensas proderit habuisse opes, sed solum recta fides, & syncera in Deum & proximum dilectio. Hanc enim exiget supremus iudex Christus dicens, Esurui, & dedistis mihi manducare &c.

Fidem catholicã & syncerã dilectionem Dei habuisse, solum prodest in die iudicij.

¶Tuncque in tempore illo *scrutabitur* Christus *Ierusalem*, idest animam rationalem, quæ creata est vt summum bonum videret Deum, scrutabitur eam in lucernis, quippe tunc manifestabit Christus consilia cordium, & non is probatus erit, qui vel se probabat, vel humano testimonio erat probatus, sed solum quem Deus commendabit, ille probatus erit.

Defixi sensibus peccatorũ qui sunt.

¶Visitabitque tunc Christus super, idest, contra *viros defixos in fæcibus* peccatorum suorum. Sunt autem huiusmodi defixi qui diem extremum impœnitentes clauserũt. Nulla enim pestilentior defixio in peccato, quam hæc. Et hos defixos in culpa, defiget Christus in æterna pœna. Et quantũ se glorificauerunt in delicijs, tantundem dabitur eis de tormento. *Qui dicunt*, tuncque ij qui negant Dei prouidentiam, ergà humanas res, apertè cognoscent, Dei summam fuisse prouidentiam, siquidem impios tunc torquebit perpetuò, & pios coronabit æternò. Et ad hanc rationem cætera poteris persequi, quippe quæ facilè habent moralitatem.

Prouidentia Dei vindicabitur clarè exactissima fuisse in die iudicij.

EXPLANATIO
IN SOPHONIAM.
CAP. II.

Onuenite, congregamini gens nõ amabilis: priusquã pariat tussio, quasi pulueremtranseuntem diẽ. Hic vates, eundem obseruat propheticum moduni, quem & superiores ferè omnes. Etenim hoc capite vibrat suum vaticinium, contra gentes & vrbes finitimas Ierosolymis, postquam proximo capite, contra suam naticnem. Cæterum quando contra suos vaticinantur Dei vates, consolationem miscent cõminationibus, & ad pœnitentiam eos cohortantur: at vero quando in exteras agũt gentes non item. Vnde modo in exordio capitis excitat suos ad resipiscentiam, de peccatis Sophonias. Deus enim, non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Quocirca, cum proximo capite, comminatus fuerat teterrimam Babyloniæ captiuitatem, modo excitat Dei nomine ad pœnitudinem. Nanque, hæc cum adest vera, Deus auertit comminationem pœnæ quam intulerat propter culpam. ¶Ait igitur, ô vos Iudæi, qui Deum habetis ex vestris sceleribus summè offensum, conuenite, & congregamini, idest distracti eratis à Deo, & auersi, conuenite & colligite vos ipsos ad Deum pœnitendo. *Gens nõ amabilis.* Qui estis ex culpis vestris Deo odiosi. Nam impietas nos odiosos reddit Deo: est enim Deo, Sap. 14. odio impius, similiter & impietas. Nam iniquitatem odio habet, & abominatur. Et vultus Domini superfacientes mala, Psal. 33. idest cõtra malos, vt perdat de terra memoriam eorum. *Priusquam*, idest, conuenite cito ad Deum, petituri veniam, priusquã iussio, idest propheticum decretum executioni mandetur: oportet enim accedere ad thronum gratiæ diuinæ in auxilio opportuno, ad Hebr. 4. *Quasi pulueremi*, idest, antequam veniat dies executionis comminati, & decreti à Deo mali: quia illo die, eritis tanquam puluis transiens. Puluis autem transit, veloc issimè enim disparet, ita vos eritis: quia citissimè abducemini à patria vestra

Deus pœnas quas comminatur mallet non exequi, ideo excitat semper nos ad pœnitẽtiam.

veſtra & transferemini in terram alienam. Pro puluere, Hebrai. quiſquiliæ, vel pluma, vt in Pſal. 1. Et erit tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, Hebra. tanquam pluma, vel quiſquiliæ, quæ ſubito rapiuntur à vento, & feruntur in locũ alium. *Antequam veniat ſuper vos, ira furoris Domini*, ideſt pœnitemini, priuſquam contra vos veniat grauiſsima captiuitatis pœna, quam innuit per iram furoris Domini. *Antequam veniat ſuper vos, ira indignationis Domini*, repetitio eſt prioris ſententiæ, Hebrai. non *ira*, ſed dies legitur, *Quærite Dominum omnes mãſueti terræ: quia iudicium eius eſtis operati*. Hebrai. pro *quia* legitur, *Qui*, ideſt vos manſueti qui eſtis executi diuinum iudiciũ, ideſt diuina præcepta nam vſurpatur iudicium, pro iudicia. Vos igitur, qui eſtis eiuſmodi, quærite Dominum. ¶ Mãſuetos prouocat ad quærendum Dominum. Enim vero, etſi prodi tum ſit diuino ſermone, Quærite, & inuenietis: cæterum, multi quærunt, & non inueniunt, & multi petunt, & non accipiũt, vt Iacobus cap. 4. meminit. Oportet enim quærere Deum, ea ratione qua quilibet rem ſibi neceſſariſimam quærit. Nam qui eiuſmodi eſt, ſumma diligentia quærit.

¶ Deus igitur quærendus, ſedulò & non oſcitanter, vt multi quærunt. Sanè vniuerſi homines quærunt vitam æternã, at pauci ſunt qui inueniunt eam quippe qui male quærunt. Quidam enim ſub ſua infidelitate & paganiſmum quærunt. Alij ſub ſua hæreſi quærunt, vt hoc æuo Lutheri ſectatores, alij vero fidem catholicam obſeruãtes ſub ſuis peccatis illam quærunt, & iſti omnes inuenire nequeunt: quia male quærunt. ¶ Sanè ſtultus eſſet qui defodiens terram quæreret piſces in ea, ſiquidem terra non eſt ferax piſcium. ideo malè quærit, quia nõ ſuo loco quærit. Et rurſus, qui in mari quæreret piſces, ſine tamẽ ſufficientibus retibus, & competentibus ſagenis. Quoniam, etſi ſuo loco quærat piſces: cæterum, non medio competenti.

¶ Ita propemodum omnes infideles, & hæretici qui in ſua infidelitate, quærunt vitam æternam, ſtolidi ſunt admodũ: quia infidelitas, aut hæreſis, non poteſt ferre vitam, ſed mortem æternam. ¶ At vero fideles, qui in ſua fide quærunt, in ſuo loco quærunt: at vero ſi deſides ſunt ad ſancta opera facienda, etſi vitam æternam in ſuo loco quærant fides enim eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumentum nõ apparentium Hebr. 11. at vero, quia retibus ſanctorum operum non vtuntur, ideo inuenire nequeunt huiuſmodi vitam æternam. Ideo ait modo vates, *Quærite Dominum manſueti terræ*, qui exequimini præcepta eius. Iſti enim inuenient quod quærunt. Vnde Dominus, Beati mites quoniã ipſi poſſidebunt terram, quã obſecro terram? nunquid hanc viſibilem? nõ ſanè: nõ enim Chriſtus beatificat terrenos poſſeſſores: & quidem ſermo Chriſti ſemper ad cæleſtia tendit. Quocirca quod ait, poſſidebunt terram, de terra illa viuentium ſub audiendum eſt. Nanque terram iſtam quã pedibus calcamus, manſueti multi non poſſident, & plerique nõ manſueti poſſident. Quanuis id eſt modica poſſeſsio, ſe ipſum poſſidere: id quod manſuetorũ eſt, quippe qui cum nouerint ſuam frænare iram, compeſcereque furores, metas rationis non excedunt, ſed ſub illis conſiſtentes iraſcuntur, quando oportet, & quomodo oportet, & non amplius quã oportet,

¶ Mãſuetos igitur prouocat vates, ad quærendum Deum, quoniam Iacobus inquit, cap. 1. ſuſcipite in manſuetudine inſitum verbum. Et Paulus ait. 1. Corinth. 11. ſi quis vult contentioſus eſſe nos talem conſuetudinẽ non habemus, nec eccleſia Dei.

¶ Manſuetos porro vocat ſcriptura, Deo morigeros, vt vates modo dixit quia iudicium Dei operantur. Neque enim ſcriptura, tam arctè loquitur de manſuetudine, quam philoſophi: qui dixerunt manſuetudinem eſſe virtutem, contra iraſcibilis affectum: ideſt ad compeſcendas irrationabiles iras: ſed latius ſe fundit, vt modo vates inſinuat, videlicet eos vocare manſuetos, qui Deo obediunt.

¶ Iſti enim non ſolum ſedant irrationabiles iras, ſed & cæteros malos affectus.

¶ Dixerim irrationabiles iras manſuetudinem ſedare, quia iram rationabilem, non ſedat, ſed admittit. 4. Ethic. ca. 4. & 5. vbi traditur, quod mãſuetus iraſcitur pro quibus oportet, & quibus oportet, & vt oportet, & quãdo oportet, & quanto tempore oportet, cui apponitur iracundia per exceſſum, per defectũ vero iræ vacuitas. 2. Ethic. cap. 7. 4. & 5. verum vt aiebam, latius ſe fundit manſuetudo in arcanis literis, vt ſcilicet ſignificet animi humilitatem, & obedientiam ad diuina. Iudith. 9. humilium & mãſuetorum tibi placuit deprecatio. Et in pſalm. 149. Exaltabit manſuetos in ſalutem. At dicet quiſpiam. ſiquidem vates modo cohortatur impios ad pœnitudinem, qua ratione modo, vertit ſermonem, ad manſuetos vt quærãt Dominũ? Sanè, vt quærant Dñm precibus efflagitando clementiam eius, erga peccatores, quos dudum commonefecerat, vt de ſceleribus ſuis reſipiſcerent. *Quærite iuſtum, quærite manſuetum, ſi quomodo abſcondamini in die furoris Domini*. Procul dubio, qui veram pœnitentiam egerit protegetur à Deo, & non lædetur ab ira Dei. Quod vero videtur modo vertere in dubitationem, eſt quia dubium eſt ex parte noſtri arbitrij, quod cum vertibile ſit ad bonum, & malum poſt peractam pœnitentiam, poteſt ſe conuertere, ad ea quæ vomuerat peccata: ideo ait ſi quomodo. Item quia pœnitentiam non veram ſed falſam poterit agere. Alia lectio habet ſi forte, & idem ſenſus eſt, vnde Petrus Simoni Mago dixit, Pœnitentiam age, ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio, Act. 8. ¶ *Quia Gaza deſtructa erit, & Aſcalon in deſertum, & Azotum in Meridie eijcient: & Accaron eradicabitur*. Hoc eſt intentum præcipuum capitis huius, hatum gentium euerſionem prædicere. Et quia forte Iudæi obiecerant vati, quid ergo nonne Palæſtini ſunt in grauiori culpa, quam nos, at vero contra illos nihil comminaris, cur ergo ſolum cõtra nos furit ſermo tuus? ideo veluti reſpondens tacitæ obiectioni, ait, *Gaza deſtructa erit*, quæ erat præcipua Paleſtinæ vrbs. Quæ ſint vrbes iſtæ, expreſsimus in explan. ad Amos cap. 1. Eſt autem Aſcalon vrbs Paleſtinæ illuſtris, etſi Ioſeph. lib. 5. antiqui. cap. 3. ad ſuperiorem Idumæam credit pertinere. In hac vrbe Sampſon percuſsit. 30. viros, Iudic. 14. Et ab Aſcalo Hymenæi filio autore Stephano nomen inuenit. Accaron, nomen item vrbis Palæſtin. Ioſ. 15. Azotus inſignis Palæſtinę vrbs inter Aſcalonem, & Ioppen, in qua gigantes habitabant, quam cepit Ioſue. Ioſ. 11. vnaque de quinque ciuitatibus Allophylorum templo Dagon idoli, nobilitata. Gaza itẽ erat vna ex quinq; iſtis, quas refert diuina Scriptura. 1. Reg. 6. eiſdẽ cõnumerãs Geth. *In meridie erit*, ideſt, aperto marte oppugnabitur, & ſuperabitur & non ex inſidijs. Nã meridies lucis claritatẽ denotat, *Væ vobis, qui habitatis funiculum maris*. Totam Palæſtinam ſubuertendam inſinuat, quæ tota erat ad maritimam oram terræ ſanctæ. Et hoc eſt quod ait, funiculum maris, ideſt, ad tractum maris. *Gens perditorum verbum Domini ſuper vos*. Ideſt, gens perdenda, verbum Domini, ideſt vatum prophetiæ ſuper vos, ideſt, contra vos. Hebrai. Gens Kerethæorum, vnde alia tranſlatio habet, Gens vaſtatrix, quia tyrannide in cæteros vtebãtur & maximè contra ſibi finitimos Iſraelitas. Et hæc appellatio erat Palæſtinorum, videlicet, Kerethæi, vt Peliſtim. *Chanaan terræ Philiſtinorum, & diſperdam te, ita vt non ſit habitator*, ideſt, vos Chananeos qui eſtis in regione Palæſtinorum perdam vos: adeò vt non ſit in regione veſtra habitator. Et pendet ex clauſula præcedenti, videlicet verbum Dei eſt latum cõtra vos, ô Chananæi. ¶ Chanaan eſt nomen prouinciæ vel regionis in qua Deus introduxit populum ſuum, vt cecinit pſaltes, Tibi dabo terram Chanaan, & item eſt nomen oppidi, iuxta Bethlehem. Peregrinatus eſt, ait Ierem. 41. in Chanaã iuxta Bethlehem. ¶ Vnde deducitur nomen Chananæus, ideſt, mercator. Chananæus vero, quod fuit cognomen Simonis Chananæi Apoſtoli Chriſti, ſignificat zelotem, ſeu æmulatorem à Cana Galilææ, non à Chanaan. Cana autem interpretatur æmulatio, ſeu zelus. *Et erit funiculus maris requies paſtorum*. Dixerãt ſupra Palæſtinam eſſe funiculum maris, & ſubuertendam, idem modo admonet: quia deſolatis vrbibus, Palæſtina fuit relicta in paſcua gregum. *Et caulæ pecorum*, patet ex proximo verſu. *Et erit funiculus eius, qui remanſerit ex domo Iudæ: hi paſcentur in domibus Aſcalonis ad veſperam, requieſcent*, ideſt, poſtliminio reuerſis Iudæis ex captiuitate Babylonica, erit Palæſtinæ regio, veluti paſcua gregum & habitacula paſtorum, & ad veſperam ſolent accubare, ſeu requieſcere oues, ita illi qui vẽturi erant ex Babylone requieſcẽt, cum viderint Palæſtinos, ſibi aduerſarios, eſſe abolitos. ¶ Alij exponunt hunc locũ, referendo ad Iudam Machabæũ, qui erat ex tribu Iuda, & hic requieuit in vrbibus Aſcalonis, quia cepit eam in ſuam ditionem, ita Theodoretus. At vero certior eſt prior expoſitio. Nanque prædicit Iudæos poſtquam ſoluti fuerint de captiuitate Chaldæa, eſſe poſſeſſuros Palæſtinam in paſcua ſuorum gregum, quia deſerta erit. Et paſtores Iudæi, ibi cum ſuis gregibus requieſcent ad veſperam, aut requieſcent vt

Non oẽs qui quærũt Deũ inueniunt. Matth. 7. & Luc. 13

Ab omnibus quæritur vita æterna, nec tamẽ ab omnibus inuenitur.

Manſuetudo, quid philoſophis.

Manſuetudo aliquando latius ſe fundit in ſacra ſcriptura, quam apud philoſophos.

Vitia contraria mãſuetudini.

Scriptura aliquando vtitur nota dubitationis, non quod dubitare poſſit Deus, ſed quod liberum arbitrium ſit mobile.

Quinque vrbes Palæſtinorũ quæ fuerint.

Chanaan. Chananeꝰ. Cana. Cananeus.

vt aiebam, quando viderint suos aduersarios dissipatos, id quod subsequens versus clarius exponit. *Quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum*, hæc visitatio est consolatoria, & non punitoria: quia auertet inquit captiuitatem, subaudi Babylonicam, qua erant tor quẽdi tunc Iudæi. *Audiui opprobriũ Moab, & blasphemias filiorum Amon.* Transit vates, ad alias natiões etiam finitimas. Et ait in persona Dei se audiuisse interna reuelatione probra Moabitarum, & Amonitarũ, quæ coniecerunt contra Iudæos, quando videlicet ducebantur captiui in Babylonem. Dicit autem, *Audiui*, scilicet ad vindictam. *Quæ exprobrauerunt populo meo: & magnificati sunt super terminos eorum.* Moabitæ, & Amonitæ erant confines Israelitis, ideoque cum transirent Israelitæ captiui per terminos Moabitarum, & Amonitarum, magnificabant isti linguas contra Israelitas, exprobrantes illis. Aut dicit magnificati sunt in finibus vel super terminos eorum, quia gratulabantur sibi Moabitæ, & Amonitæ, in captiuitate Israelitarum, credentes, quod ipsi erant possessuri terminos Israelitarum, indeque se magnificabant. *Propterea vivo ego dicit Dominus exercituum Deus Israel: quia Moab, vt Sodoma erit, & filij Amon, quasi Gomorrha, siccit as spinarum, & acerui salis & desertum vsque in æternum.* A Chaldæis prædicitur deuastãdos Moabitas & Amonitas, & quod terra eorũ vertetur in spineta, quia inculta erit. & in salinas, & in desertum, vt Sodoma, & Gomorrha, id est terra Moab, & Amon, erit salsuginosa, hoc est valde sterilis, sal enim sterilitatem inducit. *Reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ, possidebunt illos*, ideſt reuertentes Iudæi ex captiuitate, possidebunt agros Moabitarũ, id quod dixerat supra. *Erit funiculus eius, qui remanserit de domo Iuda. Hoc eueniet eis pro superbia sua: quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum.* Patet ex prioribus, *horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* Horrendum dixit Paulus esse incidere in manus Domini, id quod etsi verum sit de pœnis venturis, quæ manent impios, quia æternæ erunt, & nihil horribilius, quam æterno cruciari: at vero pœnis temporalibus etiam horrendis affligit aliquando Deus impios, vt exemplo nobis est Antiochus ille illustris, & Pharao, cum suis copijs & alij plerique, quia igitur Moabitæ, & Amonitæ erant à Deo grauiter torquendi per Chaldæos, ideo ait horribilis Dominus *super eos*, ideſt contra Moabitas, & Amonitas. *Et attenuabit*, ideſt euertet omnem idolorum cultũ, id quod ad tempora Christi. Et adorabũt eum, ideſt Deum, omnes viri, quilibet in loco suo, & omnes insulæ gentium, quod sub Christi euãgelio impletũ est. *Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis: & extendet manum suam super Aquilonem, & perdet Assur: & ponet spaciosam in solitudinem, & in inuium, & quasi desertum.* Refertur 2. Paralip. cap. 14. Quod Zara rex Æthiopiæ venit cum immensa multitudine Æthiopum contra Assa regem Iuda: at vero Dominus contriuit vires Æthiopum. AEthiopes igitur fuerunt iniurij Iudæorũ & Dominus ait, AEthiopes hujus iniuriæ daturos pœnas. Rursus & contra Assyrios, qui sunt aquilonares ad promissionis terram, Deum extensurum manum suam, ait vates. Siquidẽ per Chaldæos Dei nutu sunt euersi. Itemque Niniue quæ interpretatur pulchritudo, quippe quæ erat illustrissima vrbs, & caput regni Assyriaci sub uertenda prædicitur. *Et accubabunt in medio greges, omnes bestiæ gentium, & onocrotalus & ericius, in liminibus eius morabuntur.* Postquam redacta fuerit in solitudinem Niniue, à vicinis gentibus, adducentur greges & bestiæ, vt ibidem pascant gramina, & potent aquas: onocrotalus autem est auis de genere rapacium, prædita est longo rostro, quod infigens aquæ vel luto, horribilem sonũ edit. Et sunt huius auis duo genera, aquaticum alterum, alterum vero sylueſtre. Inter aues hæc sola traditur splene carere: gutur habet duobus folliculis distinctum, quibus cibus ingestus mollescit, vt mollis in ventrem traijciatur. Vide Albertũ Magnum de histor. animali. lib. 23. fol. 194. De onocrotalo, item fit mentio Isai. 34. vbi prædicitur de uastatio Bosræ quę erat regia Idumeorũ. Et exponens vates deuastationẽ illi venturi, ait, quod onocrotalus possidebit eã, Quasi dixisset redigetur in solitudinẽ, & ab hominibus non habitabitur, sed ab auibus sylueſtribus, quibus mos est inculta, & deserta habitare loca: fugiunt enim humanam consuetudinem, quia sylueſtres sunt, de onocrotalo item habẽ, Leuit. 11. Deu-

2. *Machabeorũ. 9.*

Quid onocrotalus, quid Eritius & Erinatius.

Deuterono. 14. Ericius, autem & Erinacius idem censentur. Est autem animal spinis hirsutum, ex frigiditate nanque nimia complexionis suæ, multas ingenerat viscosas superfluitates, quas conuertit in spinas, quibus obtegitur totum. Habitat terræ cauernas, & præsagium fert ventorũ, ad antidota vtilissimũ, creditur hoc animal. Hæc igitur animalia, quæ solitudines amant, & ruinas ædificiorum colunt, dicit moratura in Niniue, vt denotet, redigendam in solitudinem. Quoniam Assyrij oppido fuerunt infensissimi Israelitis. *In liminibus*, sæpe dirutis domibus manent limina, vbi insident aues, itemque in liminibus turrium, *vox cantantis in fenestra.* In fenestris domorum dirutarum insident auiculæ, & sine timore, ibi residentes cantabũt quia nullus erit in domo diruta qui eas exterreat. *Coruus in superliminaribus.* Domus deuastatæ, solent habere solum ex veteri ædificio liminaria, & superliminaria super quibus coruos insessuros prædicit. *Quoniam ego attenuabo robur eius*, ideſt desolabo ciuitatem per manus Chaldæorum. *Hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidentia.* Ironica sunt verba vatis deridentis Niniue. Quæ quidẽ erat clarissima vrbs, & suis viribus fidentissima: at vero vates videns eam in spiritu prophetico desolandam, & maxima ignominia afficiendam, ait, Hæc est ciuitas quæ olim gloriabatur, &c. *Quæ dicebat in corde suo, ego sum, & extra me non est alia amplius.* Omnis superbus affectat singularitatem in bono quo fruitur, & hanc appetit excellentiam esse se singularem inter alios. Niniuitæ igitur erant superbi, quia credebant esse se potentissimos omnium nationum, & quod cæteræ nationes non erant eis conferẽdæ. *Quomodo facta es in desertum, cubile bestiæ*, ideſt, reducta es vt sis cubile bestiarum ferarum. En tibi quo deuenit tua inanis superbia. *Omnis qui transit per eam sibilabit & mouebit manum suam.* Qui rident, vel irridենt stultum aliquem sibilant post eum. Post ruinam igitur Niniue patebat derisioni Chaldæorum, & aliarum nationum: vt superbis accidit si à suo statu labuntur, ridentur ab alijs. *Et mouebit*, scilicet, ostendendo manu ruinam nobilissimæ vrbis.

Vtinã hoc aduerterẽt Iudæi.

¶ In calce huius capitis, notandum duxi quod Hieronymus aduertit in huius cap. principio, Quid est causæ quod sancti Prophetæ, multa mala ventura prædixerunt aduersus Moabitas, Amonitas, Idumæos, Gazęos, Ascalonitas, & demum contra gentes confines Israelitis, quia iniurij scilicet fuerunt istis. At vero nihil mali prædixerunt contra Italos, contra Germanos, contra Hispanos, contra Saracenos, contra Turcas, cum quibus post dispersionem Israelitæ degunt. Et tamen multa aduersa sustinent ab istis nationibus. Et quidem ratio est, quia horum Iudæorum, ceu infidelium Deus non habet rationem.

Moralia & mystica.

Moralis sensus.

Conuenite. Aptissima sunt verba, ad parenæsim peccatorum, vt pœniteant à suis peccatis referãtur. Egregiè enim illis dicitur conuenite, congregamini peccatores. Enimuero, etsi peccatores ad malum generaliter loquendo, congregentur cæterum, non ad vnum mali genus, sed ad innumerabilia diuidũtur, quia à bono semper discedunt, in huiusmodi non conueniunt. Imo neque in malo conuenire possunt, sed sicut dicit Isaias. c. 53. Omnes nos sicut oues errabimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Et equidem ita est, vt enim oues amoto ducente pastore, omnes declinant in varias vias, vt difficile sit nonnunquam eas inuenire, ita propemodum hominibus accidit, qui nõ sequuntur fidem & charitatem Dei: siquidem in varia labuntur mala. Si enim libet expendere, quot olim fuerunt superstitiosæ idolorum religiones, quis dinumerare poterit quot fuerunt falsorum deorum sectæ? vnusquisque enim pro sua libidine suum excogitabat, quem coluisset Deũ, vt de Micha illo proditum est in libro Iudicum, qui sibi finxit Deum quẽ coluisset eoque creuit miserabilis hæc superstitio, vt porri essent in catalogo deorum apud gentes quasdam, vt apud quosdam Indorum auium rostra pro dijs colerentur, vnde alij Baal, alij Astaroth, alij Melchom, alij Rempham, alij vitulos aureos, alij Iouem, alij Saturnum, &c. colebant diuino cultu. Neque solum in huiusmodi vana religione fuit infinita varietas, quin etiã & in sectis hæreticorum fuit innumerabilis diuersitas: alios enim fuisse Macedonios, alios Eunomianos, alios Arianos, Luthera nos alios, &c. legimus: eos autem recensere omnes esset operosum, aut forte impossibile. Quinimo in secta Mahometana, non sibi

Iudic. 17.

sibi constant sectatores, aliter enim eam recipiunt Turcæ, aliter Persæ. Et habent isti suos Imperatores, diuersos diuersæ sectę patronos. Quod si ad varietatem peccatorum, mentis obtutum conuertimus, heu quanta varietas, alij voluptatem, vt falaces, & gulosi, alij vtilitatem malam, vt auari, alij honores iniustos, vt ambitiosi. Et adhuc in istis peccatorum generibus, infinita est multitudo, atq; diuersitas peccatorum, & modorum peccandi. ¶ Quo circa rectissimè Pythagoras ille, vt commemorat Aristoteles, philosophatus est, dicens, Malum esse infinitum, bonum verò finitum. Infinitis enim modis à virtute discreditur: vnico vero modo cum virtute collimatur. ¶ Sicut enim qui iaculatur sagittas, vnico modo solum collimat cum scopo figendo, scilicet iaculo scopum: at infinitis modis deuiare potest ab scopo. Ita & in re virtutum, & peccatorum accidit. ¶ Vnde vnus solus est verus Deus, at infiniti fuerunt falsi dij. Vna est fides catholica, innumerabiles sunt hæreses, & sectæ superstitiosæ, vnica est charitas, at innumerabilia sunt peccata, quæ ab ea declinant. ¶ Rectè igitur admonet vates hos omnes, qui sibi in suis erroribus, in suis sectis, in suis peccatis disconueniunt & sunt admodum diuisi, *Conuenite, congregamini* gens non amabilis, conuenite ad vnum verum Deum colendum, congregamini, ad vnicam fidem catholicam obseruandam, congregamini, ad vnionem diuinæ charitatis, qui extra Dei charitatem estis, & in peccatis vestris iacetis. Gens estis nõ amabilis, imo odibilis Deo: quippe fidei catholicæ vnitatem dissoluitis, charitatis & pacis vincula frangitis scitote quod si cũ Christo non colligitis spargitis. Dispersi igitur estis omnes vos: quia cum Christo non conuenitis, & quia per peccata & errores Christo non aggregamini: ideo estis diffusi, & errantes: conuenite igitur, congregamini. *Priusquam pariat*, antequam scilicet, decretum diuinum, de vobis perdendis æternò pariat suũ effectum. Quia tũc transibitis sicut puluis quem proijcit ventus à facie terræ: vobis cauendus est dies ille executionis diuinæ iussionis contra vos. Quippe, si vos oppresserit, sine vlla repugnantia vestra, vos opprimet. Non enim poteritis amplius resistere diuino iudicio, quam resistit puluis, vel pluma, vento flati. Congregamini igitur ad vnitatem catholicæ fidei ô Lutherani, antequã comprehendat vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini, Congregamini peccatores ad vnitatem diuinæ charitatis, quam ex vestra amisistis culpa, ne subito vos tanquã ventus puluerem, arripiat ira Dei ex hac vita in aliam infelicem quæ vos manet.

2. *Ethi co. cap. 6.*

Sanctos vi vos orare decet pro peccatoribus.

¶ Vos autẽ qui mãsueti estis in terra, qui Deo morigeri estis, & impletis eius præcepta, commisereamini peccatorũ, & ideo diligentius quam solebatis quærite diuinam propitiationem, pro discolis, & non mansuetis fortasis enim vestra diligentia, vestrisque precibus peccatores, qui à gremio ecclesiæ, & à charitate Dei, se longe fecerunt, rursus conuenient ad ecclesiã, & congregabuntur ad suum pastorem verũ Christum. Et ita demum abscondentur, & protegentur, in die furoris Domini, hoc est euadent Dei indignationem. Quia *Gaza destructa; erit* enumerat euersionem Gazæ, Ascalonis, Azoti, & Accaronis. Quæ quidem mysticè diuersitatem peccãtium subnotant. ¶ Gaza enim fortis interpretatur, quales sunt omnes superbi, qui fidentes viribus suis solum, diuina præsidia cõtemnũt. Tales erant Pelagiani omnes magnificantes se & extollentes liberi arbitrij facultatem, & gratiam Dei auxiliantem detrahebant asserendo eam non esse necessariam ad salutem. ¶ Vnde cogebantur inficiari sacramenta Christi esse necessaria. ¶ Ascalon vero interpretatur appensio vel statera: & subnotantur omnes qui in statera & appẽsione peccant: stateram habentes dolosam, & appensionem fallacem, vt commeminit sacer vates ille, filij hominum mẽdaces in stateris, & sæpe carpitur istud crimen in diuinis literis. Item interpretatur ignis infamiæ. Sanè, quia isti fallaces negotiatores vruntur igne cõcupiscentiæ diuitiarum infami cora Deo. Quales sunt omnes vsurarij, simoniaci, & qui contractus iniquos contrahunt cum alijs. ¶ Azotus autem interpretatur deprædatio: sunt igitur per Azotum subintelligendi, omnes fures, prædones, grassatores sicarij, & raptores bonorum alienorum. ¶ Accaron vero interpretatur sterilitas, & subnotantur, qui pessimis suis operibus intendunt, alios trahere in peccatũ, & gratiæ Dei sterilitatem inducere. Cõtra quos Dominus ait, Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt expedit

Pelagiani.

Mali negotiatores

Prædones sicarij raptores grassatores.

Scandalizatores.

dit ei, vt suspendatur ad collum eius molla asinaria, & demergatur in profundum maris. Gaza igitur, & cæteræ commemoratæ vrbes prædicuntur subuertendæ, quia peccatores & impij, quos interpretatio ipsarum adumbrat nisi conuenerint ad legem Christi, & illi congregentur æterno peribunt. *Væ qui habitatis.* Philistijm habitabant ad mare Mediterraneum. Nam Palæstina, vnde dicuntur ab Hebræis Philistijm, in eo loco sita est ad occidentem Iudææ. Interpretatur autem Palæstina, cinere vel puluere conspersa, aut duplex ruina. Vnde Philistijm, cinere, vel puluere conspersi, aut qui ruunt bis. ¶ Quapropter significantur pœnitentes, qui considerantes se vertendos in cinerem, conterunt se se, & affligunt propter peccata sua: at vero sub tempore tentationis à via recta cœpta recedunt, ideo rursus ruunt in peccata, quæ iam deposuerunt, aut in alia grauiora. Vt vere dixeris hos duplicem, imo multiplicem habere ruinam. Quibus intonat propheta triste væ, sanè væ illis, quia melius eis fuisset non pœnitere, quam à pœnitentia recedere. Aggrauat enim ingratitudo, peccata post pœnitentiam, & remissionem peccatorum perpetrata, vt supra commemoratũ est. ¶ Isti verè dicuntur cõmorari ad maris tractum quia illecti huius mundi voluptatibus, qui per mare significatur deflexerunt à recto calle gratiæ, in obliquum iter peccati. ¶ Et sicut mare iam accedit, iam recedit, ad motum lunarẽ, ita isti ad seculi volubilitatẽ acti, iam accedunt ad Deum, iam recedunt à Deo. *Verbum Domini* contra hos perditos Philistæos: quia mundana hæc volubilitas à Deo perdetur in die iudicij. *Et erit funiculus*, ideſt isti volubiles homines, qui recesserunt à via veritatis cœpta, eruntre quies pastorum, & caulæ pecorum, id est lætabitur iustus cum videret vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Et Sapient. 5. Stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos, qui se angustiaue runt. Tunc igitur pastores viri, scilicet perfecti, qui alios pascebant, verbo & exemplo lætabuntur in damnationem horum, & aliorum impiorum, & item imperfecti, qui conferuntur pecudibus. ¶ Et hos perfectos, & imperfectos, subaudit per reliquias ex tribu Iuda, qui scilicet soluta captiuitate diaboli significata per Babylonicam, commigrarunt in cælestem Ierusalem. *Ibi pascentur*, id est, lætabuntur iusti omnes in die iudicij, qui erit ad vesperam seculi, in nouissimis, scilicet temporibus: Lætabuntur equidem, & summopere gaudebunt: quia dominus, eos visitauit fauorem suæ gratiæ illis impendendo: alijs relictis in sordibus peccatorum suorum. *Audiui.* Etsi Deus interim dissimulet iniurias sanctis suis illatas, cæterum ipse alta mente habet repositas, vt suo tempore, sit earum rectissimus vindex. ¶ Moab autem interpretatur de patre, quia filia natu maior Loth, ex patris incestuoso concubitu, hunc accepit filium. Ammon autem interpretatur filius populi mei, seu popularis, denotantur incestuosi omnes, & qui vulgare hominum placitum sequuntur, quos perdendos, vt Sodoma, & Gomorrha, ait modo scriptura. Vnde Eccles. 7. Ne pecces ait, in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum. Etenim plerique multi in suis actibus sequuntur populi opinionẽ: & ad placitum populorum operantur. ¶ Ideo rectè dicuntur filij populi, aut populares, etsi magnates sint. Et inde multa mala prodeunt, ideo Galat. 1. Paulus aiebat, si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et concinit Psal. 52. Regius vates Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent. Non igitur fideles, debent esse filij populi: sed filij Dei. Et Dei placita sunt amplectenda, quæ sunt infallibilia, & non hominum placita, quæ fallacia sunt. ¶ Porrò qui sequitur ecclesiæ catholicæ placita, & sanctorũ doctrinas, & probatorum doctorum sententias, iste non reputatur filius populi, sed filius Dei. ¶ Hæreticos autem scitè dixeris esse populares. Siquidẽ ea docẽt verbo & scripto, quæ plausibilia sunt auribus vulgaribus: vt Apostolus dixit. 2. Timot. 4. coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & vates Isaias cap. 30. horum mores expresit dicens, loquimini nobis placentia videte nobis errores. Tales sunt huius æui hæretici Lutherani cum suo principe Luthero, qui ea docent quæ popularibus viderunt esse quam gratissima. Videlicet hominem onustum peccatis, sola fide saluandum Monachos, & sanctimoniales non teneri ex monachismo, clericis fas esse relinquere cælibatum, & vxores ducere, vota non ligare, & alia hoc genus, quæ ipsi instillant in suos. Hæc sanè non

Meliuseſt nonpœnitere, quã poſtpœnitentiamre trocedere.

2. *Petr.* 2.

Psal. 57.

Viri perfecti ſunt ſicut paſtores imperfecti, vt pecudes myſticè.

In rebus diuinis nõ eſt ſequenda opinio.

Lutherus confundi-tur.

sunt sana: at valde placent populariibus, & hominibus impijs, laxant eũ fræna dogmata hęc omnibus peccatis perpetrandis. Verũ vide quid dicit Sophonias, *filij Ammon*, id est, *populares isti quasi Gomorrha erunt siccitas spinarum, & acerui salis, & desertum vsque in æternum erunt*, tradentur enim huiusmodi incẽdio æterno, imo etiã & temporali, quippe fideles hos hæreticos comburunt, & sunt vt spinæ, inutiles, solum vtiles in alimoniam ignis æterni. Et sunt salsuginosi, steriles enim sunt & deserti à diuina gratia, & à suffragijs sanctæ ecclesiæ, quia omnes sunt anathematizati, in Bulla de cœna Domini. Et quod sequitur, *Reliquiæ populi mei*, satis congruit, siquidem catholici doctores, & iudices ecclesiastici, diripiunt dogmata Lutherana, damnando illa cum suo authore, & asseclis suis. *Hoc enim eis eueniet*, isti hęretici, dignissimi sunt damnatione æterna, & temporali propter superbiam suam, fuit enim Lutherus superbissimus, & audacissimus, & impudentissimus hæreticorum, item & discipuli eius, ideo subdit. *Quia magnificati sunt* super populum Domini exercituum, sanè, populus Domini est ecclesia catholica, contra hanc magnificati sunt Lutherani, illam censentes non esse catholicam, hanc blasphemauerunt, multis conuitijs Papam, & Cardinales & Episcopos afficientes, ideo. *Horribilis* est Dominus contra istos, quippe ecclesia catholica cũ sit Christi sponsa, qui sponsam charissimam Christo dehonestat, quantis tu putas erit supplicijs afficiendus? Nam conuitia sponsæ illata, sponso censentur illata. Quare Dominus attenuabit omnes hæreticos & adorabitur, & coletur Deus secundum fidem catholicam, & non secundum fidem Lutheranam, quæ non est fides, sed error contra fidem. ¶ Reliqua huius capitis facile exponesecundum moralẽ sẽsum, referendo ad peccatores obstinatos in suis delictis, & ad mundanas delicias, quę vniuersa Deus vertet in solitudinem. Quia esca ventri, & venter escis, hunc & illas destruet Deus.

EXPLANATIO
IN SOPHONIAM CAP. III.

Æ prouocatrix & redempta ciuitas. Capitis huius institutum est, carpere Ierosolymitas, & præcipuè magistratus Ierosolymæ. Hebraicè. *Væ ciuitati rebellanti, & contaminatæ.* Nam vbi translatio nostra habet redempta, Hebraicum nomen, quod ibi habetur descendit à verbo Gueal, at vero Gueal significat Hebræis, quod Latinis polluit. At vero, quia Hebræis Gaal, significat redemit, vnde deriuatur nomen Goel, quod significat redemptorem, ideo translatio nostra habet redempta. Ierosolymæ igitur, ait vates, væ tibi, quæ prouocas iram Dei, qui te redemit & liberauit à seruitute Ægyptiaca. Si autem legimus polluta constat sensus, quia illi Ierosolymitæ erant polluti multis facinoribus. Vnde Isaias, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Quia primores vrbis, qui erant veluti caput, & inferiores veluti pedes, omnes erant contaminati, vt latè prosequitur Isai. capite primo. *Columba.* Hoc loco, Hebrai. habetur Iona, quod nomen significat columbã, vt Ion, columbum: at vero Magistri Hebræi Ierem. 46. & 25. vbi translatio nostra habet à facie iræ columbæ, & à facie gladij colũbæ, legunt contristantis, aut molestantis. Nam Iona, dicũt significare mœrorem vel molestiam, & non solum columbam. Et translatio hæc videtur aptior, si legamus molestanti loco *Columba.* Et septuaginta, transtulerunt Ierem. 25. à facie gladij magni, & Ierem. 46. à facie gladij. Græci tamẽsi loco isto transtulerunt *Columba*, vt editio vulgata habet. ¶ Quia igitur principes Ierosolymorum, molestabant valde suos inferiores exactionibus, & fraudibus, ideo ait, Væ ciuitati contristanti, aut molestanti. *Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam.* Id est voces prophetarum, respuerunt, vt liquet ex Ierem. 26. & 27. &c. Et ex alijs prophetis, quos irridebant, quasi insanos. *In domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquabit.* Quia nõ requieuit vocibus prophetarum, ideo nõ reposuit Ierosolyma spem in Deo suo, neque illi per pœnitentiam appropinquauit: quæ longe erat à Dei amore propter facinota sua. *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes.* Tyrannidem principum significat esse vehementem, quia sua deuorabant substantiam pauperum, quasi leo rugiens deuorat prædam. *Iudices eius lupi in vespere, nõ relinquebant in mane.* Lupi ad vesperã, solẽt maximè prædæ inhiare: ideo vt auiditate deprædãdi iudicũ illorũ demonstraret vates, confert eos lupis vespertinis. *Non relinquent*, idest tanta auiditate, deuorant pauperes, vt nihil in eis relinquant, non direptum, quod ab alijs possit diripi. Eadem forma loquendi vtitur Abacuc. 1. velociores lupis vespertinis, carpens insatiabilem auaritiã, & crudelitatem Babyloniorum. *Prophetæ eius væsani viri infideles*, hoc referas ad prophetas falsos, quos præferebant prophetis veris, vt sæpe supra dictum est. *Sacerdotes eius polluerunt sanctum.* Hoc est sacerdotes contaminauerunt sanctuarium, quia sacrificia Deo offerẽda, manibus pollutis offerebant, & tractabant. Vt dicit Isai. manus vestræ pollutæ sunt: manus autem censentur pollutæ, quando opera sunt ex corde polluto. ¶ D. Hierony. tractans hunc locum, habet verba quædam quæ videntur dura, videlicet, Sacerdotes conficere Eucharistiam, non verbis, sed meritis. Vnde ait, Sacerdotes, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis diuidunt, impiè agunt in legem Christi putantes Eucharistiam facere imprecantis verba: & non vitam. Vnde colligunt hęretici huius temporis, vt Caluinus institutionis suæ cap. 18. Sacerdotem impurè vitæ nõ conficere Eucharistiam, id quod est vetus error aliorum. ¶ Rursus colligit, sanguinẽ Domini esse propinandum laicis: nam ait Hierony. & sanguinem Domini populis diuidunt. Gratianus in Volumine decret. 1. quæst. 1. exponit locum esse intelligendum, sacerdotes quidem, etsi impuri sint, perfectè tamen conficiunt sacramenta: at vero ipsi conficiendo sunt in culpa grandi. Et Hierony. hoc voluit dicere, ne errẽt sacerdotes credendo non esse necessaria vitæ merita, sed solum ordinem sacerdotalem ad conficienda sacramenta. Quia ordo quidem est necessarius sacramento cõficiendo, merita vero sacerdoti cõficienti, vt crimen euadat, si impurus accedat.

¶ Secũdo obiecto respõdetur, quod olim fuit consuetudo in ecclesia Dei, nõ vniuersalis, sed particularis quorũdam ecclesiarum sanguinem laicis ministrare. Verum propter incommoda, quæ sequebãtur, ecclesia reuocauit antiquum vsum, & in melioręm cõmutauit laicis concedens solũ Eucharistiã in sicco, nõ calicem. Siquidẽ laici nõ fraudantur ob id participatione sanguinis Dñi, quem cõmunicantes Dñi corpus, ipsi participant. Quod si Caluinus etiam

Variatrãslatio ex multiplici significantia verbi Hebraici.

Isaiæ 1.

Varietas translationis.

Caluini error.

Solũntur Caluini obiecta.

Meritum vitæ est necessarium sacerdoti & ordo sacerdotalis est necessarius sacramento.

num figit pedẽ in prætextu verborũ Hierony. & nolit admittere sensum verũ Hieronymi verborũ quem prædiximus, sciat ecclesiæ autoritatẽ maiorẽ esse quã Hieronymi. & potius est stãdum ecclesiæ decretis quã Hieron. aut cuiusuis alterius ecclesiæ doctoris. Nõ enim Hieronymo dictũ est, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo ecclesiã meam. Quid quod ipse Hierony. se & sua scripta subiecit Damaso Papæ, & nõ ob aliud nisi quia sedem regebat apostolicam. Et equidem quantæ sit insipientiæ hoc dogma, paucis ostendã, siquidem in 4. lib. Senten. prolixius rem ostendi. Scisciter igitur à Caluino si infidelis seruata forma Ecclesiæ baptizet aliũ quẽpiam, an nõ dicet illum esse baptizatum? Sanè fatebitur, aut planè in re notoria toti ecclesiæ planè desipiet. Si ergo infidelitas nõnocet baptismo administrato, cur sacerdotis fidelis peccatũ nocebit sacramento? Sanè est hic manifestarius error huius hæretici, & aliorum hæreticorũ. Et demum hæc est vera Theologia, quando opus quod fit haurit efficaciã ab operante, tũc necessum est, vt operãs sit Deo gratus per gratiam gratum facientẽ, vt opus sit Deo gratum ad vitam æternã. At vero si opus non haurit efficaciam, ex operante, sed ex Christi merito, tunc etsi operans sit in peccato, opus ipsum quod fit, Deo erit gratũ, vt habeat efficaciam, quam sibi communicat Christus, Deo semper dilectus. Et talia sunt omnia sacramenta, quippe nõ hauriunt suam efficaciam, ab ipso ministrante, sed solum à Christo: ideoque efficaciæ sacramenti improbitas, ministri nihil nocebit. ¶ Quod si obieceris, quid ergo requiritur dispositio bona in suscipiente, vt sacramentum illi proficiat, cur ergo in ministrante, non requiretur? Sanè in ministrante etiam requiritur, vt illi proficiat, & non noceat administratio vel celebratio sacramenti. Verum non requiritur ad efficaciam sacramenti. Sicut etiam ad virtutẽ sacramenti non requiritur dispositio suscipientis, siquidem qui fictè suscipit baptismum, id est, cum animo peccandi, etsi animo suscipiendi, suscipiat, vtique impedit hæc fictio baptismi effectum, at vero, verus nihilominus baptismus, & suam efficaciam, quam fictio suscipientis suspendit, ablata fictione exercebit. Quid quod efficacia sacramentorum non repetibiliũ, est duplex, altera est imprimẽ

Infidelitas ministrantis nõ nocet baptismo si ritè ministretur.

Operaquædam suscipiunt efficaciam ab operantis gratuaalia à Christi merito.

do characterem, alia donando gratiam, & prior non impeditur ex peccato ſuſcipiẽtis, & ſi poſterior impediatur. Et demum, quia in actione naturali, requiritur virtus in agente, & diſpoſitio in patiente, & impedimenti ablatio: ita ad actionem ſacramentorum, quæ ſupernaturalis eſt, requiritur virtus ſupernaturalis, hæc autem nõ eſt in miniſtro, ſed in ſolo Deo: qui autor eſt gratiæ collatæ per ſacramenta. Et item exigitur diſpoſitio in ſuſcipiente, aut ſaltem remotio impedimenti ex contraria voluntate, vt eſt in paruulis. Non ergo eſt neceſſaria gratia gratum faciens miniſtro, quia hæc non operatur in ſacramento.

Ex Cõcil. Trid. Seſſ. 14.

Deus ſolus eſt cauſa efficiẽs gratiæ.

¶Gratia enim miniſtri non efficit gratiã in ſuſcipiente, ſed Deus eſt cauſa efficiens huius gratiæ, & Chriſti mors eſt cauſa veluti inſtrumentalis. Inſtrumentũ enim cõiunctũ diuinitatis eſt Chriſti humanitas, vt dixit Damaſcenus lib. 3. de fide. at vero miniſter eſt inſtrumentum ſeparatũ per quod Deus operatur, ipſo miniſtrante ſacramentũ. Solũ igitur nudũ cõficiendo ſacramento miniſteriũ exigit Deus à miniſtro, nõ meritũ. Nã per meritum miniſtri, ſi forte habuerit, Deus nõ efficit gratiã ſacramentalẽ, quã ſacramẽtũ efficere habet ex Dei inſtituto: ſed ſolũ per eius miniſteriũ nudũ, tametſi vt aiebã meritũ miniſtri miniſtro erit vtile, ad augmentũ gratię accedẽtis ſibi ex miniſterio, & erit neceſſariũ vt euadat peccatũ miniſtrãdo ſacramẽta ſub culpa. Quãuis nõ inficior, poſſe contingere, nõnihil accedere gratiæ ſuſcipienti ex merito congrui miniſtri, hoc tamen per accidẽs eſt.

Hiero. defenditur à calumnia Caluini.

¶Rurſus nequis impingat in Hiero. verbis in eodẽ cõm. addam quod ſubdit, ſacerdotes qui dãt baptiſmũ, & ad Euchariſtiã Dñi imprecãtur aduẽtũ faciũt oleũ chriſmatis manus imponũt catechumenos erudiũt, Leuitas, & alios cõſtituũt ſacerdotes, vnde Lutheranę ſectæ profeſſores colligũt ſacerdotes poſſe cõfirmare, ordines ſacros cõferre, chriſma cõficere, & nõ eſſe hæc facere epiſcoporũ prærogatiuã: id quod Armacano lib. de. q. Arme. videtur etiã collibuiſſe: & alijs nõnullis. Tu tamen intellige per ſacerdotes, nõ ſimplices ſacerdotes ſed epiſcopos, qui etiã ſunt ſacerdotes. Hæc omnia fuſius in. 4. lib. noſtro Senten. tradidimus, ideo illis modo ſuperſedemus. Hæc enim diximus, ne quẽ lectio Hiero. offendat.

Diſt. 13.

¶Iã vero audiam⁹ noſtrũ vatẽ. *Sacerdotes*, ſancta Dei pollui nequeunt ex noſtris pollutionibus peccatorũ. Verũ ſicut ſanctificamus nomẽ Dei alioqui ſanctiſsimũ, quãdo laudib⁹ debitis illud magnificamus, ita quoq; polluimus, quantũ eſt ex nobis Dei nomẽ, ſi ſecundũ Chriſtianã regulã nõ viuim⁹. Vñ Mala. 1. Polluiſtis nomẽ meũ. Et Ezech. 28. In iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctuarium meũ: & ſæpè aliãs in Scriptura. Ideo vates exponẽs hanc pollutionẽ ſubdit, *iniuſtè egerunt contra legẽ. Dñs iuſtus in medio eius, nõ faciet iniquitatẽ: mane mane, iudiciũ ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur: neſciuit autẽ iniquus confuſionem.* Quia expoſuerat peccãta principũ, prophetarum, & ſacerdotum, modo ſubdit, hæc peccata, nõ manſura multa. Quia Dñs iuſtus & iuſtitias dilexit, æquitatẽ vidit vultus eius. Et ſicut eſt in medio piorum, ideſt, inter pios, vt eos ſingulari fauore proſequatur, ita eſt inter impios, vt eos cõdigno ſuppli cio afficiat. Ideo ait, Dñs iuſtus in medio eius, nõ faciet iniquitatẽ, ideſt faciet æquitatem, negatio enim æquipollet affirmationi. *Mane*, ideſt quotidie Deus operatur iuſticiã. Et manifeſtat hominibus, ſua æquiſsima iudicia: Vſurpatur enim modo ſingulare, *iudicium*, pro plurali, *& non abſcondetur*, ſcilicet, diuinæ vltiones, quas ſumit de iniquis, non abſconduntur. Sæpè enim videmus, hæc iudicia Dei, & in hoc tempore & in die iudicij palam erunt omnium iniquorum & ſcelera & pœnæ. *Neſciuit*, ideſt, iniquus neſcinit pudefieri propter peccata quæ perpetrat, ideſt, non putat eum peccare, ſed citra pudorem perpetrat peccata. *Diſperſi dati gentes, & diſſipati ſunt anguli earum, deſertas feci vias eorũ dum non eſt qui tranſeat: deſolatæ ſunt ciuitates eorum non manente viro, neque vllo habitatore.* Oſtendit Deus potentiam ſuam, in ſumẽdo pœnas de iniquis, dicens ſe excidere gentes, & diſſipare optimates earũ, quos ſubaudit per angulos eorũ. Hebra. *Diſſipata ſunt palatia eorũ.* Itemq; ſe deuaſtare magnificẽtiſsimas vrbes. *Dixi attamen timebis me, ſuſcipies diſciplinã & nõ peribit habitaculũ eius, propter omnia, in quibus viſitaui eum. Veruntamen diluculo ſurgentes, corruperunt omnes cogitationes ſuas.* Patientiam, & longanimitatem Dei, hæc verba docent, nam expectat Deus longo tempore, vt pœnitentiã agãt peccatores, ne pereat habitaculũ eorũ, ideſt, nè Deus vlciſcatur eorũ peccata. At vero peccatores abutũtur, diuina patientia, quia quam primũ è lectulo ſurgunt, peccata perpetrãt & quæ noctu cogitarunt aduerſus alios, quam primo luce ſcit, opere cõplent tanta eſt eorum auiditas ad peccãdũ, *eius*, mutatio eſt ſecundæ in tertiam perſonam, ideſt tuum. *Quapropter expecta me in die reſurrectionis meæ, in futurum, quia iudiciũ meũ, vt cõgregẽ omnes gentes.* Hæc verba, ſecundum literalẽ ſenſum ad diem iudicij finalem, videntur aptè referẽda, quaſi dicat, vates ſi vos nolueritis, etiam num flagellati cõuerti ad Dũm, expectate diem illũ nouiſsimũ, & terribilẽ, quando cõgregabo oẽs improbos, & omnia regna impiorũ, qui ſpreuerũt increpationes meas, tunc enim apertè videbitis quã inſani fuiſtis, & vexatio æterna quã patiemini, dabit vobis intellectũ: & oculos quos clauſerat culpa aperiet pœna. Simili locutionis modo, vſus eſt vates in primo cap. dicens, *Cõgregãs cõgregabo omnia à facie terræ.* Hęc enim cõgregatio eſt ad punitionẽ gentium, vt qui cõgregat oues, ad iugulandum eas. *In die reſurrectionis.* Nicolaus dixit reſurrectionẽ hoc loco appellari reſurrectionẽ Chriſti, quia Chriſti virtute fiet illa generalis reſurrectio: at vero quod reſurrectio dãnatorũ, vocetur Chriſti reſurrectio, nõ video, vt ſit cõgruus ſermo, ideo videtur reſurrectionẽ, hoc loco ſignificare nõ reſurrectionẽ à mortuis, ſed inſurrectionẽ ad vindictã ſumendã generaliter de omnibus impijs, in die nouiſsimo. Iuxta illud, Surge Dñe & diſſipentur inimici tui. Aut vt in Pſalmo profertur. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, videtur enim Deus quieſcere, quãdo nõ ſumit vindictam, ſed diſſimulet hominum peccata: at vero quãdo iã ſumit vindictã habet ſe vt homo, qui ſurgit ex quiete profunda ad opus. Et eſt frequẽtiſsima forma loquendi Dauidi. Vnde in pſal. 7. Exurge Dñe in ira tua, & Pſal. 43. Exurge quare obdormis Dñe. ¶Quia igitur dũ labitur ſeculũ hoc, Deus in multis quæ accidũt malis, videtur obdormire, quia illa nõ corripit: at vero in die illo veniet ſummus iudex cũ poteſtate magna, vt de omnibus impijs ſumat pœnas, ideo vocat illũ diẽ reſurrectionẽ ſuã, in *futurũ*. Ita enim diſpoſuit ſuprema & infallibilis Dei ſapientia in præſenti multa diſſimulare hominũ ſcelera, in futurũ tamẽ acriter puniẽda. Nã ſi omnia ſcelera modo punirentur, quis expectaret diẽ finalẽ, ad punitionẽ?

Num. 10.

Cur Deus in hoc ſeculo diſſimulat peccata.

Ideoq; ſi hęc expectatio lõganimis Dei fidem diuini iudicij cõfirmat, & in peccatores Dei pfertur benignitas, expectãs eos ad pœnitẽtiã. *Effundã ſuper eos indignationẽ meã*, Deus etſi modo quãdoq; vindex ſit peccatorũ, at nõ effundit nũc indignationẽ ſuã, quia pœnæ huius ſeculi ſunt medicinales, tũc vero effundet indignationẽ ſuã, dicẽs, Ite maledicti in ignẽ æternũ. *Omnẽ irã furoris mei*, repetitio eſt prioris ſentẽtiæ. *In igne enim zeli mei, deuorabitur terra.* Nam cõcinente pſalmo, ignis ante ipſum præcedet, & inflãmabit inimicos eius, qui vocatur ignis cõflagrationis. *Quia tũc reddã populis labiũ electũ: vt inuocent omnes nomẽ Dñi: & ſeruient ei humero vno.* Tũc enim fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Et oẽs nationes ſubdẽtur Chri euangelio, paulò ante vniuerſale iudiciũ: quãdo ſcilicet ad prędicationẽ Eliæ, cõuerterentur Iudæi, ad fidẽ Chriſti. Tũc igitur habebũt populi labiũ electũ, ſymmachus interpretatus eſt labiũ candidũ & mundũ. Enim vero cõfeſsio fidei catholicæ, eſt mũda, & cãdida, quã tũc oẽs cõfirebũtur, & ſeruient Dño Chriſto humero vno. Metaphorica locutio, ex ijs trãſlata, qui ſimul apponũt ſuos humeros portãdis oneribus, tunc eñ videtur, quod vnus ſit omniũ humerus: quippeſimul collecti videntur vnũ robur cõflare. ¶Quia igitur tũc oẽs gẽtes Chriſtũ credẽt, & amabũt, ideo ait ſeruiẽt ei humero vno, *Labiũ* vocat ſermonẽ conſueta phraſi ſcripturæ. Erat terra ait in Geneſi. erat labiũ vnum, id eſt idiomatis, & ſermonis vnius Hebræi. Itẽ, Dñe labia mea aperies, ideſt aperi ſermonẽ meũ, ad te laudandũ. ¶Quod ſi hæc ſi hæc velis referre, ad primũ Chri aduentũ, itẽ poteris, Nam Chriſti lex, & euangeliũ ſolvit gentiũ & regnorũ idololatriã, & diſſipauit peſsimos ritus, & abominabiles gentiũ. Et effudit ſuper illos indignationẽ ſuã cõminuens illa vt in Daniele proditũ eſt, quod lapis exciſus ſine manibus demõte, comminuit ſtatuam grandem, quã per quietem viderat Nabuchodonoſor, & idem Iſaiæ de Chriſto dicitur, percutiet terram virga oris ſui capit. 11. ſubq; hoc aduentu Chriſti, datus eſt orbi labium electum, vt poſſent inuocare omnes homines vnum verum Deum, & Chriſtum filium eius. Et omnes nationes ſeruiunt Chriſto, profitentes vnam fidem catholicam, &c. Nam quanuis modo imminuta ſit eccleſia, at vero olim diffuſa erat per

Pœnæ huius temporis ſunt medicinales.

Gene. 11.

Daniel. 2.

totum orbem. Siquidem in omnem terrā exiuit sonus eorum, &c. cui sensui concinit, *vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei filij, dispersorum meorum, deferent munus mihi.* Quod impletum est sub lege Euāgelica, nam tunc ab India, & orientalibus regionibus quæ sitæ sunt vltra Æthiopiā, multi venerunt supplices Christo. *Filij dispersorum*, ideſt, Israelitæ, qui per totum orbem fuerunt dispersi, etiam munus offerent Christianæ ecclesiæ in signum obedientiæ. Nam multi ex Israelitis credunt modo Christo. *In die illa non confunderis, super cunctis adinuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me. Quia tūc auferam de medio tui, magniloquos superbiæ tuæ, & non adijcies vltra exaltari in monte sancto meo.* Euangelicæ gratiæ qui incumbunt seruandæ, nō pudefient de peccatis, primo quia studēt operibus sanctis. Et secundo, quia baptismalis gratia, hominem regenerat in nouū hominē, & omnia peccata anteacta donat. Quare illis donatis, & quo ad culpam, & quo ad pœnam, non est cur homo pudore suffundatur ex peccatis patratis. ¶ Item sanctis in die iudicij non erit pudor de peccatis suis, siquidem illa digna pœnitudine abstersērunt. Pudor nanque aut dolor, statui beato repugnat. Nam absterget Deus omnem lachrymā ab oculis sanctorū suorum, &c. *Et auferam*, superbia hoc loco, vt sæpè alias admonui significat excellentiā & dignitatem. Ait igitur auferam magnificantes tuam excellentiam & dignitatē, ideſt, auferā vates falsos, qui te insolenter, magnificabant, iuxta illud Isai. 3. *Pōpule meus qui te beatū dicunt ipsi te decipiūt.* *Et non adijcies.* Quia post mortem Christi, venerunt Romani, & diripuerunt templū Dñi, quod erat collocatum in monte Siō, & ideo mons ille dicebatur mons sanctus. Rursus per montem sanctū cultus ille cæremoniarum subauditur cui ibi celebrabatur, quem ritum prædicit abolendum. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem, & egenum: & sperabunt in nomine Domini.* Siquidē Ierosolymis euulgato Euangelio erat ecclesia primitiua, quæ constabat ex pauperibus Apostolis, & alijs discipulis Dñi, qui nihil habebant, sed omnia in commune omniū fidelium illorum vtilitatē referebant, vendebant enim possessiones, & pretia earū, Apostolis cōferebant, Act. 4. ideo egeni erant nihil proprium habētes. Et Paulus, illis mittebat eleemosynas, ex ijs quæ ab alijs gentibus illi offerebantur. Rom. 15. *Reliquiæ Israel, non facient iniquitatē, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorū lingua dolosa: quoniā ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat.* Per reliquias has subaudit Apostolos, & discipulos Dñi, quia ex numerosa plebe Iudæorum solū ipsi crediderunt Christū. Et ecclesiam catholicā, quæ hæret doctrinæ Apostolicæ. *Non facient iniquitatem*, quia Apostoli fuerāt sanctissimi, & ecclesiā elegit Deus non habentem maculā, neque rūgam: ecclesia igitur est tāquā grex, quæ pascitur ex euangelicis verbis: pascētur itē ex pane cælesti eucharistico. *Et accubabunt*, ideſt quiescent in spe æternorum bonorū, *& non erit qui exterreat*, fuerūt sanè multi qui minis mortis, & tormentorum exterrere curauerunt Apostolos, & alios fideles, puta sanctos martyres: at vero ipsi prædicti robore diuino, negligebant minas principū. Vnde Apostoli deposito omni timore euulgarunt Euangelium Christi in plateis Ierosolymitanis. Et non solū non timebant plagas & cōtumelias, quinimo in ipsis gaudebūt: vt gesta testātur Apostoli ca. Ibant, ait Lucas, Apostoli gaudentes à cōspectu cōcilij, qm̄ digni habiti sunt pro nomine Iesu cōtumeliā pati. Idē legimus de sanctis martyribus libētissimè subijsse tormenta, & mortē oppetisse. Vnde canit ecclesia, Isti sunt triūphatores amici Dei, qui cōtemnentes iussa principū, modo coronātur, &c. Adeò autē non deterrebātur, sed impauidi, ferebant acerbissimas mortes, vt Paulus audeat dicere, ipsos fuisse spectaculū mundo & angelis, & hominibus. Quia omnes qui spectabāt cōstantiā sanctorū Apostolorū & martyrū, deterrebantur ex tali spectaculo. *Lauda filia Sion, iubila Israel: lætare & exulta, in omni corde filia Ierusalem.* Præsentiens vates magnalia quæ Deus ecclesiæ catholicæ erat donaturus, & maximè ecclesiæ primitiuæ, quæ primitias spiritus accepit, docente Paulo, prouocat eandē ecclesiā, ad laudes diuinas dicēs, *Lauda*, vocat filiā Sion ecclesiā Christi, siquidem ex Sion exiuit lex euangelica, & verbū Christi fuit primo annuntiatū in Ierusalem, ideo ecclesia Iesu Christi vocatur filia Siō, quia discipula est doctrinæ Apostolicę Ierosolymis primo euulgatæ. *Iubila Israel*, qui secundū spiritum Israel eandē vocat filiā Ierusalē, & Sion, & Israel quod Paulus dixit Israel Dei. Et est repetitio

Sanctos in die iudicij non pudebit de peccatis.

Apoc. 21.

Perfectio vitæ ecclesiæ primitiuæ prædicitur à vate.

Actō. 5.

Martyrū constantia angelicæ sunt demirati.

1. Cor. 4.

Rom. 8. Ecclesia primitiua habuit spiritus primitias.

titio in verbis istis. *In omni corde*: quia lætia hæc de maximis est, scilicet de adoptione filiorū Dei, de remissione peccatorū, de reserata ianua regni cælestis per sanguinē Christi, ideo ex toto corde est gaudendū. Vnde has gaudij causas, subdit vates dicēs, *Abstulit Dñs iudicia tuum: auertit inimicos tuos, rex Israel* sanctus in medio tui. Per iudiciū intellige dānationē, quo loquendi ritu Paul⁹ vtitur, dicēs, Qui māducat indignè iudiciū sibi māducat. Ideſt, dānationē māducat. Ait igit, abstulit dānationē tuā: siquidē descēdit ad inferos, eduxit animas sanctorū, ibidē detētas, quę detētio erat dāni pœna. Vñ Paul. Nihil dānationis est his qui sunt in Chro Iesu. *Auertit.* Quāuis em̄ ecclesia Dei cōcutiatur ab aduersarijs suis, & visibilib⁹ quales sunt hæretici, & alij infideles & ab inuisibilib⁹ qui sunt diabolus & angeli eius. ¶ Cæterū ab istis nō superatur, nō deijcit, sed de illis triūphat in Christi virtute. 2. Cor. 2. ideò ait. *Auertit inimicos* tuos ne te superēt, aut te deijciāt. Cętērū nō auertūtur prorsus ne molestēt & vexēt seruos Dei. Hoc em̄ à Deo pmittitur, vt ex tētatione reportent triūphū. Et ipse Chrus pollicetur suæ ecclesiæ fauorē, & assistētiā, ne deficiāt in tētationib⁹. Ego inquit vobiscū sum omnibus diebus vsq; ad cōsummationē seculi, Matth. 28. ¶ Nanq; vsq; ad cōsummationē, est militia ecclesię & pugna cū aduersarijs: ideo vsq; ad consummationē diuinæ virtutis assistentiam spōdet ecclesiæ suæ Christus. Post cōsummationē autē. 1. Cor. 15. erit Deus omnia in omnibus, ideo sanctis tunc erit summa pax: nā erit Christus in eis, & ipsi in Christo per clarā visionē, & perfectā fruitionē diuinitatis Christi. *Tūc q̄ nō timebūt malū*, cohæret, cū priori versu, *& non erit qui exterreat.* Et enim nullo exterrēte nullus timor erit. At vtroq; modo erit prorsus verū, quādo ecclesia militās, deponet cingulum militiæ, & ornabitur in cælesti patria triūphali corona. *Rex*, quia Christus est in ecclesia catholica, vt dicebā dudū ego vobiscū sum, &c. *In die illa dicetur Ierusalē noli timere Sion, non dissoluantur manus tuæ.* Nam Dñs ait, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animā autem nō possunt occidere, ideoque Apostoli & martyres sine vllo timore occubuerunt sperantes beatā spem ad Titum 2. *Dominus in medio tui fortis ipse saluabit.* Vnde psal. cōcinit, si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo, quia tu mecū es. Psal. 22. Vnde Daniel nō timuit lacum leonum, neq; tres pueri flammam ignis, neque Apostoli, terrenos principatus formidauerunt, sed palā aiebant. Non esse hominibus datum sub cælo aliud nomen sub quo oporteat nos saluos esse nisi in nomine Iesu Christi. *Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectiōe tua.* Quia gaudium magnū erit in cælo super vno peccatore pœnitentiā agente. *Silebit*, ideſt nō puniet propter peccata præterita, quia te diliget: id quod fit suscepta baptismali gratia, tunc Deus silet in dilectione, qui remittit culpas omnes actus, & icē pœnam æternā, & temporalem. Quia tūc homo renouatur, & regeneratur in filium adoptionis diuinæ. *Exultabit super te in lande.* Christus laudauit Ioannem præcursorem suum, dicens, Quid existis videre in desertum, nunquid arundinem vento agitatā? &c. Laudauit Apostolos, dicēs, Vos permansistis mecū in tentationibus meis. Et demum Paulus. Non enim ait, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. ¶ Deus igitur commendat suos fideles, qui sibi hærent per fidem catholicam, & synceram charitatem. Ideo exultat super illos in laude. Vnde illud egregiæ laudis est, fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiā suam. Et illud eximij est diuini encomij Euge serue bone & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, supra multa te cōstituā &c. Itē Deus exultat ex laudibus quas ecclesia catholica quotidie illi persoluit. *Nugas, qui à lege recesserāt, cōgregabo, quia ex te erāt, vt nō vltra habeas super eis opprobrium.* Interlinea. per nugas, intellexit homines vanos, quā sequitur Nicolaus traditq; hos vanos fuisse, eos qui in primitiua ecclesia presi vexatiōibus missam fecerūt legē Christi. Nāq; tūc facta est magna tribulatio sub Stephano. Itaq; idē putāt significare nugas Hebræis quod Latinis. Hosque dicit vates cōgregādos ne ecclesia catholica sustineret, ꝓpter illos opprobriū. Greca trāslatio habet pro nugas, *dispersos.* At vero, Nugæ, vocabulum Hebraicum, quod hic scribitur, descendit à verbo Iaga, quod significat afflixit, humiliauit, vt ige, & iga. Vnde Nugæ Rabbi Kimhi, ait, esse passiuum hoc loco quod significat, afflicti anxiati, vt sit hæc litera, *Afflictos, qui à lege recesserunt*, &c. Translatio autem Vatabli est, hæc *abstra-*

Ad Romanos 9. Galat. 6.

1. Cor. 11.

Ecclesia triumphat in Christo de hostib⁹ suis.

Matt. 10.

Dan. 3. Dan. 4.

Actō. 4.

Baptismꝰ relaxat culpam & pœnam.

Matthæi 11. Lucæ 22. 2. Cor. 11.

Lucæ 12. Lucæ 19.

Varia trāslatio.

Actor. 4. & 2.

Quid Hebræa vox nugæ signi ficet.

ctos, *à loco deſtinato colligam*, nõ enim legũt, qui receſſerunt à lege, ſed à loco, neq; Græca tranſlatio habet à lege, ſed *diſperſos congregabo*. At ſenſus Germanus, vt iudico eſt pendens ex loco ſupra expoſito, *Supra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei filij diſperſorum*. Creditur autem ab Hebræis decem tribus Iſrael eſſe diſperſas vltra hæc flumina, quando eos Salmanaſar rex Aſſyrius duxit captiuos. Nam hic conſtituit eos iuxta flumen Gozan. 4. Reg. 17. vbi traditur ab hiſtoria ſcholaſtica fuiſſe ab Alexandro magno recluſos, miraculoſe. Prope finem autem mundi reducendos ad verum cultum Dei, & ad agnitionẽ catholicæ veritatis. Iſti igitur Iſraelitæ ſunt, & anxiati, ex captiuitate longa, & receſſerunt à loco natali propter captiuitatẽ, & à lege Dei propter iniquitatem. *Ecce ego interficiam omnes interficientes te tẽpore illo*, regreditur, ad id quod primo cœperat de eccleſia primitiua, vt eius excellẽtiam amplius declaret. Chaldæus paraphraſtes vertit ecce ego cõſummationẽ factur⁹ ſũ: ideſt oppreſſurus ſum opprimẽtes vos. Et hoc creditur impletũ quando per Titũ & Veſpaſianũ myriades Iudæorũ fuerũt occiſæ. *Et ſaluabo claudicantẽ, & eã quæ eiecta fuerat cõgregabo*, multi fideles diuexati à Iudęorũ perſecutione ſub tẽpore naſcẽtis eccleſiæ peregrinationes longas fecerũt: & quia pauperes erãt peregrinabantur pedites. Indeque cõtigit illis claudicatio, ſiue magna pedum laſsitudo: & ideo Dñs ait, *Saluabo claudicantẽ*, & eã quæ ex nimia perſecutione eiecta erat à Ieroſolymis, *Congregabo*, ideſt reducã eã in Ieroſolymã in pace degentẽ. Quod creditur impletum ſub Ælio Adriano, qui expulſis Iudæis à Ieroſolyma, ibidẽ collocauit fideles. *Et ponam eos in laudẽ, & in nomen, in omni loco confuſionis eorũ*. Prędicamus aiebat Paulus, Ieſum Chriſtũ Iudæis quidẽ ſcandalũ, gentibus autem ſtultitiã, credebant enim infideles eſſe ſtultã prędicationẽ euãgelij, & quod erat pudor cõfiteri, per crucẽ, accidere hominibus ſalutẽ. Veruntamẽ, fidelibus fuit ſummi honoris, ſummæq; laudis crux Ieſu Chriſti. Vnde aiebat Apoſtolus. Non erubeſco euangeliũ ad Rom. 1. vnde recepta fide nihil honorificẽtius nomine Chriſtiano: nihilque laudabilius Chriſti cruce & euangelio. ¶Quo circa Dñs aptiſsimè cõtulit euãgeliũ grano ſinapis, Matth. 13. quod quidẽ minimũ eſt granorũ: at vero ſatũ & auctũ, in magnã ſe profert arborẽ. Quoniã videbatur euãgelij ſermo cõtẽptibilis. 2. Cor. 10. At vero poſtquã ſatũ eſt in cordibus hominũ demonſtrauit gloriã ſuã, & ſummã efficaciã, & in loco cõfuſionis, ſeu pudoris vbi Chriſtũ crucifixerũt & Apoſtolos occiderunt ibi fuit exaltata crux Chriſti per Helenã, & fideles totius orbis venerata. *In tẽpore illo quo adducã vos, ſubaudi ex latebris veſtris, & in tẽpore quo cõgregabo vos dabo enim vos in nomẽ, & in laudẽ omnibus populis terræ*. Celebratur enim nomẽ Chriſtianũ, in omni orbe. Et apoſtoli Dñi, atq; diſcipuli ſummę laudãtur in eccleſia catholica, & viuũt nomina eorũ in æternũ. Et qui erãt ludibrio Iudæis perfidis, ſunt nobis ſummæ admirationi. Vnde canit eccleſia Apoſtolorũ gloriã ſacra canũt ſolẽnia vos eſtis ſeculi iuſti iudices, & vera mundi lumina. *Cũ cõuertero captiuitatẽ veſtrã coram oculis eorum dicit Dñs*. Hoc eſt poſtquã dedero pacem eccleſiæ, & fideles ex varijs exilijs, quibus exules erãt fugiẽtes tyrannidẽ Iudæorũ fuerint reuerſi ad propria, tunc laudabũtur, & celebrabũtur ab alijs nationibus. ¶ *Væ prouocatrix*, mundo, & mũdanæ gloriæ, & opibus, hæc vero admodũ cõgruũt. Eſt enim mũdus hic vt ciuitas quædã cõfuſionis maximæ. Vbi ſancti torquẽtur, impij honorãtur, ius violatur iniuſtitia defenditur, vitia laudãtur, virtutes vituperãtur: vt rectè per Babylonem illã illuſtriſsimã ciuitatẽ, adũbratur. Ideo congruẽter dicitur ciuitas prouocatrix: quia prouocat diuinã irã ad vindictã. Dicitur autẽ redẽpta, quia quantũ eſt ex merito Chriſti, mũdus eſt redẽptus: at vero Chriſtus in mundo erat & mũdus per ipſum factus eſt, & mũdus eum nõ cognouit: in propria venit, & ſui eum nõ recepe rũt. ¶Dicitur itẽ colũba per ironiam, qui tropus accidit ſæpe ſcripturæ ſanctæ, nedũ pphanæ quia nihil minus mũdus habet, ideſt mũdani homines quã colũbinos mores. Quippe colũbini mores ſunt ſimplices mores, Dño teſtante, eſtote ſimplices ſicut columbæ. At vero mundus habet mores vulpinos, Ioanne cõfirmante totus mũdus ait, 1. Ioã. 5. poſitus eſt in maligno. Væ igitur ait vates huic peſsimę ciuitati, quæ eſt ciuitas vanitatis, & iniquitatis. Vnde dñs Matth. 18. Væ mundo ab ſcãdalis, ſed de his hactenus, quia ex hoc initio poterit lector ingenioſus, cætera quæ ſequũtur moralitate donare.

Iſraelitæ recluſi ab Alexandro.

1. *Cor.* 2:

Senſus moralis.

EXPLA-

EXPLANATIO IN Aggæum Prophetam, Authore Michaele de Palatio.

Prologus in Aggæum Prophetam.

AGGAEVS Dei vates, cuius familiæ fuerit, non eſt proditum. Quo autem tempore Prophetauerit ipſe prodit, ſub Dario rege Prophetaſſe. Hic enim Propheta, & alij duo qui ipſum ſequuntur, vaticinia ſua ediderunt ſoluta Babylonica captiuitate; alij vero nouem, quos ſupra Chriſti afflante ope expoſuimus, vel ſub ipſa captiuitate velut Habacuc, aut ante ipſam Prophetarunt, vt Oſeas, & coætanei. Hic vero & alij duo ſequentes Iudæis poſt liminio ex captiuitate reuerſis Prophetarunt. ¶Hic autem ex Babylone iuuenis venit vt meminerunt Epiphanius & Iſidorus lib. de vitis patrum veteris teſtamenti in Ieruſalem, vt admoneret Zorobabel, qui erat dux Iudæorum, de tribu Iuda, & Ieſum ſacerdotem magnum, ideſt principem ſacerdotum, de reſtaurando templo. ¶Enim vero, primo anno Cyri qui ſucceſſerat Dario Medo patruo ſuo, in Babylonico regno, conceſſa fuit facultas Iudæis captiuis in Babylone, reuiſendi ſuos penates, qui ſimul atque conceſſerunt Ieroſolymam operi mandarunt ſubſtructionem diuini templi. At vero mortuo Cyro, ſucceſsit Cambyſes filius eius, & nepos alterius Cambyſis qui fuit pater Cyri in Imperio Cyri, & hic ſuaſus, à maleuolis, & inuidis, impediuit reædificationem templi, & non Cyrus pater eius. *Eſdræ. 1.*

¶Cæterum Darius Perſarum rex poſt defunctum Cambyſem, & alios intermedios reges Perſarum, renouauit edictum Cyri; quod euulgauerat, de cõſtruendo Dei templo. Et huius regni Perſici anno ſecundo, illuſtratus fuit Propherico lumine Aggæus, & Zorobabel, & Ieſum ſacerdotem magnum arguit de inertia, quod templo Dei ædificando, non darent operam, ſequentes vulgi Iudaici opinionem. Nam vulgus ille videns, diuini templi reſtaurationem impeditam ſuaſum habuit annos ſeptuaginta quos Ieremias Dei vates, præſcripſerat, nondum eſſe abſolutos. Contra quam opinionem pugnat vt illam deijciat ſanctus Aggæus, vt liquet ex lectionis eius decurſu. Ideoque conſtanter admonet, vt feſtinò ſe accingant principes prædicti, & populus, vt ædificando templo extremam manum imponant. *Eſdræ. 2.*

De iſto Cãbyſe filio Cyri, & de Cambyſe patre Cyri lege Herlib. 1. & 2.

¶Fuit autem hic Darius, non ille qui primus obtinuit poſt Balthaſar deuictum Babylonicum Imperium: quia hic Medus erat. At hic alter erat Perſarum rex, & Medorum & creditur, à Ioſepho lib. 11. de Antiqui. rerum Iudaicarum fuiſſe Hiſtaſpis filium, at vero Hebræi credunt fuiſſe Aſſueri filium. Qui cum duceret genus ex Iudaica ſtirpe, ex matre Heſter, fuit beneuolus in Iudæos, & iuſsit Dei templum reſtaurari. Anno ſexto huius Darij, credit Theodoretus, templum fuiſſe abſolutum. Et quod ab anno primo Cyri regis Perſarum, & Medorum vſque ad annum ſextum huius fluxerunt anni quadraginta ſex iuxta illud Ioann. 6. quadraginta & ſex annis eſt ædificatum templum hoc. Quanuis hoc, non videtur prorſus certum. Siquidem Cyrus poſt ſuſceptam Monarchiam regnauit duodecim annis cui ſucceſſit filius eius Cambyſes, qui regnauit octo annis. Et huic ſucceſsit Darius Hiſtaſpis filius qui moderatus eſt Imperium. 36. cuius anno ſecundo Aggæus vaticinatur. Et

omnes anni prædicti constituunt.56.quod si sexto anno huius, fuit absolutum templum sunt anni.60.& non 46.& præterea quia inter Cyrum & Darium,non interfuerunt tot reges,quot putat Theodoretus,nam solum interfuit Cambyses vt proditum est ex chronographijs:sed de his hactenus. Sufficiat nobis scire quod anno secundo mense sexto Imperij Darij siue Histaspis,siue Assueri filij.(Et hic alius est ab eo cuius meminit Dani.cap.9.anno ait.1.Darij filij Assueri de semine Medorũ) Aggæum vaticinium suum edidisse vt sacra vatis huius scripta referunt. Porrò in explanatione subsequente exponam, quid senserim de computatione horum annorum.

EXPLANATIO
IN AGGÆVM CAP. I.

IN anno secundo Darij regis in mense sexto in die vna mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda,& ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum,dicens. Primo Paral.3.Zorobabelem traditur fuisse genitum à Phadaia & hic à Salathiele,itaque fuit nepos iste Zorobabel cuius etiã fit mentio in Esdra lib. 1.cap.2.Salathielis,at ex consueta phrasi scripturæ,nepotes appellãtur filij, vt aui, & proaui patres. Vnde Dominus appellatur filius Dauid,quia descendebat per lineam rectam ex genere regio Dauid ideo Matth. 1. traditur Zorobabelem genuisse Salathiel,*die vna*, idest prima die mensis, ex phrasi Hebræa vna Sabbathorum,
Oseæ. 13. idest prima die Sabbathorum. Et factus est dies vnus, idest primus, quod vero ait, in manu Aggæi,idest quod per Aggæum vt in manibus Prophetarum sum assimilatus,idest per ipsos Prophetas. Nam per varias visiones & rerum similitudines sensibiliũ,Deus loquebatur Iudæis per Prophetas.Missus autem est hic vates ad Zorobabel,ducem Iuda, & ad Iosedech. Vt per hos ceu per principes, populi, Deus incitaret plebem, ad consummandũ opus diuini templi. Simul autem fuit missus cum Aggæo,Zacharias Dei vates ad idem monendum vt habetur Esdræ,1.capite.5. Notabit autem quod ædificatio templi fuit cœpta sub Cyro,vt patet Esdræ.ca.3. & 4.lib.1.quia tunc fuit erectum altare,at vero Assuerus dictus Artaxerxes impediuit ædificium & anno Darij.2.fuit prosecutum. Quod si rogites, quid causæ est, quod Aggæus meminerit Darij Medi, & non regũ Iuda,vt alijs Prophetis mos est? Responsio est aperta,quia iam erat extinctum regnum Iudaicum. *Hæc dicit Dominus exercituum dicens,populus iste dicit,nondũ venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbũ Domini in manu Aggæi Prophetæ dicens,nunquid tempus vobis est,vt habitetis in domibus vestris laqueatis, & domus ista deserta.* Quantum præfert hic textus se rebatur opinio inter illos Iudęos,qui soluta captiuitate,iam incolæ erant Ierosolymæ,quod nondum tempus erat consummandi ædificij templi,persuasi,quia à Cãbyse,vel ab Artaxerxe.1.Esdræ.4. fuerit impeditum,ideo Dominus, dissuadet pervatem suum,dicens,est vobis tempus impletum,vt habitetis Ierosolymam, & in optimis dõmibus quales sunt laqueatæ seu cedrinæ domus,& nõ est tempus meũ impletum vt habitem in templo meo? Et est argumentum à minori videlicet si id quod minus videtur inesse,inest, ergo id quod mãgis. At minus videbatur inesse, quod Iudæi haberent tempus cõpletum, pro habitandis domibus suis,si igitur horum tempus erat impletũ, multo fortius, & tempus,consummandæ diuinæ domus erat completum.Scriptura enim rationes topicas,non dedignatur inferre,ex sensibilibus & palpabilius acceptas,nam cũ homo sit rationalis,& habeat coniũctam sensibus rationalitatem, gratissimæ sunt illi rationes,quæ coniũctæ sunt sensibilibus quia hæc est natura eius. Et ideo si libratè expendimus,decursus Propheticus, siue dum arguit humana scelera,siue dum incitat,ad virtutum studia,per huiusmodi rationes procedit.

Divina scriptura sensibilibus vtitur exemplis & rationibus vt ad diuina colenda nos ꝓmoneat.

¶ *Populus iste dicit,nondum tempus venit.* In prologo nonnihil tetigimus iuxta vulgarem computationem, quale fuerit hoc tempus quod populus ille dicebat nondum veniſſe.Et videbatur nobis placitum Theodoreti non esse omnino certum,propter rationes ibidem in prologo nostro expressas,nunc autẽ placet aperire, quod nobis

Suppputatio septuaginta annorum.

nobis in re hac obscura satis videtur. Vnde obseruandum duxi Ieremiã cap.25.dixisse cumque completi fuerint septuaginta anni visitabo super regem Babylonis. At vero isti computantur ab exordio regni Nabuchodonosor vsq; ad finem quẽ accepit sub Dario Medo, & Cyro Persa, qui transtulerunt totum imperium Babylonicum in suam ipsorum ditionem.

¶ Traditur autem lib.4.Reg. Nabuchodonosorem,anno octauo sui imperij,venisse Ierosolymam obsessurum, & capturum, tunc que fuit prima captiuitas Iudaici populi,quia ibidem cap.24.proditur.Transtulit quoque Nabuchodonosor Ioachim in Babylonem,& matrem Regis. Verum anno.9.Regis Sedechiæ,fuit obsessa ciuitas, & anno. 11. absoluta fuit deuastatio Ierosolymæ.Qui annus.11.Sedechiæ Regis Iuda, erat annus. 19. imperij Babyloni cui quod moderabatur Nabuchodonosor, anni igitur octo prædicti primę captiuitatis, si addantur ad annos. 62. efficiunt septuaginta.Quocirca cum ex vaticinio Ieremiæ imperium Nabuchodonosor, scilicet eiusdem;& prolis,solum esset permansurum annis. 70. tum Nabuchodonosor, anno.8. omnino redegit primo in seruitutem Iudæos, omnino conficitur quod anno. 62. post hanc primam captiuitatem, fuit eius imperium excisum,vnde & infertur, quod tunc fuit populus Iudæorum à captiuitate solutus,& remissus ad propria id quod accidit sub Cyro. ¶ Itaque anni si computentur ab exordio imperij Nabuchodonosor vsque ad excidium Nabuchodonosoris imperij,patet manifestè defluxisse annos septuaginta: quibus adimpletis populus erat liberandus. Et illi anni recententur ab exordio imperij Nabuchodonosor vsque ad finem eius qui fuit sub Cyro. ¶ Porro alia est habenda ratio suppputationis istorum septuaginta annorũ, quantum ad restaurationem templi, quæ fuit facta sub Dario anno secundo. Quæ suppputatio,sic videtur habenda ab ipsa scilicet euersione templi, quæ facta est per Nabuchodonosorem,anno.11.Regis Sedechiæ, qui annus erat. 19. Nabuchodonosor, itaque cum esset restaurandum templum,anno septuagesimo,illi.19. anni imperij Nabuchodonosor, qui erant elapsi, ex successorum regni ad Cyrũ sunt adijciendi, hac ratione Cyrus regnat.3.annis, Assuerus.14. Darius cuius meminit hoc loco vates duos,qui omnes cõstituunt.19. vnde anno.2.Darij cõplebãtur septuaginta.Ad hanc rationem numerat hos annos Vatablus ex sententia cuiusdam docti Hebræi, quæ valde differt communi suppputatione. Ex istis infertur, quod alia est suppputatio annorum soluendæ captiuitatis Babylonicæ, alia vero ædificandi templi,iuxta relatam sententiam. ¶ Porrò autem, aliud mihi videor esse docendum consultò lib.Esdræ.Enimuero,ex libro.1. cap. 1. traditur, quod anno primo regni Cyri edictum fuit à Rege quod Iudæi ędificarent templum Domini. Et cap.3. traditur ædificatum fuisse altare super bases que fuisse constitutum.Et quod primo die mensis.7.obtulerunt holocausta sacerdõtes. Et quod ædificatum fuit templũ Dei anno secundo ab egressione, de Babylone vnde ædificato templo, multi lætitia gestientes eleuabant voces, & alij præ tristitia lamenta proferebant vt ibidem habetur. ¶ At vero cap.4. Assuerum,appellatũ Artaxerxem, obstitisse huic ædificationi suo edicto proditum est. Et cap.5. memoratur, per Aggæum & Zachariam Dei vates excitatos fuisse Iudæos, vt cœptam ædificationem perficerent. Et cap.6.conceditur facultas à Dario cuius fit mentio ab Aggæo vt liberè ædificent Iudæi templum Domini. Vnde videtur, quod sub Cyro fuit extructum templum Domini, etsi nondum completum, vt habetur eodem lib.cap.5. Quocirca videtur, quod sit eadem ratio suppputationis annorum septuaginta, siue soluendæ captiuitatis, siue ædificandi templi. Quanuis si sermo habeatur dè complemento ædificationis, tunc verum est,quod complementũ diutius fuit prorogatum,vt paulo ante demõstrauimus.Et iuxta istam rationem septuaginta anni soluendæ captiuitatis,& vsque ad consummationem templi non habebunt eandem originem,neque eundẽ terminum vt liquet ex prioribus. *Populus iste dicit nondum venit tempus domus Domini.* Quia videbant impediri complementum ædificationis ab Artaxerxe Esdræ. 1. lib. cap.4.*Et nunc hæc dicit Dominus exercituũ, ponite corda vestra super vias vestras semnastis multum,& inuliſtis parum,comediſtis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati, operuistis vos,& non estis calefacti, & qui mercedes congregauit, misit eas in saccum pertusum. Ponite,* considerate quæ vobis accidũt in

Anni soluendæ captiuitatis computantur ab exordio imperij Nabucho. vsque ad annum primũ Cyri.

Anni septuaginta pro restaurando templo, suppputantur ab excidio templi vsque ad annum secũdũ Darij.

in vestris gerendis negotijs, & videbitis, in felices fortiri ea successus & causa est, quia segnes estis in ædificando templo meo. Ideo famem patimini ex annonæ inopia, sitim ex aquæ penuria. Et qui committitis pecuniam ad lucra reportanda, illam perditis & lucrum quod sperabatis, quasi qui conijcit pecuniam in saccũ pertusum, ideo & vestimentorum sufficientia caretis. ¶ Dicet aliquis, vt congruit hic textus cum superiori dicente Iudæos habitare domos laqueatas, seu ex cedris contignatas. Respondeo fieri posse, habitatores domorum pulcherrimarum, pati penuriam magnam victualium ex sterilitate anni huiusmodi mala ventura transgressoribus diuinæ legis proditum est Deuteron. 28. Leuit. 26. Mich. 6. *Hæc dicit Dominus exercituum, ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus.* Monet Deus vt accingant se Iudæi ad ædificiũ domus suæ portando ligna, & sub lignis cætera necessaria subaudiuntur. ¶ Hinc facile est elidere errorem eorum qui dicunt, nõ esse necessaria templa orando Deo Deus enim vbique diffusus est, ideoque aptius est orare sub dio. Nam Deus spiritus est, & tales quærit adoratores qui adorent eum in spiritu & veritate. ¶ At vero, hæc hæresis, est crassa hæresis, siquidem vti ex hoc loco eruditur, Deus magnam curam habuit, reædificandæ domus suæ apud Hebræos. Tantaque cura illi fuit, vt per suos Prophetas, Aggæum, & Zachariam, obnixè præciperet reædificationem. Siquidem tẽpla Deo eriguntur, non quod existimemus Deum habitare templa, sicut homo habitat domum suam, qui sic habitat intra quod non est extra. Deus autem non continetur, à sua creatura, sed ipse cõtinet omnes creaturas, est sanè spiritus, & in spiritu vult adorari Deus, quia omnis adoratio exterior, nisi à fide recta, & syncera charitate procedat, non est meritoria corã Deo ad vitam æternam. ¶ Verum hæc adoratio in spiritu, in tẽplo Dei exhibetur aptius quam in profana domo vel sub dio, siquidem templum ad hoc Deo dedicatur, vt ibi fideles Deo persoluant preces, & laudes. Et ædificato templo Salomonico gloriam Dei obtexit illud, quia Deus voluit sensibili signo ostendere, se velle, in templo illo, adorari. ¶ Non autem inficiamur, quod vbicunq; Deus verè inuocetur, esse inuocationem Deo gratam: quippe vbilibet est Deus. Potro nihilominus, solenni cultu Deo exhibendo, necessariũ est templum, quod sacerrimo sacrificio Eucharistico, & precibus fundendis, alijs diuinis officijs peragendis dedicatum sit. Rursus ex hoc loco expendes, Deum quandoq; affligere fideles inopia rerum, & calamitatibus torquere, quia negligunt quæ spectant diuinum cultum exteriorem, Vt taceat Lutherus, qui ridet cæremonias sacras, quas ecclesia instituit, diuinis cultibus exhibendas. *Et acceptabilis erit*, domus scilicet quam mihi ædificabitis, mihi erit grata. *Et glorificabor in ea*, ideſt in ea manifestabitis meam diuinitatem, aut dicit glorificabor in ea, quia in hoc secundo templo, Dominus fuit glorificatus, nam ex tẽplo cum eiecisset ementes, & vendentes, & mensas numularias euertisset manifestauit gloriam suam Lucæ. 19. *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domum & exufflaui illud.* Rursus inculcat quod supradixerat, arguens illorum inertiam. Intendebatis, ad incrementum vestrarum opum, & frugum, & intentio vestra fuit cassata, imo in contrarium successit, quia loco prouentus, resultauit defectus frugum vestrarum. Imo quod in horrea vestra est illatũ, adhuc perijt, quasi id quod vẽto sufflatum disparet. *Quam ob causam dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinastis, vnusquisque in domum suam*, ideſt vobis ex eo non fructificat terra, à vobis benè alioqui culta, & sata, nempe quia negligitis domum meã, illam enim dimittitis desertam ab opera vestra, & studia vestra conuertitis, ad ædificãdas domos vestras, ideſt præfertis quę vestra sunt honori meo, cum contra esset faciendum, videlicet honorem meũ præferre vestris omnibus. *Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem.* Isti Iudæi erant in magno crimine negligentes ædificationem templi: quia cum solum in templo illo, possent ab eis celebrari sacrificia, extra templum nanque illud, non poterãt celebrari, ideo, submoto templo, cultus diuinus suspendendus erat necessario. Quocirca tenebantur quantocius, illud templum erigere, vt esset locus aptus Deo colendo. *Et terra prohibita est ne daret germen suum, & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super*

Cæremoniæ exteriores sunt probandæ.

Eliditur error quorundam.

& super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum, ideſt effeci mea omnipotentia, vt fructus terræ, herbæ montium, vineæ, & oleæ, homines, & iumenta sterilescerent. Ista omnia exhibita sunt in pœnam negligentiæ supradictæ, nempe, vt ex hac pœna admoniti Iudæi, rectius iam saperent, & festino operam darent ad restaurandum diuinum templum. Nam vt aiebam à templo non extante lex Moysi impleri nequibat. *Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedech, sacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi vocẽ Dei sui, & verba Aggæi Prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini.* ¶ Tu autem considera, quanta sint cæcitate obducti Iudæi, qui post Christum vixerunt & modo viuunt. Enim vero quærere ab illis est opportunũ, si Deus tanta diligẽtia per suos vates iussit vt templum sibi restauraretur, quod exciderat, siquidem lex Dei non poterat impleri nisi templo illo restaurato, vt ibi immolaretur sacrificia, cur Deus tanto exacto æuo Iudæis non præcipit vt reædificent templum, vbi Deum iuxta morem veterem colant, & adorent? sanè si Deo grata essent illa sacrificia modo, vt ante Christum fuerant, & populus Iudaicus, qui post Christũ vixit esset Deo placidus, vt ante Christum, curaret Deus, qui solo verbo omnia potest, vt templum sibi quod euerterunt Romani, reædificaretur, & per suos quos creasset vates sedulo moueret, & illis præcipientibus in nomine Domini reædificationem nulla potentia creata, potuisset impedire. ¶ Porro autẽ videmus per tot annorum curricula, esse Iudæos sine templo neque vlla mentio est de reædificando aliquando, vt fit mentio apud Ieremiam, qui illius subuersionem Prophetauit, qui etiam eiusdem erectionẽ prædixit. ¶ Quæ tamen omnia post Christum cessasse videmus. Quocirca cum Deus nullam curam reædificandi templi habeat, manifestum est, quod sacrificia illa vetera, quæ extra templum nõ poterant offerri ingrata sunt Deo; & quod gens Iudæorum, Deo item non est grata quamdiu perseuerauerit in sua perfidia. Et quod lex illa vetus iam nihil roboris habet, sed quod simul cum templo, diruta est. Et quia lex templum, sacerdotium, sunt connexa, omnia hæc euacuata sunt, templo illo soluto. *Et dixit Aggæus nuntius Domini, de nuntijs Domini populo licens*, Prophetæ in scriptura vocantur legati Domini, vel nuntij Domini, vt & Apostoli, eodem sunt munere & nomenclatura insigniti. Ideo Paul. ait legatione fungimur in cathena hac pro Christo. Et Apostolus, idem est quod missus, seu legatus. Quinimo & Christus Dominus, à Paulo vocatur Pontifex, & Apostolus nostræ confessionis. Quippe est supremus legatus, qui à Patre exiuit, & venit in mũdum vt testimoniũ perhiberet veritati. Et ipse est qui constituit legatos, & Apostolos, & Prophetas. *Ego vobiscum sum dicit Dominus & suscitauit Deus spiritum Zorobabel, filij Salathiel, ducis Iuda, & spiritum Iesu, filij Iosedech sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini, exercituum Dei sui*, videtur ex hoc loco quod iam fuerat nonnihil ædificatum templi Domini, quia ait, *Faciebant opus in domo Domini.* Quanuis nõ probat, quia sensus est in loco, in quo erat domus Domini ædificabant, aut ædificabant ad domum Domini restaurandam.

Iudæorum dæßima cæcitas manifestatur.

Lex sacerdotiũ templum connexa sunt.

Moralia & allegorica.

Moralis sensus seu mysticus.

Factum est verbum Domini. Aggæus, siue Haggæus, vt Hebraicè profertur interpretatur festiuus seu solẽnis, & hic prædicauit Iudæis, reædificationem templi Salomonici, quod Nabuchodonosor flammis ablumperat. Vnde commodissimè typum gerit doctorum, & prædicatorum ecclesiæ, quorum refert, templa Domini reædificare. Est autem ecclesia Dei, templum Domini, domusque Domini. Adumbrata per illam veterem domũ, quam Salomon ædificauit, quam Christus tanti fecit, vt flagello ex funiculis cõposito, abigeret ab ea ementes, & vendentes, dicens domus mea domus orationis vocabitur, & vos eam fecistis speluncam latronũ. ¶ Ecclesia autem Catholica, cuius typum illa prior gerebat, multo amplioris excellentiæ est, quam illa vetus. Siquidem veterem ædificauit terrenus ille Salomon, hanc vero nouam Dei domum ædificauit cælestis Salomon Christus.

Templum Salomonicum adumbrat ecclesiam Catholicam.

¶ Porrò autem vt Nabuchodonosor templum illud prius destruxit, ita & diabolus hanc ecclesiam Catholicam omnibus quibus potest technis, & versutijs demolire contendit. Vnde primitus cõtra eam furit,

Dignior est ecclesia quam templum Salomonicum.

furit, per principes & huius seculi monarchas dein vero per hæreticos, & hæresiarchas, & quando conatus videt suos in cassum recidisse, quotidie, hanc domum Dei impetit vario genere peccatorum fidelium animas inquinans. ¶Veruntamẽ,

Principes seculi conati sunt euertere ecclesiam Dei.

sæuientibus principibus terrenis contra eam, & valde ipsam lædentibus, nam tormenta, & dira mors, multos auerterunt à fide Christi, tunc sancti Apostoli, & discipuli Domini, velut alter Aggæus, quod principes seculares destruebant, ipsi sua prædicatione & miraculis reædificabant. Illis autem vita defunctis, factum est verbum Domini ad doctores ecclesiæ, vt ad Aggæos quosdam mysticos, qui Zorobabelem, & Iesum sacerdotem magnum monerent reædificare ecclesiæ ruinas, quas

Hæretici demoliuntur ecclesiam Dei.

hæretici prauis suis dogmatibus in hac domo Dei fecerunt olim. Et hodie nondũ in Germania, & Anglia, & Bohemia, sunt restitutæ huiusmodi ruinæ quas Lutherus, Zuinglius Bucerus, Caluinus, & alij diabolici milites in domo Dei fecerũt. Auertẽdo videlicet Germanos, Anglos, Bohemos & Gallorũ nõ paucos, à fide catholica, doctorũ est igitur admonere Zorobabelẽ, seu vt Hebraicè profertur Zorobabelẽ, & Iesum sacerdotem magnũ, vt huic operi simul incumbant, ruinas domus Dei restaurare.

¶Est autem Zorobabel, si interpreteris, alienus à confusione. Et Iesus interpretatur Saluator. Et concinnè satis nostro instituto congruit, horum nominum interpretatio. Nam per Zorobabelem, denotãtur ecclesiæ principes, & per Iesum sacerdotem magnum, ipsos ecclesiæ põtifices. Ad hoc igitur spectat, moniti per ecclesiæ doctores, Christi domum si qua ex parte viderint collapsam, erigere. ¶Enimuero

Principes & Pontifices Germani, & alij aliarũ nationũ sunt in maxima culpa perditionis fidei in sibi subiectis.

sæpe doctrina sola, efficit nihil, ad huiusmodi restaurationem: nisi accedat secularis, & ecclesiastica potestas. Hæc enim cẽsuris debet agere in hæreticos omnes, & in receptatores, & in quomodolibet eorũ fautores, verum quia censuræ sæpè, imo semper irridentur ab hæreticis, maximè à Luthero, & sequacibus, qui putant esse meras nugas, ecclesiæ censuras: ideo principum catholicorum refert, in eos agere, deurendo eos, & confiscando sibi eorum bona, & illos & proles ipsas dehonestando. ¶Quod si hoc factitarent principes Germani, & animaduerterent in Lutherũ & in complices eius, non pateretur ecclesiam Dei, ruinam quam modo patitur in Germania, & alijs prouincijs, in quas serpit vt cancer Lutheri doctrina. ¶Porrò principes isti, non erant Zorobabel, quippequi non erant alieni à confusione: imo in ipsa hæreseos confusione erãt demersi: ideoque non potuerunt animaduertere, in sententiam Lutheri, quam ipsi probatã habebant. Item neque pontifices Germani, non exerentes suas censuras contra hæreticos istos, erant significati per Iesum sacerdotem magnum. Nam hic interpretatur saluator, at illi non saluatores fuerunt sed destructores, & corruptores Germaniæ, vt & Bohemi Bohemiæ, &c. Aggæus autem mysticus prædicare debet ad Zorobabelem, alienum à confusione, & ad Iesum, cuius animus est domum Domini saluam facere ab omni ruina. Germani autẽ, & Bohemi, Angli, Galli, si verbo non dicunt, saltem opere profitentur, quod populus ille sub Aggæo aiebat, scilicet, *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* Siquidem admoniti per Pontifices maximos Leonem X. Adrianũ VI. Clementem VII. Paulum III. Iulium III. Pium IIII. & censuris affecti horribilibus, itemque per Concilium Tridẽtinum damnati, & calculo omnium doctorũ catholicorum reprobati, conuersionem ad fidem differunt, insinuando nondum esse tempus, vt redeant ad cor. At vero audiant, quid dicat istis Deus per suum vatem, *Nunquid tempus vobis est*, ideſt, vobis adest tempus, ad destruendam meam ecclesiam, iuxta libidinẽ vestram, & vt quiescatis in dogmatibus vestris, ceu in domibus vestris, & non adest tempus, ad restaurandas ecclesiæ ruinas, quas vestra perfidia intulistis? Et ad hanc rationem poteris cætera, ad mysticum sensum, seu allegoricum. ¶Porrò, est aliud Dei templum, con

Moralis sensus.

scientia, scilicet, fidelium, vbi Deus vult coli per fidem & charitatem. Tuncque inibi habitat sedes. Sap. 7. Anima nanque iusti sedes sapientiæ. Et secundum Apostolum, fideles sunt templum Dei. Qui

1. Cor. 6.

violauerit templum hoc, disperdet illum Deus. Fideles igitur sunt templum sancti Spiritus. Vnde in die baptismatis Deo de

In die baptismatis homo dedicatur Deo vt templũ eius.

dicantur templa hęc: & ab illis expellitur Satanas. Porrò sicut olim Nabuchodonosor euertit Salomonicum illud templum, ita frequenter diabolus, hoc templum destruit. ¶Destruit autem multifariam, vel desolando à fundamentis, id quod facit trahendo hominem ad infidelitatem. Nãque fides est fundamentum ædificij huius templi: ablata igitur fide vel per hæresim, vel per apostasiam à fide, corruit templũ Dei à fundamentis. Et hæc est maxima & maxime deflenda huius templi ruina, vt quando domus disipatur ab ipso fundamento, prorsus est disipata. Altero vero modo, destruitur hæc domus Dei, nõ dissipato fundamento, sed hoc incolumi, charitas quæ est huius domus tota perfectio, disipatur. Et hæc quidem huius diuinæ domus ruina, magna est, sed non tanta quãta prior. Prior nanque ægerrimè restauratur. Experimento enim videmus operosissimam esse reductionem hæreticorum ad fidem catholicam, & aliorũ infideliũ.

Destructio fidei est maxima animæ ruina.

¶Nam obstinatissimos videmus esse Lutheranæ sectæ sectatores in sua perfidia, quales olim fuerunt Arianæ væsaniæ amatores. Et ecclesia summopere laborauit in extinguenda hæresi illa: & nihilominus æuo perstitit multo. Sicut & modo huc vsque perseuerat Lutheri apud multas deceptas nationes doctrina. ¶Cæterum, multo facilius est charitatis ruinam restaurare: quia quotidie fideles peccatores, pœnitentiam agere videmus. Et causa prompta est, quod fidei ruina sit maxima, quia illa ruente corruit charitas, atque spes infusa virtus, & cæteræ omnes virtutes, ideoque si reparanda est domus hæc ex integro est reparanda. Porrò submota per peccatum mortale charitate, non in integrum facienda est huius domus Dei reparatio. Quandoquidem illa submota, superstites sunt fides, & spes. Vnde solius charitatis desideratur restauratio. Cum ergo hęc desolatio diuinæ domus quæ est anima fidelis, semper adest in istis, vel illis fidelibus. Quanuis in vniuersum si fiat sermo, fideles qui sunt ecclesia Dei non possunt habere hãc desolationem. Quia ecclesia Dei, est immaculata domus Dei, & Christo charissima sponsa, at vero in particulari, sunt multa peccata in aliquibus imo in multis fidelibus, vnde euangelicis prædicatoribus, qui adumbrantur per Aggæum, siquidem Aggæus, lætus & festiuus interpretatur, quales decet euangelicos esse prædicatores, siquidem etsi timore pœnarum debẽt corripere fideles, tamen multo vehementius spe gaudiorum æternorum, debent eos allicere, vt domum Dei spiritualem

Euangelicos prædicatores decet festiua & læta prædicatio.

reædifiecnt, & desolatas, & desertas animas à Dei charitate, diuinis moribus imbuant. Quod si admonitiones huiusmodi, non sat fuerint reædificandæ huic domui, excitent Zorobabelem, & Iesum sacerdotem magnum, ideſt seculares, & ecclesiasticos principes, vt timore pœnarum corpuralium, & spiritualium, se se accingant fideles, ad pœnitentiam suorum peccatorum faciendam: vnde resultat reparatio ruinæ huius Dei spiritualis domus. ¶Quod si procrastinent pœnitentiam, dicant illis. *Nunquid vobis tempus est*, vt vos habitetis in vestris delicijs, & voluptatibus, & in illis fruendis, totam insumatis vitam, & non est tempus, vt pœnitentiam agatis? Rursus, eisdem aptus est sermo Aggæi subsequens. *Ponite corda vestra*, cogitate vias vestras ô peccatores, vt cogitauit ille qui aiebat, Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Cogitate inquam vias vestras, & expendite quam malè vobis consulitis, desolatam habentibus conscientiam à diuina charitate. Enimuero proderit nihil vobis, quòd *seminatis multum*, ideſt bonis operibus etiam heroicis incumbatis. Siquidem ex semine multo parum inferetis. Vtique parum, siquidem ex bonis istis operibus laudem & fauorem reportetis coram hominibus, istud parum est, quia momentaneus est hic fauor, breuisque est huiuscemodi gloria. Parum equidem inferetis: quia. 1. Corinthiorum. 7. præterit figura huius mundi. *Comedetis & non saturabimini.* Bona nanque opera, & studia virtutum cibus sunt animæ, & potus spiritualis ipsius. Nanque omnia suum bonum appetunt, & ideo anima rationalis, quippe quæ ex Deo originem ducit, diuina appetit: quia genus Dei sumus, Actorum. 7. ¶At vero si desolata est anima charitate, & gratia gratum faciente et si huiusmodi operibus & studijs virtutum incumbat, ideſt, etsi vescatur & delectetur in eleemosynis, ieiunijs, carnisq; alijs macerationibus, verum non satiatur neque satiari ex eis potest: quia per illa solum, Deo non est coniuncta, in quo est perfecta satietas. Quanuis enim sancti & iusti viri tantisperdum in hoc exilio vitam traducunt, non satiãtur, sed cũ Dauide gemunt dicẽtes, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &c. & cum Paulo cupiũt dissolui & esse cum Christo,

Adhortatio diuina ad pœnitẽtiam.

Perfecti viri quadā ratione sunt satiati in hac vita, etsi imperfecte.

Christo, ad Phil. 1. cæterum adhuc viuentes in carne habent suam satietatem spiritualem, qua orbantur peccatores. ¶Aliàs nō dixisset Christus, qui credit in me fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternā. Sanè qui ex fonte interno bibunt, non sitiunt. Et qui ex pane cœlesti, vescuntur non esuriunt. Vnde Dominus. Qui bibe-

Ioan. 4.

rit ex aqua, quam ego dabo non sitiet in æternum. Neque minoris efficaciæ est panis quem dat suis iustis Christus, quam aqua, quam *illis* subministrat si hæc sitim tollit, & ille item famem, vnde dixit Si-

Lucæ. 2.

meon nunc dimittis seruum tuum Domine in pace. ¶Philosophi autem, etsi multis incubuerunt virtutum studijs, & claruerunt heroicis quibusdam operibus, vt historiæ veteres testantur, at vero, quia ex hac aqua Christi non biberunt, & ex Christi pane, non comederunt, ideo semper sitientes, & famelici fuerunt diuinorum. Vt verè dixeris de illis cum vate. *Comedistis, & non estis satiati, Bibistis & non estis inebriati.* Itemque peccatores omnes, qui à seipsis abegerunt Dei charitatem, etsi sæpè multis egregijs operibus incumbant, nihilominus non possunt satiari: quia non cibantur pane vitæ & intellectus, qui est gratia Iesu Christi; neque aqua sapientiæ potantur, quippe in ipsis non est fons saliens in vitam æternam, qui fons charitas Dei est, de qua Paulus loquens inquit, &

1. Cor. 13.

si habuero omnem Prophetiam, &c. charitatem autem non habuero nihil sum, ideſt pauper sum coram Deo, famelicus sitibūdusque diuinorum. ¶Porrò autem etsi quodammodo sint satiati in hoc seculo iusti & perfecti, vt hactenus tradebamus, cæterum hæc satietas cœlestium acuit famē, vnde sapientia dixit, Qui edunt me adhuc

Eccl. 24.

esurient. Nam perfecta satietas erit cum apparuerit gloria Domini. ¶Rursus autē vates prosequens mala eorum, qui nō ædificant domum Domini charitate desolatā, ait, *operuistis vos, & non estis calefacti*, fauor populi, & gloria mundana, sæpè operit humana delicta. Nanque frequentissimè iniusti commendantur ab alijs iniustis. At vero hoc operimentum, non calefacit animum nostrum: quia ipsum dimittit sub frigore peccatorum. Habēt sanè isti laudem, sed non coram Deo. At vero, qui Dei domum restaurant ex pœnitentia sibi conciliantes charitatis diuinæ vestem. Proinde isti sunt calefacti, expulso peccatorum

Fauor populi operit humana delicta.

frigore. Ideo, ait Salomon, omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus non timebūt à frigoribus niuis. Enim vero charitas Dei & proximi, vestis duplex, quam qui induit, non est cur timeat ab aquis illis nimalibus quarum meminit Iob. Transibunt dicens ab aquis niuium ad calorem nimiū. *Et item addit vates, & qui mercedes congregauit, misit eas in saccum pertusum.* Sanè si quispiam multa merita æternæ coaceruauit vitæ, si postmodum suo peccato destruxit domum Dei, expellens à se, quod est ædificij spiritualis culmen, hic equidem, etsi mercedem æternæ vitæ sibi congregauit, peccans tamen criminaliter, has omnes secundum spem mercedes, seu præmij æterni merita, misit in saccum pertusum. Quia qui in vno offendit factus est omniū reus; & ideo sublata charitate, omnia merita consopiuntur, & pereunt nisi restauretur dirutum diuinæ domus ædificium. ¶Quamobrem cum hæc mala sequantur inertiam non ædificandi domum Dei spiritualem, ritè monet vates ædificationem, rursus repetens, quod supra dixerat verbum. *Ponite corda vestra*, ò destructores diuini templi, & considerate incommoda quibus afficimini, si inertes estis ad restaurandum diuinum templū, quod estis vos, & ideo deponite inertiam, & ascendite in montem, ideſt in pœnitētiæ accliuitatem, nā pœnitentia est valde accliuis, ac difficilis ascensionis mons, & inde portate ligna, ideſt charitatem Dei, & Spiritus sancti dona. Et quidem mons hic, est mons ille pinguis, mons coagulatus, mons in quo bene placitum est Deo, vt cecinit hymnidicus ille vates. Equidem pinguis est pœnitentia, quia animam aridam ex defectu diuinæ gratiæ impinguat, coagulatus est mōs, quia est refertissima diuinorum bonorū, si vera est fugat enim mortem animæ, & parat illi vitam in Deo, claudit ostia inferni, & reserat ianuam cœli, ideoque beneplacitum est Deo super montem istum ferentem arbores vitales. *Ædificate* domum Dei spiritualem, & erit Deo accepta ædificatio. Quod si adhuc mihi repugnatis, & ædificare domum meam differtis de die in diem en vobis quid sequetur vestram impœnitentiam. Prohibebo cœlos ne dent rorem terræ, ideſt prohibebo doctores ne vos doceant, aut inefficaciter docebunt necessaria & expedientia ad salutem vestrā, siquidem postquam sæpè vos docuerunt,

Prou. 30.

Iob. 24.

Idem habes de pœnit. dist. 3. ca. de pertu. sacc.

Merita omnia sublata charitate consopiuntur.

& mo-

Deus subtrahit efficaciam à verbo suo ob peccata obstinatissima audi torum Ierem. 5. capit. 6.

& monuerūt, vos illis repugnastis, & impœnitētes persistitis, vnde aiebat Paul. per fidis Iudæis, vobis quidē oportebat primo loquiverbū dei, sed qm̄ repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ cōuertimur ad gentes Acto. 13. & apud Ezechielē legimus cap. 2. Fili hominis linguā tuā adhærere faciā palato tuo, & eris mutus, neq; quasi vir obiurgans, quia domus exasperās es. ¶Hoc est quod Apostolus Hebræis scribēs insinuat dicēs, Terra enim super se sæpè venientem bibēs imbrem & germinans herbā opportunā illi à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas, ac tribulos reproba est, & maledictioni proxima, illi inquā maledictiōi, quę scribitur apud Matthæū, Ite maledicti in æternū. ¶Rectè igitur ait est. *Prohibiti sunt cæli nedent rorem*, siquidē doctores ecclesiæ, & prædicatores, si frequēter docētes, & stillātes cælestes diuinę doctrinæ imbres, docent sine fructu, equū est, vt auditores cōtēnentes doctrinā Dei, orbētur illa. Et quod diuinus ille ros diuini verbi, qui est ros cælestis, non stillet in eos. *Et terra itē non dabit germen suū.* Consequēs est, ad negationē roris cælestis, quod terra sterilescat. Itē cōsectariū est, vt ablato rore diuini verbi, quod anima rationalis, reddatur sterilis, ad merita vitæ æternę proferēda. *Et vocauit siccitatē*, id est huiusmodi obstinati qui negligunt pœnitentiæ accliuē conscendere montē, vt inde reportent ligna ad ædificiū spirituale, quod collapsum est suarū animarū omnino erūt steriles, sine rore imbuente diuinæ gratiæ siue cogitant & faciant terrena opera, & humilia, siue sublimia meditentur & operentur quæ significantur per montes, siue cogitent eleemosynas distribuere, & distribuāt siue deuotionis vino libideātur esse cōpotes, sine oleo misericordiæ abundare. Et demū omnia quæ protulerit anima desolata, & deserta à diuina gratia sicca erunt, nihilq; promerebuntur corā Deo.

Contēptor diuini verbi orbatur.

Terra mōtes oleum, vnum pecantur sine rore cælesti.

EXPLANATIO
IN AGGÆVM CAP. II.

IN die vicesima & quarta mensis in sexto mēse, in anno secundo Darij regis in septimo mēse, vicesima prima mēsis factū est verbū Domini in manu Aggæi prophetæ dicens, Loquere ad Zorobabel filiū Salathiel ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum & ad reliquos populi dicens, Qui in vobis est derelictus, qui vidit domū istā in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est quasi non sit in oculis vestris? Hæc omnia satis patent ex his quæ capite proximo sunt explanata. Cæterū totus iste versus. *In die vicesima quarta mensis in sexto mense, in anno secūdo Darij regis*, nō extat in codice Hebræo. acceptū tamē est ex Græca translatione. In glossa autem ordinaria, vel Nicolai nō extat hic versus. Sed capitulum incipit ab eo verbo. *In septimo mense.* Et aduertendum est, ex lib. 1. Eldræ cap. 3. quod postquam constructum erat templum Dei, senes qui ex captiuitate venerant, cum vidissent templum nouè ædificatum, & subiret eos memoria templi Salomonis, aduertentes, nō esse conferendum nouum templum, cum veteri destructo, flebant, & voce miserabili ruinam prioris lamentabantur. ¶Etsi iuniores, qui sub captiuitatem nati fuerant, & prioris non poterant memorari, exultabant valde viso nouo templo. Et hoc est quod ait., *Qui in vobis est derelictus*, qui scilicet à captiuitate hucusque viuit, & vidit domum hanc, in gloria sua prima. Suppositio hæc simplex est, vt dialectici docent. Vt si dixeris visa borragine exēpli causa in horto amici tui, hæc herba nascitur in horto meo, verè dixeris, quia nō refers demonstrationē, ad individuum herbæ, sed ad speciem. ¶Eodem modo in proposito, *Vidit domum hanc*, senes enim non viderūt domum hanc ante captiuitatē, verum relatio fit ad speciem domus, quia templū Salomonis eiusdē speciei, & rationis erat cū nouè ædificato. *Quasi non sit*, ideſt nullius pretij & gloriæ est collata priori illa enim prima, abūdabāt summis opibus, & mira artificio erat ædificata à Salomone: vnde celeberrima erat toto orbe. Hæc autē posterior, quia nō à rege opulentissimo, ædificabatur, sed solutis à captiuitate Iudæis, ideo neque opibus, neq; artificio poterat illi cōferri. Vnde in Esdra lib. 1. cap. 5. traditur fuisse ædificatā lapide impolito. *Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Iesu fili Iosedech sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quia ego vobiscum sum dicit Dominus exercituū) verbum quod pepigi vobiscū, cum egrederemini de terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestri, nolite timere.* Deus cōfortat per Aggæum

Suppositio simplex nō tanda in scriptura.

principes nominatos, vt nihil paueāt occursus gentium extranearum, quæ obstabant ne templum compleretur, neque perhorrescant edicta contraria principū. Nam Dominus illis pollicetur opem: & quod dabit spiritum suum in ipsis, vt possint aduersarijs resistere: quod potest referri vel ad angelorum tutelam specialē, vel ad Spiritum sanctum, directorem operis. *Quod pepigi*, in quibusdam Biblijs scribitur, *quod placui*, sed mendosè, vnde in correctioribus habetur *pepigi*. Pepigit autem Deus patribus Iudæorum, qui erant in Ægypto, fauorem & auxilium in cunctis eorum operibus: si tamē cultum Deo semper syncerum exhiberent, vt patet ex lectione Exodi & Deuteron. Nam Exodi 14. Angelus Domini præcedebat castra. & 23. Mittam inquit angelum meum. & 32. Angelus meus præcedet te. Et Deute. 32. custodiendos traditur Iudæos, à Deo, vt pupillam oculi sui. *Verbum*, oportet subaudire, *& faciam*, vt sit sensus vos ædificate meam domum, & ego faciam verbum, ideſt, implebo promissum, quod pepigi vobiscum, ideſt, pepigi cum patribus vestris, quod pactum etiam extēdebatur, ad filios successores: ideo ait, *vobiscum*, vel per hoc verbum, quod ait Deus se facturum, intelligere possumus incarnationem diuini Verbi. Ideſt ego implebo promissum, de mittēdo vobis seruatore Christo, sicut pepigi vobiscū in exitu ab Ægypto, Deuter. 18. Prophetam ait, De gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Deꝰ. *Quia hæc dicit Dominus exercituū adhuc vnū modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Miscet vaticinium de Christo, siquidem in templo illo ædificato à Zorobabel, & Iesu sacerdote magno, **adiuuā**tibus prophetis Aggæo & Zacharia. 1. Esdræ. 5. erat Christus ostensurus suam gloriam edendo miracula, & prædicando suum euangelium. Vnde hæc verba ad Christi tempora sunt referenda, quia eius aduentū subnotant. Etenim desideratus cunctis gentibus est Christus Dominus. Siquidem Saluatorem à malis, cunctus orbis amat habere. Et quanuis gentes in particulari, non desiderabant Christum, quia de Christo, non habebant vaticinia prophetarum, vt Hebræi; cæterum desiderabile erat cūctis gentibus, habere seruatorem ęternū, idem dictu est, desideratus cūctis gētibus, ideſt, dignissimus, qui ab omnibus desideretur, quia Christus est salus omnium hominū: lux enim desideratur summopere videri à cæcis, vt audiri à surdis, vt diuites fieri à pauperibus, & demum solui ab omnibus quibus premimur malis nullus est qui nō desiderat. ¶ Christus est autem lux mentium, & diuitiæ spirituū, & requies ab omni labore, &c. ideo dignissimus est qui desideretur. *Adhuc modicum*, à tempore huius vatis vsque ad Christum, iuxta vnam computationem fluxerunt anni 520. at vero dicitur vnum modicum, quia respectu æternitatis, mille anni sunt sicut dies vn⁹, alij opinātur. 400. alij. 300. fluxisse annos, verum etiam est hoc longum tempus in se, at collatum æternitati, modicum est. *Commouebo cælum*, hyperbolica est locutio, qua sæpè vtuntur sancti Dei vates. Et si reuera per Christi aduētum commotus est totus orbis. Positus est enim in signū *Lucæ. 2.* cui contradictum est ab omnibus mundanis, & positus est in ruinam, & resurrectionem multorum. An non etiam commotus est orbis, siquidem per fidem Iesu Christi, idololatria abolita est, mores pessimi hominum in sanctos mores sunt commutati, legales cæremoniæ euacuatæ, & morem gesserunt omnes gentes, & continentis & insularum Euangelio, à quo valde abhorrebant? Aut si libet dicito Christum recenter natum commouisse cælum, quia stellā nouā creauit ductricem gentiū, & commouit Magos vt venirēt adoraturi, & cōmota est Ierosolyma Herode cum suo. Et itē *Matt. 27.* pendens in cruce cōmouit cælū, quia sol *Matt. 24.* obscuratus est, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terrā, & terra mota est, & petræ scissæ sunt. Et veniens iudex ad finale iudicium mouebit cælum, quia virtutes de cælo cōmouebuntur, & stellæ cadēt de cælo, & huius mundi forma terræ & maris tota immutabitur, iuxta B. Petri doctrinā. *Desideratus Græcè veniens electa omnium* *2. Parali. 3.* *gentium.* S. Theodoretus, locum explicat hūc referēdo ad Gog, & Magog, potētissimas gentes, quæ veniētes contra Ierosolymā, opulētissimæ, Dei virtute sunt occisæ & diuitias eorū, retulerunt Ierosolymitæ, ad ornandū & ditādū, & complendū templū Dei, quod ædificabāt. *Electa* igitur vocat, arma & opes gētiū prædictarū. ¶ Alijs *Benedict. Montan.* placet per desideratū gentibus subintelligere Spiritū sanctū sanctificatorē cordiū, & per

& per domū Dei hoc loco, tertiā domum spiritualē intelligūt, quæ est lōge dignior, quā domus illa, quā Salomon construxit, vel quā Zorobabel reædificauit. At vero prior expositio, quia nō est secundū veritatē Hebraicā, non videtur probāda. Quid quod bellū illud Gog, & Magog, Hebræi ipsi credunt futurum post aduentum sui Messiæ. Secundā quoq; expositionē, non credimus literalē, sed potius allegoricam. Siquidē hoc loco ad literā, non fit sermo de domo spirituali, de qua nos nonnihil tetigimus, in moralibus ad caput huius vatis primū: sed potius de domo illa quā Zorobabel, & alij nominati iam reędificabāt. ¶ Quāobrē arbitror sequendā catholicorum expositionē referentē locū ad Christum Dñm. Imo citante Nicolao, Rabbi Aaquiba in lib. Canhedrim, itē locū hunc intellexit de Messia. Cōmouebo inquit, cælū & terrā, & omnes gentes, & veniet Messias. Quia post paucos reges Machabæorū, tempore Herodis venit Christus Matth. 2. Et rationi nō est consentaneum, quē locū Hebræi hostes Christi, de Christo exponūt nos catholici in alios sensus distrahamꝰ. Nisi quod, ipsi in sua perfidia perfistentes, de venturo Messia exponūt, nos vero ex gratia Christi, in fide cōsistentes de Christo iam regnāte in cælis exponimus. *Et implebo domū istā gloria*, Templū Salomonicū simul atque fuit completū, cū dedicaretur in Dei cultum, vt scribitur 3. Regum 8. impletū est gloria Domini, si quidem nebula quædam cælestis totum templū suffuderat. At vero non legimus, quod hoc templum secundum, fuerit hac nebula suffusum, seu caligine, vt in 2. Paralip. proditur. Quamobrem quærendum restat, quæ gloria sit hæc, qua Deus dicit impleturum domum secūdum, quæ mox patebit. *Meum est argentum meum est aurū, dicit Dominus exercituum.* Quasi dicat, si vos premit penuria argenti, & auri, ex qua impediti non poteritis cæptum ædificium absoluere, nolite diffidere, quia meæ sunt diuitiæ omnes, & ideo suppeditabuntur vobis, vt cæpta perficiatis. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquā primæ.* Theodoretus, dixit maiorem fuisse gloriam domus nouissimæ, quā prioris. Quia sub secundo templo diffusa est fama gloriosa Iudæorum in omnes gentes deuictis Gog, & Magog, quæ gloria non accidit illis, sub primo tēplo. Verum istud non sufficienti auctoritate, vt iam prædictum est, Benedictus Monta. retulit ad domum spiritualē, quę præstat domibus materialibus, sed istud allegoricū est. ¶ Quo circa alia tentanda est via exponendi locum istum, & prima quod aiunt frōte, gloria primi templi longe excedit gloriā secundi. ¶ Primo quidem quia à rege sapientissimo & opulētissimo fuit cōstructum, & dedicatū, secundum à duce. ¶ Secundo quia vt diximus cælestis caligo illud impleuit miraculosè. ¶ Tertio, quia opibus fulgebat maximis, ꝙ non cōtigit secūdo. ¶ Quarto, quia sine controuersia, & contra pugnantia gentium vicinarū fuit constructum, imo gentes vicinæ, operam dederūt ædificationi. Vnde rex Hiram, rex Tyri, misit officiarios, & materiam construendo templo, cuius contrarium accidit secundo templo. ¶ Quinto fruebatur primum arca testamenti & cōtentis in ea, quod secundum templum desiderabat, vt traditur in Ieremia & 2. Machi 2. ¶ Sexto quia primum templū fuit semper in summo honore, habitum, vsque ad Nabuchodonosorem: at vero templum secundum fuit à gentibus iniuria affectū. Nam Artaxerxes obstitit constructioni, & Antiochus illustris illā maculauit adeo vt cessaret offerri iuge sacrificiū donec Iudas Machabæus illud renouauit. 1. Machab. 4. Et penè extinctā Iudæorū religionē ex tyrānide Antiochi, sua diligentia & fratrū suorū restauraurit. Itemque & Romani idem templū violauerūt, & prophanauerūt. At durante primo templo nunquā religio Iudaica tantum læsa fuit, ab exteris nationibus vt durante secundo. ¶ Quod si dixerit aliquis fuisse secundū templū maiori gloria donatū, quā primū, quia sub secundo non viguit idololatria, vt sub primo: quo tēpore multū viguit superstitio idololatriæ, apud reges, & populares, vt ex libro Regum liquet. ¶ Respōdetur, quod si ex hac parte maior tēplo secūdo accedit gloria, quam primo, vtiq; gloria hęc diluitur, quia extante secundo templo Iudæi dominum gloriæ crucifixerunt. ¶ Accedit istis, quod primū templū maiori durauit æuo, quā secundū, quod deletum fuit per Romanos. ¶ Quibus omnibus expensis, arbitror, quod huiusmodi gloria qua fulget magis secūdū, quā primū Dei tēplū, nō ex præhabitis sit quærēda, sed aliūdè, videlicet, quia Dñs Iesus, præsentia sua templū

2. Paralip. 5.

Rationes quæ à prosternentes templum Salomonis fassegloriosius, quam secundum templum.

ſecundũ, & nõ primũ illuſtrauit. Ibi enim fuit præſentatus, ibidem diſputauit, cum ſcribit, ibidem ſæpiſsime docuit euangelium ſuum, ibidem multa edidit miracula ibidem ſatanam ſuperauit tentãtem eum in pinaculo templi, ibidem gloriam ſuam demonſtrauit flagellando negotiatores in templo Dei: & nullus ei reſtitit. Et cætera alia, quæ qui volet attentius conſiderare colligere poterit. Itemq; ſancti Apoſtoli ibidem fuerunt præſentes, & miracula fuerunt. ¶Quod ſi dixerit Iudæus; ex eo fuiſſe glorioſius ſecundum quam primum, quia regibus alienigenis fuit in multo honore. 2. Machab. 3. Seleucus rex Syriæ, valde honorabat templum illud, & item Cyrus, qui iuſsit illud reædificari, & Darius item 1. Eſdræ. 6. verum huiuſmodi honor erat prouidendo ſuis ſumptibus, quæ erant neceſſaria ad templum pro diuino cultu exhibendo, propter templi indigentiam: quam tamen non habebat templum primum, quippe quod opibus multis abundabat. ¶Et demum reſpublica Iudaica, ex 1. & 2. Machab. lib. valde fuit immutata ſub ſtatu templi ſecundi. & deiecta à ſua prima nobilitate. Nanque fuit ſemper ſubdita extraneis nationibus idolatris. Videlicet Perſis Græcis Ægyptijs Romanis, & ab iſtis accipiebant ſacerdotia, & principatus. Itemque prophetis non fuit illuſtrata reſpublica illa, quia ſub ſtatu illo, orbati ſunt prophetis Iudæi: præter illos enim qui inſtabant ad ædificationem templi, alios poſt modum deſiderabant. Vnde traditur. 2. Machab. 15. Simonem à Demetrio cõſtitutũ ſummum ſacerdotem, donec conſurgat propheta fidelis. Et 1. Machab. 4. altare prophanatum ex idolorum ſuperſtitione, demoliti ſunt ſacerdotes, & lapides illius in locum aptum repoſuerunt, donec veniret propheta. Vnde videtur eos id temporis laboraſſe prophetarum penuria, quæ vniuerſa in ſtatu primi templi, non deſiderabantur. *Et in loco iſto dabo pacem dicit Dominus exercituum.* Quia in templo ſecundo, Chriſtus & apoſtoli prædicauerũt euangelium pacis, nam hac nomen clatione gaudet, quia apud apoſtolum eſt euangelium gloriæ beati Dei. 1. Timot. 1.

Reſpublica Iudæorũ fuit valde immutata in ſtatu ſecundi templi.

¶ *In viceſima quarta noni menſis in anno ſecundo Darij regis factum eſt verbum Domini, ad Aggæum prophetam dicens, Hæc dicit Dominus Deus exercituum, interroga ſacerdotes legem, dicẽs,* vel interroga ſacerdotes de lege dicens. *Si tulerit homo carnem ſanctificata in ora veſtimẽti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum nunquid ſanctificabitur?* Ideſt hoc vertes in quæſtionẽ, nũquid quod ſanctificatum eſt ſuo cõtactu, ſanctificat quod tangit? quaſi dicat nõ, vt ſubditur, *Reſpondentes autem ſacerdotes dixerunt; non. Et dixit Aggæus ſi tetigerit pollutum in anima, ex omnibus his nunquid contaminabitur? Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt contaminabitur.* Hæc eſt ſecunda quæſtio, nũ pollutus homo ex tactu hominis mortui, vel alias tãgendo alia illa polluat, & reſpondent ſacerdotes affirmando. ¶Itaque ſanctificata alia non ſanctificant ex ſuo cõtactu, at vero polluta, illa polluũt. ¶At vero dicet aliquis cum cõtrariorum ſit eadẽ diſciplina: æqua ratio videtur ad ſanctificandum, quę ad polluendum. ¶Primum autẽ aperiamus quo tendãt iſtæ duæ quæſtiones. Vtique illò tendũt, vt declaret vates quod ſacerdotes illi quia erant negligẽtes in ædificando Dei templo, erant polluti peccato inobediẽtiæ, non enim obediebant diuino imperio iubenti reſtaurandũ templũ, ideo etſi accedebãt ad altare offerendo ibi holocauſta Eſdræ. 3. quod erat ſanctificatũ, quia Deo dedicatũ & ad oblationes quæ itẽ quia Deo offerebãtur, erãt ſanctæ, quia ſancto ſanctorum Deo, quod dicatũ eſt, non poteſt conuerti in prophanos vſus. Quanuis ergo ſacerdotes ſancta tangebant, non ſanctificabantur: at vero quia ipſi ex inobediẽtia erãt polluti, ideo polluebãt & altare, & oblationes. Quippe Deus non habebat gratas illas oblationes ſacerdotũ inobedientiũ Deo. ¶Tu tamen cõſidera nõ eſſe idẽ in ſacramẽtis eccleſiæ & oblatiõe corporis & ſanguinis Chriſti. Hęc eñ à pollutiſsimo ſi offeratur, nõ põt pollui: quia ſemper accepta eſt Deo. Secus de oblationibus veteribus, quæ ex opere operato nõ cõferebãt gratiã, vt ſacramẽta nouę legis cõferũt, ideo illæ oblationes antiquæ ex ſe nõ poterãt ſanctificare offerẽtem. At ſacerdos pollutus polluebat oblationẽ, quia Deo grata nõ erat. ¶Cõſidera autẽ, quod ſicut pollnere, ita poterat ſanctificare. Quia ſi ipſe Deo gratus offerebat, iam ſanctificabat ſuam oblationem: quia gratã illã reddebat Deo. Ideo Iſai. 1. Dominus ſe accepta non habere ſacrificia illa docet, quia offerentes erant polluti. Ideo

Sacramenta eccleſiæ non polluũtur à pollutis miniſtris.

ti. Ideo ait, Lauamini mundi eſtote, &c. Vnde quo ad hoc regula dialectica verita te conſtat contrariorum eadem eſt diſciplina. ¶Cæterum in quæſtione propoſita non omnino obſeruatur contrarietas, cum quæritur, cur altare non ſanctificat ſacerdotem, at ſacerdos pollutus polluit altare. *Pollutus in anima* replicator cenſet intelligendum de pollutione animæ, at ſermo eſt de pollutione ex tactu cadaueris. *Et reſpondit Aggæus & dixit, ſic populus iſte & gens iſta ante faciem meam dicit Dominus? & ſic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerũt ibi contaminata erunt.* Huc ſpectant quæſtiones propoſitæ, vt oſtendat contaminatas eſſe oblationes, quas ſacerdotes per ſe, & populus per ſacerdotes offerebat. Quia ipſi contaminati erant ex peccato inobedientiæ: nolentes reſtaurare templum dirutum. ¶Obſerua ex Eſdra libr. 1. capit. 3. quod ſimulatque, venerũt Iudæi ex Babylone, in Ieroſolymã ædificatum eſt primum altare, & in eo offerebant ſacrificia ſacerdotes. Et ideo forſan dilatabant complere ædificationem templi, quia habebant vbi offerrent Deo oblationes, & ſacrificia. Deus autem oſtendit per vatem ſuum eos etiam num eſſe inobedientes & contaminatas offerre oblationes, id eſt, Deo non eſſe acceptas. Hoc eſt quod ait, *& omnia quæ obtulerunt ibi,* ideſt in altari ſupra dicto. *Et nũc genite corda veſtra à die hac, & ſupra antequã ponneretur lapis ſupra lapidem in templo Domini, & accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular vt exprimeretis quinquaginta lagenas & fiebant viginti, Percuſſi vos vento vrente, & aurugine, & grandine, omnia opera manuum veſtrarum: & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me: dicit Dominus.* Ab anno primo Cyri, quando ſoluta captiuitate venerunt Iudæi Ieroſolymam tuncq; iecerũt funda mẽta tẽpli ædificãdi, & fecerũt altare, &c. vt ſupra expoſuimus, vſq; ad diẽ 24. mẽſis noni cuius meminit hic vates, fluxerũt vt ſupra ex aliorũ ſententia dicebamus anni 19. ſub quo tempore intelligenda ſunt accidiſſe quæ hoc loco narrat propheta: ad *aceruum* ex quo putabatis prouenturos viginti frumentorum modios, & prouenerunt decem. Et item ex vuis expreſsis, credebant prouenturas lagenas quinquaginta vini, & proueniebant ſolum viginti. Et ratio huius diminutionis erat, quia Deus ſuo nutu diſponebat, eſſe tempora ſterilia: ideo ait, percuſsi vos vento vrente, exiccante ſegetes, & vineas, & aurugine putrefaciente terræ fructus. Et iſta ſterilitas erat in pœnam ſuæ inobedientiæ: quia iactis fundamẽtis templi, nolebant ſuperſtruere templi molem. *Et non fuit,* toto illo temporis ſpatio fuerunt inobedientes, & non conſiderabant, illam ſterilitatem accidere in pœnam quam diximus inobedientiæ. *Ponite corda veſtra, à die iſta, & in futurum, à die viceſima, & quarta noni menſis, à die qua iacta ſunt fundamenta templi Domini, ponite ſuper cor veſtrum. Nũquid iã ſemen in germine eſt? Et adhuc vinea, & ficus & malum granatum & lignum oliuæ non floruit, ex die iſta benedicam.* Menſis hic nonus putatur eſſe Nouember, qui nonus à martio: quem putãt eſſe primum menſium apud Hebræos. Quanuis apud illos erat alia primitas menſis, quo ad fruges, quia menſis nouarum frugum, erat primus, ſub quo fuit ille celebris exitus Iudæorum ab Ægypto: qui fuit tunc Martius; alia primitas erat, quo ad feſtiuitatem, & putant hunc quidam fuiſſe Septembrem: qui tamen eſt ſeptimus à Martio.

Menſis nonus Hebræis erat Nouember.

¶Et vt apparet ex contextu menſe Septembri, parauerunt materiam Iudæi illi vt promouerẽt ædificationem templi 21. menſis illius. Et in mẽſe Nouembri 24. illius menſis promouebant opus, anno ſecũdo Darij regis. Nã ſic incipit caput hoc *menſe ſeptimo, &c.* Vnde modo ait, Ponite corda veſtra, id eſt diligenter conſiderate, à die qua iacta ſunt fundamenta, id eſt, cæpiſtis erigere parietes templi, quos vocat fundamenta non ſimpliciter prima: ſed reſpectu ſtruendæ molis templi. Conſiderate igitur. Nunquid ſemen in germine eſt? quaſi dicat tunc ſemen non eſt in ſoliculis ſuis, quia menſis ille ex ſua frigiditate non profert fructuum ſemina. Tunc item neque vineæ, neque ficus, neque malum granatum florere poſſunt, quia non eſt tempus floritionis harum arborum, vel fruticum, ſunt enim vniuerſa hæc velut mortua, ex autumnali frigiditate & ſiccitate. Quanuis autem hæc non donent vobis ſpem venturi fructus certam, nihilominus ſterilitatem, ego conuertam in magnam abundantiam: quia iam manum admouetis promouendo ædificio mei templi. Quaſi dixiſſet

apertius, & si ex sterilitate priorum annorum poteratis conijcere hunc annum fore sterilem, & quia spei præbent nihil frumenta, quæ nondum eruperunt in folliculos neque aliæ arbores, ideo vobis incerta est annii istius fertilitas, & sterilitas, cæterum ego benedicam, ideſt, certissimam spondeo fertilitatem, ex die ista ex qua iã inchoatis complementum mei facere templi. ¶ *Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vicesima & quarta mensis dicens, loquere ad Zorobabel ducem Iuda dicens, Ego mouebo cælum, pariter & terram, & subuertam solium regnorum: & conteram fortitudinem regni gentium, & subuertam quadrigam, & ascensorem eius, & descendent equi & ascensores eorum, vir in gladio fratris sui: dicit Dominus exercituum.* Omnes isti versus non habent perspicuam intelligentiam, vnde Theodoretus, hæc retulit ad euersionem Gog, & Magog, contra quos ait, pugnasse Zorobabelem, & quamuis potentes deiecisse, & ex spolijs eorum ditasse templũ. Et reprehendit Apollinarium quod bellum cum Gog, & Magog, credat futurũ, & non esse exactum. Et similiter quod sequitur. *Assumam te Zorobabel fili Salathiel, serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum*, ad eundem Zorobabelem retulit, quem Dominus ex insigni victoria contra Gog, & Magog fecit valde illustrem in orbe, vnde Deus dilexit illum valde. Porro autem, quia Gog, & Magog, quorum fit mentio apud Ezech. 38. & 39. Et Apocal. 20. creduntur esse Antichristus, & omnes qui ducent partes eius, qui omnes sunt destruendi illustratione aduentus Christi, vt Paulus docet. Hæc autem destructio erit ad finem seculorum, vnde videtur non posse referri ad Zorobabelem. ¶ Verum, quia sub eo tempore secundi templi commota sunt regna, & imperia translata ad Romanorum imperium, ideo ait, Commouebo cælum, &c. & subuertam solium regnorũ, &c. nam Romani magna potentia, debellarunt gentes, & regna, vt & Alexãder primo fecerat. Quia igitur maxima fuit tunc commotio & imperiorum, & translatio, ex Persis ad Græcos, ex Græcis ad Romanos, ideo ait, *Commouebo cælum*, & est hyperbole, vt maximam denotet futuram commotionem in statu rerũ humanarum. ¶ At vero postremi versus, communiter ad Christum referuntur secundum literalem sensum. Itaque sub persona Zorobabelis fit sermo ad Christum. Siquidem Christus descendit à Dauide, per Zorobabel, Matth. 1. Et sicut Christus apud Iere. 30. & Osee. 3. appellatur Dauid, quia ab eo duxit genus secundum carnẽ: ita & appellatur Zorobabel. Et interpretatio nominis, prorsus Christo cõuenit. Interpretatur enim alienus à cõfusione, & nullus hominũ est alienus à confusione ex natura sua nisi solus Christus, qui peccare non potuit. Ideo ait, *Ponam te quasi signaculum*, Hebra. quasi annulum signatorium, olim enim annulis signabantur epistolæ, ideſt, habebo te in pretio magno vt habetur à Rege annulus, & sunt verba patris æterni ad filium: quem vocat seruum ex humanitate, ex qua est minor patre. Est autem electus à Deo patre, vt redemptionem humani generis faceret, id quod ipsemet Christus insinuat dicens, Quem pater sanctificauit, & misit in mundum, &c. *Ioan. 10.*

Quid per Gog, & Magog scriptura intelligit.

2. Thes. 2.

Sub tempore templi 2. fuit magna translatio imperiorum.

Moralia & mystica.

PRiore capitulo, cum moralia persequeremur, tradebamus mentem fidelem esse domum mysticã, templũve Dei. Hæc autem domus tunc primo ædificatur, & dedicator Deo habitatori eiusdẽ, quando sacra baptismi aqua homo intingitur: ideoq; tunc inungitur, id quod solenne est dedicationibus templorũ materialium. Tunc nanque quando Deo consecrantur ab episcopis inunguntur, ex Syluestri Papæ ordinatione. ¶ Quocirca ad subnotandum, tunc animam hominis, erigi in templum Dei, chrismate inungitur baptizatus. Et quia ante baptismum diabolus inhabitat, hoc templũ, ex peccato, propterea exorcizatur baptizandus, & exufflatur, vt pessimus habitator, procul abcedat, & Christus, animæ conditor expulso dæmone in nostro corde pacificam obtineat habitationem. ¶ Et quidem, huius domus quæ tunc primo ædificatur Deo, magna est gloria, siquidem expulso cacodæmone, Spiritus sanctus est inhabitator tunc humanæ mentis, & tota Trinitas per fidem & charitatem eã inhabitat. Ad eum inquit, veniemus & mansionem apud eũ faciemus. Est item tũc in homine donorũ magna copia, quãdoquidẽ regenerantur in filiũ Dei adoptiuũ, quod si filius hæres quidem Dei, cohæres autẽ Christi. ¶ Omnes autem fideles per fidem quã habent, *Ioan. 14.* *Rom. 8.*

bent, hoc vident magnam esse gloriã tunc huius domus. Porrò autem Nabuchodonosor, ideſt diabolus, irruit in domũ istam incitans hominem ad peccatum & corruit domus hæc, simul atque crimen admittimus. Verum ex diuino munere per pœnitentiam restauratur domus hæc, vt enim templum illud dirutum à Nabuchodonosore, per Zorobabelem fuit restauratum: ita & anima collapsa à baptismi gratia per Iesum Christum, qui est Zorobabel mysticus quippe qui est alienus ab omni peccati cõfusione restauratur. Verum sicut Zorobabeli cooperatur operarij ad instaurãdum templum illud materiale, ita & Christo oportet vt nos cooperemur, pœnitendo de peccatis nostris. Huic autem instaurationi etiã prophetę cooperantur. Nanque vt Aggæus, & Zacharias excitabant populum, vt operam darent templi reædificationi, ita etiam & prædicatores, qui vi cẽgerunt prophetarum, excitare debent peccatores, vt collapsa per peccatum, per pœnitentiam restaurent. ¶ Et quidem primo aspectu, flenda videtur hæc animæ nostræ reparatio per pœnitentiam, vt senes illi Iudæi flebant visa reædificatione templi, quia gloriam prioris non æquabat. 1. Esdræ. 3. & Aggæi. 2. Etenim gratia illa regenerans, non reparatur, & remissio plena peccatorum, quo ad reatum & actum non consequitur, continuo pœnitens. At vero, quid ait Dominus. *Magna est gloria domus istius nouissimæ, plus quam prioris.* Siquidem in plerisque peccatoribus, accidit, vt ad maiorem gratiam resurgant, quam sit ea à qua exciderunt. Quis obiecro diffitebitur hoc de Beato Petro, qui fleuit amare, quis inficiabitur de Magdalena, quæ lachrymis suis pedes Domini rigauit, & capillis extersit, & de alijs quibusimilem pœnitentiam egerunt, idem dicere rationi est consentaneum. Nanque pœnitentia si non sit segnis, sed vehemens gratiam perditam restaurat, & nouam adijcit. Quare antiqui Theologi, pœnitentiam vocauerunt secundum baptismũ, id quod probatum habet Concilium Tridentinum, Sessione 14. At vero cum baptismus sit regeneratio quædam spiritualis, & pœnitentia item erit.

¶ Imo sunt Theologi qui audent dicere vere pœnitentem ideſt, qui vel minimam habet peccatorum suorum contritionem renouari, ad maiorem gratiam, & gloriam. Quippe qui assequitur gratiam suæ contritioni respondentem, & amissam sibi conciliat, & conciliando gratiam amissam, & gloriam siue gloriæ habendæ ius pristinum, quod habebat itidem sibi denuo comparat. Vt verum sit magna est gloria domus istius nouissimę, quam prioris, quam res nos locupletius in. 4. Sententiarum nostro differuimus. *Et in loco isto dabo pacem.* Postquam enim peccator, verè conteritur de culpis anteactis, iam in pace factus est locus eius. Et quidem summatim perstringam, quædam quæ probabile faciunt Theologorũ prętactum dogma. Enim vero, si lapsus posterior est semper peior quam prior, quia peccata redeunt remissa in relabente, cur non resurrectio posterior à peccato erit fructuosior quam prima? Si peccata reddeunt in relabente, vt ex Matthæo videtur collectum in. 18. capit. 18. vbi dimissum debitum repetitur cur gratia donata prius non redibit in resurgente à peccato per pœnitentiam? Quando quidem Deus pronior est ad miserendum, quam ad puniendum, & magnificentior est in donando, quam sit seuerus in puniendo.

Quidã pœnitentes in maiorem surrexerũt gratiam, quam erat prior.

Pœnitentes restaurant gratiam perditam & nouam adijciunt.

Rationes probabiles quæ pbãt quemlibet pœnitentẽ surgere ad maiorem gratiam.

¶ Accedit eodem, quod Apostolus ait, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secũdum propositum Dei vocati sunt sancti. Hic autem pœnitens etsi minimam habeat contritionem vtiq; Deum diligit, quia etsi minimam veram tamen habet contritionem, quæ sicut granũ synapis, etsi minimum habet tamẽ multam efficaciam, ita & illa etsi minima multæ est efficaciæ: igitur huic diligenti Deũ lapsus erit in bonum eius, si vero non promouetur ad gratiam & gloriam priorem, non vertitur in bonum eius omnino, quia adhuc orbatus manet sua gratia priore.

¶ Adde istis, fac hunc hominem, qui excidit à gratia multa, mori sub gratia minori, vt tu concedere cogeris si non surgit ex pœnitentia minima ad totam gratiam perditam, quid ergo, merita huius hominis priora manebunt sine remuneratione: at vero sicut nullũ malum, erit impunitũ, ita & nullum bonũ erit irremuneratũ à Deo. Quod si dixeris tũc morituro Deus gratiã priorẽ restaurabit, & quid ni restaurabit victuro: nã nullꝰ locus est qui oppositũ cõuincat. Quod si dixeris istud dogma faciet homines segnes, minimè facit segnes ad vehementẽ curandã pœnitentiã. Siquidẽ

quo magis pœnituerint maiori gratia infundentur. Enimuero quæ gratia infunditur pœnitenti præsens, hæc infunditur iuxta proportionem contritionis præsentis. Quocirca multæ correspondebit multa, & minimę contritioni minima. Verum gratia perdita cum reinfunditur pœniten-

Gratia perdita non datur secũdum proportionem contritionis præsentis.

ti non sequitur mensuram cõtritionis præsentis, siquidem ista non comparatur ex ratione præsentis cõtritionis, sed quia per præsentem contritionem aufertur obstaculum eius, scilicet, peccatum, siquidem gratia illa antiqua, iam erat comparata, at fuit amissa ex peccato, ablato igitur peccato, Deus illam rursus donabit. Ideo nihil opus facto est, vt expectet mensuram nostræ contritionis. Quamobrem, concludere possumus cum verbis nostri vatis gloria nouissimæ domus, erit maior quã gloria prioris.

¶ *Hæc dicit Dominus exercituum.* Si in vestimento suo quispiam sacerdotum tulisset carnem sanctificatam, & tetigisset vel panem vel pulmentum, vel oleum, vel vinũ ex tactu non sanctificabantur ipsa quæ tangebantur. Legimus in Ierem. 11. Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitiam tuam. Hinc admonentur sacerdotes, & altaris ministri ex vsu & contactu sacramentorum ipsos non sanctificari, si corde polluto eisdem vtantur, imo pollui potius. ¶ Quinimo, & ipsum Christi corpꝰ, quod est supra omnia sanctissimum, tangentes, & communicantes, non proinde sanctificantur, imo Paulo monente, Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Oleum autem, & vinum & panis ex consecratione sanctificantur, nõ ex tactu rei sanctificatæ. Quanuis enim hostia consecrata tangat non consecratum, non subinde sanctificatur, nisi accedat sacerdotis consecratio, vinum item nisi ex consecratione, non fit eucharisticum vinum, vt itẽ oleum fit chrisma non ex tactu, sed ex benedictione episcopali. Accidit autẽ nonnunquã ex vnione ad sanctificata, nõ sanctificata sanctificari, vt si in aquam benedictam multam, modicum non benedictæ infundas, sanctificatur, quia fit benedicta: nam quod minus est, vnitum maiori, gaudet maiori benedictione. Vt item si vestimento sacrato particulam demat aliquis, & assuat aliam particulam nõ sacratã, illa item sacrabitur ob eandem rationẽ. Hoc autem accidit quia hic fit vnio minoris cũ maiori, & non est tactus, sed vnio, ex qua quod minus est transit in vnum corpus cũ maiori, & ideo totum redditur eiusdem benedictionis, vt si modicam aquam frigidam injeciat in calidam vertitur calida.

Vnio non benedicti cum benedicto redit ipsum benedictum.

¶ Porrò autem nullus hominum quantũlibet sanctificatus poterit alium sanctificare promerendo illi gratiam gratum facientem, solius enim seruatoris nostri Christi istud est, hac ratione nos sanctificare. Tametsi enim precibus sanctorum, possimus sanctificari, ad hanc rationẽ, quod illi pro nobis Deum rogant vt sanctificemur. Et Deus annuens eorũ precibus, nos excitet ad pœnitentiã vt sanctificemur. Verũ nõ est hoc promereri nobis sanctificationẽ, sed nos adiuuare suis precibus, vt sanctificemur, quod scholastici Theologi cõgrui meritum, vocãt, id quod propriè ne dixeris meritũ, sed quadam tenus & illa impropria ratione. ¶ Verum homo primus polluẽs seipsum ex transgressione diuini mãdati polluit omnem posteritatem ab eo deriuatam. At vero, & si post modum ipse ex pœnitentia quã fecit suæ transgressionis se sanctificauit, eius sanctificatio non sanctificauit prolem, vt verum sit quod docet propheta, polluta polluere alia, & sanctificata, alia non sanctificare ex contactu. Enimuero pollutio primi hominis erat naturæ humanæ, quę virtualiter tota erat in ipso, ideo vt venenato fonte & riuuli ab eo deriuati emanant venenati, ita polluta natura in primo homine, tota humana natura in ipso erat polluta. ¶ Et hoc est quod Paulus aiebat, In Adam omnes peccauerunt. Cæterum sanctificatio primi hominis erat personalis sanctificatio, & non naturæ humanæ sanctificatio, qua propter illa sanctificatio nõ se producit in posteritatem. ¶ Quod si obieceris, ecquid nonne sacramenta nos tangendo sanctificant? iuxta illud Augustini, quæ est ista virtus aquæ, corpus tangit, & cor abluit sanctificata igitur sanctificant ex suo tactu. Respondetur vatis nostri sermonem, non esse intelligendum de sacramẽtis quę sunt instituta à Christo ad sanctificãdum hominem: qui obicem illis non opponit: sed de illis quæ habebant solum in seipsis sanctificationem, quia Deo offerebantur, vt carnes illę oblatæ sub veteri illo ritu Iudæorum erant sanctificatæ.

Pollutio primi hominis polluit totam humanam naturam, sed sanctificatio eius nõ potuit illam sanctificare.

¶ Item

¶ Item etiam quodammodo homo pollutus etiam apud nos alios polluit, vt ij qui alios scandalizant vel verbo vel opere, & intendit illum alium pertrahere in peccatum vt hæretici, qui summopere cupiunt suam hæresim in alios prorogare, isti cum sint pollutissimi, alios polluunt, & hoc nostro æuo videmus quantum polluerit Germanam, & alias prouincias Lutherus, & quotidie suis pollutissimis libris. Quanuis hæc pollutio, non est necessaria pollutio, sed spontanea eorum qui volunt seduci à polluta doctrina Lutheri, & suorum. Qua quoque ratione & viri sancti suo sermone, scriptis, & operibus alios sanctificare si dixeris, non inepties, verum de huiusmodi non est præsens sermo.

Quomodo homo pollutus etiam alium potest polluere.

EXPLANATIO IN Zachariam Prophetam, Authore Michaele de Palaio.

Prologus in Zachariam Prophetam.

VIS fuerit Zacharias ipse eiusdem Prophetia docet fuisse filium Barachiæ, nepotem Ado, quanuis cui familiæ sit ascribẽdus scriptura silet. Neque Epiphanius Episcopus Constantiæ Cypri neque Isidorus Hispalensis Episcopus, meminerũt, qui solent alioqui huiusmodi rem curiosè perscrutari. Sunt qui putent hũc esse illum Zachariam, quem Dominus ait Matth. 23. Occisum fuisse à Iudæis inter templũ & altare. Nanque Euangelica lectio docet fuisse filium Barachiæ. At vero huic sententiæ obuiat quod Epiphanius docet mortuum fuisse post longam senectutem non violẽta morte, sed naturali, & sepultum iuxta Aggæum: obstat secundo, quod tempore huius Zachariæ, templum, nondum erat constructum, vt ex ipsa lectione commonstratur, quomodo igitur fuit occisus inter templum, & altare? Non me latet glossam ordinariam in hanc fuisse sententiam hunc Zachariam fuisse hunc qui in ordine duodecim Prophetarum vndecimus est. Et mirari subit, cum ipsa glossa primo asserat, hunc Zachariam Dei Prophetam non fuisse illum Zachariã cuius meminit Matth. 23. Nam hic fuit filius Ioiadæ sacerdotis quem occidit Ioas rex Iuda inter templum & altare. 2. Paral. 24. vbi scribitur, quod fuit lapidatus à populo ex regis Ioas Imperio, & occisus in atrio templi. At vero glossa continuo subdit Zachariã hunc occisum, fuisse vnum ex duodecim Prophetis. Et Vatablus in eandem cõsensit sententiam. At vero est meo iudicio argumentum ineuitabile, quod conuincit huius opinionis falsitatem, siquidem Zacharias iste occisus in atrio templi fuit occisus ex regis Ioas Imperio, at vero sub Zacharia isto, qui est numero duodecim, iam (vt supra sæpè meminimus) extinctum erat regnum Iudæorum, vnde neque Aggæus, meminit alicuius regis Iudæorum, sed Darij, itemque & Zacharias erat quidem Zorobabel dux de tribu Iuda, constitutus à Cyro rege Persarum, & item Iesus filius Iosedech, at regem desiderabant Iudæi soluti à captiuitate, quia non habebant iam regẽ. Quo modo igitur fuit occisus ex regis Imperio si nullum habebant tunc regem? Quam obrem dicendum cum Hieronymo hunc Zachariam fuisse aliũ ab illo cuius meminit Matthæus, etsi vterque appelletur filius Barachiæ, & vterque fuerit Propheta, etsi ille prior non recensetur in numero Prophetarum, sed solum de eo traditur

De Zacharia occiso in atrio tẽpli variæ sententiæ.

Iudæi soluti captiuitate non potiti sunt rege exsua natione.

Zacharias occisus in atrio templi fuit filius Ioiadæ.

quod fuerit imbutus diuino spiritu ille igitur fuit filius Ioiadæ sacerdotis, & ipse quoque sacerdos. Vnde vt indicat Hierony. in euangelio Nazarçorum traditur illum Zachariam fuisse filium Ioiadæ sacerdotis. ¶ Quod vero in Matthæo legimus fuisse filium Barachiæ, vel hoc est quia Dominus hac appellatione voluit demonstrare sacerdotis Ioiadæ sanctitatem, ideo vocauit illum Barachiam, idest benedictum Domini, vel quia duplici nomine gaudebat; verum de hoc Zacharia hactenus, in nostrum vatem stylum conuertamus. De quo ait Hieronym. in commenta. fuisse nepotem illius Prophetæ, cuius fit mentio lib. 3. Reg. cap. 13. qui fuit sub Ieroboam rege Israel. At vero istud dictum est difficile creditu; siquidem ab illo Propheta vsque ad hunc Addo auum Zachariæ transacti sunt anni fere. 400. Vnde videtur, quod hic, Addo non fuit ille Propheta, qui prædixit Ieroboam esse excidendum altare, super quo ille suis idolis sacrificabat. Fuit autem hic Zacharias anno ante Christum natum 520. à creatione mundi 3442. fuit quoque contemporaneus Aggæo Prophetæ. 1. Esdræ. 5. Nam ambo vrgebant populum, & principes ad restaurandum templum, vt ibidem traditur. Etsi Zacharias vrbi restaurãdæ magis incumbit. Prophetauit duobus mensibus post Aggæum. Siquidem hic Prophetat anno secundo Darij, mense octauo, ille sub eodem rege, & anno mense sexto. Abundat vates iste visionibus & quidem difficillimis intellectu, quibus demonstrat reædificandam Ieroſolymam, & à Deo exaltandam. Et Christum præclarissimo vaticinio prædicit venturum.

EXPLANATIO IN ZACHARIAM CAP. I.

IN mense octauo in anno secundo Darij regis factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ filij Addo Prophetam. Hebraicè dicens. Iratus est Dominus super patres vestros iracundia, & dices ad eos, hæc dicit Dñs exercituum, Cõuertimini ad me ait Dñs exercituum, & cõuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Darius hic, cuius etiam Aggæus meminit; vocatur Artaxerxes ab Esdra. 1. par. cap. 7. & videtur alius ab illo, cuius meminit Esdras cap. 4. Porrò quia vatis institutum hoc capite est, monere Iudæos vt resipiscant à peccatis suis, ne deterius contingat illis quam patribus suis, ideo proponit maiorũ peccata fuisse à Deo acriter punita: siquidem longa eos afflixit captiuitate, quapropter, si posteritas contendat maiores suos in sceleribus imitari, item imitabitur in supplicijs ferendis. Hoc est quod ait. *Iratus est Dominus*, Idest vindictam acrem sumpsit Dominus de maioribus vestris; quapropter vos qui estis eorum posteritas cõuertimini ad Dominum vt ipse conuertatur ad vos. Idest ne peccetis contra Dominum, vt ipse benefaciat vobis. Aut cõuertimini ad me per veram pœnitentiam peccatorum vestrorum, & ego conuertar ad vos donãs vobis peccata vestra, & misericordiam concedẽs vobis beneficia præstando, & supplicia subtrahẽdo, quod vero ait, filij Addo, quidam volunt hunc esse Addo cuius fit mentio. 2. Paral. 12. qui fuit Propheta ætate Ieroboam, atque Roboam cæterum vt dixi in Prologo ab hoc Addo vsque ad Zachariam fuit magnum temporis interuallum. Sunt qui Hierony. exponant dictũ filium Addo præmemorati quia descendebat ex eius linea, non quod nepos eius esset vt Christus dicitur filius Dauid verum hoc exprimit scriptura, & illud tacet. *Nescitis sicut patres vestri ad quos clamabant Prophetæ priores dicentes. Hæc dicit Dominus exercituum, conuertimini de vijs vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me dicit Dominus.* Per prophetas priores intelligit Prophetas qui præcesserunt captiuitatem Babylonicam vt Isaiam Oseam, Ioelem, &c. quos non audierunt Iudæi, sed illis carpentibus eorum scelera, nihilominus, in sceleribus suis obstinati perseuerabant. *Patres vestri vbi sunt, & Prophetæ, nũquid in sempiternum viuent? veruntamen verba mea, & legitima mea, quæ mandaui seruis meis Prophetis, nunquid non comprehenderunt patres vestros, & cõuersi sunt, & dixerũt, sicut cogitauit Dominus Deus*

Deus exercituum facere nobis secundum vias nostras, & adinuentiones nostras fecit nobis. Demonstrat, quod quãuis Prophetæ sancti, qui comminabantur excidium Ieroſolymorum, & captiuitatem Babylonicam Iudæorum erant vita defuncti, nihilominus, comminationes quas prædixerunt in Dei nomine fuerunt à Deo executioni mãdatæ verbum enim Dei non pendet à vita Prophetæ. Hæc verba, *sicut cogitauit Dominus*, sunt verba eorum, qui sub captiuitate pressi, & multis vexati laboribus agnoscebant se deliquisse contra Dominum, & quod Prophetæ Domini erant veraces, & ipsi contumaces. *In die vicesimaquarta mensis vndecimi Sabat, in anno secundo Darij, factũ est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ filij Addo Prophetam dicens*, Sebat vel Sibat, correspondet nostro ianuario & nomen istud magis est Chaldæum quam Hebræum, & huiusmodi nominibus vtebantur ij, qui soluta captiuitate Babyloni ca venerunt Iudæam. Vt solet fieri captiuos ex longa captiuitate vti idiomate dominorum suorum. Et hoc loco est noua relatio facta Zachariæ Prophetæ. *Vidi per noctem & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo, & post eum equi rufi, varij, & albi.* Hæc visio cõsolationem spondet Iudæis, ex reædificanda vrbe, & ex vindicta habẽda contra aduersarios. Celebrata autẽ fuit visio nocte, quia visiones Propheticæ plerunque nocte sunt celebratæ: Quia relaxato animo à curis diurnis, quæ ipsum vigilãtem distrahebant, capacior fit susciendis diuinis reuelationibus: nam actus actiuorũ sunt in patiente bene disposito. Vnde Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Et quanuis Petrus interdiu habuerit visionem in theatro illius, at verò factus est in extasi submouente eum ab seculi cura, vel noctu describitur facta visio quia nox tribulationem significat in sacra scriptura, ideo vt significet Iudæos adhuc esse in tribulatione, per noctem fit visio. ¶ Hic autem vir quis fuerit ipsemet vates infra aperiet, quod scilicet angelus Dei erat. Ascendentem equum vidit vt significet velocitatem angelicæ operationis. Rufum videt equum, vt significet, minari angelũ illum acrem vindictam contra hostes Iudæorum: nam color sanguineus vltionem denotare videtur. *Et ipse stabat.* Myrtetum, est locus consitus ex myrtis.

Cur nocte Prophetis plerumq; visiones ostenduntur.

Myrtus autem est arbusculum, grati odoris, ferens grana quædam odorifera, quarum est apud Bethicos copia magna. Significatque myrtetum hoc loco Iudæorũ populum Deo gratum, & à Deo amatũ, vt myrtus est amabilis, videntibus & olentibus eam. Stabat angelus inter myrteta, quia custodiã & curam gerebat illius populi, & creditur fuisse Michael qui præsidebat synagogæ, Græcè, *Et ipse stabat inter montes vmbrosos.* Hæc myrteta describuntur esse in profundo. Nunque loca humilia, quæ humentiora sunt, amat myrtus & vt denotaret vilio Iudæos humiliatos fuisse à Deo, & depressos ob sua peccata, ideo myrteta erant in profundo. Est autem obseruandum, quod Neemias. 8. cap. præcepit populo, soluto à captiuitate, vt facerẽt tabernaculorum festũ, & iussit, vt offerẽt frondes oliuarum, & frõdes ligni pulcherrimi, & frondes myrti Et Isai. 41. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtũ. Et. 55. Pro vrtica crescet myrtus vnde myrtus erat ad festa celebranda idonea arbuscula, & lætitiæ signum ideoq; visio ostendit Iudæis prosperitatem, & lætitiã, quia angelus illorum princeps, erat inter myrteta. Quasi celebrans festum, & post eum istud potest referri, ad cæteros angelos, vt patebit mox in sequentibus, quorum alij administrant Dei vindictã, quos equi rufi denotant, alij misericordiã quos albi equi præferunt: alij denique vtrumque, quos equi varij significant. Equi igitur vsurpantur pro ijs qui ascendentes erant in equis, videlicet pro sanctis angelis, & quia omnes angeli sancti celerrime implent Dei mandata ideo ascendentes videntur equos glossa ad Assyrios, Chaldæos, Græcos, Romanos refert hos equos sed littera aliud præfert? *Et postea* subaudi *stabant*, & Hispana lingua etiam admittit hunc loquendi modum: quia equos vsurpat sæpe pro infidelibus equos. *Et dixi qui sunt isti Domine mi? & dixit ad me angelus Domini, qui loquebatur in me, ego ostendam tibi quid sunt hæc* Hebraicè. *Qui sunt isti*, quærit vates, quid portendit, quid ve vilio hæc velit. Vnde tu collige, quod aliquando Prophetis occultur visionis perfecta significatio, vt patet modo, quia vates interrogat angelum quid voluit illa quæ vidit. *Et dixit* angelus qui loquebatur in me, idest angelus, qui primo reuelauerat mihi, quæ in priore Prophetia dixi, siquidẽ Deus per medios angelos

Myrtus arbor festiua, & lætitiam portendens.

Caballos ligeros y gente de infanteria.

Prophetæ aliquando non habẽt statim perfectam intelligentiã suarũ Prophetiarũ.

angelos reuelat ſanctis prophetis, quæ vē tura ſunt, vt angelus admonuit Ioſeph, ne dimitteret ſanctam Virginem, & quod fugeret in Ægyptum, &c. ideo ait, angelus qui loquebatur in me, ideſt, qui me erudiebat per ſermonem ſuum. Qui ſunt iſti, refertur ad angelos inſidentes equos. *Iſti ſunt quos miſit Dominus, vt perambulent terram*, ideſt, quos miſerit Dominus vt perambularent terram. Etenim angeli ſancti per omnem orbem diſcurrunt, vt diuina abſoluant mandata, vt dixit angelus Thobiæ, ſe nouiſſe itinera quæ frequenter ambulauerat regionis Medorū. Tob. 5. vt item angeli mali, vt noceāt, orbem circuunt, Iob. 1. Circuiui terram, & perambulaui eam ocyſimè enim per orbem diſcurrunt, quia ſubito vniuerſa loca perambulare poſſunt: quippequi ſpiritus ſunt, & fatigari ex itinere nequeunt. *Et reſponderunt angeli Domini qui ſtabant inter myrteta, & dixerunt.* Ex hoc verſu palā fit, per equos quos dudum viderat vates, intelligendos eſſe angelos Domini. Non me latet quoſdam interpretes dixiſſe per equos ſupradictos ſignificari Iudæos, qui facti erāt ſicut equus & mulus quibus nō eſt intellectus. At vero iſta expoſitio eſt valde aliena à textu. Siquidē modo nō agitur de peccatis Iudæorū. *Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quieſcit*, ideſt, pacificè agitur in toto orbe, quippe tunc pacata erant regna, ſub Dario enim ſumma pax in orbe fuit. *Et reſpondit angelus Domini, Domine exercituum vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es.* Iſte eſt angelus Domini, qui erat doctor Zachariæ, & præſidebat ſynagogæ. At ille condolens ruinis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quas ſub Chaldæo imperatore Iudæi ſuſtinuerant, inſinuat nunc ſuum affectum dicens Deo, Vſquequo Domine, &c. ideſt, ſi gentes idololatræ ſumma pace & tranquillitate fruuntur, & incolunt ſuas prouincias & vrbes, populo tuo qui te colit, cur non miſereris, donans eis reſtaurationem Ieroſolymæ, & vrbiū illi ſubditarum, hinc colligē ſi angeli beati precantur pro viatoribus cur non animæ beatæ? vt taceat Lutherus ridens catholicos diuos orantes. *Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt*, ideſt, iam ſunt elapſi anni ſeptuaginta, cur ergo adhuc ſtant ruinæ Ieroſolymæ, & vrbium Iuda? *Et reſpondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria.* Angelo, qui precabatur Deum pro populo, reſpondit Deus verba bona, ideſt, exaudiuit eius preces. *Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me, clama dicens*, Chaldæus paraphraſtes, vaticinare, vel prædica publicè. *Hæc dicit Dominus exercituum, zelatus ſum Ieruſalem, & Sion zelo magno.* De zelo multa diximus in. 1. tomo quæ modo repetere non iuuat. Oſtendit autem Deus ſe afflixiſſe Iudæos ex captiuitate, non odio, ſed ex magno amore, vt videlicet ceſſarent à diuinis offenſis, & ex ſupplicijs diſcerent, amarum eſſe diuinum offendere numen. *Et ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parū, ipſi vero adiuuerunt in malum.* Iraſcor, ideſt, iratus ſum ſuper gentes opulentas, vocat gētes opulentas, gentes quæ videntur ſibi ſufficere, ideo in tranquillitate viuunt, vt erant imperia gentium, quæ afflixerunt Iudæos, ſcilicet Aſſyrij, & Chaldæi, &c. Ait autem ira magna ſe eſſe iratum, quia magnam de commemoratis gentibus ſumpſit Deus vltionē. Lectio Græca eſt apertior. *Iraſcor ſuper gentes quæ ſuperimpoſitæ ſunt*, ideſt, ſuper gētes ſuperbas, quæ ſubiecerunt violenter populum Iudaicum. Itaque opulentia hæc vſurpatur pro animi ſuperbia quæ frequenter accidit hominibus ex opulentia. Et rurſus Græcè, *Ego quidem iratus ſum modicum, ipſi vero ſuperimpoſiti ſunt in mala*, ideſt, gentes hoſtes Iudæorum permiſſæ à Deo, vt punirent Iudæos, exceſſerunt menſuram: quia vltra modum tyranni & crudeles fuerunt in populum Iudęorum. Iratus igitur erat Deus contra Iudæos, at modicum erat, reſpectu crudelitatis, quam exercuerunt Aſſyrij, & Chaldæi item contra eos, ideo ait ipſi vero adiuuerunt in malum, vel ſuperimpoſiti ſunt in mala, vt Septuaginta trāſtulerunt. *Propterea hæc dicit Dominus, reuertar ad Ieruſalem in miſericordijs: domus mea ædificabitur in ea: ait Dominus exercituum.* Iſtud eſt quod obſcurè portendebat viſio ſupradicta, videlicet miſericordiam conferendam Iudæis, & iram Dei proferendam in aduerſarios per deſtructionem quatuor imperiorum. ¶ Meminit ſæpè Deum Dominum eſſe exercituū, vt diuinæ potentiæ Iudæi memorentur, quæ ſuperat omnem creatam potentiam, ideo virum induant, & Domino fidant in omnibus. *Et perpendiculum extendetur ſuper Ieruſalem*, ideſt regula, ex qua cæmentarij, componunt lapides ad ædificia conſtruenda, ideſt muri Ieruſalem ædificabūtur, & ruinæ eius reparabātur. Et ædes ſacra abſoluet ſuum ædificium. *Adhuc clama dicens, hæc dicit Dominus exercituum, adhuc affluent ciuitates meæ bonis, & conſolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ieruſalē*, nō ſolū pollicetur reſtaurationem ædis, & vrbis Ieroſolymæ, ſed etiā affluentiā bonorū in ciuitatibus Ieruſalē ſubditis, quas ſupra angelus dixerat ciuitates Iuda. Quæ omnia ſunt impleta ſub Dario Perſa, & ſub Zorobabele duce Iuda, & ideo dudum dixerat, *Reuertar ad Ieruſalē in miſericordijs. Et leuaui oculos meos & vidi, & ecce quatuor cornua.* Hæc eſt ſecunda viſio Zachariæ, declarans quid ſignificare volebat rufus ille equus cui inſidebat Michael angelus. Dicebamus enim inſinuare vindictam diuinam de gentibus aduerſarijs Iudæorum id quod modo, hac & tertia viſione expreſsius declarat. Cornua autem in diuinis litteris poteſtatem denotāt, vnde quatuor cornua vel denotant quatuor Imperia, videlicet Aſſyriorum, Chaldæorum, Græcorum, & Romanorum, quæ fuerunt à Deo diſsipata, aut ſignificat ex quatuor mundi plagis, fuiſſe Iudæos, & Iſraelitas impetitos ab aduerſarijs ſiquidē Iudæi & Iſraelitæ erant ab oriente, occidēte Meridie & Septentrione circunfuſi gentibus, videlicet Moabitis, Idumæis, &c. à quibus illi ſicut taurorum cornibus fuerūt concuſsi, & deiecti. *Et dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quid ſunt hæc?* Petit vates explanationē viſionis, quia vt ſæpè à me eſt annotatum, non ſemper continuò intelligebant omnes ſancti vates ſuas viſiones, ideo petebant explanationem earundem. Aliquando tamen ſtatim eas intelligebant, ideo non poſcebant angelum doctorem. Et hoc idem in viſionibus Danielis eſt videre. *Et dixit ad me, hæc ſunt cornua quæ ventilauerunt Iudam, & Iſrael*, vocat Iudam duas tribus, Iuda tribum & Beniamini, & Iſrael, reliquas decem tribus. Siquidem Iſraelitæ ab Aſſyrijs fuerunt euerſi, & Iudæi à Chaldæis, *& Ieruſalem*, per Ieruſalem duas tribus ſubaudit iam commemoratas, vt annotatum eſt in Oſeam. *Et oſtendit mihi Dominus quatuor fabros.* Hæc eſt tertia viſio Chaldæus Paraphraſtes vertit, *artifices. Et dixi quid iſti veniunt facere? Qui ait, dicens, hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per ſingulos viros, & nemo eorum leuabit caput ſuum, & veniunt iſti deterrere ea.* Repetit viſionem ſecundam, vt aptius oſtendat, quod erat officium fabrorum quos viderat, & ait fabros illos ideſt angelos veniſſe, ad cōfringenda cornua illa quatuor, & conquaſſandam Imperiorum gentium crudelitatem. Et iſti angeli qui veniunt, ad executionem diuinæ iræ contra gentes adumbrabantur per equos rufos. At vero angeli qui venerunt ad liberandum populum à captiuitate, & ad liberandos Iudęos à vicinis gentibus impedientibus ædis reſtaurationem ſignificabantur per equos albos. Qui vero vtrumque exercuerunt & opus miſericordiæ diuinæ, atque iuſtitiæ per varios patuerūt ſubmōſtrari. *Et nemo*, ideſt non potuerunt, aduerſarijs ſuis reſiſtere Iudæi & Iſraelitæ ideo illis ſuccubuerunt. *Vt deijciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu ſuper terram Iuda, vt diſpergerent eam.* Angelorum quatuor hoc erat munus, eis à Deo impoſitum deijcere poteſtatem gentium ſuperbarum, quæ leuauerūt cornu, ideſt exercitum & arma ſua contra terram Iudæ. Ex iſtis tu collige Deum curare ſuos fideles: quia tametſi, eos affligi ſæpè permittat, at vero nō iraſcitur in perpetuum, ſed miſericordiæ recordatur.

Angeli boni & mali ſubitū habent localem motū.

Angeli ſancti precātur Deū pro nobis.

Moralia & myſtica.

TRES viſiones nobis propoſuit hoc caput primum Zachariæ, Dei vatis; quibus ipſe ſecūdum litteræ ſenſum donatus eſt vt ex eis intelligeret rerum gerendarum id temporis apud ſuos quibus ipſe vaticinabatur euentū. Quem ſenſum hactenus proſecuti ſumus; verū quia ſenſus litteralis eſt tanquam arboris truncus, ex quo multi (vt videmus) rami procedūt, dixerim item ſenſus myſticos varios, eſſe velut ramos quoſdam procedentes ex trūco, ideſt in litterali ſenſu, habentes fundamentum. Et equidem ſicut rami venuſtāt valde truncum, eodem modo & litteralis ſenſus, admodum decoratur ex myſtico ſenſu. Et quo plures quis multiplicauerit, modo illi idonei ſint, & non violenti (vt plerumque accidit) eò magis venuſtatur litteralis ſenſus. Vt commendabilior ſit truncus, qui plurima ramorum coma diffunditur. Eſt igitur primum viſum de angelo quodam, exiſtenti inter myrteta, poſt quem alij angeli; ſequebantur. Et ſanè angeli egregiè deſcribuntur inter myrteta,

Senſus myſticus habere debet in litterali fundamentum.

teta,quæ erant in profundo. Siquidē myrtetum ex myrtis componitur, & myrtus læta eſt arbor & feſtiua,vt in expoſitione literali tradebamus. Angeli autem beati, perpetuum feſtum celebrant,lætitia ſempiterna exultant, videndo faciem æterni Dei. Etſi quanta ſit eorum lætitia nos lateat. Nam oculus non vidit Deus abſque te,quæ præparaſti diligētibus te. Et item. Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neq; in cor hominis aſcendit,quæ Deus diligentibus ſe præparauit,ideo myrtetū videtur in profundo. Quāuis enim in vniuerſali ſciamus torrente voluptatis diuinę potari ſanctos Dei cælicolas,at vero æſtimare quāta hæc ſit voluptas,nullus æſtimare poteſt. Enimuero vel maximę ſeculi delicię,cæleſtibus collatæ nihil ſunt. Etiā ſi ſeculi delicias fingas eſſe æternas,nihilominus illis non ſunt conferendæ. Siquidem ſeculi deliciæ & voluptates, non ſatiant neque ſatiare poſſunt diuinū iſtud quod gerimus intra corpora noſtra: illæ vero ſatiant hoc diuinum quod eſt mens humana: iuxta illud Pſalmographi, Satiabor cum apparuerit gloria tua Domine. ¶Ex hac quoque viſione diſcere poterit fidelis, quam infidelis fuerit Lutherus inficians beatorum animas non eſſe orandas à nobis,vt nobis precentur veniam peccatorum, & Dei in neceſſarijs miſericordiam. Enimuero, manifeſtat hæc viſio angelum beatum Deum oraſſe pro Ieruſalem, & ciuitatibus Iuda: & exauditum eſſe. Quod ſi angelus beatus Deum rogat, quid in anima beata, vt anima Pauli, vel Petri, vel aliorum ſanctorum? Quod ſi ipſi rogant Deum pro viatoribus terrenis non orabimus diuos, atque diuas, vt noſtra curent coram Deo? cur gratias non agemus primo Deo,dein illis,quia noſtri coram Deo ſunt patroni? Hæc latius non proſequor, quia ſuperius proſecuti ſumus vberius.

Iſai.64. 1.Cor.2.

Lutherus explodiatur.

Senſus allegoricus.

¶Porro allegoricus ſenſus, huius viſionis tangitur à gloſſa ordinaria, & eſt aptus ſenſus, quem nos Chriſto duce, fuſius, & alia ratione ediſſeremus.

¶Eſt igitur Chriſtus, qui adumbratur ex angelo, exiſtenti inter myrteta, ſiquidem in oraculis prophetarum, erat exiſtens Chriſtus. Et ſub vmbris veteris legis ipſe latebat. Omnia nanque illius legis ſiue ſacrificia, ſiue cæremoniæ, ſiue prophetiæ, Chriſtum promittebant venturum. 1.Corinthiorum. 10. omnia illis contingebant in figura. Et rurſus ad Hebr. 10. lex habebat vmbram futurorum: ideo rectè hæc myrteta viſa fuerunt in profundo. Quod autem aptè per myrteta intelligatur lex illa,ex illo videtur collectū iri, quod myrtus erat vna ex arboribus, feſtum taberna culorum adornantibus, vt in expoſitione literali annotabamus. Et item quia myrtus placidus eſt viſui, & gratus odori, at vero fructus exigui, ita lex illa ſancta & Deo placens fuit, at fructus modici,quia. Nihil adduxit lex ad perfectum.

Lex Moſis,cur comparatur myrtis.

Ad Hebr. 7.

¶Quod autem videtur inſidens equo rufo, hoc portendebat Chriſti carnem, eſſe crucifigendam,& cruore ſuo aſpergendā, vnde aptè caro Chriſti cui præſidebat diuinitas,& copulabatur illi ſecundùm hypoſtaticam vnionem,dicitur equus Chriſti, quatenus erat Chriſtus diuinum verbum. Nanque diuinum verbum illā ſacroſanctā humanitatē agebat & ducebat, ſecundū rationes diuinas, à quibus neq; vel tranſuerſum vnguem illa diſceſsit. Deſcēdi ait de cælo,non vt faciā voluntatē meā, ſed voluntatē eius qui miſit me patris. Noſtra ſanè caro eſt velut equus indomitus, qui frequenter præcipitat ſeſſorem,ideſt, mentem noſtrā,vnde cecinit Pſaltes. Noli te, inquic, fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: in chamo & fræno maxillas eorū conſtringe. At vero Chriſti caro prorſus fuit ſubdita animæ Chriſti, & anima prorſus in cunctis morem geſsit diuino verbo. *Et poſt eum*, Chriſti diſcipulos, & euangelij amatores poſt Chriſtum ſtare eſt manifeſtum: quia omnes ſancti Chriſti veſtigia ſequuntur, & ſecuti ſunt. Ideo ait, *Poſt eum equi rufi, varij, & albi.* Gloſſa ex alijs retulit iuxta literalem ſenſum, ad Perſas & Medos, qui eatenus appellantur albi, quatenus Perſæ & Medi multo fauore proſecuti ſunt Iudæos. Nā Cyrus ſoluit eorū captiuitatem,& Darius templū,& vrbem cōſtruenda,& denuo reſtaurāda conſtituit. Et ſi iſtis obſtat quod Cambyſes Perſa, Iudæorū fuit hoſtis per rufos vero equos Aſſyrios, & Chaldæos iſti enim fuerunt crudeliſsimi in nationē Hebræā. Aſſyrij Iſraelitas enim duxerunt captiuos, & Chaldæi Iudæos. Per varios vero Græcos ſubaudit principes,quorum alij fauorabiles, alij perſecutores fuerunt Iudæorū. Aut per rufos Romanos licet intelligere,qui fuerunt cruēti,& ſanguinarij vt liquet ex euerſione Ieruſalē per Titū & Veſpa-

Cur per equum rufum caro Chriſti adumbretur.

Pſal. 31.

Chriſti caro prorſus fuit ſubdita animæ imperio, et hæc Dei verbo.

& Veſpaſianū, quanihil atrocius. Aliter item exponit gloſſa,lege apud illā. ¶Verūtamen, nos ducebamus Germaniorem eſſe litteralem ſenſum, per hos equos eſſe intelligendos angelos iuxta quem allegoricus intexendus,eſt ſatis congruens,ſi intelligamus per equos rufos Apoſtolos Ieſu Chriſti,cæteroſque, qui ſuo ſanguine madentes legem Chriſti ſunt proteſtati. Per equos vero albos,choros ſacrarum virginum,qui poſt Chriſtum canentes curſitant hymnoſque dulces perſonant. Per varios vero,confeſſores varijs fulgentes virtutum floribus ſi intellectos velis, commodè intelliges. ¶Et demum eccleſia multa varietate gaudet meritorum bonorum, vnde illud,aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu aureo,circūdata varietate. Etenim quoſdā dedit Deus eſſe Apoſtolos, quoſdam vero Prophetas,alios vero euangeliſtas,alios vero paſtores & Doctores: ad conſummationem ſanctorum Epheſ. 4. ¶Et ſicut diuerſa ſunt meritorum genera, ita & diuerſa ſunt præmia cœleſtia; tamet ſi eſſentiale omnium præmium ſanctorū eſt viſio clara Deitatis. Cæterum quia Deitas,à quibuſdam beatis,multo clarius cernitur, quā ab alijs vnde anima Chriſti eſt omnium beatorum beatiſsima,quia plura videt in Deo,ideirco varia præmia dixerim eſſe beatorum. ¶Illi autem beati clarius vident Dei naturam, quia plura in ea vident. De qua re nos in 4.lib.ſentent. copioſius diſſeruimus,ideo ad reliqua huius viſionis Propheticæ enodādæ pergamus. *Iſti ſunt quos miſit Dominus*, Apoſtoli enim & diſcipuli Domini miſsi ſunt per orbem vt euangelizarent omnibus mundi nationibus. Nam in omnē terram exiuit ſonus eorum,& Dominus illis præcepit, dicens ite in vniuerſum mundum,&c. *Et reſpondérunt angelo.* Hæc reſponſio eſt obedientia diſcipulorum Chriſti, ſiquidem Chriſto morem geſſerunt: & totum orbem peruagarunt. Iuxta illud, quam pulchri ſunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. *Et ecce tota habitatur & quieſcit.* Per Apoſtolicam prædicationem terra deſerta & inhabitata,ab Spiritu ſancto, fuit ab eodem habitata & culta. Vt Iſai. prædixerat. Exultabit ſolitudo,lætabitur deſerta & inuia. Et quæ turbata erat,gētiliras & agitata ab ſpiritu diabolico,quem colebat ſub idolis,quieuit accepto euāgelio. Quieuit ſanè coram Deo,quia pacem cōpoſuit cum Deo;quæ erat Deo admodum inimica. Tunc enim verè quieſcit homo, cum ſpiritus Domini ipſum imbuit,vt cū Deo offenſo ineat gratiam. *Et reſpondit angelus Domine exercituum vſquequo non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es*, verba ſunt Chriſti, vt homo eſt precantis Deum patrem, vt miſereatur electorum, qui interim dum viuunt mortali vita, multis anguntur tribulationibus. Vnde Pſal. 43. exponitur ſanctorum martyrum vehementiſsima afflictio. Æſtimati inquiunt ſumus ſicut oues occiſionis,ideſt quæ deputantur ad occiſionem, & quæ occidūntur ad eſcam hominum. Perinde enim ſe habebāt tyrāni ad ſanctos martyres, quaſi eſſent oues,vel pecudes nihili enim ducebant eos occidere. Et Paulus item ſanctorum Apoſtolorum vexationes explicans ait. Puto enim quod Deus nos nouiſsimos Apoſtolos oſtendit tanquam morti deſtinatos,&c. 1. Cor. 4. vnde primo aſpectu videbatur Deus iratus eſſe ſuis Apoſtolis, & alijs electis videtur iratus,quos interim valde affligit,vt Iob,Tobiam Machabęos fratres Athanaſium Laurentium,&c. hanc iram Dei explicans Iob, aiebat, vſquequo non parcis mihi,nec dimittis me vt glutiā ſaliuam meam? quare poſuiſti me contrariū poſuiſti tibi & factus ſum mihimetipſi grauis? ¶At vero Dominus reſpondet, *Dicens zelo zelatus ſum Ieruſalem*, Videlicet ſe affligere ſanctos ſuos non ex odio, imo quos diligit ipſe caſtigat in ſeculo hoc vt per tribulationes expurgati à ſordibus peccatorum beatam vitam citius adipiſcātur. Ideo igne tribulationis eos mundat. Vt vaſa figuli probat fornax. Et Paulus ait,ipſe tamē ſaluus erit ſed quaſi per ignē. Eſt autem ignis quidam æternus & hic non purgat animæ ſordes, ſed eas punit. Eſt alius ignis purgatorius in ſeculo altero,& hic etiā temporalis, at acerbiſsimus, eſt: denique alius eſt ignis qui eſt tribulatio & vexatio quæ hoc ſeculo premit ſæpe electos à Deo, vt cap. 1. in Habacuc explanabam. Et hic item purgatorius eſt, & maioris profectus quam ille qui purgat in altero ſeculo. Quippe non ſolum peccatorum pœnas diluit, verumetiam præmia auget æterna; id quod igni illi vēturo temporali negatur. Vnde vox ſanctorum illa eſt, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Siquidem æquo animo ferunt Deo iuuante, tormenta, quæ patiuntur.

Quidā bea tiplura vidēt in Deitate quam alij.

Iſai.52.

Iſai.35.

Cap. 7.

Eccl. 27. 1.Cor.3.

Tres ignes inferni purgatorij & huius vitæ.

Pſal. 16.

tur. Vnde in libro Macha. 2. ca. 7. traditur Deum erga electos hac ratione se gerere, vt in vita hac velit eos punire vt ad purum excoquat scoriã suorum peccatorum, & tandem mundi euadant ex hoc seculo, reprobos vero finere agere secundum suum libitum, vt maiores dent in die iudicij pœnas. Nõ ergo ex odio Deus punit sanctos suos, quia Deus nihil eos odit, sed potius amat, sed quia ex magno amore zelus dissultat, ideo quia eos valde diligit zelando corripit nunc eos vehementius, vt postmodum coronet vberius. Ideo subditur. *Reuertar ad Ierusalem in misericordijs*, idest ego qui videbar irasci sanctis meis, reuertar in misericordijs ad eos. Deus enim puniens & affligens suos famulos, in vita hac mortali, etsi exterius eos affligat, at vero eorum item valde miseretur. Eripiens scilicet eos à multis peccatorum periculis, & internis consolationibus eos mulcens. Vnde Apostolus aiebat. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, & ideo Deum, vocat Deum totius consolationis. 2. Cor. 1. Et quidem mirabilis ob hoc Deus est in sanctis suis: quippe nihil mirabilius, quam sanctos videre martyres acerbissima tormentorum genera subire, propter amorem Domini nostri Iesu Christi. ¶Id quod facilè admonebat vim habere diuinam sanctos martyres, quæ eos tolerantes faciebat tantorum tormentorum. Et quod præsentem vitam propter fidem despicientes libentissimè aliam multo meliorem sperabant scilicet æternam. ¶Id quod valde confirmat fidem Catholicam esse certissimam: quia sancti propter eius defensionem mori non formidarunt. At quis non formidat mortem? nemo, nisi qui certissimè sperat meliorem vitam? vt sancti martyres sperabant. Et item de reliquis electis dicere fas erit: qui etsi colla sua non subegerunt gladio truci tyranni, cæterum despicientes terrena amarũt cœlestia. Et quidem & in hac re Deus mirabilis etiam est. Nanque in hominibus, & si suapte natura sit inclinatio ad inuisibilia bona qualia sunt cœlestia; at vero hæc inclinatio est valde exigua. Ad visibilia autem bona est maxima inclinatio. Vt est videre incunctis hominibus currentibus post hæc bona. Quod ergo modica illa inclinatio tantum augeatur in omnibus electis vt superet maximam inclinationem, & illam sibi subigat, vtique nisi Christi gratia iuuaret naturam famulorum Dei, & in sublimia quodammodo raperet, non posset modica hæc inclinatio tantum sublimari, vt se desereret & sua, se negaret & sua, propter Christi amorem. Ideo optimè D. Ioannes argutatur si fratrem, quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo diliget? Quasi colligeret si visibilia, & quæ ad manum sunt non diligimus inuisibilia quę supra naturam nostram sunt quomodo diligemus? Amor igitur visibilium quia nobis natiuus est, facilis est nobis, at vero amor inuisibilium si perfectus est, qualis est qui ex charitate procedit est prorsus supra nostram naturam.

¶Idcirco longe difficillimus est, imo nobis impossibilis: si gratia Iesu Christi, non adiuuet infirmitatem nostram. Ideo aiebat Paulus, omnia possum in eo qui me confortat, idest, per Christum confortantem, cuius gratia leuamur ad merita quæ sunt supra nos, vt assequamur præmia quæ sunt supra nos. Ideo ait Deus per vatem. *Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno.* Zelatur sanè Deus fideles suos electos zelo magno: quia multum diligit eos, nam diligit eos Deus ad bona sempiterna. Ideo sicut nutrices faciunt ablactaturæ infantes suos vbera, aloe inungunt vt infans, sugcturus vbera, degustans aloe amaritudinem vbera, odio habeat, ita Deus, vt sancti sui mundanas fastidiant, amaritudine tribulationum eos affligit. Ex mundanorum autem contemptu & fastidio resultat cælestium amor & æstimatio.

¶ *Erat autem secunda visio. Et leuaui oculos meos, & ecce vidi quatuor cornua, hæc ait sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem.* Hæc autem quatuor cornua diximus ad literam denotare vel quatuor imperia, quæ læserunt valde Iudæos, & Israelitas, aut quod ex quatuor mundi plagis Iudæis, & Israelitis multa sunt illata damna. At vero secundum tropologicum sensum arbitror hæc quatuor cornua esse illas quatuor bestias, quas S. Daniel Dei vates vidit capite. 7. Videbam ait in visione mea nocte: & quatuor bestiæ ascendebant magnæ diuersæ inter se. Prima quasi leæna: & quasi alas habebat aquilæ. Aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius. Sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit: Et cor eius datũ est ei.

¶Secun-

Deus affligẽs electos exterius consolatur interius.

Martyres Christi maxime probant fidem Catholicã.

Vita sanctorũ probatio est magna fidei Christianæ.

Amor perfectus inuisibiliũ supra naturam est humanam.

Amaritudo tribulationum, facit vt amor rerum temporalium relaxetur.

Quatuor bestiæ Danielis sunt quatuor cornua quæ vidit Zacharias

¶Secunda autẽ bestia erat similis vrso, in parte stetit. Et tres ordines erãt in ore ei⁹, & in dẽtibus eius. Et sic dicebãt ei, surgeco mede carnes plurimas. ¶Tertia erat quasi pard⁹ & alas habebat auis, quatuor sup̃ se, & quatuor capita erãt in bestia. ¶Et bestia quarta terribilis, atq; mirabilis & fortis nimis dẽtes ferreos habebat magnos comedẽs atq; cõminuens, &c. ¶Et quidẽ istæ bestię quatuor imperia sæpe cõmemorata gẽtiũ adũbrãt, q̃ itẽ significant & cornua supra dicta. At vero nũc moralẽ sensum vestigãtes hæ quatuor bestiæ significãt quatuor peccata, quæ sunt nocẽtiora, & familiaria magis hominibus, videlicet superbiam, inuidiã, luxuriã, & irã. ¶Prima bestia superbiã adumbrat. Siquidẽ leonis natura superbit, contra cætera omnia animalia. Habet autẽ duas alas, videlicet opulentiã & potestatẽ. Nam istis qui sunt prẽditi homines, alios inferiores cõculcare intendunt. Hæc bestia, rectè alterum diaboli cornu est ex quatuor quo ventilãtur homines superbi, & à Dei amore submouẽtur. Nã Deus superbis resistit, humilibus autẽ gratiã dat. Et nõ solum hoc cornu ventilat homines,
Lucæ. 2. quinetiã & angelos, à cælo vẽtilauit, & deiecit in terrã, vt hymnus beatæ virginis decãtat, dispersit superbos mẽte cordis sui & exaltauit humiles. ¶Auellũntur autẽ alæ huius bestiæ, qñ homo superbiens ex diuitijs & potestate vtroq; orbatur: & tũc q̃ in altũ volabat, deponit volatũ, auulsis alis, & deijcitur super terram, vt iam non volet contra alios, sed stet super terram, in gradu inferiori, vt cæteri. ¶Tuncq̃ cor datur superbo, quia agnoscit suam vilitatẽ, & non altum sapit vt solebat. Vt Nabuchodonosor, qui cum altũ volaret, dicens.
Dan. 4. Nonne hæc est Babylõ, quã ego ædificaui &c? deiectus est à solio regni & post septẽniũ, datus est illi sensus, vt agnosceret suã miseriã, & Deum cæli adoraret. ¶Secũda bestia est inuidia, & est alterum cornu diaboli quo impetit & ventilat fere omnes homines, & describitur similis vrso. Natiuum autem est vrsis vesci ex melle, & suaue est inuidis: aliorum mala recensere, & in ipsis oblectari. Dolet nanq; inuidus de bono æqualis, & gaudet de malo eiusdẽ. In parte autẽ stat hæc bestia, quia nonnũ quã bona alterius laudat inuidus, vt quũ corroserit alia bona eiusdem, non animo malo ascribatur corrosio, sed zelo bono. ¶Habet autẽ inuidus tres modos detrahẽdi, videlicet alterius mala augendo, bona proximi minuendo, & indifferẽtia, in mala iũ interpretãdo. Et isti tres modi sunt tres ordines dentiũ huius bestiæ. ¶Tertiũ cornu est luxuria, & hoc cornu vehementer diabolus nos ferit, & longe latèque se dilatat huius cornu pernicies. Et est bestia tertia. ¶Hæc describitur similis Pardo. Pardus autẽ varietatem habet colorũ. Et luxuria, varia est in cõcupiscẽdo venerea, iã em̃ furit in virgines, iam in coniugatas, iam in viduas, iam in sanctimoniales, iam in pueros, iam in se ipsa semetipsam experitur.

¶Quatuor q̃; capitibus distinguitur, nam luxuria ex quatuor initijs ꝓficiscitur, vel ex visu mulierũ pulchrarũ, vel ex auditu verborum obscenorũ, vel ex tactibus impudicis vel ex colloquijs libidinosis.

¶Vnde Iob aiebat cap. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis ne aspicerent virginẽ. Et Dñs Matth. 5. Qui viderit mulierẽ ad concupiscẽdũ eam iam mœchatus est in corde suo. Et Eccles. 13. Caue diligẽter & attende auditui tuo. Et cap. 28. *mouet vt aures* nostras sepiamus spinis, idest, ne oblectemur audientes turpia vel ne cõsentiamus illis, neque nobis placeat huiusmodi audire: quia nocet animæ auditus horũ. Est em̃ natiua nobis inclinatio ad libidinẽ: vnde si alicunde excitatur, cõtinuo exerit, vires suas cõtra nos. ¶Tactũ autẽ ꝓhibet apostolus, dicẽs, Bonũ est homini mulierẽ nõ tãgere tametsi eo loco de coniugio sermo texitur. Cæterũ quia ex tactibus impudicis ꝓuocatur homo ad cõsensum in libidinẽ, ideo tactus isti caput sunt libidinis seu luxuriæ. Et demum colloquia venerea caput itẽ sunt, testãte Apostolo corrũpunt bonos mores colloquia praua 1. Cor. 15. Hæc igitur sunt luxuriæ capita quatuor. Istis autẽ capitibus quatuor, quatuor iungũtur quibus alata luxuria facile volat, videlicet iuuẽtus, nã hæc semper in lasciuiã ꝓuocat: ideo aiebat psaltes, delicta iuuẽtutis meæ, ne memineris. Item, opulentia, nã opulenti offerẽdo diuitias mulieribus eas ad se trahũt. Item & gula, & ingluuies lasciuos facit homines, nã sine cerere & Bacho friget Venus, vltima autẽ ala est otiũ. Etem̃ otiũ multa nutrit mala: vnde aptissimè appellatur nouerca virtutũ. Et in Ezechie. cap. 16. nõnullæ ex istis alis luxuriæ referũtur. Hæc inquit fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius.

Inuidiæ tres modi.

Tactus impudici pro nocant libidinem.

Quatuor capita luxuriæ.

Alæ quatuor quibꝰ volat luxuria.

eius. Nam per saturitatem panis, ingluiem Sodomorum denotat, per abundantiam vero opulentiam: otium autem clarè exprimitur. ¶ Vnde Prouerb. 12. traditur qui sectatur otium stultissimus est. Et cap. 28. Qui sectatur otiū replebitur egestate: & sanè, etsi otia egenos sæpe faciant homines pecunijs, sed egentiores semper reddit virtutibus. ¶ Quartū cornu, est ira, per quam diabolus admodū ventilat omnes fide homines, feminās inter eos discordias, & prouocās ad pugnas, & iniusta bella. Et hoc cornu est idem quod bestia quarta visa à Daniele. At vero quia crudelitas ex ira procedit. Ideo bestia hæc mirum in modum sæuit, maximè ex tyrānide. Ideo describitur fortis nimis, dentes ferreos habens omnia comminuens, & pedibus conculcans. ¶ Tyranni enim omnia comminuunt, impositionibus & exactionibus in iustissimis grauantes sibi subditas plebes: & nullius miserentur. ¶ Hoc autem vnum intendunt, se potentiores, & opulentiores facere, & vt suum intentum absoluant vijs exquisitis, miseras grauant plebes extorsionibus & violentijs, & terroribus agentes contra sibi subditos. ¶ Hoc igitur cornu est fortissimum, & omnia cornua ista sunt fortia & pessima, & dispergunt & vētilant omnes homines: sed potissimū diabolus prætendit ventilare Iudam, & Israelem, per quæ duo significantur fideles. Quippe Iudæ interpretatur confessio, & fideles sunt confitentes diuinas veritates, & Israel, significat fortem cū Deo. Porrò tales sunt veri fideles, qui sunt fortes cum Deo, nam violenti regna cælorū capiunt: contra hos igitur fideles diabolus vt taurus violētissimus agitat ista cornua, vt eos dispergat. ¶ Erat autem tertia visio, ex qua vidit vates quatuor fabros, qui veniebant deerrere, cornua prædicta. Ego vero, nihil aptius arbitror per hos quatuor fabros intelligendum quam quatuor Euangelistas, qui sunt fabri diuini diuinitus cudentes sua euangelia, ad comminuenda cornua hæc quatuor: imo ad destruendum omnes diabolicas vires, & infernales machinas. Et qui volet spatiari latius, varia & multa inueniet testimonia, in sacris euangelijs, ad eneruanda hæc cornua. Sanè superbiam nostram confundit Christi humilitas, natus ex virgine paupere & humili præsepio & paupertatem amans, & eam prædicans, atque beatificans. Et demum ipse ait, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. ¶ Inuidiam item quassat euangelica lectio: quandoquidem ex ea docemur, omnia sua communicasse Christum apostolis, quibus concessit vniuersalem potestatem regendi ecclesiam suam facultatemque conficiendi corpus & sanguinem ipsius Baptizandi, & docendi omnes gentes, & demum cælitus demisit illis Spiritum sanctum post quam in æthera se leuauit, itemque tantisper dum viueret mysteria cælestia eos docuit dicens, iam non dicā vos seruos sed amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis. ¶ Præterea luxuriam confundit euangelica denarratio, denarrans Christum ex virgine intacta & purissima ortum fuisse: & Ioannem virginem præ cæteris dilexisse Apostolis ob virginitatis qua fulgebat prærogatiua. Et virginitatis virtutem, vberrima donabit corona: sunt enim virgines, qui fructum referunt centesimum. ¶ Denique vltimum cornu, confringit euāgelica tractatio, Christi māsuetudinē ob oculos nobis constituens, siquidē tanquā agnus mansuetus ductus est, ad mortē crucis. Et factus est sicut homo non habēs in ore suo redargutiōes flagellatur, cōspuitur, ducitur ad tribunalia, & tandē cruci affigitur, & neminē vituperat, nihil ob loquitur, qui erat Dei verbū. ¶ Si ergo te ventilauerint cornua hæc mala recurre ad fabros prædictos bonos, ipsorum vtere opera, vt cornua peccatorum confringas.

Tyrannorum trucilentum ingenium.

Tertia visio.

Quatuor euangelistæ sunt quatuor fabri diuini confringentes cornua diaboli.

EXPLANATIO
IN ZACHARIAM
CAP. II.

ET leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum. Et dixi, quo tu vadis? Et dixit ad me vt metiar Ierusalem. Quia huius vatis, vt aiebam in prologo scopus est præcipuus prænuntiare reparationem Ierusalem, ideo hoc idem sæpè versat, per sua vaticinia. Vnde quarta hac visione, iam reparationem vrbis metropolitanæ Iudææ clarius exprimit. Videns virum, id est angelum sub forma viri in manu sua tenentem funiculum mensorium: vt solent ferre artifices architecti, quando volunt ædificare domos, aut celebria aliqua ædificia. Primo enim mensurant longitudinem,

dinem, & latitudinem ædificandæ domus, aut oppidi, si illud accidat ædificandum. Vnde subdit, *Vt videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius.* Vt scilicet iuxta latitudinem, & longitudinem vrbis ædificandæ murorum, qui sunt cincturi vrbem, expendatur, quanta sit dimittenda latitudo, quanta ve longitudo. *Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius. Et dixit ad eum curre, loquere ad puerum istum, dicens, absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum & iumentorum.* Cap. 1. vates expressit angelicū affectum, illius scilicet angeli, qui stabat inter myrteta qui orans Deum aiebat, *Domine Deus exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem?* Hoc autem capite exauditam eius esse orationem clarius docet, quam capit. priori. Et non solum annuit Deus petenti angelo quod petebat, sed abundantius quam petebat. Siquidem non tantam Ierosolymæ restaurationem petebat angelus ille quod præ multitudine hominū & iumentorum, muris non posset eius habitatio concludi, sed solum restaurationē ruinæ petebat. Deus autem testante Paulo potens est omnia facere quod petimus, & abundantius quam petimus. Porro autem, quia nunquam Ierosolyma illa materialis, ad tantam gloriā peruenit sub tempore secundi templi, imo neque sub tempore primi templi, vt esset absque muris ex multitudine ciuium, ideo videtur non de Ierosolyma illa quæ seruit cum filijs suis, ad Galat. 4. sed de Ierusalem libera à seruitute illa legali, quæ est ecclesia catholica videtur intelligendus locus, nam hāc illa adumbrabat. Ecclesia autem catholica est toto orbe terrarum diffusa, & non ex natione tantum Iudæorum habet fideles, sed ex omni natione, quia in omnem terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quare rectè illi congruit, quod angelus loquitur, absque muris habitabitur. Quia non coarctatur angustijs quibus illa materialis Ierosolyma, quæ solum admittebat Iudæos: sed hæc in omnes se diffundit. *Angelus qui loquebatur in me,* id est, qui me interna docebat reuelatione, & est ipsemet angelus, cuius meminerat in primo capite. *Angelus alius egrediebatur*, vt creditur angelus prior esse Michael: ita traditur hic esse Gabriel. Qualiter autem loquebantur inuicem isti duo duo angeli, si vocaliter, an mentaliter scriptura non cōmemorat. De locutione autē angelica nos multa diximus in nostris disputatio. ad secundū lib. Sentent. verum quia in assumptis corporibus hæc locutio fiebat, videretur fuisse locutio vocalis qua angeli inuicem loquebantur, si realis fuisset visio, at vero quia erat imaginaria visio omnia celebrata sunt sub visione spirituali. *Ad puerum*, id est ad iuuenem istū, Hebraica vox Naar, significat puerū, ætate, & ministrū. Et in sacris literis, in vtraq; significatiōe vsurpatur vox hæc. Puer vel pro seruo, vel pro iuuene. Ideo lectio hæc videtur ambigua, ideoque vel potest legi ad iuuenē istum, vt significatur, quod Zacharias erat iuuenis, aut quod erat famulus. Verum lectio Græca legit, *Loquere ad adolescentem istum*, ex qua lectione auferetur vocis ambiguitas. *Absque muro*, Græcè *frugifera habitabitur*, at vero Græca lectio non expressit significantiam nominis Hebraici *Parazot*, quod significat sicut oppida non murata. Id est amplissimè dilatabitur eius habitatio, id quod vt aiebam non cōgruit Ierosolymæ illi vel synagogæ Iudęorū. Quæ quidē nō fuit dilatata post captiuitatē, magis quā prius ante captiuitatem, imo coarctata, quia decē tribus à numero deficiebant priori, *In medio eius*, quę multitudo erit in ipsa Ierosolyma spirituali: quæ est catholica ecclesia. In qua multi sunt perfecti viri, qui significantur per homines: & multi imperfecti, qui denotantur per iumenta. *Et ego ero ei, ait Dñs murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Paradisum terrestrem eiectis Adamo & Eua ab ipso, Dominus obmuniuit muro igneo, ne scilicet, cuiquam ad ipsum pateret accessus. In hunc modum & ecclesiā catholicā ob muniendam tradit muro igneo, ne ab hostibus suis lædatur. Nisi quod hic igneus murus non est sumendus secundum proprietatem, sed secundum translationem. Enim vero, si oppidum aliquod vere esset munitū undequaque ex igne esset sanè inexpugnabile, vt ergo denotet nobis ecclesiam catholicam esse in expugnabilem ab aduersarijs suis, ideo ait: cingendam muro igneo circunquaque. ¶ Cui concinit euāgelica lectio, Super hāc petrā ædificabo ecclesiā meā & portę inferi non præualebūt aduersus eā Matth. 16. Et quidem ecclesia catholica ab initio fuit oppugnata, à Iudæis, dein à tyrānis, post mo-

Ephes. 3.

Ecclesia cincta est muro igneo quia inexpugnabilis est.

mŏdū ab hæreticis, & tamē diabolus exe rens omnes ſuas machinas cōtra eam, nun quā eam expugnauit, ſed neq; poterit, vt enim non potuit prævalere contra caput eccleſiæ Chriſtum, ita neq; contra corpus eius myſticū quod eſt eccleſia, cui ſemper adeſt Chriſtus: Ego ait, vobiſcū ſum vſq; ad conſummationē ſeculi, *in medio*, Phraſis eſt Hebræa, ideſt ero gloria eccleſiæ ait Chriſtus exiſtens in ipſa eccleſia. Eſt nāq; Chriſtus in eccleſia catholica, præſentialiter in Euchariſtię ſacramento, & per internā operationē: & iſtud eſt maxima eccleſiæ gloria. *O ò fugite de terra aquilonis dicit Dñs, quoniā in quatuor vētos cæli diſperſi vos.* Explicata nouæ Ieroſolymæ gloria, ad fruendum tanta gloria prouocat vates de cem tribus, quas Abegit in Aſſyriā, Syriæ regia poteſtas. Syria autem eſt ad aquilonem Iudææ ſita, & iſtæ decem tribus fuerunt diſperſæ, in quatuor mundi plagas. Monet igitur vates, vt deſerant terrā aquilonarem, & à diſperſione quā patiuntur ſe reuocent ad vnitatem fidei Chriſtianæ. In quibuſdā Biblijs habetur ò ò ò, at vero, ſolum legi debet duplex ò, eſt que adhortā di interiectio. *O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.* Sermo refertur modo ad duas tribus, quas ex voce Sion; ſubnotat. At vero maiori adhortatiōe eſt vſus prius dicens, ò ò, quam modo, dicens, ò. Siquidem duriores fuerunt decem tribus, quam duæ. *Quæ habitas*, præſens pro præterito, ideſt, quæ habitaſti, apud filiam Babylonis: vocat filiā Babylonis oppida & agros Babyloniæ, quæ loca vocat filiam conſuetа Hebræis phraſi loca alicui vrbi ſubiecta vocare filias. Imo Hiſpanus ſermo, nō abhorret ab hoc loquendi modo, monaſteria enim ſubdita alijs monaſterijs vocat filiationem eorum: vſurpatur autem hoc loco, vt ſæpe alibi tempus pro tempore, quia iam Iudæi ſoluti erant à captiuitate Babylonica quum hæc dicebat vates. *Quoniam hæc dicit Dominus exercituum, poſt gloriam miſit me ad gentes quæ ſpoliauerunt vos.* Ex præcedenti verſu vates monuerat Iudæos, vt fugerent à Iudaiſmo, & venirent ad fidei veritatem. Hoc enim ſibi volebat, dicens, ò Sion fugite quæ olim captiua fueras apud Babylonem reuelata gratia Chriſti fuge Iudaiſmum, & accede ad libertatem nouæ eccleſiæ, vt diuina pace fruaris. At vero, verſus hic poſterior quid velit non omnino in abſoluto eſt. Enim vero, Hebręi hūc verſum exponunt, Poſt gloriam, quam adipiſcetur Roma, miſit me Dominus ad gentes. Dicunt enim Hebræi, per Eſau ſignificari Romanum imperium: per Seir vero montem Idumeę ſignificari Romam. Vnde Rabbi Salomon expoſuit hunc locum, poſtquam Roma adepta fuerit mundi monarchiā veniet Meſſias. Et reuera Chriſtus poſt hanc gloriam venit in mundum. Siquidem ſub Octauiano Auguſto, qui orbis fuit monarcha natus eſt. Vnde Lucę 2. habetur exijt edictū à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, &c. At vero Rabbi iſte, ſic exponens locum iſtum neſcio cui infidelis mortuus eſt, niſi forſan credebat poſt gloriam eſſe venturū Meſsiam, ideſt poſt quam abolitum fuerit Romanum imperium: & ſic hoc modo intellexit, ſiniſtre expoſuit. ¶ Aliter exponitur locus poſt gloriam, ideſt poſtquā Roma, adepta fuerit monarchiam mittet Deus pater, filium ſuum in mundū & mittet Apoſtolos ſuos Petrum & Paulum ad prædicandum gentibus, ideſt Romanis, quæ ſpoliauerunt fideles, vt ſit ſermo iſte Chriſti, & nō vatis. Videlicet, vt Chriſus introducatur loquēs. *Poſt gloriam miſit me Deus pater ad gentes.* Quanuis enim ipſe perſonaliter non ſit miſſus ad gentes Matth. 15. at vero miſit legatos ſuos ad gentes, dicens, Ite in vniuerſum mundum, & prædicate &c. Porro autem, Chaldæus paraphraſtes, ſic habet, *Quia hæc dicit Dominus poſt gloriam, quæ dicta eſt ventura ſuper vos, &c. & cognoſcetis quia Dominus miſit me.* Et iuxta hanc paraphraſim ſenſus eſt, poſtquam ego prædixi, gloriam vobis venturam, cum dixi ex perſona Dei. Et ero gloria in medio tui, Dñs miſit me ad gentes, ideſt, vt annuntiē excidium gentiū quę ſpoliauerunt vos, vt mox ipſe vates patefaciet, dicens. *Ecce ego leuo manū meam &c.* Hebrai. habetur quæ vos ſpoliant. Etenim etſi Perſarū bñficio fuit ſoluta Iudæorū captiuitas nihilominus tributis eos onerabant. Et Artaxerxes qui & Cābyſes plurimū Iudæos vexauit, ideo ad ſolamē Iudæorū, ait, ſe eſſe miſsū à Deo, vt annuntiet mala ventura gētibus, quæ ipſos Iudæos ſpoliabāt impoſitis tributis & exactionibus. Similiter & Græci Iudæos afflixerunt: poſtea itęq; Romani, quibus cenſus Iudæi pendebāt. Vt colligitur ex euāgelica lectione. Rogitant enim licet ne cēſum dare Cæſari? Matth. 22.

Maxima gloria eccleſiæ eſt Euchariſtia.

Eſdræ. 1. capi. 4. & 5. & 7.

Et iuxta

Et iuxta hanc expoſitionē verba hæc dicit vates ex perſona propria, non ex Chriſti perſona. Et Theodoretus itē ex perſona vatis cenſuit ad literā eſſe intelligenda prædicta verba, ex myſtico autē ſenſu in Chriſtū iudicat eſſe referēda. Et equidem ſi ad Chriſtū referas diuinitas Chriſti oſtēditur, & perſonalis à patre diſtinctio. Ait enim hæc dicit Dñs exercituū, poſt gloriā miſit me ad gētes. Igitur miſſus ad gentes eſt Dñs exercituum, igitur miſſus eſt Deus, & cum infrà addit. *Et cognoſcetis quia Dñs exercituū miſit me*, demōſtratur, quod mittens eſt Dñs eētiā exercituū. Miſſus ergo eſt Dñs exercituum, & mittens, itē eſt Dñs exercituum, & cum non ſint duo dii, eſt ergo miſſus & mittens vnus Dñs. At vero, quia nihil ſe mittet neceſſum eſt fateri, perſonā mittentem, non eſſe perſonam miſſam quare conficitur mittentē patrem & miſſum filium eſſe vnum Dōm vnitate deitatis, & eſſe duo perſonali pluralitate. *Qui enim tetigerit vos, tanget pupillā oculi mei.* Hebraicè oculi eius & Græca lectio ſimiliter legit. Et tranſlatio Hieron. quæ habetur in Biblijs Hiſpan. legit, *oculi ſui*, & ſenſus eſt, qui vos qui eſtis populus meus læſerit, ſemetipſum valde lædit. Nam perinde ſe habebit, atque ille qui lædit pupillā oculi ſui, qui peſsimè habet. Quippe pupilla oculi, eſt tenerrima, & ſubtiliſsima, ideo læſio eius eſt admodum dolorifica & ſenſibilis, & ſummè nociua, quia periclitatur viſus, ipſa læſa, quo nihil homini carius. Si autem legis *oculi mei*, itē ſenſus apertus eſt, non vt intelligas Deo eſſe pupillas, qui ſummè ſpiritus eſt: at vero hac metaphorica locutione, inſinuat fideles eſſe Deo chariſsimos, vt eſt homini pupilla chariſsima. Illud autem ſpectat ſermo hic, quod Dominus erat vlturus iniurias populi ſui, quas acceperat à gentibus barbaris. Ideo ſubdit, *Quia ego leuo manū meam ſuper eos: & erunt prædæ ijs qui ſeruiebant ſibi.* Fuerunt Perſæ imperium obtinentes monarchi cum, quibus ſeruiebant Græci: at vero ſub Alexandro magno, qui obtinuit monarchiam totius orientis Perſæ ſunt redacti in Græcorum ſeruitutem. ¶ Si ad eccleſiam referas, Tyranni qui afflixerunt eccleſiam, converſi ad fidem ſubdiderunt colla ſua, eccleſiæ Chriſtianæ vt de Conſtātino proditum eſt ab hiſtoriographis, & ante eum de Philippo rege idem meminerunt. *Et cognoſcetis, quia Dominus exercituum miſerit me.* Prophetiæ certitudo, atteſtatur verum fuiſſe prophetam, qui ventura prædixit, à Deo q; miſſum. Ideo ait, cum ſuper vos tribulantes venerit calamitas, quia ego prædico, illis venturam, tunc cognoſcetis me prædicentem fuiſſe prophetam Domini. Vnde 3. Regum. 22. propheta Michæas dixit Achab regi Iſrael, ſi reuerſus fueris in pace, non eſt locutus mihi dominus. Prędixerat enim Michęas regi infelicem exitum belli, ineundi ab eo contra Aſsyrios, at Achab ſibi ſpondebat felicem ſucceſſum deceptus ex ore falſorum vatum. *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio & habito in medio tui, ait Dominus.* Idem eſt quod modo ait, cum eo *ſubſtantia* quod ſupra dixerat. *Ero gloria in medio tui.* Ideſt te glorificabo: venit autem Deus, nō greſsibus pedum, ſed ſuæ potentiæ noua operatione vt ſol dicitur ingredi cubiculum, vel domum, nō quia ſubſtantia ſolis illo deſcendat, ſed ex noua illuſtratione. *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa: & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui. Et ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te.* Si ad Chriſtum loquentem referas facilis eſt expoſitio, cuius gratia gentes ſunt vnitę populo Iudaico credenti in Chriſtū, & vna conflata eſt ex eis eccleſia catholica. ¶ Et propterea laudare debent fideles Deum & lætari in Domino, quia Chriſtus eſt caput eorū. Et quia erant errantes ſicut oues ſine paſtore, nūc autem converſi ſunt ad paſtorem & epiſcopum animarum ſuarum. Et eccleſia catholica certa fide tenet, quod Chriſtus eſt à Deo miſſus in ſalutē totius orbis. Vnde Pſal. hāc celebrat miſericordiā dicens, Laudate Dōm oēs gētes: laudate eū oēs populi. Quoniā cōfirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Dñi manet in æternū, *filia Sion* Ieruſalē illa materialis dicebatur filia Sion, quia exarce quæ erat in Siō, tota ipſa ptegebatur, & defendebat. ¶ Myſticè autem eccleſia catholica appellatur filia Sion. Siquidē docta eſt, ab Apoſtolis, qui in Sion accepto Spiritu ſancto legem Chriſti in totum orbem euulgārūt. ¶ Prouocat igitur vates hanc filiam Sion, ad laudem & lætitiam. Vnde Apoſtolus ad Rom. 15. dico ait Chriſtum miniſtrum fuiſſe circuncisionis propter veritatē Dei, ad confirmandas promiſsiones patrū: gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt. Propterea confi

Vnaeſſecū patre Chriſti diuinitas, & à patre realis diſtinctio oſtēditur.

Sed operatione.

1. Petr. 2.

Pſal. 17. *2.Reg.*22. *Pſal.* 116. *Iſaiæ* 12. tebor tibi in gentibus Domine. Et iterum dicit lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum, laudate omnes gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. Et rursus Iſai. ait, Erit radix Ieſſe, qui exurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt. Et frequenter Paulus, hoc idem verſat. Gentium ſcilicet vocationem, & vnionē cum fidelibus ex Iudæorum populo. *Et poſſidebit Dominus Iudam, partem ſuam in terra ſanctificata.* Nunc poſsidet Chriſtus fideles ſuos, qui ſunt eccleſia catholica, at vero non perfectè poſsidet: quia in multis delinquimus omnes. At vero in cæleſti patria, quæ eſt terra ſanctificata à Deo quæ conceditur habitari à ſanctis ſolūmodo perfectè poſsidebit, quando Deus erit omnia in omnibus ſanctis ſuis. 1. Cor. 15. Tunćque clarè manifeſtabitur, quod ſola eccleſia erat pars Dei, & hæreditas eius. *Et eliget adhuc Ieruſalem*; cæleſtem Ieruſalem quæ eſt mater noſtra, illam vnicè diliget Chriſtus, ceu ſponſam ſuā. Vnde Apoſtolus: Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiā: & ſemetipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ verbo vitæ. Vt exhiberet ipſam ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam neque rugam. Epheſ. 5. id quod prorſus abſoluetur in cæleſti patria. In præſenti enim ſeculo, rugæ ſunt & maculæ peccatorum, quippe multa patiuntur fideles propter peccata, ideſt ad purgationem ſuorum peccatorum. At vero in cæleſti patria eliget adhuc Chriſtus Ieruſalem, ideſt eccleſiam ſuam, reddens eam glorioſam, & immaculatā prorſus. *Sileat omnis caro, à facie Domini.* Id eſt, cum venerit Chriſtus iudicare orbem, tūc omnes peccatores ſilebunt in aduētu eius. Ideſt confundentur omnes infideles, & peccatores qui obſtinati in peccatorū amore deceſſerunt. Nunc autē iſti multa moliuntur contra Chriſti eccleſiam, eam vexando, & turbando, at vero tunc ceſſabūt ab omni vexatione & turbatione. Quia nihil poterunt aduerſus eam. Ideo ait, *Sileat*, ideſt, *Silebit*, à facie maieſtatis Chriſti, quia ſecundus aduentus erit in maieſtate magna. *Quia cōſurrexit de habitaculo ſancto ſuo.* Ideſt, qui hactenus diſsimulat hominum peccata, & blaſphemias, & infidelitates, & hæreſes, tunc autem ſurget quaſi qui à ſomno excitatur: deſcendet enim de cælo, & veniet rationem ſubducturus de cūctis cum ſeruis ſuis. ¶ Gloſſa ordi. totum hunc locū credit poſſe intelligi impletū fuiſſe ſub Zorobabele & Ieſu filio Ioſedech. Et quod ait, *Lauda & lætare filia Sion*, retulit ad laudem Dei propter captiuitatis Babylonicæ ſolutionem. Aptior tamen eſt noſtra quæ eſt communis interpretatio, videtur enim, nō cohærens textui, illi. *Exurrexit de habitaculo ſancto ſuo*, id eſt de habitaculo prophetarum, & prophetarū &c.

Ad Romanos 3. *Epheſ.* 3. *Galat.* 1. *Coloſſ.* 1. *Eccleſia catholica militans maculas, & rugas habet at triūphans eas deponet.*

EXPLANATIO
IN ZACHARIAM
CAP. III.

Quinta viſio.

Oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram angelo Domini. Hæc eſt iam quinta viſio. Huius autē capitis inſtitutū eſt conſolari Ieſum ſacerdotē magnū, cuius peccata eſſe condonata oſtendūtur ex viſione. Et obiter immiſcet vaticiniū de vero ſummo pontifice Chriſto: quē adūbrabat ille alter Ieſus ſummus pōtifex cuius hic vates magnā facit mentionē. *Dominus*, non eſt de textu Hebræo, etſi addatur in textu Græco. Vidit igitur ex diuina reuelatione Zacharias Ieſum pontificē magnū ſtantē corā angelo Dei. Qui angelus Dei, creditur Michael ſynagogæ princeps. *Et Satan ſtabat à dextris eius vt aduerſaretur ei.* Vidit quoq; viſione imaginaria diabolū, qui Hebrai. Satan, ideſt aduerſarius appellatur, ſtabat autē à dextris pontificis, vt accuſaret eū. Eſt nanque diaboli hæc occupatio accuſare electos Dei. Proiectus ait Ioānes diabolus, qui eſt accuſator fratrū noſtrorū *à dextris*, iuxta illud, cadent à latere tuo mille, & decē millia à dextris tuis, ad tē autē nō appropinquabūt. Interlin. ideo ait, à dextris eſſe accuſatorē, quia vera erat accuſatio. Erat autē accuſatio huius pontificis, quod permiſerit Iudæos ducere alienigenas vxores. Et quod filij eius item ducerēt cōtra legem Dei Exod. 34. Quod autē ipſe eadē culpa fuerit maculatus, ſcriptura nō teſtatur. ¶ Quod vero tūc multi Iudæi, alienigenis mulieribus, & mulieres Hebrææ, alienigenis viris eſſent copulatæ, Eſdras lib. 1. cap. 9. nos docet. Quia ergo ipſe Ieſus qui erat pontifex cui incūbebat peccata populi coercere, nihilominus illa diſsimulabat, aut acriter, & durè non corripiebat, ſed blando ſermone, vt Heli, peccata

Apoc. 12.

1. *Reg.* 3.

peccata ſuorū filiorū, nō dura, ſed molli increpatione obiurgabat: ideoq; Heli fuit à Dño tunc correptus, & modo Ieſus pontifex fuit coram Deo accuſatus. Et quia euaſit accuſationē, eiuſdem legitima pœnitentia inſinuatur. *Et dixit Dñs ad Satā.* Increpet Dñs in te Satā. *Et increpet Dñs in te qui elegit Ieruſalem.* Deus ſe loquitur in tertia perſona. Increpet, ideſt increpatione ſua diſſoluat tuā accuſationē. Increpet, id eſt increpabit, & repugnabit tuæ peſsimę volūtati, accuſando pōtificē. Nā etſi accuſatio erat vera, affectus diaboli erat peſsimus, quod Deus non condonaret peccata pontificis, ſed in illa animaduerteret deijciendo eum à ſummo ſacerdotio: vnde reſultaret confuſio, & perturbatio populi: vnde templi & vrbis abſoluta reſtauratio impediretur, id quod Satanas prætendebat. *Increpet* increpatio iſta, erat facere nullam accuſationem Satanę, vt quando Dominus increpauit mare, continuo ceſſauit tempeſtas. Bis autem repetit. *Increpet*, vt certiſsimam faceret accuſationis dilutionem. *Elegit Ieruſalem*, hoc eſt chariſsimā habet Ieruſalem, ideo tua increpatio diluenda eſt, ne Ieruſalem detrimentum patiatur. *Nunquid non iſte torris eſt, erutus ex igne*, vel ex incendio. Vocat incendium captiuitatem Babylonicam, quaſi dicat, iſte Zorobabel, expertus eſt dudum Dei miſericordiam, erutus, vt torris ab incendio, ex captiuitate Babylonica, vnde non ſperes Satan, eum deponendum à ſummo ſacerdotio, quia venit de Babylonia, vt templum reſtauret, & vrbem. *Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordibus & ſtabat ante faciem angeli, Sordidas veſtes vocat peccata,* de quibus accuſabatur à Satana, videlicet negligentia in non corripiendo maximè filios ſuos, quod cōnubia prophana iniuiſſent. Vt enim quenpiam dicimus ornatum in virtutibus, ita peccatum veſtitum ſordibus aptè dicemus. Sed ait aliquis, ſi Dominus reiecerat accuſationem Satanæ, ergo iam non erat in peccato, qua ergo ratione traditur ſtare ante faciem angeli ſordibus indutum. Reſpondetur tantiſper dum non erat oſtenſa eius purgatio à peccato, dicitur ſordibus indutus. *Qui reſpondit & ait, ad eos, qui ſtabant coram ſe dicens,* Coram Michaele, videbantur alij angeli, quibus non erat patefacta purgatio criminis Ieſus ſacerdotis magni, ideo coram eis apparebat veſtitus ſordibus. Quod ſi veſtem exteriorem dixerit aliquis tunc apparuiſſe ſordidam, vt inde peccatū veſtiti demonſtraretur non refragor. *Auferte ſordida veſtimenta ab eo*, vnde videtur fuiſſe veſtitum veſtibus ſordibus exterioribus, vt peccatum ſuum ex veſte ſordida pateret. Iubet igitur Michael, alijs angelis ſibi inferioribus qui ibi ſtabant in viſione illa, vt auferrēt à pontifice illo ſordida veſtimenta, ad denotandū iam eſſe eiuſdē culpam purgatam. *Et dixit ad eum ecce abſtuli iniquitatē tuā, & indui te mutatorijs,* Ideſt veſtes pretioſas. Si quidē prior eſt remiſsio culpæ, quā infuſio gratiæ, ideo primo auferuntur ſordidæ veſtes & dein induit pontifex veſtibus feſtiuis. *Et dixit ad eum ecce abſtuli iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.* Nō quod angelus vel ſupremus poſsit auferre vel condonare peccatū, & infundere gratiam, quia iſtud ſolius Dei eſt, at vero ſigno denotabat angelus dimiſſam eſſe culpam pontificis, & collatā ei eſſe Dei gratiam, videlicet præcipiens exuere veſtes ſordidas, & feſtiuas eum induere, vt Iſaiæ 6. Seraphim calculo traditur ignito, purgaſſe Iſaiæ peccatum. Non quod angelus condonauit culpam, Sed demonſtrauit ſigno illo externo eſſe à Deo condonatam. *Et dixit ponite cidarim mundā ſuper caput eius.* Id eſt, tiaram pontificiam. Vnde videtur per veſtes mutatorias, intelexiſſe vatem, alia ornamenta pontificalia. Diabolus prætendebat ex culpa pontificem eſſe deponendum, angelus autem Michael ex pœnitentia, præcipit eū eſſe ornandum veſtibus pontificijs. Non me latet Theodoretum voluiſſe, has veſtes ſordidas, quibus oſtēditur veſtitus, Ieſus hic, nō eſſe propter peccata ipſius, ſed potius ſubſignificaſſe peccata populi cui ipſe pōtificia dignitate præerat. ¶ Et quidem ſcriptura non refert quale erat hoc peccatum huius pontificis. Verum obſtat Theodoreto, quod hic traditur. Ecce abſtuli iniquitatem tuam. Potērat reſponderi, quod vocatur iniquitas pontificis iniquitas populi, pro quo ipſe orabat auferendam. Vt in Daniele legimus cap. 9. cumque confiterer peccata mea & populi mei. Dixit eſſe ſua ſanctus Daniel, quæ erant populi cui ipſe dominabatur: & veſtes ipſum populum etiam denotant. Nam vt veſtes hærent corpori, ita & populus hæret ſuis principibus Iſai. 49. omnibus vt ornamēto veſtieris. Ideo veſtes ſordidæ, populū

Diabolus etſi vera accuſatione electos deferat, at expeſsimo defert affectu.

Populus subditus est tanquã ve stis suprin cipis.

esse in sorde culparum insinuabat. Et re-
nouatio vestiũ populo esse dimissa pecca
ta, ob preces sui pontificis subnotabatur.
Porro autem, de re hac nihil cõtenderim,
etsi secundum planum literæ sensum pon
tificem fuisse in culpa, videtur, Satanas
enim eum accusat. Quod si dixeris esse fal
sam accusationem, ideo increpatã à Deo,
imo videtur vera, quandoquidem, ange-
lus ait abstuli iniquitatem tuam. *Et posue-
runt cidarim mundam super caput eius: & in-
duerunt eum vestibus, & angelus Domini sta-
bat.* Posuerunt angeli scilicet inferiores ad
præceptum Michaelis in visione, impo-
fuerunt mitram in capite Iesu filij Iose-
dech. Quod si dixeris cur non nominatur
modo Iesus filius Iosedech, vt supra sem-
per cognominabatur? dicito, sufficit di-
xisse modo sacerdotem magnum, vt deno
taret vates esse eundem quem prædixe-
rat esse filium Iosedech. *Et angelus Domi-
ni stabat*, ideſt, Michael, adhuc stabat in il-

Angeli superiores præcipiũt inferioribus.

la visione, vt aliquid aliud facturus. Hinc
tu considera, angelos inferiores obtempe-
rare præcepto superiorum, à quibus illu-
minantur in faciendis ab ipsis: istud enim
pertinet ad ordinem hierarchicum. *Et con
testabatur angelus Domini ad Iesum dicens, Si
in vijs meis ambulaueris, & custodiam meam
custodieris, tu quoque iudicabis domum meam,
& custodies atria mea: & dabo tibi ambulãtes,
de his qui nunc hic assistunt.* Admonet ange-
lus Iesum sacerdotem magnum vt remis-
sionem peccatorum consecutus Dei man
data diligentius custodiat. *Custodiam custo-
dire*, est cæremonias, & alia legalia, quas
lex præcipiebat custodiendas custodire.
Quod si hæc fecerit Iesus hic, pollicetur,
Deus pontificalis dignitatis vsum multo
æuo sibi concedendum. Imo vt videtur,
sibi & posteris suis videtur hæc pollicita-
tio diuina facta sub conditione præpoſi-
ta. Quale illud in Dauide, si mandata mea
seruauerint sedebunt super sedem tuam,
&c. *Et dabo tibi*, comites, & directores pro
tuo munere sanctè ministrando, *ex his*,
ideſt ex numero angelorum, qui hic mihi
assistunt. Translatio Vatabli, aliter legit,
tibiq; inter istos stantes transitus dabo, quod
refert ad cælestem patriam, vt vtroq; præ
mio donet Iesum istum, & temporali põ-
tificalis muneris, & æterno videlicet,
quod transeat inter choros angelorũ, qui
Deo assistunt.

¶ *Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui
qui habitant coram te, quia viri portendentes
sunt.* Græca. *Tu & proximi tui qui sedent an-
te faciem tuã, qui portentorum spectatores sunt.*
Hæc vltima pars refertur ad consolatio-
nem totius populi, ex prædictione ven-
turi Messiæ. Ideo captat attentionem põ
tificis, & proximorum seu amicorum suo
rum, ceu rem magnam prædicturus vates.
¶ Sũt qui putãt hos amicos fuisse Aggæũ
& Zachariam, & Malachiam, qui ea ætate
floruerunt. Alij credunt fuisse Ananiam,
Azariam, & Misaelem, quos diuina virtus
eripuit ex incendio Babylonici fornacis.
Et quia isti erant prophetæ, ideo vocat
eos portendentes, vel prænidentes, magna
lia Dei, in posterum futura. Et quia pro-
phetæ erant, aut digni quibus reuelatio
prophetica communicaretur, ideo ange-
lus, eos prouocat ad attentionem. *Ecce ego*

Varietas translatio nis.

adducam seruum meum orientem. Pro Orien-
te Hebr. habetur nomen *Zema*, quod signi
ficat germen, à verbo Zama, quod signi-
ficat creuit, vel germinauit. Et Isai. 4. Erit
germen Domini in magnificentia, scribi-

Scribitur per Zade.

tur eadem vox *Zema Iehoua*, germen Do-
mini. Et si Septuaginta alio ibidem alio
diuerterunt significantiam nominis, &
item Ierem. 23. Suscitabo Dauid germen
iustitiæ, & idem. 33. eadem vox scribi-
tur. At vero noster interpres secutus Græ
cam in hac parte translationem, transtu-
lit *orientem*. Theodoretus autem, intel-
lexit hoc vaticinium de Zorobabel, qui
ortus est de tribu Iuda. Cuius meminit
modo, postquam meminerat pontificis
quem promittit futurum præclarum in-
star orientis. At vero, quia Chaldæus pa-
raphrastes vbi legimus *germen*, ipse tran-
stulit Messiam, & Hebræi ad Messiam itẽ
referunt hunc locum, indignum est Chri-
stianis, in Zorobabelem referre. Et reuera
nisi violenter aptari non potest locus Zo
robabeli, sine legamus *orientem* siue *germẽ*.
Hæc enim Christo Domino congruentis-
simè aptantur. Ipse enim est oriens ex al-

Luc. 1.

to, vt Zacharias pater præcursoris cecinit,
Per viscera, inquit, misericordiæ Dei no-
stri, in quibus visitauit nos oriens ex alto
oritur enim ex patre, æterno ortu, oritur
Deus, de Deo, lumen, de lumine. Et nati-
uum est splendori, vt ex luce ducat ortum
Christus autem est splendor patris, & fi-
gura substantiæ eius. At vero quod ait,

Ad Hebr. 1.

Adducam seruum meum germen, item aptissi
mè de Christo prædicatur est enim germẽ
æter-

Christus oriẽs Christus germẽ Domini per antonomasiam Christus germen iustitiæ.

æternum, germinatum ex patris substan-
tia. Etenim ipse est filius Dei secundum
naturã, nõ secundũ adoptionẽ: filius autẽ
germen est patris. Et quia hæc filiatio trã-
scendit omnem filiationem, superat & ex-
cellit vniuersas quas habet natura, & ado-
ptio, ideo per excellentiam quãdam signi
ficationis vocatur germen. ¶ Adhæc ger-
minatus à virgine matre, Spiritu sancto
superueniente, & virtute altissimi eam
obumbrante, ideſt confortante viscera vir
ginea, ideo qui est germen Dei patris æter
num sine matre, est germen temporale ma
tris sine patre, siquidem sub tempore na-
tus ex virgine est, non ab æterno. Ideo nõ
ab re vocatur germen Domini, quia quate
nus Deus germinatur Christus in Deita-
te, à Deo patre Domino vniuersorum, &
ab Spiritu sancto Domino, germinatus
est in vtero virginis matris. Et hoc germen
est in magnificẽtia vt prædixit Isaias: quia
sedet ad dexteram Dei patris in cœlo, &
in terra ab vniuersali ecclesia adoratur, vt
Deus, & homo verus. ¶ Rursus vocatur
germen Dauid iustitiæ, siquidem à Dauid
deduxit Christus carnis suæ genus. Est
autem iustitiæ germen. Siquidem ipse iu-
stificat omnes peccatores mundans eos la
uacro aquæ in verbo vitæ. Quia igitur
Christus Prophetis prioribus vocatus est
germen, ideo ait modo. *Adducam seruum
meum germẽ. Quia ecce lapis quem dedi coram
Iesu, super lapidem vnum septem oculi*, Chri-
stum vocat lapidem in scripturis, est pror
sus manifestum, iam lapis angularis, iam la
pis cõtradictionis, & petra scandali. 1. Pe-
tri. 2. Isai. 28. Psal. 117. ad Rom. 9. Matth.
21. Actor. 4. & alias. Quem dedi ideſt ma-
nifestaui vẽturum Iesu sacerdoti magno,
quia ex suo Pontificatu, & nomine Chri-
stum adumbrabat, & est tunc mutatio per
sonæ, *Quem dedi coram Iesu*, ideſt tibi mani-
festaui Iesu. *Super lapidem*, per septem ocu
los, possumus intelligere plenitudinem di
uinorum charismatum, quæ erant in Chri
sto. Nam septem, in scriptura non determi
natus septenarius significatur, sed plenitu

Ioan. 3. Coloss. 1. & 2. Ioan. 1.

do quædam, Christo autem est datus spiri
tus, & non ad mensuram in ipso enim ha-
bitat plenitudo diuinitatis corporaliter
& de plenitudine eius omnes accepimus.
At vero, quia hoc loco oculus non signifi-
cat oculos materiales, sicut neque lapis
vsurpatur pro lapide materiali, vt præ-
dictum est. At translatitiè pro Christo acci-
pitur, cuius doctrina est firmissima seu la-
pis. ¶ Et ipse est fundamẽtum solidissimæ
veritatis, super quo omnis ædificatio con
structa crescit. Ephes. 2. Vnde omnis reli-
gio, omneque opus, quod nõ fundatur su-
per hoc lapide, vanum est, quia nõ potest
proficere ad vitam æternam, ideo non ab
re Christus cognominatur lapis. ¶ Verum
quia oculus transfertur, ad sapientiam, &
cognitionem, propterea per septem ocu-
los Prophetas sanctos omnes, & Apostõ-
los & Patriarchas, qui nouerũt Christum,
vel in carne vt Apostoli, vel in spiritu vt
sancti vates, subintelligere, rationabilius
videtur. ¶ Nam omnes commemorati in-
tendunt in Christum, imo & angeli omnes
in quem vt ait Petrus desiderant Angeli
prospicere. Imo & omnes fideles in Chri-
stum intendunt: super quæ hunc lapidem
ædificare studeant, vitæ æternæ merita. Isti
ergo sunt septem oculi super hunc lapi-
dem. Et oculus qui non est super hunc la-
pidem nihil videt cœlestiũ, sed cæcus est.
¶ At vero hæretici existimant se esse ocu-
los super hunc lapidem positos, & decipi-
untur. Imo sunt cõtra hunc lapidem, &
non super hunc lapidem: quia doctrina eo
rum vt cancer serpit: & quanuis Lutherus
fidem Christi magnificet, at vero nõ erat
oculus in hoc lapide, imo contra hunc la-
pidem: ideo cæcus erat oculus Lutheri, &
cæci sunt oculi Lutheranorum, siquidem
Chrso laudãti opera moralia, sitiui inquit
& dedisti mihi bibere esuriui, &c. ipsi re-
pugnãt, inficiantes esse necessaria. Habuit
igitur lapis hic oculos superse antequã ve
niret in orbẽ, oẽs animas iustas, quia saltẽ
fidẽ implicitã Christi habebãt, & postquã
iã adest, oẽs fideles per fidẽ explicitã eum
videt. Nãq; omnis turba quæ præcedebat,
& quæ sequebatur, in solenni illo ingressu
in Ierosolymã, decãtabat Osanna filio Da
uid. Benedictus qui venit in nomine Do-
mini. Vt significaretur, & præcedentes
Christi aduentum iusti, & subsequentes,
oẽs esse velut oculos aspicientes in Chri-
stum, vt in fontem perennem salutis æter
næ. *Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Domi
nus exercituum, & auferam iniquitatem terræ
illius in die vna.* Sculptura non fit sine fos-
sione, innuit igitur lapidem quem prædi-
xerat, esse excauandum, Deo permittẽte.
Quia traditus est in manus peccatorum
Christus, & foderunt manus eius atque pe
des clauis, & lancea latus eius patefecerũt,

Omnes animæ iustæ in Christũ intendũt.

Lutherus explodi- tur.

ex quo ablatā fuit iniquitas totius mundi in die mortis Christi. ¶Quod si dixeris si ablata est iniquitas totius mundi tūc, quo modo tot sunt in mundo peccata? Respondetur ablata esse peccata, quantum ad sufficientiam. Quoniam Christi mors ex se sufficiens est ad delendum peccata totius mundi quippe est meriti infiniti.

Mors Christi est antidotum nostrorū peccatorum.

¶At vero quia mors Christi, est veluti antidotum nostrorum peccatorum antidotum autem nihil proficit, nisi vulneribus applicetur: ita propemodūm mors Christi nisi hominibus applicetur, proficiet nihil. ¶Applicatur autem per fidei sacramenta. In sacramentis enim instituit Christus adesse virtutem suæ passionis: etsi non eodem modo in omnibus, ideo nec esse est, eum qui volet frui hoc diuino antidoto, vt sacramentis ecclesiæ subdatur: quæ sunt veluti vehicula virtutis passionis Christi ducentia gratiam Christi in corda eorum qui legitimè ea suscipiunt.

Mors Christi est infiniti quo ad sufficiētiam.

¶Rursus est ablata tūc iniquitas, quia animæ sanctorum, quæ clausæ erant in lymbo, detentæ ibidem quia naturæ peccatū, ideſt originalis culpa, nondum expiata prorsus erat Christi morte fuerunt solutæ testante Domino, Hodie mecum eris in paradiso. Etenim illa culpa reddit homines Deo inimicos, & subdit eos pœnæ æternæ, damni videlicet, vt vocant Theologi, verum inimicitiam culpæ abstersérat iam vel circuncisio, pro Iudæis, vel alia sacrificia pro ijs qui sub lege naturæ degebant, operante per hæc, & illam fide in sanguinem Christi, cæterū pœna, ex qua orbabantur diuina fruitione, non erat expiata, quia etsi commutata in temporalē, per circuncisionem, aut per sacrificia quædam in lege naturæ, à Deo secreta reuelatione instituta, ad expiationem infantiū, at vero adhuc manebat ipsa temporalis lymbi pœna per Christum expianda. Et illam expiauit per mortem suam. *In die illa dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum, subter vineam, & subter ficū*, ideſt, erit gaudiū magnū fidelibꝰ, recognoscētibus se esse liberatos à Satana, ꝓpter Christi mortē, cuius virtutē percipiūt ex sacramētis, vt est gaudium ijs quiinuitant amicos suos ad prādia, subtus vites, aut ficus suas.

Moralia & mystica.

Allegoricus sensus huius, non est ineptus si ad Christum referas, qui satis adumbratur per Iesum sacerdotem magnum filium Iosedech. Est enim Christus sacerdos magnus, summusq; Pontifex ecclesiæ catholicæ, sicut in Psalm. Dauidico cantatur, Tu es sacerdos in æternum secūdum ordinem Melchisedech. Enimuero obtulit seipsum in sacrificium, in odorem suauitatis, Ephes. 5. Et sicut Melchisedech panem & vinum obtulit ita Dominus carnem suam, & sanguinem obtulit Deo patri in cruce moriens. Imo etiam cœnans cum apostolis suis, in nouissima cœna, panem consecrans, & vertens in corpus suū, & vinum in sanguinem, ibidem se Deo patri obtulit sub panis specie, & vini abscondens seipsum. Ideo Paulus ait ad Hebr. 4. Habentes pontificem magnum, qui pene trauit cælos Iesum. ¶Et reuera solus ipse dignissime appellandus pōtifex magnus. ¶Et ratione personæ quia persona diuina est. ¶Et ratione sacrificij, quia seipsum obtulit hostiam immaculatam, Deo viuenti. ¶Et ratione fructus huius sacrificij. Quippe hoc sacrificio placauit iram Dei patris contra humanum genus ex peccato primitiuo, & ex alijs peccatis conceptam. ¶Reserauit cælestes ianuas. ¶Fregit vires Satānicas. ¶Conciliauit hominibus Dei gratiā. ¶Æquales fecit homines angelis Dei. ¶Donauit nos adoptione filiorum Dei. ¶Abegit à nobis peccati miserrimam, qua detinebamur, seruitutem. ¶Adiecit fiduciam cōdonandorum peccatorū. ¶Spem ad vitam comparandam æternam, excitauit in nobis. ¶Charitatemque & amorem ad diuina præstitit, & ad negligendum & fastidiendum humana vires contulit, & demum hoc sacrificium, consummatio est omnium sacrificiorum: quia sanctos perducet, ad consummatam gloriam, & animorum, & corporum. Quocirca pendens in cruce Dominus dixit, Consummatum est. Etenim diuinum consummauerat sacrificium: quare ostendit, vniuersa alia sacrificia quæ erant typus, & vmbra huius sacrificij abolita esse. In præsentia enim maioris cessat officium minoris: & præsente luce fugiunt tenebræ. ¶Porro autem Satanas stetit à dextris huius pontificis, vt aduersaretur ei, quando in deserto, accessit diabolus & Dominum tentauit, Matth. 4. fuit autem tentatio hæc sine peccato, vt Apostolus ait, Tentatum per omnia sine peccato. Quem Dominus increpauit dicēs, Vade retro Satana, quia scriptum

Christus verè est pontifex magnus.

Sacrificij Christi vires.

Mors Christi est consummatio omniū sacrificiorū.

Hebr. 4.

scriptum est Dominum Deum tuum non tentabis, sed illi soli seruies.

¶Quod vero Iesus ille filius Iosedech, videtur à Zacharia sordibus vestitus, Isaias docet, quæ sint sordes iste vestimētorum nostri veri Pontificis Christi, languores nostros ipse tulit dicēs, & dolores nostros ipse portauit, & nos reputāuimus eū quasi leprosum, leprosos enim ejciebant à sua consuetudine Iudæi, & Dominum duxerunt in verticem montis cuiusdā vt ipsum inde præcipitarent. Et pœnam imposuerunt Principes sacerdotum electionis à tē plo, siquis Christum confiteretur. Paulus item. 2. Cor. 5. has sordes exponens ait, eū qui nō nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Et ad Gala. scribēs. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Quia scriptum est. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Etsi in Deut. traditur, Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. Verum Hierony. credit, à Deo, esse additum ab hostibus legis Christianæ post Christi mortem, quia in antiquis Hebræorum codicibus non habetur à Deo, vt nobis obijcerent esse Christū maledictum à Deo, qui alioqui est summè benedictus, lege Hierony. lib. 2. commen. ad Galat. cap. 3. & Paulus nō dixit à Deo, sed maledictus qui pendet in ligno. ¶At vero aduertendum est, quod littera Hebræa, habet maledictio Deo, omnis qui pendet in ligno. Nanque mors crucis solū infligebatur vel ob grauissima cōtra Deū aut proximum, vt propter idololatriam, vnde Iosu. 8. rex Hai fuit crucifixus iubēte Iosue, & 2. Reg. 21. filij Saul quia Gabaonitis valde nocuerunt. Quocirca execarbilis erat Deo finiēs in cruce vitam, nō propter ipsam mortem sed ob mortis causas prædictas, ideo dicitur quod erat execratio Deo talis in ligno suspensio. Et Dominum, quia eum culpabant de blasphemia quia illi obijciebant quod filium Dei se faciebat. Hacque de causa ipsum in ligno suspenderunt, etsi blasphemia nō crucis multa expiabatur sed lapidis Leui. 24. ¶Cæterum idem dictu est, quod Paul. 2. Corint. dicit, pro nobis peccatum fecit, & quod ad Galat. 3. scripsit quod Christus se fecit maledictum. Siquidem quod ait peccatum pro nobis fecit, sensum hunc habet, ideſt Deus fecit filium suum esse sacrificiū pro peccatis nostris. Sacrificia enim quæ offerebantur pro peccatis, ad expiationem eorum, peccata appellantur siquidem propter peccata illa offeruntur. Ideo per metonimiam, effectus arripit sibi nomen causæ suæ, vnde descendit. Vnde in Osea legimus sacerdotes populi peccata manducare similiter quoque, quia mors est diuina maledictio. Etenim cum immortales, ideſt potentes nō mori creasset Deus protoplastos, transgrediendo Dei mādatum subdidit Deus eos mortis maledictioni, dixit enim. Maledicta terra in opere tuo, & puluis es & in puluerē reuerteris. ¶Quia igitur culpa est maledictio, mors quæ ab ea deriuatur est maledictio nō culpæ, sed pœnæ, ipsa nanque mors vt naturalis non est maledictio, sed vt est culpæ, pœna. ¶Dominus igitur hanc sponte accepit maledictionē, quæ à Deo inflicta fuit primo homini propter transgressionem. At vero Christus innocens agnus, vt deleret hanc transgressionem, accepit mortis vt pœnalis erat maledictionem. ¶Quod si dixeris si mors vt pœna peccati est maledictio à Deo, cur solum traditur maledictio à Deo omnis qui pendet in ligno? Respōdeō, quod maledictioni prædictæ, addebat gradum alterum maledictionis suspensio in ligno. Quia mors illa infligebatur, ob causas commemoratas, quæ erant coram Deo, execrabilia peccata. Et Dominus qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius crucis mortem, quæ erat summæ maledictionis subire voluit, vt nos expiaret ab omni maledictione culpæ, dum hic agitur, & pœnæ in seculo vēturo quando sancti, deuicta morte corporis glorioſi migrabunt, ad cœlestem vitā. ¶*Et quod sequitur, Auferte vestimēta sordida ab eo*, est quod Apostolus ait, Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est: quod autem viuit, viuit Deo. In die igitur triumphalis Resurrectionis deposuit Christus mortalitatem sui corporis, & contumelias sibi illatas, gloria Resurrectionis detersit. Ideo angelis ait, *auferte*. Non quod angeli Christū suscitarūt ex mortuis: nāque ipse propria virtute se excitauit à mortis somno; at vero quia angeli dixerūt. Quid quæritis viuētē cū mortuis, surrexit nō est hic &c. *Ideo ait auferte ab illo vestimēta* sordida, ideſt prædicate iā nō esse mortalē, & passibilē Christū. Et dixit ad eū, *Ecce abstuli à te iniqui-*

Cap. 4.

Mors qua tenus naturalis nō est maledictio quia brutis conuenit sed vt est peccati pœna.

iniquitatē tuā. Ipſe Chriſtus, qui eſt angelus magni cōſilij vt Deꝰ eſt, ſibi dicit, vt homo eſt ecce abſtuli à te, &c. Qui modus loquē di eſt vſitatus in diuinis ſcriptis. Vnde illud Paule Paule cur me perſequeris? Et quidem Paulus nō poterat perſequi Chriſtum regnantem iam in cœlis: at vero quia perſequebatur fideles, qui erant Chriſti membra, ideo perſecutionem membrorū ſuam eſſe teſtatur Chriſtus. Vt ſi vulneratus eſt pes, caput inquit ſe habere vulnus, cum tamen caput alioqui illo vulnere non ſit læſum; ſed ſolum pes. Idem in Pſalmo, Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita, quæ verba in perſonam Chriſti referuntur, non ratione ſui, ſed ratione membrorum ſuorum.

Libr. 3. de doctr. Chriſtia. c. 31. ¶Iuxta enim regulam Ticonij primam, quam probauit Auguſt. lib. de doctr. Chriſtiana. Quæ de Chriſto dicuntur ſi ipſi nō congruunt, ad membra ſua, ſunt referēda. Chriſtus igitur qui impeccabilis eſt, peccata ſuorum membrorū, dicit eſſe ſua Iſaia teſtante. Poſuit in eo Dominus iniquitatē omnium noſtrum, & Petro concinente, peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignū. Quod ergo ait, *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam*, explicatur ex verbis quaſi finalibus, huius capitis. Ego cælabo ſculpturam eius ait Dominus exercituū; & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. Quia ergo Chriſtus per mortē ſuam mundauit eccleſiam ſuam, vt ab Ezechi. cap. 36. prædictum erat, Effundam ſuper vos aquā mundaui, & mūdabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris, ideo ait. *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam*, ſiquidem eccleſia eſt Chriſti corpus myſticum, ideo quod ſolū membris Chriſti poteſt competere, ex vnitate capitis cum corpore, capiti tribuitur. *Et induite mutatorijs, & dixi, ponite Cydarim*, Chriſtus vt Deus ſe hominē veſtiuit gloria immortalitatis, & demonſtrauit ſe eſſe Deum dicens. Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo & in terra. Hęc eſt mitra Chriſti, quia in nomine Ieſu, omne genu flectitur, & cæleſtiū, & terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua cōfiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, eſt in gloria Dei patris. Hæc mutatoria veſtimenta eius, ideſt pretioſiſsimæ gloriæ dotes, quibus beatiſsimum corpus eius ſurgens à ſepulchro fuit exornatum. Moraliter eandem ex hoc capite admonentur Pōtifices

Cap. 53. *1. Petr. 2.*

inuigilare ſuper gregem ſuum. Enim vero ex eorum deſidia, & inertia inimicus homo in agro Domini ſuper ſeminat zizania vel prauæ doctrinæ, vt hoc æuo accidit in Germania, & ſæpè accidit in eccleſia Dei, aut peſsimorum morum ex eorū negligentia reſultat ſtrages non exigua in populo Dei. ¶Ideoque nunc vates noſter vidit in viſione Prophetica, Ieſum ſacerdotem magnum indutum ſordibus. Nēpe, quia negligens erat in coercendis ſuorum ſubditorum culpis; ideo ex negligētia hac culpabili anima eius ſordida erat coram Deo. ¶Quod ſi ſola omiſsio culpa eſt, quid quod, ſi illi iungitur commiſsio? ſanè Nauclerus cui incumbit nauis adminiſtratio, ſi ad vtramque aurem dormiat, & naui periclitanti non ſubueniat, ideoque nauis naufragetur. Equidem naufragij ipſe eſt reus: quia cauſa eſt priuatiua, vt Philoſophi trādunt ſubmerſionis nauis. At vero, eccleſia naui confertur, quæ fertur ſuper vndas huius tēpeſtuoſiſsimi maris, quod eſt mundus hic. Huius autem nauis cura Pontificibus committitur: ſi ergo ipſi ſe ipſos curant, & eccleſiam Dei negligunt, vnde accidit fideles periclitari aut moribus, aut doctrina, vtique cauſa ſunt omniū peccatorum quæ ex ſua negligentia pullulant in eccleſia Dei. ¶Et quantūuis ipſi virtutem iactent, nihilominus ſordentibus ſunt veſtibus induti coram Deo, qui eſt cordis inſpector. ¶Nonne dux erit in culpa ſi exercitum ſibi commiſſum deſeratiſsimo & damna exercitus, quæ ob eius negligentiam paſſus eſt, ipſe tenetur reſarcire. Quoniam qui cauſam damni dat damnum dediſſe videtur. ¶At vero Pontifices ſunt duces Chriſtiani populi, quādiu fideles in hoc ſeculo, militiā agūt cum Satana. Si ergo duces dormiunt, exercitus peribit & ipſi reddent Chriſto rationem, de omnibus malis accidentibus eccleſiæ, ob eorum deſidiam. Neque ſat eſt modicam adhibere curam vt proſpiciant ſuo gregi, ſed magnam adhibere debent. Reprehendebat vtique Heli Pontifex ſuorum filiorū audaciam; at vero, quia non acriter obiurgabat, iuxta criminis à filijs cōmiſsi grauitatem, idcirco fuit à Domino grauiter punitus. ¶Reprehendebat ſanè: aiebat enim filijs ſuis. Quare facitis res huiuſcemodi peſsimas, quas ego audio ab omni populo? Nolite filij mei, nō enim eſt bona fama quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum

Pontifices ſunt vt Nauclerij dirigentes nauē quæ eſt eccleſia.

Pontifices ſunt duces Chriſtiani populi.

populū Domini &c. 1. Reg. 2. Nihilominus, Deus in pontificem vt negligentē animaduertit, vt ibidē traditur. Enimuero delicti filiorū acerbitas exigebat, nō verbis blandis, ſed duriſsimis de eo admonere, & quando verba non ſat fuiſſent apponere, oportebat verbera. ¶Quid ergo putāt pōtifices ſibi euēturū, quādo neq; verba habēt, admonitoria populi Chriani, vt viās peſsimas deuitent; & bonas ingrediantur?

Epiſcopi ſunt patres ſpirituales fidelium. ¶Ad hæc pontifices ſunt patres fidelium, ſpirituales, ſi ergo tacent quando opus eſt verbo, ſi ocio vacant, quando neceſſarium eſt negotio animorum incumbere, an non ſordibus ſunt veſtiti? Ex vectigalibus, & cenſibus ſibi debitis, neque minimam particulam relinquunt, ſed omnes neruos impendunt, in colligendis fructibus & prouentibus ex epiſcopatibus, vt ipſi & ſui ſplēdidè alantur, & veſtiantur, & tamen in alendis ſpirituali cibo filijs oſcitant, quaſi non eſſent patres. Immemores apoſtolicæ doctrinæ, quod qui carnalia metit, ſpiritualia debet ſeminare. Et qui non laborat non debet manducare. Et bouitriturāti non eſt alligandum os, ſed ſi non triturat, alligandum eſt os. Si ergo ipſi nō triturant, cur habent ora hiantia, vt veſcantur, & impinguentur ex bonis fidelium.

Epiſcopi non abſoluunt munus ſuum benè docē do niſi benè viuāt. Neque tamen ſatis eſt bene docere plebes ſibi à Deo concreditas, niſi bonæ doctrinæ vitam bonam, & exemplarem coniungant. Bona doctrina enim, eſt tanquā ſol ſpiritualis, qui eſt ad condiendas mentes hominum ex peccatis inſipidas, at vero, ſi ſola eſt, vt qui docet non mœchandū mœchatur, docet non furādum furatur, & ità de reliquis, ſal iſte infatuatur: & ad nihilū valet vltra niſi vt mittatur foras & cōculcetur ab hominibus. Nanque Ariſtoteles 6. Ethic. rectè dixit, fidem facere opera ſermonibus. Et neceſſum eſt, vt cuius vita deſpicitur teſte Gregorio in Paſtoral. prædicā tio cōtemnatur. Vnde B. Chryſoſtomus bene ait docendo, & benè viuendo populum inſtruis, quomodo viuere debeat. Bene autem docendo, & male viuendo, Deū inſtruis quomodo te debeat cōdemnare. Et referuntur verba. 40. diſt. in volumine Decret. cap. Multi. Et quia pauci ſunt qui munera epiſcopalia pro muneris ſublimitate adminiſtrent, ideo ibi ſubdit Chryſoſto. §. idem. Quicunque deſiderauerit primatum in terra; inueniet confuſionem in cælo. Neque inter ſeruos Chriſti compu-

tabitur, qui de primatu tractauerit. Nec vnuſquiſque eorum ſuſtinet, quomodo maior alijs appareat, ſed quomodo omnibus inferior videatur. Quoniam non qui maior fuerit in honore, inter homines, ille eſt iuſtior: ſed qui fuerit iuſtior ille maior. ¶Obiter ne decipiant hæc verba Chryſoſtomi, vt hæreticum dogma, aſſerens ſanctitatem facere ſacerdotem, non ordinem, hinc collectum putes, quia Chryſoſtom. dixit, iuſtiorem maiorem eſſe coram Deo, voluit enim Deum animi ſanctitatem, nō ordinis celſitudinem præmiare. ¶Quod vero hoc eodem loco inquit, non omnis ſacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus ſacerdos intelligit de ſacerdotio improprio, ex quo omnes fideles ſunt ſacerdotes: quatenus Deo offerunt ſacrificium ſpirituale, cordis ſui, & ſecundum quod ſunt filij adoptiui ſummi ſacerdotis Chriſti, vnde Petrus dixit, Vos autem genus electum, & regale ſacerdotium, &c. non tamen ſubinde quia ſanctus, ideo ſacerdos. Iudas enim erat non ſanctus, & fuit à Domino ſacerdos inſtitutus. Et Stephanus non fuit ſacerdos, & fuit ſanctiſsimus, vt deſinat Lutherus deſipere, credens bonos mores & fidem ſufficere ad ſacerdotiū. Sed de iſtis nos alibi fuſius diſſeruimus. ¶Ad noſtigitur vt redeamus, diximus epiſcopos, eſſe naucleros eccleſiaſticæ nauis, eſſe duces Chriſtianæ militiæ, eſſe patres ſpirituales fidelium, ideoque illis maximè ſuccenſebitur in die iudicij, ſi voluerunt frui honore epiſcopali, & noluerunt pati labores epiſcopatui annexos. Sunt nonnulli eorū qui totum pondus epiſcopalis adminiſtrationis imponunt ſuis vicarijs generalibus, quos vocant prouiſores, vt ipſi ocio vacent. Cum alioqui iſti prouiſores ſint mercenarij, & non paſtores; ſunt enim quaſi conductitij officiales, ad prouidendū ijs, quæ forum exteriorem ſpectant, at vero præcipua cura debet eſſe expurgandorum animorum à peccatis. Et plerunque hæc cura eſt ſine cura. ¶Equidem iniquus reputabitur ſponſus, qui ſponſam ſuam ſinit ab alijs adulterari: at vero epiſcopi ſunt ſponſi eccleſiæ, ideo annullis decorantur, ſi igitur eccleſiam ſibi concreditā, permittunt diabolo adulterandam, vel peſtiferis dogmatibus, aut corruptis moribus, indigni ſponſi ſunt. Rurſus paſtor gregum materialium, ſi non curat ſedulo gregem ſibi commiſſum mercedem quam refert,

Deus præmiat animi ſanctitatem non ordinis celſitudinē.

Epiſcopi ſunt ſponſi eccleſiæ.

fert, ob gregis curam restituere tenetur. Quid quod si episcopi, qui sunt pastores animorum, si non curant sedulo gregem Christi? equidem census opimos, quos referunt restituere tenentur. Nãque omnis qui male administrat munus sibi iniũctum, mercedem quam refert ob administratione restituere tenetur. Non enim datur merces propter malam, sed propter bonam administrationem.

Qui male administrat munus sibi iniunctum mercedem quã refert ex administratione obnoxiam facit restitutioni.

¶Contra huiusmodi igitur prælatos, qui sordibus sunt vestiti, ex negligentia in administrando rectè, Satanas stat à dextris eorum vt inquit vates noster, accusans est vera accusatione. Nanque Satanas est accusator noster coram Deo, at maximè eorum qui in sublimitate sunt constituti officiorum episcopalium. Nam durissimum iudicium erit his qui præsunt Sapien. 6. Si quidem cum crescunt dona, crescunt rationes donorum Gregorio testante. Et cui multum datum est, multũ petetur ab eo. *Et potentes potenter tormenta patiẽtur, & fortioribus fortior instat cruciatio.* Sapien. 6. Porro autem, si vere pœnituerint & correxerint suam negligentiam, veros animorum pastores se præstantes, imo & corporum, cum indigentia victus & vestitus fideles presserit, Dominus liberabit eos ab hac accusatione Satanica. *Et dicet Dominus increpet in te Satan.* Pœnitentia enim si vera est, increpatio est, & dissolutio Satanicæ accusationis. Et dicetur, quod subditur. *Nonne iste torris est eruus ex igne*, est autem torris lignum semustulatum, quando autem eruitur ab igne, non absumitur prorsus. Per ignem autem subaudimus tribulationes huius seculi, quibus iusti premuntur, tantisperdũ viuunt, at vero, ne tribulationes eos opprimant & absumant, ducendo eos ad desperationem, vt ignis absumit ligna vertens illa in cineres, Dominus præsto est, vt eruat eos. Psal. canente. 33. Multæ tribulationes iustorum & ex omnibus liberabit eos Dominus. Deus enim non permittet tentari eos supra id quod possunt, sed faciet cum tentatione prouentum. 1. Corinth. 10.

¶Similiter si episcopi, sustinuerint mala propter defensam sui gregis, & rectam administrationẽ, Dominus eos eruet vt torrem ab igne vt eruit olim sanctos episcopos Athanasium Hilarium & alios. Tũcque auferentur vestimenta sordida abeis, postquam enim de malo regimine egerint pœnitentiam, mundabit Dominus mentes eorum, & vestiet eos mutatorijs, quia donis cœlestibus mentes eorum exornabit. Et ponet cidarim mundam super capita eorum, quia eos hæreditabit regno cœlesti, benedictio em Domini super caput iusti. *Super lapidem vnum*, septẽ oculi sunt, sanè episcopi ecclesiæ sunt lapides ecclesiæ, sunt enim muri ecclesiæ testante Ezechiele. 13. Neque ait, oppositis vos murum pro domo Israel, & sermo est de prælatis Israelis, isti autem lapides debẽt esse septem oculis præditi, ideſt oculatissimos oportet esse ecclesiæ prælatos. Vt videant quæ mala imminent ecclesiæ, & ideo vocantur speculatores apud Ezechielem. 3. speculatorem dedi te domui Israel. Prophetis autem illius temporis, in nostro tẽpore succedunt episcopi, quippe qui sunt aut debuissent esse doctores populi Christiani.

Episcopi muri ecclesiæ.

¶Ideo Apostolus dixit episcopos oportere esse doctores, & in epistola ad Ephesios pastores, dixit esse doctores à Deo institutos ad consummationem sanctorum. Sed vę, si lapides isti non sunt oculati, sed cæci sunt & duces cæcorum, nã tunc ipsi cum superinducta fabrica, ruent in foueã inferni, væ si habent oculos apertos & perspicaces, ad census ad fructus, ad prouẽtus referendos, ad epulas, & conuiuia quotidie celebranda, ad ditandos cõsanguineos & familiares, at vero clausos ad alendos pauperes, ad cõsolandas viduas, & pupillos, ad subueniendum xenodochijs, carceribusque visitandis, & ad peccata publica corrigenda suis pœnis & censuris, & ad secreta corripienda, nõ vt iudices, quia secreta sunt, & ecclesia de occultis non habet iudicium. Verum vt patres spirituales, illa debent nunc corripere, & correptione paterna saltem illa deterrere.

1. Tim. 3. Ephes. 4.

¶Siquidem vtraque nomenclatione gaudent, nam sunt iudices in foro animæ, & in foro exteriori ecclesiastico, & sunt patres, vt quæ tanquam iudices non possunt corrigere, quia occulta sunt, & testes desiderant; saltem tanquam patres de illis admoneant, & illa corripiant clanculum. Quia reuera si sic foret magnę vtilitatis esset episcopi huiusmodi correptio, & semel subditos atque iterum corripere, tandem esset frugiferum, quia gutta cauat [illegible] lapidem, non his sed sæpè cadendo.

EX-

EXPLANATIO
IN ZACHARIAM.
CAP. IIII.

Visio quinta.

ET reuersus est angelus qui loquebatur in me. Et suscitauit me, quasi virum de somno suo. Hęc est visio quinta, si tamẽ vniuersa quæ visa traditur cap. 4. sub vno viso comprehendantur, vt nos comprehendimus. Et si poterat diduci in tres visiones, quarum prima erat visio Satanæ accusantis, secunda visio Iesus sordentibus vestiti vestimentis. Tertia visio lapidis septem oculis respersi. Nos tamen sub vno viso hæc comprehendimus tria, & iuxta hanc cõmprehensionem, hęc est quinta visio. Scopus autem huius visionis est consolari populum desperatum habentem templi perfectam reædificationem. Et ipsa visio facta est vati, vt ex illa concipiat spem certam, quod templũ esset absoluendum. Enimuero, in templo illo priori Salomonico, iam absoluto, collocatum est candelabrum aureum, cuius structuram docet Moses, Exod. 25. vnde visio candelabri, insinuabat, templũ quod erat inchoatum sub Cyro, esse absoluendum sub Dario. & in eo collocandum candelabrum. Ait igitur. *Reuersus*, angelus ille qui erat doctor Zachariæ, egressus fuerat ideſt alio discesserat, at vero nunc regreditur docturus Zachariam noua de tẽplo absoluendo mysteria. Et excitauit angelus Zachariam, ideſt fecit ipsum capacẽ tanti mysterij, ipsum igitur vatem distractum in alia excitauit ad considerationẽ reuelandi mysterij. *Et dixit ad me quid tu vides? Et dixi, vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius*, istud candelabrum erat simile vero candelabro constituto in templo Salomonico iuxta Sancta Sanctorum, quod tamen conflatũ, erat ex auro purissimo, quale traditur esse aurũ obryzũ, distinguebaturq; summitas eius septem lampadibus, siue septem lenticulis in quibus erant lucernæ, seu lichni lucentes. Vnde videtur hic vsurpatus singularis pro plurali, Hispanè dicere mus, *sete lamparas, en los altos del cãdelero.* Et hoc est quod ait, & septem lucernæ erant super illud: nam in singula lãpade, erat lucerna vna lucens. *Et septem infusoria lucernis quæ erant super caput eius.* Infusoria erant, vbi infundebatur oleum, dicuntur trãsfusoria, vel infundibula, per hæc enim transfundebatur oleum in ipsas lẽticulas, vel lampades. *Et duæ oliuæ super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Si vsurpatur singulare pro plurali, *lampades* pro lampadum oliuæ erant à dextris & sinistris lampadum, si vero singulariter accipiatur, oliua altera erat à dextris lampadis, quæ erat in summitate stipitis mediæ huius candelabri, & altera oliua à sinistris. *Et respondi & aio ad angelum, qui loquebatur in me dicens, Quid sunt hæc Domine mi? Et respondit angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me, Nunquid nescis quid sunt hæc? & dixi, non domine mi. Et respondit & ait ad me, dicens, Hoc est verbum Domini, ad Zorobabel dicens, Non in exercitu, neque in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.* Vates ignorabat quid vellet visum candelabrũ portendere. Quia vt sæpe diximus nõ semper visorum intelligentia propheticorum patet prophetis, vt modo nõ patebat, sed latebat. Quare intelligentiam scisciatur ab angelo suo magistro, vt enim angeli superiores sunt doctores inferiorum, ita & inferiores sunt doctores hominum patefacientes eis arcana Dei, quæ ipsos latent. Vnde sunt doctores sanctorum prophetarum. Satagit igitur doceri Zacharias ab angelo de spectro sibi obiecto. Et angelus eũ docet dicens, *non in robore, &c.* Quasi dicat hoc spectrum, seu visum tibi ostẽsum est, ad solamen tuum, & populi tui siquidem portendit, quod templum Dei sit perficiẽdum & absoluendum, cuius absolutio est impedita à Cambyse: at vero non vestris armis, aut militibus, sed meo fauore, & mea gratia absoluetur per Darium. *Hoc est verbum*, ideſt, negotium, quod tractet Zorobabel: *Quis tu mons magne, coram Zorobabel, in planum*, verba hæc possunt esse vel Dei, vel angeli loquentis cum Zacharia per montem magnum subaudi diabolum huius seculi principem. Nã testante Iob, non est potestas, quæ comparetur ei, ideo vocatur mons magnus. Diabolus enim studebat diligenter obstare reædificationi templi. Siquidem ibidem cultus vni vero Deo erat impendendus, quem ipse nunquam non fastidit. At vero angelus ait, Quis tu diabole, corã Zorobabele, vt possis illi repugnare in absoluendo Dei templo? *In planum*, subaudieris, ideſt, detumescet tua magnitudo, & in planitiem tuum fastigium vertetur, hoc est, Dominus pessunda-

ſundabit diabolicas vires, vt nihil proficiat ad conturbandum Zorobabelis ſtudia, de abſoluendo templo Dei. *Et educet lapidem primarium, & exequabit gratiam gratiæ eius*, obſcura valde eſt declaratio viſionis, quam angelus exhibet Zachariæ. Vnde hunc locum ordin. gloſſa expoſuit, referens ad diuinum verbum, quod Deus pater eduxit quando illud carne veſtiuit, & ſanè lapis primarius, quia per verbū ſuum vniuerſa conſtituit. Et accepta humana carne, fuit gratia æquata gratiæ. Quoniam vocauit Iudæos gratis, & gentes gratis, & æqualiter omnes vocauit ad vnitatē fidei catholicæ. Qui ſenſus ſi de allegoria loci ageretur, aptus eſſet. ¶ Porro nunc nō exquirimus allegoriam: ſed in literalem ſenſum incumbimus. Quocirca aptius iuxta ea quæ hactenus de reædificando templo diximus, intelligemus locum de reſtauratione templi. ¶ Tunc autem rectè dicitur, *Educet lapidem primarium*, ſi per hunc lapidem fundamenta templi ſubintelligamus. Sunt enim fundamenta lapides primarij, reſpectu molis ſtuendæ, fundamentū autem domus eſt in potentia domus, quando autem fundamentis imponitur ædificij moles tunc educitur de potentia ad actum fundamentum. Et hoc eſt quod ait angelus, exponens viſionem præfatam de candelabro, educet Deus lapidem primarium, ideſt, faciet vt conſurgat fundamentum in templum perfectum: fractis, ſcilicet viribus diaboli, ſeu peſſundato monte magno diabolo, qui vehementer obſtiterat ædificationi per Cambyſem. *Et exequabitur*. Hoc eſt gratulationi magnæ populi quam habuit quando vidit fundamēta templi erigi, erit æqualis gratulatio, quando viderit populus iam reſtauratum templū. Vnde alia tranſlatio habet. *Eruntq; plauſus, & gratulationes ei*, ideſt, populo Hebræo, erit magnus plauſus, & magna gratulatio quando viderint templum Domini reſtauratum. Nicolaus expoſuit gratia Cyri iubentis, ædificari templum, & gratia Darij iubentis ipſum opus quod cœptum erat perfici, erunt æquales.

¶ *Et factum eſt verbum Domini ad me dicēs, manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam, & manus eius perficient eam: & ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos.* Suaſu enim & autoritate Zorobabel, fuit cœptū ædificium templi, & item completum. Et excitante Zacharia, vt ſupra diximus. *Quis enim deſpexit dies paruos lætabuntur, cum viderint lapidem ſtanneum in manu Zorobabel.* Vocat dies paruos parua templi initia, quæ iacta ſunt iubente Cyro. Et ſenſus eſt, qui deſpiciebant parua initia templi, quaſi nunquam in perfectū deducenda lætabuntur, cum viderint Zorobabelem incumbere reædificando templo. Etenim cum Cambyſes tuſsiſſet ceſſationem ædificationis deſperabant Iudæi, reſtaurationem templi, qui lætati ſunt quando Darius renouauit edictum de reſtaurādo templo, tuncque Zorobabel accepit lapidem ſtanni vel plumbi, qui eſt perpēdiculum, ad dimetienda ædificia. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt per vniuerſam terram.* Ideſt, candelabri ſeptem lucernę ſunt oculi Domini qui peruagantur per vniuerſam terram, ideſt, ſunt angeli Dei qui diſcurrunt per totum orbem, ſeptem autem non denotat numerum determinatū, ſed magnam multitudinem, vnde Ioan. in Apoca. cap. 1. meminit ſeptem ſpirituum Dei intelligēs vniuerſitatem angelorum, lucernæ autem rectè ſignificant angelos, ſiquidem teſtante ſacro Dei vate. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis, item & oculis aptè confertur, ob mentis angelicæ acumē, id quod nos ſatis pro noſtra virili portione. 2. Sententia. lib. ediſſeruimus. Inſinuat autem angelus hoc ſermone angelos Dei eſſe futuros in templo illo, quia templū Dei erat: & ſub angelorum præſidio, & cura Deū daturum templum illud. Et ita videtur accidiſſe tempore Machabæorum, quando angeli Dei ibi viſibiliter apparuerunt, in defenſam illius ſancti templi Dei, & exterruerunt Heliodorum, & alios gentiles homines, qui venerant ſpoliaturi templū Dei Quod vero ait angelos diſcurrere per vniuerſam terram, ſubtilitatem & ſpiritualitatem naturæ angelicæ demonſtrat angelus, etenim ſine labore & fatigatione ſubito diſcurrunt per totum orbem, & deſcendunt de cælo, & iterum aſcendunt, executuri, quæ Deus omnipotens diſpoſuit exequenda. *Angeli habent ſpiritualem naturam.*

Et reſpondi & dixi ad eum, quid ſunt duæ oliuæ iſtæ ad dexterā candelabri & ad ſiniſtram eius, ſupra prædixerat duas oliuas eſſe ſitas à dextris lampadis, nunc ait à dextris candelabri, vnde videtur lampadem vſurpaſſe vatem pro lampadibus. Paulatim quærit vates, quid velit viſio, vnde membratim exquirit eius expoſitionem.

nem. Nūc igitur de olearū ſignificatiōe ſciſcitatur. Et angel⁹ etſi obſcuriſsimè reſpōdit, cæterū vati nō erat occulta reſponſio. *Et reſpōdi ad eum, & dixi. Quid ſunt duæ ſpicæ oliuarū, quæ ſunt iuxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro.* Reſpōdi, ideſt locutus ſum rurſus angelo, & interrogaui, quæ ſunt duæ ſpicæ, ideſt duo rami olearū, habētes oliuæ grana. ¶ De huiuſmodi autē nō referuntur in priori viſione vbi ſolū fit mētio duarū olearū. Et modo vates duo exquirit primū de oleis, deinde ramulis olearū quos cōparat culmis frumentorū. Per roſtra vero intelligit, ampullas aureas effundētes ex ſe oleū. Vatablus tranſtulit *exonerantiū ex ſe aurū*. Nā ampullæ illæ, eo erant ſuffuſoria, quia infundebant oleū in lenticulas, ex lentieulis in infundibula, & ex iſtis in lucernas ſupradictas. Et vocat aurū ipſum oleū, ob puritatē, & ſuorē illius inſtar auri. Et duo ramuli olearū erāt ad latus roſtrorū ſupra dictorū, & huius viſi, itē ſupra non meminerat. *Et ait ad me dicēs: nūquid neſcis quid ſunt hæc?* Et dixi, nō dñe *mi*. Angelū non latebat vatē ne ſcire, quid portēderēt viſa, at quærit an neſciat, vt fateatur vates ſe neſcire, & tūc demū ipſum inſtruat de ſignificatiōe viſorū. *Et dixit, iſti ſunt duo filij olei ſplēdoris, qui aſſiſtūt dominatori vniuerſæ terræ, ſplendoris* nō eſt de textu Hebræo, ſed neq; in trāſlatione Hierony. quæ habetur in Biblijs Hiſpa. verū in Græca trāſlatiōe habetur pingue dinis. Per filios olei, ex phraſi Hebræa, ſignificātur oleo abūdātes, quales ſūt vncti ex oleo, vt in Iſai. ϛ. in cornu filio olei, vt filij lucis, qui donati ſunt luce. ¶ Intellexit autē angelus per duos filios olei & Zorobabelē ducem Iuda, & Ieſum ſacerdotē magnū. Siquidē Zorobabel ex tribu regia Dauidis deſcēdebat: fuit autem Dauid vnct⁹ oleo & reges Iuda oleo vngebātur, ſub ſtatu primi tēpli quāuis ſub ſtatu ſecūdi tēpli, vt Nicolaus refert ex Hebræorū ſentētia nō vngebātur. Et quidē ex lib. Macha. fatis cōſtat Iudæorū reges qui fuerūt, non fuiſſe inunctos. Tametſi illi vere nō erant reges, vt ſolebāt eſſe ante ruinā primi templi: qñ quidē erāt ſerui gentium, & illis tributa pendebant. Ieſus quoq; ſacerdos magnus non legitur inunctus, vt vngebātur pōtifices in ſtatu prioris tēpli. Siquidē ſub ætate Macha. iā erat venale iſtud ſacerdotiū & deiectū valde, à ſuo priſtino ſplēdore: vt ex euāgelijs didicim⁹ annales fuiſſe pōtifices Anā, & Caiphā, verū quia genus Zorobabel deducebat à pontificibus oleo inunctis, ideo itē ſubintelligitur filius eſſe olei, iſti ergo q inſtabāt opus Dñi, ſcilicet, reſtaurationē tēpli, ideo dicūtur aſsiſtere dominatori vniuerſæ terræ. Tu autē conſidera, q hoc cādelabrū quod vidit viſione prophetica vates hic, nō tanto nitet artificio, quāto illud Salomonicū, ſiquidē hoc ſeptē calamos habebat decoratos, ſcyphis in ſingulis ſex calamis, nam tres erāt aurei ſcyphi in quolibet calamo, & inter ſcyphū & ſcyphū, erāt lilia mira elaborata arte, id quod in hoc deſideratur. ¶ In hoc autē fit mētio duarū olearū, & ſpicarū, id q ſpem donabat reſt aurādi tēplū. Nanq; colūba deferēs in ore oliuā gaudiū certū attulit Noe, q iā ſiccatæ erāt aquæ. At vero in cādelabro Salomonico, has oleas ſeu ramos olearū, nō legimus ſed ſolū ſcyphos, calamos ſpherulas: lucernas & lilia Exodi 25. 37. & 40. & Leui. 24. Vnde videbatur ornatius cādelabrū illud Salomonici templi, quā iſtud cuius meminit Zacharias.

Moralia & myſtica.

ENarrato iā ſenſu literali viſi prophetici valde obſcuri, licebit iā aliquātiſper allegoria ludere. Et quidē cādelabrū hoc q vidit vates aureū totū, & ſeptē lucernis ſplēdens, ex oleo ſibi infuſo, &c. Chriſtū ſi intellexeris, nō errabis. Ipſe em̄ eſt candelabrū q formatū eſt nō humana, ſed Spiritus ſancti opera in Beatiſsimę virginis Mariæ vtero, totū eſt aureū puriſsimū. Nā qua Deus eſt, eſt Sanctus Sanctorū, qua homo vero, quia vnitus eſt hypoſtaticè diuino verbo, ideo aurū eſt etiā puriſsimū. Septē reſplēdet lucernis, quia quatenus Deus eſt, ſcientiā habet infinitā: quatenus homo autē ſcit vniuerſa quæ Deus ſcit ſciētia viſionis, hoc eſt omnia præteri ta, futura & preſentia. Numerus autē ſeptenarius perfectionē denotat: quā Chriſtus ſciēs vniuerſa habet, etſi quaten⁹ homo eſt poſsibilia omnia quę ſunt infinita neſciat. Habet itē oleū, vnde ipſe eſt lux inextinguibilis. Eſt autē oleū illud, ex quovnctus eſt oleo lętitię præ pārticipib⁹ ſuis: eſt aūt hoc oleū vnio hypoſtatica ex qua homo eſt Deus, & Deus homo. Hoc cādelabrū illuminat totū genus humanū, quātū ex ſe eſt, at verè illuminat totā eccleſiā catholicam. Nanque ipſe teſtatur. Qui ſequitur me nō ambulat in tenebris, ſed habebit lumen

Chriſtus eſt candelabrum ſeptem lucernis ſplendens.

Oleum lætitiæ eſt vnctio hypoſtatica.

men vitæ. Ecclesia catholica sequitur Christū, nō ego ambulat in tenebris, sed habet lumē vitæ æternę. Et sicut cādelabrū materiale, illustrabat tabernaculū testimonij, ita & hoc cādelabrū mysticū illustrat ecclesiā vniuersalē, quæ rectè cōfertur tabernaculo testimonij. ¶ Siquidē in sola ecclesia Iesu Christi, est perfectū testimoniū Iesu Christi. Quippe sola ecclesia Dei testatur Chr̄m esse verè filiū Dei, apud alias autē nationes, nō extat hoc testimoniū, q̄ si hæretici testātur Chr̄m esse filiū Dei, hoc testimoniū, testātur p̄ suo arbitrio, & nō secūdū, q̄ Christus amet de se testimonium ferri, secūdū, scilicet, autoritatē Sāctarum scripturarū, intellectarum, secundum intellectum catholicæ ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis. ¶ Hoc cādelabrū ostensum est Zachariæ, qui interpretatur memoria doni, quippe omnibus iustis ostēditur nūc per fidē Christus, & post per clarā visionē. ¶ Enim vero, iusti soli sunt qui habēt memoriā Dei, recolētes eius fidē & mādata: ideo ab exordio mūdi, in lege naturæ per fidē implicitā, & in lege scripturæ per fidē explicatiorē, & sub lege gratiæ per fidem explicatissimā, ostēditur modo & olim est ostensus Chr̄s. Et tunc maximè prophetis est ostensum hoc cādelabrū, sicut cecinit ille, sicut locutus est per os sanctorū, qui à seculo sunt prophetarū eius daturū se nobis, vt de manu inimicorū nostrorū liberati seruiamus illi. ¶ Obscura autē fuit visio huius cādelabri Zachariæ, & eguit reuelante angelo. Quippe mysteriū diuinę incarnationis est obscurissimum, & transcendit, humanæ, imo & angelicæ naturæ vires, ideo necesse erat quòd cælitus reuelaretur, vt reuelauit illud Gabriel beatissimæ Mariæ. ¶ Et angeli docuerūt prophetas Dei, hoc quod à Deo acceperant reuelandum ipsis mysterium. Quod vero *super caput* cadelabri erat lampas, idem dictu est ac si dicatur in summitate candelabri erat lāpas, & diximus dū incumberemus literali sensui vsurpari singulare pro plurali, idest summitas candelabri, habebat septem lenticulas, in quibus erant septem lucernæ. Et istud vt diximus, perfectissimam significare supra omnem creaturam rerum scientiā esse in Christo. At vero sancti etsi sunt lucernæ, vt de suo præcursore testatur Dominus erat lucerna ardēs, & lucens, & apostolis suis dixit, Vos estis lux mundi. At vero nullus Sanctorum septenario lucernarum numero gaudet vt Christus, idest, nullus gaudet plenitudine scientiæ, & charitatis, quibus Christus potitur. Nanq; ei datus est spiritus, & nō ad mensurā & omnes de plenitudine eius accepimus, vt mēbra à capite. At longè secius, quam membra materialia à capite: nam illa etsi deriuent à capite vitæ & motus influxum, nihilominus membris eget caput. Quia nisi ab stomacho capiat alimentū, stomacho & membris alijs non poterit influere vitalem spiritū: sed planè deficiet. ¶ At verò Christus, qui est suæ ecclesiæ caput mysticū, nihil recipit à membris suis: sed donat illis spiritū vitalem gratiæ, & gloriæ æternæ. ¶ Porrò obseruandum est, quod sicuti suis membris Christus cōmunicat alia nomina sua, quia vocat lucem dicens, Vos estis lux mundi, item vocat ea Apostolos cum ipse alioqui dicatur Apostolus à Paulo, ita quoque, ipse qui est candelabrū, vt expositum est, suos electos facit esse candelabra, vnde Apocaly. 1. Christus videtur à Ioanne in medio septem candelabrorum aureorum per septem candelabra intelligens vniuersitatem electorum, in quorum medio stat, hoc est in ipsis stat, ipso docente ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Et Apocal. 11. De-Enoch & Elia, inquit, isti sunt duo candelabra in cōspectu Domini. Nanque etsi proprius doctoribus ecclesiæ, tribuatur esse candelabra, at vero omnes fideles si cō ferantur infidelibus, sunt veluti candelabra. Siquidem sunt filij lucis, & lucem euāgelicam amant, vnde Paulus Philippens. scribens cap. 2. dixit Philippenses, lucete inter alios infideles, vt luminaria in mundo, verbum vitæ cōtinentes. ¶ *Et duæ oliuæ super illud vna à dextris.* Idest duæ oliuæ iuxta illud, nam aduerbium Hebraicum, vtrunque denotare potest. *Isti* autem duę oliuæ quid sint inquiramus. Origenes in cōm. putat has duas oliuas esse filium & Spiritum sanctum: & lampadem mediam seu candelabrum esse patrem. At vero Spiritus sanctus cum sit verè Deus, quomodo est à sinistris patris? Sanè hæc hæresis est Macedonij, & Eunomij credentium Spiritum sanctum esse creaturam, & forsan tribuitur Origeni. Quare aliter secundum allegoriam exponamus: primo significant legem scriptam, & legem euangelicam. Nam vtraq; lex est iuxta Christum.

Extra ecclesiam catholicā nō est Christi perfectum testimonium.

Mysteriū diuinæ incarnationis obstrusissimum lege autorem super Ioannē in principio.

Christ⁹ fuit in omni lege ostensus suo modo iustis.

Ioan. 5.

Ioan. 1.

Christ⁹ caput non egens membris suis.

Matth. 5.

Ad Hebr. 3.

Matthæi 28.

stū. Ab spiritu nanq; Dei vtraq; processit. Et vetus per prophetas & sacrificia loquebatur Christum: noua vero lex per ipsum Christū subiectis vmbris loquitur Christum. Hæc Christū tenet, illa vero venturum pollicebatur. Et verè dices has leges cōferendas esse oliuis, oliuæ enim sunt, vnde fit oleum: oleū autē propter suā lenitatē misericordiā præ se fert. ¶ At verò lex vetus adūbrabat, sacrificijs, & prædicebat vaticinijs Dei misericordiā, & infinitā clementiā hominibus cōcedendā, se faciēs hominū sociū, pabulū, pretiū & præmiū. At lex noua adūbratā hanc misericordiā, & prædictā, asserit esse iam exhibitam. *Vnde subditur, non in exercitu, neque in robore, sed in spiritu meo, &c.* Id est, hæc misericordia, q̄ verbum caro fiēt, non ex humana potētia aut sapientia, aut ex humanis meritis, sed ex largitate diuini spiritus hominibus cōcedetur. Lex autē gratiæ est à dextris, lex vero scripturæ est à sinistris Dei, siquidē hæc timoris illa amoris lex est. *Quis tu mōs magne?* Non tuæ sufficient diabolicæ vires aut tui deterrimi astus, ad impediendam hanc misericordiā. ¶ Siquidē latuit diabolicam acerrimā astutiā, quod Christus erat futurus Deus & homo. Etsi non latuit ipsum Messiam decantatum à sacris vatibus venturū tandē in orbē: at vero nō poterat assequi hoc arcanū, quod Dei verbū erat humanandū. Neq; superbia eius, hoc sinebat ipsum scire, videlicet quod Deus erat se exinaniturus formā serui accipiens. Nā ipse cū esset creatura appetijt diuinā quo dāmodo æqualitatē, quomodo ergo obsecro credidisset, quod Deus esset incorporandus? Ideo, *quis tu mons magne*, quis tu ò Lucifer, cū tuis satellitibus, vt impedimento sis diuino operi? Imo iā humanato Dei verbo, nō poterat assequi Christū esse Dei verbum etsi anxius erat vt hoc assequeretur, ideo accessit, vt Dn̄m tentaret, si proposita quæstione illa si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Imo etsi nō latuisset impedire nō potuisset. Quia Dei infinitæ potentię nihil potest resistere voluit autē Deus, quod illū lateret, quia sapiētia Dei attingit à fine vsque ad finē: & disponit omnia suauiter. Et ex possibilibus facit quod melius est. Melius autem erat vt ipsum lateret diabolū tantū arcanū. *In planum* deijcietur tua superbia ò Lucifer: nāq; cū fortis armatus custodit atriū suū, in pace sunt omnia quę possidet, cū autē fortior superueniēs vicerit eū, vniuersa arma eius quibus cōfidebat auferet &c. Lucæ. 11. *Et educet*, aptę congruit superioribus. Nā eduxit Deus pater ex sinu suo lapidē primariū Christū, illū mittēs in orbē, & manifestās illū hominibus induēs eū carne humana mortali. *Et tūc exæquauit gratiā*, gratiæ eius: siquidē, sicut ex gratia Dei vocati sūt Iudæi ad cultū vnius Dei veri, ita & gētes. Quia oēs peccauerūt & egēt gr̄a Dei Roma. 3. & dies est Deus in oēs qui inuocāt eū Rom. 10. & apud Deū nō est acceptio personarū Rom. 2. *Manus Zorobabel*, p Zorobabel, subaudi Chr̄um, q abillo deduxit genus secundū carnē. Manus Chr̄i, id est ei⁹ diuina operatio fundauit ecclesiā catholicā, quæ est templū Dn̄i: & eius operatio perficiet eā in cælesti regno, qñ absterget Deus omnē lachrymā, ab oculis sanctorū suorū. *Quis enim despexit dies paruos.* Id est, qui despexit initia parua ecclesiæ primitiuæ, qñ pauperes Apostoli & discipuli dn̄i susceperūt euangeliū, & diuites & magnates, & superbi Pharisæi, & Scribæ illud despexerunt. Qui ergo despiciebāt ecclesiæ initia, autore Paulo prædicamus vobis Iesum Chr̄m, Iudæis quidē scādalū, gētibus autē stultitiā, *Lætabūtur*, qñ viderint iam diu ecclesiā florētissimā, miraculis illustratā, & diuinis fauoribus exornatā. Et videbūt lapidē stāni, in manu Zorobabel, idest videbūt p fidē Chr̄m habere mēsurā rectissimā ad põderādū merita singulorum, qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua: quia est summus iudex totius gūris humani. ¶ Non prosequor omnia pūctim, quia istud sicut neq; parabola non exigit autore Chrysostomo, ita neq; tropologia, aut allegoria. ¶ Verū si moralē sensum desideras, anima quælibet fidelium si grata Deo est cādelabrū est, quia lucēt in hoc mūdo ad Philip. 2. Sicut luminaria in firmamēto, cōtinētes verbū Dei, quod lux est. Hoc autē cādelabrū septē lucernis exornatur: quia anima quæ Dei charitate referta est, & habet septē dona Spiritus sancti, septēq; virtutib⁹ Theologicis tribus, & moralibus quatuor prædita est, quia simul atque Deus infundit charitatē, in animā fidelis, & septē dona infundit septemq; virtutibus talis anima micat. Habetque *duas oleas*, alteram ad læuam, alteram ad sinistrā. Siquidem & exercet opera misericordiæ spiritualia, docendo indoctum &c. Et item opera misericordiæ corporalia pascendo esuriētes,

In allegorijs & tropologijs nō omnia sūt pūctim prosequenda quæ in litera traduntur.

& potando ſitientes &c. Et quoniam miſe ricordia ſpiritualis, eſt longe præſtantior, quã miſericordia corporalis; ideo illa eſt ad dexterã, hæc vero ad ſiniſtram aut per duas oleas has, intelligere poteris, cõtemplatiuam vitam, & item actiuam. Siquidẽ actiua vita manifeſtè referta eſt miſericordia, quia niſi incumbat in opera miſericordiæ vel ſpiritualis, vel corporalis, non eſt actiua vita, ſed deſes & negligens vita: cõtemplatiua autem vita, ſi miſericordiam quam fratris indigentia depoſcit non impendit, ſi eſt potens impendere, & non eſt alius, qui velit impendere culpanda eſt, & non eſt id temporis contemplatio illa grata Deo. Eſt porro ad dexteram cõtemplatiua vita, nam Maria optimã partem elegit quæ non auferetur ab ea, actiua autem eſt olea ad ſiniſtram. Martha enim turbatur erga plurima. Vita enim actiua occupata in conſulendo cõmodo aliorum, neceſſariò diſtrahitur in multa, quib⁹ debet prouidere. Et rurſus contemplatiua habet Deum in obiectum quod cõtemplatur, & in finem propter quem contemplatur.

Contẽplatiua eſt præſtatior quã actiua vita.

Contẽplatiua nõ dignatur actiuam.

¶At vero actiua etſi Deum habet in finẽ, creaturam cui ſubuenit habet ſuę actionis obiectum. ¶ Et præterea in cæleſtibus regnis ceſſabit actiua vita, quia beati nullo egebunt, beatus enim habet omnia quæ vult, & nihil mali vult, ideo vita actiua, ibi ceſſabit, & cõtẽplatiua ibi regnabit, quippe tunc puriſſima erit: & Deo ſemper cõiunctiſſima. Et à curis terrenis non perturbabitur, vt modo ſæpe accidit perturbari. *Quid ſunt duæ ſpicæ oliuarũ &c. iſti ſũt duo filij olei*, ad literam per hos duos filios olei, intelleximus Zorobabelem, & Ieſum ſacerdotem magnum: at vero allegoricõs ſacerdotalem ſeu eccleſiaſticũ ſtatum & regiũ Ieſus ſacerdos & Zorobabel ſignificãt: iſti enim duo ſtatus ſunt filij olei. Enim vero pontifices & ſacerdotes inunguntur oleo ſacro, & reges quoq; inunguntur. At vero vnctio huiuſmodi admonet miſericordiam eſſe obſeruandam ab vtroque ſtatu. Nanq; crudelitas tyrannorum eſt, non regum neq; pontificũ: qui omnes imitari debent, ſummum pontificem Chriſtũ ſummũq; regẽ à quo deriuatur ſacerdotiũ, & põtificiũ in ſacerdotes, & põtifices, & regia poteſtas in reges. Nã omnis poteſtas à Deo eſt, & ideo qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit. Chriſtus autẽ eſt miſericors & clemẽs, vnde producta ante eum adultera, accuſatores illius reiecit, & eidẽ dixit, vbi ſunt qui te accuſabant, nemo te cõdẽnauit? at illa dixit nemo dñe, cui dñs neq; ego te cõdẽnabo Ioã. 8. iſti duo ſtatus aſsiſtũt, *Dominaturi vniuerſæ terræ*. Nãq; ſpiritualia pẽr ſtatũ eccleſiaſticũ Deus diſpenſat, corporalia vero per regiũ ſtatũ. Verũ ſi perſonę horũ ſtatuũ præeminẽtes amari ſunt ad plebes, vt prælati ad ſubditos & reges ad regna non ſunt oliuæ; ſed oleaſtri amari: ideoq; non iuxta candelabrum ſunt, ſed potius contra ipſum.

Rom. 13.

Status eccleſiaſticꝰ & regius.

Mali prælati non ſunt oliuæ ſed oleaſtri amari.

EXPLANATIO IN ZACHARIAM CAP. V.

Sexta viſio.

ET cõuerſus ſũ & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans. Et dixit ad me. Quid tu vides? Et dixi, ecce ego video volumẽ volans. Proſpera ſatis prædixerat vates præcedẽtibus capitibus & quæ ſolatio erãt ludæis: videlicet audire tẽplũ, & vrbẽ eſſe perficiẽdã, nunc autẽ triſtia miſcet aduerſus criminoſos generalẽ proferẽs ſententiã, hac ſexta viſione. Vnde ait, *Et conuerſus*, vt videlicet nouã reciperẽ reuelationẽ ꝓpheticã, Deo inſpirãte vt me cõuerterẽ, ad nouã illuſtrationẽ: & ideo oculos mentis meæ leuaui, ſupra dixerat, quod ab angelo excitatus fuerat, quaſi is, qui ex ſomno excitatur, nũc autẽ non meminit huius excitationis, ſed ipſe ait, *Leuaui oculos meos*, fortaſsis cauſa eſt, quod nonnũquã prophetæ ſunt magis capaces ad ſuſcipiẽdas illuſtrationes ꝓpheticas, aliquando vero, non tam capaces, & tũc egẽt angelica excitatione. *Et vidit* viſionę prophetica, *volumẽ volãs*, ideſt chartã quandã oblongã. Græcè, habetur *falcẽ*. Ezec. autẽ ſecũdo, viſus eſt vati liber inuolutꝰ ſcriptus intꝰ & foris vbi erãt lugubria ſcripta, vt ſignificaretur ex illis exiliũ Iudæorũ, & excidiũ tẽpli. Itidẽ & hoc volumẽ malũ portẽditvniuerſale, quia videtur volãs. *Et dixit ad me, quid tu vides?* Subaudi angelus. *Et dixi*, nõ eſt de textu Hebræo. *Ecce* neq; eſt in textu Hebræo. *Ego video volumẽ volãs lõgitudo eius viginti cubitorũ, latitudo decem cubitorũ.* Gloſſa ordin. ſecuta Hieron. pernumerũ viginti, qui ex duabus decadibus cõflatur, triſtia ſignarivult per decẽ vero ꝓſpera & læta. Et quia pœnæ huius vitæ quibus Deus corripit peccatores ſunt ad medelã animi: ideo triſtia huius vitæ, ſunt ad animi alacritatem, propterea longitudo pœnarũ eſt 20. cubitorum, at latitudo decẽ. Nicolaus vero, arbitratur, ꝙ huiuſmodi volumen, videbatur egredi de templo: at porticus templi habebat 20. cubitos ſecundũ longitudinem, & decem ſecundũ latitudinẽ. Prior expoſitio videtur myſtica, ſecunda autem videtur ſine certo fundamento, quia ſcriptura non dicit, quod exibat de templo, etſi dicat infra quod egrediebatur, ſine læſione, tamen harum expoſitionũ, mihi videtur longè cõgruentior expoſitio, & magis ad literam huiuſmodi volumen cõtinere ſententiã, cõtra omnes terræ habitatores iniquos. Vnde per lõgitudinẽ duplam, ad latitudinem, ſubintelligitur à vate terra habitabilis: cuius longitudo ſecundum aſtronomos, eſt dupla ad latitudinem. Etenim longitudo, eſt ab ortu ſolis ad occaſum à mari Indico vt Ariſto. ait. 2. Metheo. ca. 5. vſq; ad columnas Herculis Gaditanas, & huius quãtitas, eſt medietas ſpheræ, id eſt quæ correſpondet ſex ſignis Zodiaci. At vero latitudo eſt, à polo in polum, ab auſtro, videlicet in Septentrionẽ. Ab Æthiopia videlicet, vt ait Ariſto. vſque ad Meotidem, & vſq; ad extrema Scithiæ loca: & huius quãtitas eſt quarta pars ſpheræ quę ſunt tria. Vnde patet eſſe duplam proportionem longitudine terræ habitabilis, ad eius latitudinem. Vt Ariſto. ait, eſſe maiorem proportionem quã quinque aut tria & noſter vates hoc idem modo inſinuat dicens, longitudinem voluminis volantis ſuperare duplo eiuſdẽ latitudinẽ: videtur autem quod cubitũ modo vſurpetur pro cubito geometrico, qui tantum valet quantum ſex noſtra cubita, ex Origenis & Auguſt. ſententia: noſtrum autẽ cubitũ ex Plin. libr. 7. ca. 16. & 24. cõſtat digitis. Quod vero, de vniuerſa terra habitabili intelligatur locus videtur primo ex volatu libri, & ex ſequenti verſu. *Et dixit ad me hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ.* Nanq; cum ait maledictionẽ voluminis volantis, ideſt pœnas in eo contineri fulminatas cõtra omnem terram, videtur, quod aptè intelleximus terram omnem habitabilem. Maledictionem autem vocat ſententiam latam contra omnes mũdi flagitioſos, quam volumẽ ipſum à vate ſcriptam cõtinebat. *Quia omnis fur ſicut ibi ſcriptũ eſt iudicabitur.* Enarrat vates, quod in libro cõtinebatur ſcriptũ, videlicet omnis fur iudicabitur, ſeu dãnabitur. Verum quia nõ ſolum fures ſunt flagitioſi, ſed & ſunt alia varia genera peccatorũ cõtra proximos, videlicet fornicatio, adulteriũ falſum teſtimoniũ, &c. Ideo ex vno peccato cõtra proximũ, cætera cõtra eundẽ ſimiliter ſubintelligũtur. Verbũq; Heb. Ganab, ſignificat fraudẽ, & iniuriã factã proximo & non ſolũ furtũ. *Et omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur.* Ideſt damnabitur. Intelligit per iurantẽ, omnia alia crimina, quæ ſunt læſæ diuinæ maieſtatis. Quod ſi obiceris, ergo omne iuramentũ eſt crimen, id quod hæreticorũ quorundã fuit dogma. Reſpõdetur, quod ex ſequẽti pateſcit huius verus ſenſus, videlicet ſermonẽ habendum de peierante, ſiue de iurante mendaciter in nomine Dñi. Hæc crimina ſunt cõtra rationem naturalẽ, & ideo ſunt euidenter mala, & euidẽter ſunt digna damnatione, niſi pœnitudine expurgentur. *Educam illud dicit Dñs exercituum.* Ideſt illud volumen hoc eſt ſententiam contra impios in ipſo cõtentam, ego meam dabo executioni. *Et veniet ad domũ furis, & ad domũ iurantis nomine mei mendaciter.* Id eſt dãnatio veniet in domum furis & in domum falſõ iurantis per Deum. *Et commorabitur in domo eius, & conſumet eum* eum, pro eam. Id eſt conſumet domum furis, ideſt familiam furis, *& ligna eius, & lapides eius.* Id eſt diuina vltio abſumet fures, & periuros cum tota progenie ipſorum, quæ imitata eſt progenitorum peccata. Et hoc eſt quod intelexit per ligna & lapides. Hæc autem viſio admonebat Iudæos: vt poſtquã quiete agerẽt reædificato templo & vrbe reſtaurata, nõ indulgerent genio, crimina admittentes contra Deum, & proximũ, ſed ſanctis Dei mãdatis incumberent, ne eos Dei maledictio quæ reliquos mundi flagitioſos, ipſos quoque comprehenderet. Neq; putarent, ſe eximendos à pœna, quia chariores Deo videbantur, niſi ipſi ſe eximerent à ſcelere. *Et egreſſus eſt angelus, qui loquebatur in me & dixit ad me, leua oculos tuos & vide quid eſt hoc quod egreditur? Viſio hæc eſt ſeptima in ordine viſionum. Et dixi, quid nã eſt? & ait, hæc eſt amphora egrediens.* Hebrai. hæc eſt Epha egrediens. Epha autem eſt certum genus menſuræ apud Hebræos. Vnde Græca tranſlatio habet: *hæc eſt mẽſura egrediens.* Epha autẽ extenditur ad omnẽ menſurã iuſtã, & idẽ eſt ꝙ Ephi iuſtũ,

Terræ habitabilis lõgitudo ſuperat latitudinẽ dupla proportione.

Furtũ & periurium ſunt euidẽter crimina digna damnatione.

Septima viſio.

Exod. 16.

cuius fit mentio frequẽs in diuinis mũsis. Hæc autem mensura videbatur egrediens vel de templo, vel de vrbe. Visio autẽ hæc significat, Deum pœna talionis esse correpturũ scelera hominũ vt traditur Deuter. 25. iuxta mensuram delicti erit plagarum modus. ¶ Itaque hæc visio, explicat priorem. In priori enim, volumen continebat damnandos esse à Deo flagitiosos vniuersæ terræ, hæc autem explicat, quod dãnatio erit iustissima, iuxta mensuram & rationem delicti. Quod si obieceris visionem obstare doctrinæ theologorum scholasticorũ, in quorum ore circũfertur Deũ præmiare vltra condignum, & punire citra condignũ. ¶ Respondetur, quod Deus etsi puniat citra condignum, punit nihilominus iustissimè, secundum rationem & proportionẽ delictorũm, vt sicut se habet delictum ad delictum, ita se habeat pœna vnius delicti, ad pœnam alterius. Et hoc significatur modo per mensuram quam vidit vates, quæ in sacris scriptis solet vocari mensura contra mensuram Eccles. 27. Deus autem quippe qui iustus est, & iustitias dilexit, æquitatẽque semper probãs, item iudicat in æquitate orbem terræ.

Deus præmiat vltra cõdignum nihilominus iustè præmiat, & iustè prunit et si citra condignum.

Tria in genere peruertunt iudices.

¶ Enim vero, quæ peruertere solent iudiciorum integritatem sunt vel impotentia iudicis, aut ignorantia rerum iudicandarũ aut prauitas eiusdem ex impotentia enim timidus iudex corrũpit iudicium ex ignorantia, quia nescit quod iudicat ex prauitate denique, quia ex amore vel ex odio violat iudicium. Deus autem est omnipotens, omni scius, & non ducitur affectibus nostris: quia diuinitati repugnant, quare iustissimè semper iudicat. *Et dixit hæc est oculus eorum in vniuersa terra.* Hebra. *hoc est oculus*, sed aptè transfertur hæc, idest amphora, vel mẽsura quam tu vidisti Zacharia, est oculus, &c. Varium habet sensum literalem potest enim sensus esse. Hæc amphora est oculus diuinus, qui videt vniuersa flagitia quæ fiunt in terra. Alter sensus est secundum translationem Rabbi Ionathæ, qui fuit paraphrastes Chaldæus, satis conueniens. Translatio sic habet. *Et dixi hi sunt populus, qui accipiunt & dant in mensura falsa, & dixit, ecce id manifestum coram omnibus habitatoribus terræ.* Vt sensus sit mensura hæc, est respiciens ad punitionẽ eorum, qui fraudibus, agũt in alios, & manifestè istud operantur, at reuera diuinus oculus ad occulta & manifesta se extẽdit, & ideo nõ acquiesco huic paraphrasi, quę videtur, de manifestis fraudibus solũ meminisse. *Græcè* non legitur, hic est *oculus*, sed *hæc est iniquitas omnis terræ.* ¶ Burgensis in additionibus excogitauit harũ duarum visionum, expositionem, suo iudicio competentem, & valde literalem, & meo iudicio non admodum competentẽ, & minime literalem. ¶ Ait enim Hebræorum fuisse sententiam Deum dedisse duas leges Mosi alteram in scriptis, aliam vero, siue scriptura. Et hanc secundam vocant secundam legem: quam quidam Hebræorum post euersionem secundi templi centesimo anno, redegerũt in volumina quædam. Et vocata est hæc lex Mystica.

Burgensis expenditur.

¶ Post trecẽtesimum vero annum, hæc secunda lex explicata est valde prolixè per alia volumina, quæ appellantur Talmut, ideſt decreta: vtrunque autem volumen est impium, & blasphemum. & huiusmodi voluminibus intellexit has visiones. Primam de primo, quod vocatur, volans quia à dæmonum instinctu fuit conscriptum: dæmones autem conferuntur volucribus cæli. At secũdum volumen, est amphora, quam vidit Zacharias. Hic igitur autor vtranque visionem refert ad volumina prædicta quæ impia erant: at vero, volumen visum à vate erat bonum. Patet quia in eo erant scriptæ damnationes furum, & peierantium, & istud bonum est. ¶ Rursus, de amphora seu mensura dicitur esse oculum, at Talmut, non est oculus sed cæcitas. At vero quia Burgẽsis sibi gratulatur, cum sua expositione gratuletur, quantũ volet, ego certe non gratulor ei. Etenim ipse ait, quod huiusmodi libri fuerunt conscripti euerso secundo tẽplo: at vero, quod de amphora dicitur egrediens, ex templo secundo & vrbe exponi solet. *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit hæc est impietas*, hæc est octaua visio: ecce talentum, ideſt massa plumbea, portabatur in illa, scilicet mensura, seu modio. Et mulier sedebat in ipsa mẽsura vel iuxta illam. *Hæc est impietas*, per mulierem hanc intelliguntur decem tribus, quæ omnium consensu deserto cultu veri Dei, vitulos aureos adorauerunt. *Hæc est impietas*, ideſt hæc mulier significat impietatem decem tribuum. *Et proiecit eam in medio amphoræ.* subaudi Dominus proiecit impietatem in medio amphoræ, id est, proiecit eam in men-

Erratum Hebræorum.

mensuram supradictam. Hoc est, vt daret condignas pœnas secundum Dei iustitiã, ista impietas decem tribuum. Et istud est quod ait, mulierem sedere in medio amphoræ, quod scilicet à diuina iustitia esset comprehensa ad vltionem. *Et misit massã plumbeam in os eius*, Deus vel angelus misit massam plumbi in os mulieris sedentis in medio amphoræ. ¶ Fertur hoc fuisse genus supplicij grauissimi apud Hebræos in vltionem grauissimorum flagitiorũ, qualis erat idololatria, aut quæuis alia contra Deum impietas videlicet plumbũ liquatum immitterẽ in os delinquentis impij. ¶ Vnde videtur voluisse vatem insinuare grauissimum futurum decem tribuũ suppliciũ, videlicet perpetua captiuitas quo etiam nũc premũtur. ¶ At vero per massam plumbi in os iectam, subaudio infidelitatem grauissimã, qua ipsi habent obstructa sua ora ne confiteãtur suum verum Messiã, quem Christiani colimus. Primò igitur vidit vates portari talentũ seu massam plumbi, etsi non exprimat à quo portabatur, an portaret eã amphora, an angelus ferret eam. Deus videt mulierẽ sedentem in amphora. Etsi visa, prius videtur an tequam sederet in amphora: nã ait, & proiecit eam in medio amphoræ: & tandem vidit iectam fuisse massam plumbi in os eius. *Et leuaui oculos meos, & vidi & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum.* Hæc est nona visio, leuat oculos mentis, ad suscipiendum nouam Spiritus sancti illustrationem. Et vidit duas mulieres: istæ duæ mulieres, sunt ille sorores quarũ meminit Ezechiel cap. 23. scilicet decem tribus, q̃; est soror natu maior quæ Oolla vocatur, & duæ aliæ tribus, quæ est soror minor quæ Ooliba nominatur. Vidit eas egredientes de templo scilicet, & vrbe. *Et spiritus*, ideſt ventus agitabat alas earum. Ideſt velocissimè, sicut aues discurrebant per aëra. *Et datæ sunt eis alæ sicut Milui*, vox Hebræa non miluum, sed ciconiam habet, & sensus tunc optimè constat, etsi difficillima est intellectu visio vult autẽ significare vates captiuitatem, & perpetuã & instabilitatem, quam passi sunt & patiuntur huc vsque post Christũ siue decẽ, siue duæ tribus. Et rem insinuat ex collatione ad ciconias. Nanque ciconiæ, sunt valde instabiles aues, nullibi habent certam sedem: sed tempore verno in turribus, aut in fastigijs arborum locant niduos sub dio inter cælũ & terram, & hoc faciunt gratia fouendæ sobolis, qua fota cõtinuo volant alioque cõmigrant. Id quod patiuntur Iudæi omnes, nam incertis vagãtur sedibus, vt ciconiæ Alasmilui. Græcè alas vpupæ. At vero vox Hebræa quæ hic scribitur est, *hasida*, quam translator noster vertit miluum, & porphirionem Rabini autem Kimhi, & Abraham dicunt, quod hæc vox significat auem magnam nidificantem, in sublimioribus domibus, & abietibus mutans per singulas hyemes, & æstates locum suum. Et item ipsa videtur certis anni temporibus, vt Rabbi Ezra inquit: quæ est ciconia, cuius fit mentio Ierem. 8. ¶ Deriuatur autem vox ab alio vocabulo Hebræo, Hesed, aut Esed, quod significat pietatem aut beneficium, quod quispiam alteri præstat absque spe retributionis: qualis est apud nos eleemosyna: ¶ Aptèque congruit ciconijs, quæ solæ auium parentibus præstant beneficia. Et quidem hæc translatio optime cõgruit intentioni vatis, vt dudum aiebam. Nam intendit Iudæos omnes, incertis esse vagaturos sedibus, vt ciconiæ vagantur. Et consequentia etiam quæ vates habet, huic translationi cõgruunt, vt mox videbitur, si verò miluum legis, significat Iudaicam rapacitatem, nam miluus est auis rapax, quæ etiam minimorum rapina contenta est, vt inteſtinorum animalium pullorum gallinaceorum, &c. Quales sunt Iudæi, qui mutuantes pecunias, vel minima appetunt accipere vltra sortem. *Et leuauerunt amphoram inter terram & cælum.* Siquidem diuina vltio Israelitas vbilibet gentium peregrinantur eos comprehendit, & quanuis mutent sedes, Deus non mutat vltionis iudicium. Nanque vbilibet sunt contempti siue apud Paganos, siue inter fideles. Vnde hoc idem præuidẽs Psalmus aiebat, nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus. Et quidem nullibi habent certam sedem, quia cũ sint seruinatiouum, cum volunt principes excludũt sunt, vt accidit Iudæis Castellæ, & Lusitaniæ, &c. Quod igitur ait spiritus erat in alis, &c. celerem ipsorum mutationem ex loco in locum, significat. Leuant autem amphoram, seu mensuram; quia peccata eorum, hoc illis præstat, vt secum semper ducant iustissimam Dei vltionem. *Et dixi ad angelum qui loquebatur in me, quo istæ deferunt*

Genus supplicij atrocis apud Hebræos.

Nona visio.

Ciconiæ natura.

amphoram? Et dixit ad me vt ædificetur ei domus in terra Senaar, vult instrui de intelligẽtia visionis ab angelo Dei vates, vt prius illi erat moris, & non petit quid significẽt mulieres illę duæ, quia rectè intelligebat, q̃simulier prior significabat impietatẽ, ex angelica doctrina, quod duę mulieres istę geminã impietatẽ significabãt, qualis erat duarũ & decẽ tribuũ idololatria sed solũ quo deferãt istæ mulieres amphorã. Et respondit. *Vt ædificetur ei domus, &c.* Aduertendum est quod Senaar, significat excusionẽ Hebraicè Sinaar. Vnde, quia à cãpo Babylonis posteritas Noe, fuit excussa ne ædificaret turrim ideo appellatus est campus ille, Senaar, hoc autẽ loco potius videtur esse appellatiuum, quam Babylonis proprium nomen. Itaque de amphora dicitur ædificat domum in terra excusio
Genes. 8. nis. Quia semper vltio Dei excutit Iudæos de loco in locum. ¶Ædificare domũ significat stabilitatem, at Senaar significare excusionẽ & ex instabilitatem: perinde est igitur ac dicatur vltio Dei in hoc stat fixa, in faciendo videlicet instabiles, & vagos Iudæos. *Et stabiliatur & ponatur ibi super basem suã*, ideſt vltio diuina, valde fixa est in excutiendis Iudæis. Et ista excusio est velut basis in qua est diuinæ iustitiæ siquidem hæc vltio perseuerabit in finem vsque seculi varias esse alias huius loci expositiones, verum quia nulla mihi plausibilis est, hanc alteram ego adieci.

Moralia vel mystica.

Sensus mysticus. IAM vero quia litteralis sensus, conditur ex Mystico, post quam litteralẽ sensum vtcunque expressimus, ad mysticos enodandos, stylum adornemus. Et quidem per volumen volans quod Zacharias vidit prophetica visione, diuinam si intelligamus scripturam congruentissime intelligemus. ¶Quod quidem primo describitur volans, quia diuinum verbum in sacris contentum musis, per totum volauit orbem siquidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba
Alæ duæ quibus volauit in totum orbẽ diuinum verbum. eorum. ¶Alæ autem quibus volauit sunt diuini verbi veritas, & potestas. Nõ enim in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, videlicet per Philosophorũ aut Rhetorum sapientiam verbum Dei veritatem suam probat, sed Dei virtute, ideſt per miracula multa, quæ Dei potestas præstitit in testimonium sui. ¶Itaque quia veracissimum erat Dei verbum, & potentissimũ, ideo volauit in omnes mundi nationes.

¶Habet autem longitudinem, & latitudinem, quia facit fideles longanimes, adeo vt ferant præsentia mala, propter futura bona, quæ in longũ ventura sperantur, itẽque & docet latitudinem, quia latũ mãdatum tuum nimis, concinit Psaltes. At vero non solũ autem docet nos oportere esse longanimes, sed esse longanimẽ in ferendis diu nostris peccatis. Vnde Apostolus, An diuitias bonitatis eius, patientiæ & lõganimitatis eius contemnis? Hæc autem diuina longanimitas & præmiorum æternitas quæ est velut infinita longitudo superat omnem nostrã virtutem, & nostræ charitatis latitudinem, & merita ideo describitur longitudo voluminis superare eiusdem latitudinem. *Et dixit ad me, hæc est maledictio quæ egreditur, super faciem omnis terræ.* In diuinis litteris sunt scriptæ benedictiones colentibus Deum venturæ, & maledictiones, ideſt cõdemnationes discolorum. Ideo vocatur volumen hoc maledictio. ¶Tradũtur autem benedictiones, & maledictiones, in Leuit. 26. & in Deut. 28. Et hoc idem extat apud Ezech. cap. 2. qui vidit visione imaginaria prophetica tamen, librum inuolutum scriptum intus & foris, & in eo scriptę erant lamentationes, carmen lugubre & væ. Sane inuolutus liber est diuina scriptura, quia in diuinis litteris multa sunt difficilia intellectu; vt S. Petrus. 2. Pet. 3. de epistolis Pauli commeminit. Neque vera est expositio Lutheranorum, qui cõtendentes, omnia esse clara in diuinis litteris Petrum exponunt, esse difficilia intellectu, infidelibus, non tamen fidelibus. Siquidem fideles nisi summam operam in diuinis tractandis scripturis impendant nescient profunda scripturarum sacramenta, & infidelibus non sunt difficilia, sed impossibilia, de qua re nos alibi fusiorem produximus sermonẽ, item scriptus est intus, quippe habet recõditos sensus mysticos, & foris itẽ scriptus quia sensus historicus, quem littera præfert primo se offert exquirendus. ¶Et in hoc libro scriptæ sunt lamentationes contra præuaricatores diuinorum mandatorum, & carmen lugubre, & væ. ¶Est igitur sacra scriptura liber visionis, volentibus Deo obedire, & liber cæcitatis nolentibus Deo sese præstare morigeros: vnde Naum primo onus Niniuæ, liber visionis

Ad Gala. 5.

Ad Rom.

Sacra scriptura difficilis in multis est intellectu.

Naũ,

Naũ, vbi pphetiã suã vocat librũ visionis, & onus, sanè, est onus quibus est maledictio, & est liber visionis, quibus est benedictio. *Super faciem omnis terræ*, sermo ait Dominus, Ioan. 11. Quem ego locutus sum vobis iudicabit vos. Quanuis enim infideles iam sunt iudicati, quia qui non credit iam iudicatus est, Ioan. 3. Cæterum istud est, quia eorum damnatio certa est: & non eget nouo iudicio. Siquidem infallibile est quod is qui non credit condemnabitur. Porro damnatio omnium peccatorum, siue fidelium, siue infidelium, in diuinis litteris traditur, ideo ait, hæc est maledictio quæ egreditur super omnem faciẽ omnis terræ, ideſt, contra omnes peccatores terræ. Et subdit. Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est iudicabitur, Exo. 20. Furtum non facies. Et Deuteron. 5. Leuit. 19. *Et omnis iurans, &c.* Leuit. 5. & Deuter. 6. iuramenta falsa prohibentur. Et vt aiebã incumbens literali sensui, per horum primum intelligitur omne aliud peccatum, quod fit contra proximum. Et per secundum omne peccatum quod est læsæ maiestatis crimen. ¶Est autem iuramentũ peccatum grauissimum, quippe quod est con
Peccatum periurij est grauissimum. tra præcepta primæ tabulæ. Est enim curare accersere Deum in testem, vnde qui falso iurat Deum inducit in testem falsitatis, quod est summè iniurium, diuinam veritatem proferre, in testem falsitatis.

¶Peccata igitur siue contra proximum admittantur, siue contra Deum committã tur, nisi resipuerit homo, grauissimam sustinebunt vltionem, siquidem à iudicio Dei absumentur. ¶Et hoc est quod ait, *vo lumen*, seu maledictio Dei veniet contra eos, & deuorabit eos, id quod etsi aliquando videamus non exequi, tantisperdum vita hæc labitur mortalis: at vero tandem executioni dabitur. At forsan hæsitat aliquis, cur volumen hoc, seu diuina scripta vocãtur maledictio, cũ tamẽ, sint quoque referta maximis benedictionib⁹. ¶Respõdetur, simili dubio, exquirendo, cur scripturæ autor Christus, vocatur petra scandali, cum prorsus sit abhorrens ab omni scandalo? At vero, qui est firmissima petra fidelium, & lapis angularis faciens vtraq; vnum, is ipse infidelibus est petra scandali. Nisi quod ex se est Christus salus credẽtium, verum per accidens, est damnatio non credentium, vt Eucharistia ex se est panis vitæ, quin rectè sumentibus vitam elargitur: at vero per accidens damnatio est non rectè sumentium. Volumen autẽ volans hoc loco, est diuinæ iustitiæ decretum, quod impijs est maledictio, quia torquebit eos, at vero sanctis erit benedictio, quia glorificabit eos.

¶Secunda autem huius capitis visio erat. *Hæc est amphora egrediens, & dixi, hæc est oculus eorum in vniuersa terra, &c.* Quam visionem D. Gregor. tropologiam donauit, dicens hanc amphoram adumbrare auaritiam. Siquidem ex insatiabili cupiditate semper inhiat maioribus diuitijs copulandis. Quia tantum crescit amor nũmi, quantum pecunia crescit. *Hæc est oculus.* Quia videlicet omnes ferè homines, visibilia lucra spectant, & ad terrenas opes inhiant. Vnde Psal. Oculos suos statuerunt declinare super terram. Sanè auari sunt illi de quibus Dominus meminit dicens, Filij huius seculi sapientiores sunt in genere suo quam filij lucis. ¶Sunt auari equidem oculatissimi, ad exquisitos habendos, & excogitandos conquirendi pecunias, modos. *Lucæ. 16.* Nam varia genera contractuum iniquorũ machinantur vt possint vndecunque corradere pecunias, quos sanè contractus etiã peritissimi Theologi necesse habent soler ter indagare, vt eorum naturam possint assequi. ¶In medio autem amphoræ sedebat mulier, quæ impietas dicitur. Sanè quia in auaritia residet fraus, quæ per mulierem impiã denotatur. Auari enim quod *In auaritia habet sedẽ fraudulẽtia.* nõ possunt violentia obtinere, quippequi non pollent principatibus, fraudibus, & iniqua arte habere contendunt. ¶Vnde & diuina contemnunt, & religionem violant, & sacra prophanant, vt suo ærisensu lant. Nam ideo Paulus Ephes. 5. dixit idolatriam, esse idolorum seruitutẽ: at hæc seruitus quid aliud est quam impietas? Et Hispano sermone vocamus pietatem misericordiam, & crudelitatem impietatem. Porrò, omnes auari hac etiam ratione sunt impij, quippe vident fratres suos necesse habere, & claudunt viscera misericordiæ ab eis. Et non memorantur, quod qui non pascunt fame morientes, occidũt non pastos. Et malunt imitari illum epu- *Lucæ. 16.* lonem diuitem, qui auro fulgens, & gemmis, Lazarum mendicum, & vlcerosum non satiauit, frusto panis, sed canibus potius mordendum obijciebat. Ideo rectè in amphora sedet impietas. ¶Et in os huius mulieris, iniecta est massa plumbi ab ange

lo. Auari enim, nunquam rectè confitentur, ne illis præcipiatur restitutio alienorum. Ideoque os habēt opilatum plumbo, aut quia, os spirituale animæ quæ est mens, nam mente cūcta percipimus enim nostram memoriam vt in ventrem traijcia mus. Est opilata plumbo, ideſt aggrauata valde tanquam plumbo, siquidem auara mens sursum non respicit, sed grauata pōdere auaritiæ curuata est semper ad terrena quærenda, ideoque hoc plumbo obditas habet aures mentis, vt audientes diuinam doctrinam damnantem auaritiam, non intelligāt eam esse damnabilem. Aut aliter per amphoram, quæ ore hiat subaudi gulam, per mulierem sedentem in ea intellige luxuriam, quia venter plenus spumat libidinem. ¶Est autem visum tertiū. *Et leuaui oculos meos, &c. vidit duas mulieres egredientes*, non explicat vnde, iuxta hanc vltimam tropologiam, per duas has mulieres, aptè intelliges, diuitiarum copiam & vitæ libertatem, istæ duæ mulieres, habent alas habentes spiritum diabolicum. Nam duo commemorata, trahunt hominem velociter ad omnia crimina perpetrāda. Habnt alas quasi miluorū. Nam miluus, est carnis vorax, & istæ duæ mulieres voraces carnis sunt, quippe carnalia amant, qui sunt eiusmodi. Quoniam opulentia diuitiarum, & morum libertas, continuo prouocant ad libidinem. ¶Vnde prodigus ille, accepta substantia paterna, & vitæ fruens libertate, quia exiuit à patris potestate, vt vagaretur per orbem, iamque sine fræno paterno viuens, quia duo prædicta habebat, omnia quæ ex patre acceperat insumpsit cum meretricibus viuendo luxuriosè. ¶Istæ etiam mulieres eleuant amphoram prædictam, quippe gulam, & luxuriam, opulentia diuitiarū, & vitæ libertas nutriunt valde, & fouent ea. Et tandem locant eam in terra Senaar, ideſt in Babylone, siquidem prædictæ mulieres nutrientes & fouentes gulam, & luxuriam, gulosos, & salaces homines trahunt ad cōfusionem, quæ significatur per Babylonem, vt exemplo nobis est prodigus commemoratus, qui fame coactus de siliquis porcorum cupiebat ventrem implere, an non hæc maxima est confusio? & plerunque huiusmodi gulosi, & salaces, ex nimia edacitate, & salacitate, ad extremam deueniunt inopiam, vt cogantur mēdicare, & qui nutriebantur præ nimia opulentia in croceis, ex nimia paupertate amplexantur stercora, vt incalescant.

Auarorū mens est obdita plumbo.

Visio tertia.

Nutrices luxuriæ & gulæ sunt opulentia & vitæ libertas.

¶Opportunum igitur fidelibus erit, hanc amphoram confringere, & mulierem sedentem in ea longe depellere, quæ est impietas. Nam luxuria sæpe prouocat ad impietatem. Quod si hæsitas, Salomon Rex ille sapientissimus tuam soluet hæsitationem: qui captus mulierum amore, idola gentium adorare, & Israelitæ, Moabitarū illecti amore, initiati sunt Beelphegor, si libet etiam per amphoram poteris intelligere legem Dei, & per mulierem sedētem synagogā hęc fuit magica occidens Christum. Massa plumbi iniecta in os eius est obstinatio eius.

3. *Reg.* 11. *Numer.* 25.

EXPLANATIO IN ZACHARIAM. CAP. VI.

Visio decima.

T conuersus sum & leuaui oculos meos: & vidi, & ecce quatuor quadrigæ, egredientes de medio duorū mōtiū, & montes montes æreī. Mutationem imperiorum quatuor, quæ vniuersum orbē subiugarunt hoc capite describit vates: id quod Daniel quoque præscripserat. ¶Leuauit igitur oculos mentis suæ, ex noua Dei illustratione, vt visione prophetica videret venturam regnorum euersionem. ¶Quid autem velit per hos duos montes, non est peruium. Etenim Nicolaus intellexit hos duos montes significare oracula prophetarum. Et enim prophetæ sunt veluti montes ex sublimitate contemplationis, & firmitate veritatis propheticæ. Vocat autē eos duos, quia ex duobus regnis processerunt: videlicet ex regno Iudaico, & Israelitico. Quia ergo, prophetarū oracula prædixerunt quatuor imperiorum euersionem, ideo ait, vates se vidisse quadrigas egredi ex duobus montibus. ¶Sed equidem hæc expositio non videtur conquadrans textui, sed potius nonnihil est violenta, nisi ad mysticum sensum eam referas. Quid quod modo non refert Zacharias vaticinia aliorum prophetarū, quod si retulisset forsan esset ferenda expositio, sed suum proprium promit vaticinium, suamque indicat visionem: ipse autem nō est isti duo montes. ¶Alijs placuit, vt Dionysio Carthusiano referre hos duos montes, ad Danielem, & ad ipsum Zachariam, sed

sed item hoc commentum est violentum ob eandem rationem.

¶Ad hæc egredi ex montibus, aliud denotat, videlicet habere originem, vel initium ex montibus. At vero ex oraculis, non habuerūt originem, quatuor orbis Imperia. ¶Quamobrem aptiorem puto expositionem, si dixero per hos montes significari Dei voluntatem & potentiam. Nanque à voluntate Dei, & eiusdem potestate, deriuantur omnia regna mundi vnde Dei sapientia, quæ idem est quod Dei voluntas, & potestas inquit per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Voluntas enim Dei, quidquid vult ex infinita sapiētia vult, & potestas Dei quidquid operatur ex infinita sapientia operatur. Dei igitur voluntas ab æterno voluit quatuor de quibus hìc fit mētio, creare Imperia: & Dei potestas suis aptis temporibus, illa deduxit ad effectum. Per hæc enim quatuor Imperia, prouidit Deus regimini orbis, id temporis necessario. Nanque creare & mutare imperia opera sunt diuinæ prouidentiæ: prouidentia autem Dei ex immutabili voluntate eius, & æterno consilio procedit. Hæc igitur duo sunt montes ærei, quos vidit vates, aut Chalibei, vt vox Hebraica significat. Ex quibus egrediuntur quadrigæ ideſt orbis imperia, & resultant, & moderantur. Sunt autem mōtes quia incomprehensibilis est Dei volūtas atque potestas, propter earum celsitudinem. Itemque sunt Chalibei. Nam diuinæ voluntati, & potestati nulla voluntas alia, aut potestas resistere potest.

Voluntas & potestas Dei sunt vna diuinitas at ratione distinguūtur.

¶Vocantur autem duo montes, non quia voluntas Dei, atque potestas sint duæ res, cum alioqui sint vna diuinitas simplicissima: sed ex traditione Theologorum ratione distinguntur. ¶Est enim alia ratio diuinæ voluntatis, alia diuinæ potestatis. Meminit autem horum duorum vates, vt significet, nihil accidere posse, nisi ex Dei voluntate, & quod potestas omnis à Domino Deo est. Per quatuor quadrigas equorū, quatuor orbis imperia significare vult. Quadrigis enim vtūtur bellatores & principes, ideo ex principum apparatu, ipsos principes intellectos voluit. *In quadriga prima equi rufi. Et in quadriga secunda equi nigri, In quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij.* Hoc loco annotare poteris, vt per equos intelligit ipsos insidentes equos, vt annotabam cap. 1. vbi ait Zachar. se vidisse per noctem equos rufos, equos varios, & equos varios. Etsi ibi non meminit Zacharias equorum nigrorum vt modo. ¶Prima igitur quadriga, subnotat Chaldæorum imperium, quod quia cruentissimum fuit nemini pariens, ideo rufi equi primam ducunt quadrigam, sine rubei equi. Etsi iam tempore huius vaticinij abolitum erat hoc imperium, & trāslatum in Persas, sub Dario, enim & Cyro facta fuit huius imperij translatio. ¶Secunda quadriga adumbrat Persarum & Medorum imperiū. Quæ ducebatur ab equis nigris. Quoniam Persæ mala intulerunt Iudæis. Cambyses enim multum afflixit Iudæos, item & sub Assuero, valde fuerūt diuexati. Tertiam autem tribuunt Macedonibus seu Græco imperio, siue monarchiæ, quæ exordium accepit sub Alexandro Magno, qui beneficus fuit Iudæis, & eos honore est prosecutus. Vltimā tradūt vulgo expositores esse Romanam Monarchiā, quæ ex parte, valde nocuit Iudæis, vt Titus, & Vespasianus admodum læserunt Iudæos. Cæterum Augustus, & Tyberius nihil nocuerunt, *Equi varij & fortes*, equos quartæ quadrigæ varios esse dicit, & fortes, cur varios esse eos dixerit exposuimus iam, aut aptius dixeris, vocatos varios quia primo Romana respublica regia potestate fuit moderata, dein vero consulibus & dictatoribus. Nam anno ab vrbe condita ducentesimo quadragesimo quarto primi consules fuerunt Brutus & Tarquinius, quæ consularis administratio duravit vsque ad Octauianum Cæsarem Augustum quando consularis administratio, seu gubernatio cessauit, at variata est, & mutata in imperialem. Romani igitur ob causam commemoratam dicti sunt varij. Itēque appellātur fortes propterea quod orbem domauerunt vel denique dicuntur varij propter diuersitatē deorū quos Romani colebant in suo Pantheo. ¶Hæc autem quatuor regna sunt quoque à Daniele ca. 2. visa sub similitudine statuæ vnius, ex auro, argento, ære, ferro & luto confla tæ. Et per ferrum designabatur Romana potestas, quæ sicut ferrum domat metalla omnia, ita & illa domuit omnia imperia mundi. Item fuerunt à Daniele præuisa sub similitudine bestiarum quatuor, & vētorum quatuor, & ab hoc vate sub specie, altera, quia vidit quatuor cornua ventilantia Iudam & semper in his visis Romanū impe-

Sub Octauiano Augusto Cæsare cessauit consularis & dictatoria Romanorum administratio.

imperiũ fortiſimũ futurũ præſignabatur: quippe vniuerſum orbem erat ſubiugaturum. De durationibus autem horum imperiorum, lege Auguſt. lib. 4. de ciuitate Dei, cap. 7. *Et reſpondi & dixi ad angelum qui loquebatur in me, Quid ſunt hæc? domine mi? Et reſpondit angelus & ait ad me, Iſti ſunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur vt ſtent coram dominatore omnis terræ.* Hebra. qui egrediuntur ad quatuor ventos cæli, ideſt, iſti equi, aut iſtæ quadrigæ ſunt quæ egrediũtur à locis vnde ſtabant, & defenduntur per quatuor partes orbis, ideſt, cum ſtarẽt quadrigæ corã dominatore vniuerſæ terræ, iſtæ quadrigæ egrediũtur ad quatuor partes orbis. Siquidẽ illa imperia ſe tendebant ad quatuor orbis plagas, vt mox declarabit. *In qua erãt equi nigri, egrediebantur in terrã Aquilonis*, ideſt, quadriga quam ducebant equi nigri colore. Cum videbatur, eſſe inchoandum à quadriga equorum rufo rum cuius primo meminerat, at illam non expreſsit: ſed meminit ſecundæ quadrigæ equorum, ſcilicet, nigrorum, quæ imperium Perſicum ſignificare tradidimus, quod exordium ſumpſit in Cyro filio Cãbyſis, & Aſtiagis nepote, qui Chaldæorum imperium, quod incepit à Nabuchodonoſore, ſubiugauit, & tranſtulit ad Perſas, quibus prius ſubiecerat Medorum regnum, cuius fuit vltimus Rex Aſtiages auus Cyri ex Madiane Aſtiagis filia, & Cambyſis vxore. Iſti ergo Perſæ egreſsi ſunt ad debellandum Babylonicum imperium quæ eſt terra Aquilonaris reſpectu Perſarum. *Et albi egreſsi ſunt poſt eos.* Siquidem Græcorũ imperium, ſeu monarchia cœpit ab Alexandro Macedone, & morã duxit breuem, cæterũ ſubiugauit Perſas, & Medos, & totam Aſiam. Extincto autẽ Alexandro, annis monarchiæ. 12. expletis, extincta item fuit & ipſa. Cæterũ adhuc dominium Græcorum perſtitit, ab Olympiade. 114. vſque ad Olympiadem 133. nam finitum eſt Græcorum dominium, ſub Seleuco, & Antiocho fratribus, quorum diuiſio, extinctioni regni originem dedit. *Et varij egreſsi ſunt ad terram Auſtri*, vel aliter *maculoſi*, aut *cinericij*. Per varios equos ſignificatos eſſe Romanos, dixi mus dudum, qui vertunt maculoſos, non diſcrepant à præfato ſenſu. Item ſi vertas cineritios. Nam cinis neque eſt admodum albus, neque admodum niger, ſed ex vtroque colore temperatus. *Qui autem erant robuſtiſſimi, exierunt, & quærebant ire, & quærebant diſcurrere per omnem terram, & dixit, Ite, & perambulate terram.* Quadrigã quartam intelligit: per robuſtiſsimos autẽ Romanos adumbrari, ſupra meminimus. Iſti perambulauerunt terram: quia fuerũt Domini totius orbis, Lucæ. 2. Exit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Quibus dixit Deus, Ite, &c. Quia omnia mundi imperia, quanuis homines infideles ſuis viribus tribuant, at verè ſunt ex diuina conceſsione, quia ipſe eſt Dominus vniuerſorum, & ipſe mutat & tranſfert imperia, Daniel. 2. Et vocauit me, & locutus eſt ad me dicens, *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra Aquilonis.* Perſas intelligit, qui debellarunt Chaldæos, & libertate donarunt captiuos Iudæos, ideo ait, Requieſcere fecerunt ſpiritum meum, ideſt, furorem meum, quaſi dicat per Perſas, Ego accepi vindictam de Chaldæis, vt de tyrannis, & ſanguinarijs, nam ſupra per quadrigam equorum rufo rum Babylonicum intelleximus imperium. *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens. Sume à tranſmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia, & ſumes tu in die illa, & intrabis domum Ioſiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.* Tradunt Hebræi quod iſti expreſsi hîc à vate cum veniſſent ex Babylone, inde deportaſſe ingens pondus auri & argenti. Per tranſmigrationem autem intelligit captiuitatem, ideſt, aſſume ab ijs qui captiui fuerũt in Babylone Holdai, ſcilicet, &c. *Et ſumes aurum & argentũ, & facies coronas, & pones in capite Ieſu filij Ioſedech ſacerdotis magni. Et loqueris ad eum dicens, hæc ait Dominus Deus exercituum dicens.* Iubet Deus ex auro commemorato & argento, vt conflarentur duæ coronæ, & imponerentur in capite Ieſu filij Ioſedech: ex altera corona denotabatur ponti ficalis dignitas: ex altera regia poteſtas. Supra autem dixerat, quod cidaris ſeu mitra ei imponeretur, nunc autem corona. Non ſanè quia hic Ieſus fuit rex: neque enim erat ex tribu regia, ſcilicet, ex tribu Iuda. At vero, quia adumbrabat Ieſum Chriſtum dominum noſtrũ, qui eſt ſummus ſacerdos, & Rex vniuerſorum, vnde angelus Gabriel, Dabit illi dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis. Idẽ Dani. 2. regnum quintum, quod eſt regnũ Meſsiæ,

Regnum Græcorũ finitũ ſub Antiocho & Seleuco fratribus.

Chriſtus Rex & ſacerdos.

Meſsiæ, eſſe demoliturum vniuerſa impe ria prædicatur: quia eſt regnum ſempiternum. Non quia non ſunt modo Reges & Imperatores poſt Chriſti aduentum, cæterum, quia tandem vniuerſa ſeculi peribũt imperia, & regnabit Dominus ſolus in illa die iudicij, Iſai. 5. ideo regnum Chriſti prædicitur eſſe demoliturum vniuerſa orbis imperia. Et quam vocauit ſupra Cidarim, modo vocat coronam. Quia Chriſtus nõ deſcendebat ex tribu Leuitica, vt Pau-
Hebr. 7. lus ait, Manifeſtum quod ex Iuda ortus ſit Dominus, ideo tradit coronã modo & non Cidarim, quæ competebat ex Leuitico genere Pontificibus. *Ecce vir oriens nomen eius.* Hebra. Ecce vir Zema nomẽ eius, ideſt, ecce vir germen eſt nomen eius, vt ſupra expoſuimus cap. 3. Et paraphraſtes Chaldæus de Chriſto hæc interpretatur. Et tranſtulit pro oriente Meſsias. Et quidem Ieſus ille filius Ioſedech non erat hac nomẽclatura decoratus, videlicet germẽ, vel oriens. At vero Ieſus filius Mariæ virginis hac ratione appellatur in Scriptura, vt cap. 3. expoſuimus: ideo neutiquam de illo, ſed de noſtro Ieſu locus eſt hic intelligendus. *Et ſubter eum orietur & ædificabit templum Domino.* Iudæi vt ſuam perfidiã foueant, hinc colligunt nondum veniſſe Meſsiam ſuum, quem vana opinione delu ſi hucuſque expectant. Etenim locũ hunc ipſi itẽ intelligunt de Meſsia: at vero quia hîc dicitur quod Meſsias eſt ædificaturus templum nouum Domino, inde tradunt cum venerit Meſsias ædificabit nouum templum Domino pro ſua dignitate magnificentius, quam priora.

Iudæorũ perfidia refutatur.

¶At vero quam inſani ſint iſti inde percipiemus, quia infra capit. 9. de Meſsia traditur, Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, &c. Si ergo Meſsias erat venturus pauper, vnde obſecro poterit ædificare ſplendidiſsimum templum, vt Hebræi cæci ſperant? Quocirca, ad ſublimiorem intelligentiam hæc verba nos prouocant. Nempe, vt non intelligamus de templi materialis ædificatione, cui ædificando incubuerunt puri homines, vt Salomon, & Ieſus filius Ioſedech, & Zorobabel dux Iuda, nam huiuſmodi templa, ab hominibus ædificata, ab hominibus item fuerunt diſsipata. At vero templum quod verus Meſsias, Deus verus, & homo verus hic prædicitur ædificaturus, eſt templum, quod non collabetur. Nempe quia prædicetur, quod eſſet ædificaturus eccleſiam catholicam, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Quam eccleſiam ex militia huius ſeculi ipſe transferet ad triumphum ſempiternum cum angelis ſuis beatis æternò regnaturam cum ipſo fabricatore Chriſto. *Subter eum orietur*, ideſt, germinabit ſub ipſo, quem locum ex alio diſces explanare. Traditur enim apud Iſaiæ. 53. Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemẽ longæuum. Et
Actor. 8. ſermo eſt de Chriſto, vt ex Actibus Apoſtolicis conſtat. Nam Philippus ex hoc loco euangelizauit eunucho Chriſtum. ¶Habet igitur Chriſtus ſemen longæuũ. Nanque omnes fideles ſunt Chriſti filij Chriſtique proles, ſpiritualisque generatio. Siquidem fideles omnes regenerantur à Chriſto per lauacrum baptiſmi: regenerantur inquam in filios adoptionis. Hęc autem generatio eſt longæua, quia generat filios, vt ſint ſibi cohæredes vitæ æternæ, Roman. 8. & hoc eſt quod modo ait, & ſubter eum orietur, ſeu ſub ipſo germinabit. Nam ſub fide, & gratia Ieſu Chriſti, germinat populus Chriſtianus. *Et ipſe extruet templum Domino: & ipſe portabit gloriã. Et ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo: & conſilium pacis erit inter illos duos.* Sedet Chriſtus ad dexteram Dei patris, & ibi eſt Chriſti ſolium cæleſte, & non terrenum, quale fuit & eſt regum & pontificum temporalium.

Eccleſia eſt templũ Dei myſtici cum, vide ſupra in Aggæo.

Fideles ſunt filij ſpirituales Ieſu Chriſti.

¶Et ibidem eſt pontifex æternus, ad Hebræos. 7. Eſt igitur Rex æternus & pontifex æternus. Nam ſedet ad dexteram Dei patris, ad Roma. 8. vt interpellet pro nobis, id quod eſt pontificum munus, ad Hebræos. 6. & quia in Chriſto, ſunt duæ naturæ diuina & humana, ſumma tamen pace, ſunt in Chriſto copulatæ: ſiquidem in vnitatem perſonæ ſunt ibi vnitæ.

Diuinitatis Chriſti & humanitatis teſtimoniũ.

¶Inter duos igitur ſummam pacem futuram præuidet vates inter regem ſummum, & pontificem ſummum. Quia is ipſe qui eſt rex gloriæ, eſt item pontifex, & ſacerdos magnus in æternum. ¶Quod ſi cauiletur quiſpiam, iam ex hoc loco, dicens videri in Chriſto eſſe duas perſonas: quia ait conſilium pacis erit inter illos duos, id quod Neſtorius, & alij hæretici dogmatizauerunt. ¶Reſpondetur dualitatem non perſonarum,

rum, sed naturarum in Christo denotare realem distinctionem. Quas duas naturas ex duabus dignitatibus regia scilicet, & sacerdotali voluit vates subintellectas.

¶Enim vero per regiam diuinam insinuat naturam, per sacerdotalem autem humanam. Enim vero, sacerdotium competit Christo, quatenus obtulit seipsum hostiã Deo viuentem in odorem suauitatis. Id quod ratione carnis humanæ assumptæ sibi solũ competit, sicut quod sit rex sempiternus, ex persona diuina assumente. Et quia verbum Dei caro factũ est, ideo rex gloriæ factus est Pontifex futurorum bonorum, ideſt cœlestium bonorum. Non per sanguinem Hircorum aut taurorũ, sed per proprium sanguinem in cœlestia regna triumphãs intrauit æterna redemptione inuenta. Aut secundo explanabis, de duobus populis Iudaico, & Gentili, quibus à Christo est data pax conducẽs eos in vnam Catholicam ecclesiam ad Eph. 2. *Et coronæ erunt Helem & Tobiæ & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini*, vocat modo Helem, quem supradixerat Holdai, & Hen, quem supravocarat Iosiam. Vnde videtur hos fuisse binomios: isti ergo qui subministrarunt aurum & argentum cõflandis coronis, monimentum glorioſum, & laudabile, posteris suis, & alijs reliquerunt. Quoniam quæ sua erant, & non qualiacunque, sed pretiosa munera obtulerunt in Dei cultum scilicet in templo Domini. Nam illæ coronæ erant iam supellex templi Domini. Vnde videtur quod isti viri gratis obtulerunt magnifica munera, quæ diximus templo: alioqui nõ esset cur esset laudabile monimentum, sunt Hebræi qui testantur has coronas suspensas fuisse in templo Dei omnibus cõspicuæ, in monimentum glorioſum offerentium. *Et qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo Domini, & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos*, de ecclesia militante tu intellige, in quam confluxerunt gentes, & eam construxerunt Apostoli & discipuli Domini, sed etiam & qui procul sunt, ideſt ascíti ex gentibus. Ex quibus multi præclarissimi doctores extiterunt, docentes verbo & scripto ecclesiã Dei: id quod est eam ædificare spiritualiter. *Et tunc scietis*, ait Zacharias, cum videritis hæc impleta, quæ prædico, scietis me vera præuidisse, eíseque me prophetam Domini sine fallentia prædicentem ventura. *Erit autẽ hoc si audieritis vocẽ Deiveſtri.* Implebuntur hæc omnia, si vos fueritis Deo morigeri, & non rebelles. Quæ conditio semper subintelligitur, siue in pollicitatione bonorum siue in comminationibus malorum.

Promissiones diuinæ atque comminationes habent subintellectam quãdam conditionem.

Moralia siue mystica.

QVatuor nobis diuinus Dei vates Zacharias proposuit in capite hoc, equorum magna varietate distinctas quadrigas: est autem quadriga currus quẽ quatuor equi ducũt: istę autem quadrigæ multitudinem electorum, & diuersitatem meritorum non obscure demonstrant.

Quatuor mysticæ quadrigæ electorum Dei.

¶Sunt enim ex electis, multi qui sanguine laureis ditantur bene fulgidis: qui martyres fuerũt. Quos facile est videre per equos rubeos, seu rufos subnotari. ¶Sũt alij, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt Apocal. 14. & hos equi albi denotant. ¶Alij vero sunt qui pœnitudine ducti, tristitiam habent secundũ Deũ de malefactis prioris vitæ, de quibus Dominus in euangelio, Gaudium magnũ erit in cœlo super vno peccatore pœnitẽtiam agente. Hos autem subsignificare equos nigros facilè dixeris, nigredo enim mœrorem, & tristitiam denotat. ¶Sũt & alij qui varietate doctrinæ, & sanctorum studiorum ecclesiam illustrarunt, quales sunt doctores ecclesiæ de quibus Dominus. Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Isti autem omnes rectè per quadrigas denotantur, nanque vitam suam & mortem secundum quatuor euangeliorum doctrinam composuerunt, optime per currus sanctorum vita designatur, siquidem sic currunt per temporalia bona vt comprehendant æterna. Vnde Paulus monuit suos quibus scribebat Corinthios, sic currite, vt comprehẽdatis. Reprobi vero non currunt ad æterna comprehendenda bona, sed potius in temporalibus requiescunt: quia defixi sunt in fæcibus peccatorum suorum. ¶Currunt sanè ad æternas subeundas pœnas, non ad æterna adipiscenda præmia. Omnes quidem currunt, quia vita mortalis nostra, quid est aliud quam quidam velox ad mortem cursus? ita quidem electi, vt reprobi hunc cursum habent, cæterum in hoc cursu, est alter cursus, qui diuersus est in electis, atque reprobis. Nam isti addentes præuaricationem præuaricationi, per cursum vitæ mortalis

Matth. 5.

Omnes in vita mortali currũt sed diuerso cursu.

talis properant ad mortem sempiternam, illi vero per cursum vitæ mortalis, currũt ad gaudia obtinenda sempiterna. ¶Hoc aiebat Apostolus dicens omnes quidem currunt, sed vnus est qui accipit brauium, sanè in stadio huius temporalis vitæ omnes currunt, siquidem omnes ita iusti vt in iusti sicut aqua dilabimur super terram. Et vita nostra vapor est ad modicum apparens. At vero vnus est qui accipit brauium æternæ vitæ, nẽpè qui legitimè certauerit, nàm is solus coronabitur. ¶Ait autem quispiam cur dicit vnus est qui accipit brauium, aut brauium? cum Ioannes scribat se vidisse electorum turbam magnam quã dinumerare nemo poterat? equidem multi sunt numero electi Dei, vnum tamen sunt fide, vnum charitate. Siquidẽ id ipsum sapiunt omnes iuxta Pauli documenta, & vnanimes sunt in diligendo Deo super omnia & propter se & proximo propter Deum. Sunt igitur vnum qui pacis vnitatem seruare studeant, vt Deus pacis in ipsis commoretur. ¶Istæ autem quadrigæ visæ sunt à vate exire ex duobus Chalibeis montibus. Sunt sanè isti duo Chalibei montes diuini Prophetæ diuini que Apostoli. Abistis exeunt sanctorum quadrigæ. Etenim, vitam & mores electi omnes iuxta normam Prophetis traditã, & à sanctis Apostolis edoctam formant. Vnde Paulus omnes electos, fundatos dicit esse supra fundamẽtum Apostolorum & prophetarum ipsõ summo lapide angulari Christo. Omnis igitur sanctitas, omnis iustitia, omnis sanctorum virtus, à prophetis, & Apostolis, habet exitum, & ortum. Vtique montes sunt isti ærei vel chalibei, quia firmissimis cõstant veritatibus, vnde de Prophetis dixit Petrus, sed habetis propheticum sermonem cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caligino so loco, lucent nanque prophetæ in mundo hoc qui tenebris spiritualibus & peccatorum caligine est obductus, lucent sanè non omnibus, sed solum fidelibus, vnde & ipsi se asserunt esse mõtes firmissimæ veritatis, dum ea quæ loquuntur non ex proprio cerebro asserũt depromi sed ex Dei quod acceperunt, verbo.

Prophetæ & Apostoli sunt duo mõtes ærei.

Christus est auriga sanctarum quadrigarum.

¶Rursus & Apostoli sunt montes ærei testante Domino. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit. ¶Harum autem sanctarum quadrigarũ, quis est alius auriga præter Dominum Iesum Christũ? ipse enim est, qui confortat martyres, vt ferant martyrij cruciatus. Ipse est qui ad pœnitentiam inuitat pœnitentes offerẽs illis peccatorũ remissionẽ. Ipse est qui purificat virgines, ipse est qui illustrat doctorũ doctorũ lucernas ipse est deniq; de quo scriptũ est. 4. Reg. 2. Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga eius. Nanque si ad literam de Elia hæc dixit discipulus eius Elisæus, multo potẽtiori ratione de Christo hæc dicet Christiana ecclesia, cuius ipse est pater, vt olim prædixerat sacer ille Isa. cap. 9. inter cætera epitheta Christi, hoc miscens, Pater venturi seculi, venturum seculum insinuabat esse venturam ecclesiam Catholicã, cuius Christus pater est: quippe nos regenerat per lauacrũ aquæ in verbo vitæ. ¶Sanè currus est, quia ipse iniquitates nostras portauit, & peccata nostra, pertulit in ligno. 2. Petri. 2. Itemq; auriga est, qui dirigit pedes nostros in viam pacis, ideſt in cœlestem patriam. Siquidem euangelio suo docet homines fidẽ, & charitatem in Deum esse seruandam, & erga homines esse custodiendam. Et non solum dirigit homines, quia est ipse lux mundi, verum etiã adiuuat infirmitatem nostrã, sacramentis nos instruens, & interno adiutorio fideles fouens. ¶Harum quadrigarum, quæ optima, & illustrissima est, quadriga equorum rufo rum est, etenim sancti martyres illustrissima sunt ecclesię portio testãte Domino maiorem hac dilectione nemo habet quam vt animam suã quis ponat pro amicis suis Ioann. 15. Id quod sancti martyres fecerunt in Christi testimonium sanguinem fundentes suum, & quadamtenus ratione rependentes Christo, quod ipse Christus præstitit. Nã Christus fudit sanguinem suũ pro hominibus, & ipsi martyres hoc idem præstãt in Christi gratiam. Vnde in Canonem missæ redacta sunt solum nomina sanctorum martyrum, & non confessorum: ob hanc eorũ singularem prærogatiuam. Nam tametsi sacrosancta virgo Maria, mortẽ nõ obierit in Christi testimonium, at vero, martyrũ gloria illi nõ deest: quia neque martyrum cruciatus illi defuerunt, testante euangelica lectione, & tuam ipsius animam pertrãsibit gladius. ¶Hæc quoque quadriga alia fulget dote, videlicet, velocius eam currere ad patriæ gaudia quam cæteræ quæ lento gressu illò tendunt. Quãdoquidem sancti martyres, vt canit ecclesia mortis sacræ com-

Prima quadriga est optima.

cõpendio vitam beatã posident. Cruenta igitur est hæc quadriga at sacro cruore. Et quidem nihil magis illustrat ecclesiam Dei, quam quadriga hæc, & veritati Christianę nullum efficacius testimoniũ. Vtique efficacissimum est testimonium euangelicæ veritatis, quod innumerabiles viri & fœminæ summa & planè incredibilia humano iudicio, subierint tormenta, & denique Christi gratia truculentissimas mortes, istud enim ferre nequirent nisi spiritus cælestis eos iuuaret. Nanque vnde Laurentius in craticula distentus, & igne assatus, tam libera voce diceret tyranno, assatum est iam, versa & manduca? & vnde cæteri martyres tam intrepida cõfessione Christũ in medijs tormentis confessi sunt? id quod naturali inclinationi omnium videbatur repugnare. Quæ est se se conseruare, & conuenientia corpori amare, & repugnantia summè odire & visibiles voluptates sequi, & sensibilia nocumenta maximè deuitare. At sancti martyres voluptates sensibiles, oēs diuitias, delicias, ipsamq; charissimam vitam spreuerũt propter illa quę sentiri non poterant. An non certissimũ est, ex spiritu afflante, & iuuante hæc pertulisse? ¶ Pulcherrima equidem est sanctarum virginum quadriga candoreq́ue virginitatis admodum fulget, quæ sanctis angelis est communis. Et venereis quidem voluptatibus obsistere, non est leuis sed ardui negotij, & rarus est qui illis in perpetuum repugnet. Imo cum illis est crebra pugna, & rara est victoria. ¶ Laboriosa est item sanctorum confessorum vita, enim vero, totam vitam ad mortem vsque ducere immaculatam, singularis est diuini muneris. Vnde cecinit Psaltes. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, &c. Etenim tot tentamenta carnis, tot mundi illecebras tot diaboli superare fraudes, quot in vitæ decursu contingunt, magni est coram Deo meriti. Neque etiam contemnenda est pœnitentium quadriga, siquidem veram pœnitentiam nemo assequetur. Neque enim vulgaris est virtutis, pristina errata deflere, & nouam instituere secundum Deum vitam: flere peccata sanè natiuum est, quando ex illis nobis incommoda sunt subsecuta. Vt fur deflet furtum quia ex illo ducitur ad suspendium, & ita de reliquis. At vero quod nullo subsecuto vitæ, aut substantiæ aut honoris incommodo, quod quis defleat sua peccata, quia diuini numinis offensiua, & nouam iuxta normam euangelicam formet vitam, & non solum de vno aut altero doleat peccato, sed de omnib⁹, & quod quæ summè amabat, summè propter Deũ odiat, quia illa malè amabat, & demum quod pro Christo carnem suam crucifigat, cum vitijs & concupiscentijs, reuera ardua res est, & quæ diuina postulat auxilia. Vt vberius diximus in declamatione de pœnitentia ad Isaiam.

Martyres valde illustrant fidẽ Iesu Christi.

Pœnitentia vera hominidifficilis.

Galat. 5.

Collatio quadrigarum.

¶ Porrò autem istæ omnes quadrigæ, quadrigæ primæ dignum est vt cedant. Siquidem vt Paulus Hebræis scribit. Nondum vsque ad sanguinem mundo, carni & diabolo restiterunt vt sancti martyres. Non diffiteor fieri posse nonnullos ex tribus quadrigis posterioribus, excedere aliquos ex sanctis martyribus, at vero, comparatio fit totius ad totum. Siquidem multum argentum, excedit valore modicum aurũ, nihilominus aurum à tota specie excellentius est argento. ¶ De istis quadrigis verũ est illud quod proditum est ab Habacuc Dei vate. Ascẽdis super equos tuos & quadrigæ tuæ saluatio. Ascendit enim Deus super equos rufos, illos confortans, super equos albos eos purificans super equos varios eos illustrans, super equos nigros, eos animans & calcaria addens, vt iter Dei rapiant. Vnde restat quadrigas has esse saluandas à Deo, ideo ait quadrigæ tuæ saluatio. Consueta Hebræorũ phrasi, vsurpantium singulare pro plurali. Neque te moretur, quod ordinem quadrigarum non recenseamus iuxta vatis ordinem, quia hoc fecimus vt mysticis sensibus, cõgruentior esset accõmodatio. Quod vero subdit isti sunt quatuor venti cœli, ideo subdit, quia per totum orbem diffusa fuit hæc quadrigarum varietas. Martyrum, confessorum, virginum, & pœnitentium, & quod ait, *Egrediebantur equi nigri, & albi egressi sunt post eos*, ex eo ait, quia Petrus ait, agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisq; in nomine Iesu Christi, nam vt dealbemur ex baptismo, præmittenda pœnitentia, quæ ob suum, quem secum conducit mœorem nigrori confertur. Qui autem erant robustissimi, exierunt & quærebant discurrere per omnem terram, nanque data pace ecclesijs, quadriga doctorum & confessorum fuit valde necessaria ecclesiæ, quæ pugnaret, & deuinceret hæreticos. Vt enim prima quadriga equorum rufo-

Hebr. 12.

Cap. 3.

rum fuit necessaria ad superandum furorem tyrannorum, cui mirabiliter obstiterunt sancti martyres, ita sedato tyrannorum impetu cessauit quadriga hæc. At succrescentibus hæreticis quadriga equorum variorum fuit necessaria, vt hæreticorum argutias fidei claritatem obturbantes, diluerent. Et quia doctrina sanctorũ effunditur per totam ecclesiam catholicã, ideo ait, quod equi varij quærebant discurrere per omnem terram. Illi autem equi fuerunt robustissimi, quia potentia suorum verborum, & scriptorum expulerunt hæreticorum sophismata, & tendiculas, & captiones, quibus capiebant, insipientes. Quadriga autem equorum albo rum, non est ecclesiæ Dei necessaria, vt duæ prædictæ sunt tamen ad decorem, & ecclesiæ perfectionem, cæterum quadriga equorum nigrorum, semper fuit & est necessaria ecclesiæ Dei, vt abstineria peccatorum nigredine per pœnitentiam, nõ impediũ habeant cursum ad vitam æternam. Alij referunt quadrigas has ad quatuor euangelia, at vero nescio, vt quadret ista allegoria. Quandoquidem istæ quadrigæ sunt diuersæ, quædam ducitur ab equis rubeis alia ab albis, alia à nigris, &c. At vero sancta euangelia, etsi stylo, & processu differant, at vero sententia concordant vt quatuor euangelia numero esse quatuor, at re esse vnum, rectè dixeris.

Sanctorũ martyrũ quadriga obstruit tyrannis.

EXPLANATIO IN ZACHARIAM. CAP. VII.

IT factum est in anno quarto Darij regis, factum est verbum Domini ad Zachariũ, in quarta mensis noni, qui est Casleu. Et miserunt ad domum Dei Sarasar, & Rogommelech, & viri qui erant cum eis ad deprecandam faciem Domini: vt dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, & prophetis loquentes. Soluta Babylonica captiuitate adhuc remanserunt multi Iudæorum Babylone, & isti miserunt legationem ad sacerdotes, qui erant Ierosolymæ, super dubio soluendo hoc videlicet, an tenerentur ieiunare mense quinto, & septimo. Hoc nanque ieiunium sibi indixerant Iudæi à die combustionis templi, & vrbis quæ accidit mẽse quinto, & à morte Godoliæ, quem occidit Ismael. Iere. 39. & 4. Reg. vlti. Mensis autem quintus est, nã hic mẽsis primo dict⁹ est quintilis, quia quintus est à Martio qui mẽsis primus anni est institut⁹ à Romulo. Et itẽ erat mesis primus secundum rationem festorũ apud Hebræos: & inde septimus mensis à Martio est September: de quibus duobus hic fit mentio. Vocat autem prophetas legis scribas & interpretes, quo ritu loquendi etiam Paulus vocat eosdem prophetas. *Nunquid flendũ est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis?* Hoc est dubium super quo consulunt sacerdotes, & prophetas. At ratio dubij hæc erat, quia propter combustionẽ templi, & desolationem vrbis, indixerãt sibi ieiuniũ Iudæi, iam vero cum viderẽt templũ fere restauratũ, quia anno sexto Darij fuit restauratum, at vero iam quartus erat annus Darij, quando hoc dubium agebatur, ideoque, qui prope erat vt consumaretur templum videbatur ieiunium illud cessaturum, nihilominus vt firmã haberent de re sententiam mittunt in Ierusalem, vt certi fiant de re quæ vertebatur in controuersiam. ¶ Tu hic expende quam insani sunt hæretici nostri æui, qui despiciunt Romanam ecclesiam, quæ est magistra Christiani orbis. Ea tibi, hos Iudæos qui erant in Babylone, vt sibi non fidunt super quæstione de ieiunio etiamsi apud se habebant sacros libros, at per sacros libros nõ ausi sunt ipsi dubium definire, sed ad sacerdotes, & ad doctores residentes Ierosolymis, vbi vigebat sedebat, sedes pontificia Hebræorum miserunt legationem. At vero Lutherani ea tument superbia, vt tradant non esse necessariũ consulere Romanum pontificem, de agendis in ecclesia Dei, sed neque concilia esse conuleda: quia sufficit diuina (vt aiunt) scriptura in quos sepe alibi egimus redarguentes eorũ insaniam, ideo in præsentia far sit hæc annotasse. *Multis annis*, scilicet septuaginta *sanctificare*, sanctificationem vocat, ieiunare, & abstinere à voluptate quorundã ciborum: nam tale erat ieiunium Iudæorũ. *Et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens, loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes dicens, cum ieiunaretis, & plãgeretis in quinto & septimo, per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Et cum comederetis & bibistis, nunquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?* Quia Domino plus placet ieiunium mentis, quam

Ad Ephes. 4.

Lutherus explodicur.

ieiunium ventris. Ideo, cum Iudæi ieiuno ventre à cibis, mentem non ieiunam à vitijs habebant propterea, tale ieiuniū Deo non placuisse ostendit vates. *Et cum comedistis.* Idest perinde vos gerebatis non ieiunando, vt ieiunando: quia semper vitijs vacabatis. *Nunquid non sunt verba quæ locutus est Dominus, in manu prophetarum priorum cum adhuc Ierusalem habitaretur, & esset opulenta ipsa, & vrbes in circuitu eius. Et ad austrum, & in campestribus habitaretur.* Per Isaiam enim ante captiuitatem. capit. 58. Dominus dixit sibi non esse gratum ieiunium ventris quando mens laxat se ad facinora perpetranda ieiunium enim corporale ordinatur ad ieiunium spirituale, quo cessante, ieiunium nihil habet meriti corā Deo. *Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens, hæc ait Dominus exercituum dicens, iudicium verum iudicate, & misericordiam, & miserationes facite, vnusquisque cum fratre suo. Et viduam, & pupillum, & aduenam, nolite calumniari.* Duo pertinent ad iustitiam obseruandam, & facere bonum, & declinare à malo: quæ duo hic tanguntur. Nam dum ait, iudicium verum iudicate, &c. ad partem priorem iustitiæ spectat, cum subdit, nolite calumniari pauperem, &c. posteriorem respicit. Meminit autem personarum imbecillium, quales sunt viduæ aduenæ, & pupilli, quia huiusmodi personæ magis patent iniurijs, quippe quæ sunt impotentes ad propulsandum iniurias. *Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.* Item prohibet cordis peccata, contra eos qui asserunt legem veterem, solū prohibere peccata exterioris operis, non interioris cordis. *Et noluerunt attendere, & auerterūt scapulam recedentes, & aures suas aggrauauerūt, vt audirent. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum.* Durities Iudaica vbique in scripturis docetur, vt modo item indicatur. Auerterunt humerum, vt is qui loquenti sibi obuertit humerum, vt non audiat, quæ loquitur. Aggrauauerūt aures cordis, & restiterunt valde diuino verbo, quod per suos prophetas, illis intimabatur. Vnde Beatus Stephanus, Actorum. 7. hoc Iudæorum adamantinum cor exponit, dicens, vos Spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri. Et adeo hæc durities increuit, Iudaica, vt præsente filio Dei in orbe, sub carne mortali, Iudæcs docens, non solum noluerunt audire, sed regem gloriæ crucifixerunt, & hucusque, hoc adamantinum cor in Iudæis perseuerat, suam contra Christum perfidiam defendentibus. *In Spiritu suo sancto*, non extat in textu Hebræo, sed neque in Græco, neque in correctioribus Biblijs. Quod autem prophetæ per Spiritum sanctum loquantur, ipsimet docent, dicentes, Hæc dicit Dominus, &c. & Petrus affirmat, dicens, Non voluntate humana, est allata prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. *Per manum prophetarum priorum.* Id est per prophetas priores, qui scilicet præcesserant captiuitatem Babylonicam, & sub ipsa captiuitate vixerant. Hoc ait, vt ostendat semper fuisse Iudæos Deo rebeles, & suis sanctis vatibus. *Et facta est indignatio magna à Domino exercituum.* Siquidē propter rebellionem Iudæorum & duritiem cordis abacti sunt in captiuitatem, & Israelitæ itidem sunt ducti captiui. *Et factum est sicut locutus sum.* Idest, executioni mandaui comminationes meas. *Et sicut nō audierunt, sic clamabunt, & non exaudiam.* Sicut me clamante per prophetas, non exaudierunt voces prophetarum meorum, ita etiam, quando ipsi ad me clamauerint nō exaudiam eos, idest non liberabo eos à tribulationibus suis, *dicit Dominus exercituū.* Non exaudiam, idest non exaudiui, quia ipsi non implorabant opem meam in veritate, & synceritate cordis. *Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt: & terra desolata est ab eis.* Enim vero, sub captiuitate dispersi sunt, vt & modo dispersi sunt, per regna fidelium, & infidelium. *Eo quod non esset transiens & reuertens.* Iudæorum enim prouincia, nunc possessa est à Turcis, & Iudæi, qui eam deseruerunt inuiti illò non reuertuntur. *Et posuerunt terram desiderabilem in desertum.* Id est propter crimina Iudæorum, terra quam habitabant facta est desertum, id quod accidit sub captiuitate Babylonica: & nunc deserta est, ab ipsis Iudæis, quia ea non incolunt.

¶ Ad morales sensus huius capitis, esset huc vocanda materia ieiuniorum: at vero, quia nos latè eam differuimus, in quarto libro Sententiarum, & in declamatione ad Isaiam, propterea à maiori tractatu est abstinendum, nam qui volet ea, indidem hauriet.

Duæ partes iustitiæ.

Adamantinum cor Iudæorū.

EXPLA-

EXPLANATIO
IN ZACHARIAM CAP. VIII.

ET factum est verbum Domini exercituum, dicens. *Hæc dicit Dominus exercituum, Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum ad Sion.* Ferè quod proximo capitulo docuerat vates idem repetit modo. Versat enim iram Dei in Iudæos, quam dicit non ex odio, sed ex zelo processisse. Deus autem habet zelum vel Zelotypiam translatitiè, & non propriè, quam rem fusius tomo primo prosecuti sumus. Zelus autem excessum amoris subindicat.

Ex zelo amoris Deus punit suos fideles in vitabac in correctionem ipsorum.

¶ Deus igitur ait, se zelasse Sion, id est, Iudaicum populum zelo magno, quia Iudaicus populus conueniebat in Sion monte, ideo sub Sion denotatur ipsa Iudaica gens.

¶ Ait autem zelo magno, quia magno amore prosecutus est Deus Hebræam nationem: vt liquet, ex innumeris beneficijs quibus nationem prædictam affecit. Ex zelo igitur magno processit castigatio magna Hebræorum. Siquidem illos abegit in captiuitatem Babylonicam. Nam nunc solum sermo propheticus texitur de Iudæis, qui erant sub regno Dauidico, aulsis iam decem tribubus à Dei religione.

¶ Diximus nanque in prologo præfixo prophetis, quod per Sion oportet intelligere duas tribus, ibidem colentes Dominum Deū. ¶ Has igitur duas tribus Deus est zelatus zelo magno, vnde processit indignatio magna contra has tribus, vt sæpè tradidimus. Quia templum fuit deustum à Nabuchodonosore, & vrbs combusta, & incolæ abacti in captiuitatem. At ex eodem zelo processit misericordia magna Iudæis impensa. Quippe Deus, reuocauit eos ab exilio, & reduxit eos in terram patrum suorum. Ideo subdit. *Hæc dicit Dominus exercituum, reuersus sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem.* Deus dicitur reuerti, & auerti translatitiè: nam ipse semper immobilis perseuerat, quando igitur punit nos se auertit, quia videtur iratus ijs quos punit, quando autem miseretur, tunc reuersus dicitur, vt modo ait, *Reuersus sum ad Sion*, reuocando exilium. Et habitabo *in medio*. Id est habitabo in ipsa Ierusalem, quid autē velit in scripturis, esse in medio supra docuimus. Quia igitur Deus soluta captiuitate, fuit cultus & adoratus in ipso monte Sion restaurato templo, & vrbe, ideo ait, *habitabo, &c. Habitabo*, hoc consolatorium verbum miserat per suos vates, quando comminatus fuerat exilium captiuitatis Babylonicæ, ideo, referendo ad illud tempus ait, habitabo. *Et vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis.* Isaias capit. primo. dolet, Ierosolymæ miseriam, dicens, quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis? principes tui infideles socij furum.

Deus reuertitur, & auertitur metaphoricè.

¶ Præuidebat enim statum pessimum Iudæorum sub Achaz, & Manasse, & alijs impijs regibus Iudæorum. Sub quibus religio Dei turbata erat prorsus declinantibus Iudæis ad idololatriam. Et præter hæc principes & magistratus eorum fraudulentijs & iniurijs inferiorum incumbebant, vt etiam per Oseam, & alios prophetas proclamatum fuisse videmus.

¶ At vero reuersi Iudæi ex captiuitate idola abegerunt, & synceritas religionis diuinæ, cum ipso templo fuit instaurata: ideo ait, & vocabitur Ierusalem *Ciuitas veritatis*, id est, fidelis ciuitas. Si quidem veram Dei fidem coluit id temporis *vocabitur*, id est erit, vt sanctum vocabitur, id est erit, vt supra sæpe est à me annotatum. Similiter in Isaia nono. Vocabitur princeps pacis, pater futuri seculi, &c. Id est Christus hæc omnia verè erit. Nam quod Deus vocat est, vt vocauit famem super terram, id est fecit famem super terram, & est phrasis vsitatissima diuinis eloquijs. *Mons Domini exercituum, mons sanctificatus.* Vrbes optimè mutatæ, appellantur in scriptura montes, qualis erat Ierosolyma: vbi Deus posuit murum, & antemurale. Et sensus est, erit Ierosolyma, vrbs fidelis & optimè murata, fortissimis vē cincta muris, & mons sanctificatus, id est vrbs egregiè murata, & Deo addicta, ad cultum verum eius. *Hæc dicit Dominus exercituum, adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem.* Erigit vates spem deiectam Iudæorum. Desperabant enim reparandam fore habitationem Ierusalem pristinam, quando fruentes pace Ierosolymitæ, erant multi longæui apud illos. Quando nanque vniuersa bellis turbantur, & pueri interficiuntur, & iuuenes iugulantur,

& ſenes, & anus occiduntur. Vnde ſenes, & anus deſiderantur, quia bellica peſtis, quando irruit omnia deuaſtat. Pol licetur igitur Deus modo pacem, & tranquillitatem, ſub qua ſenes, anus, & pueri ſua ætate gaudent.

¶ *Et vir baculus in manu eius.* Senes enim flacceſcentibus viribus vtuntur baculis, vt illis incumbentes, grauem corporis ſenilis molem, nam præ ſenectute grauiſcit faci lius ferant. Præ multitudine dierum ex nimia ſenectute. *Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* Data pace, viri cum vxoribus ſuis requieſcunt, & prolis generationi vacãt, vnde prodeunt infantes, & puellæ, quorum eſt ludere in plateis & alijs locis: gaudia enim, & voluptates alunt infantes, quia hæc ſunt illis natiua ex puritate ſanguinis quo potiuntur ex ætate, vnde habent ſpiritus ſubtiliſsimos, ideo tripudia amãt, & ludicra. *Hæc dicit Dominus exercituum, ſi videbitur difficile in oculis reliquiarum populi eius, in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit, Dicit Dominus exercituum?* Quæ iuperant communem naturæ curſum, continuo hominum iudiciũ pronuntiat eſſe impoſsibilia, quia igitur Iudæi videbant ciuitatem, iam pridẽ deſolatam, & quod multa pars Iudæorum Babylonico bello fuerat interempta, ideo reliquię, id eſt, qui relicti fuerant ex magna illa Babylonica deſolatione, ducebant rem eſſe difficilem, ſeu impoſsibilem, reſtaurandam vrbem, ad priſtinam opulentiam & populi frequentiam. ¶ At vero, quia non eſt apud Deum impoſsibile omne verbum, ideo ait, quod in oculis diuinis non eſt difficile Diuinæ namque virtuti, omnia ſubſunt, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris gerun tur aut geri poſſunt. *Hæc dicit Dominus exercituum.* Sæpe replicat hunc ſermonẽ, etenim, conatur erigere ſpem Iudæorum, ideo ſæpe repetit *Dominus exercituum*, vt ex Epiteto, intelligerent Dei omnipotentiam, ideoque nihil diffiderent promiſsionibus diuinis. *Ecce ego ſaluabo populum meum de terra Orientis: & de terra occaſus ſolis.* Sub captiuitate Babylonica diſperſus fuit populus ille, in varias mundi plagas: at vero poſt modum reſtauratis templo, & vrbe, multi ex diſperſis conceſſerunt Ieroſolymam, & Iudæam habitarunt. *Et adducam eos, & habitabunt, in medio Ieruſalem: & erũt mihi in populum & ego eroillis in Deum*, in veritate, & iuſtitia, id eſt colent me fidei veritate, & morum iuſtitia. *Hæc dicit Dominus exercituum confortentur manus veſtræ, qui auditis, in his diebus ſermones iſtos, per os prophetarum, in die qua fundata eſt domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur fundata eſt domus.* Id eſt iacta ſunt fundamẽta, vt ædificaretur templum Domini. *Siquidem ante dies illos, merces hominum non erat, neque merces iumentorum.* Id eſt labor hominum, & iumentorum, erat infructuoſus, & quaſi maledictus à Deo. *Neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: & dimiſi omnes homines vnumquemque contra proximũ ſuum.* Id eſt, qui abibant, à Ieroſolyma, & qui reuertebantur anguſtijs premebantur. Significat hic ſermo quod antequam, reſumeretur templi reſtauratio, quam iam intermiſerant Iudæi, erat populus in miſero ſtatu, vt etiam per Aggæum prædictum eſt, & item ſupra per hunc prophetam. Verum quando operam adhibuerunt ad conſummandam reſtaurationem templi felicius habuerunt. *Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius, dicit Dominus exercituum: ſed ſemen pacis erit.* Id eſt, erit abundantia ſegetum: vt ſeminantes ſibi gratulentur, *Semen pacis*, quod dabit Deus non ex ira, ſed ex miſericordia ſua. *Vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cæli dabunt rorem ſuum: & poſſidere faciam reliquias populi huius vniuerſa hæc.* Id eſt pacificè fruemini omnibus bonis, quæ vobis ſubminiſtrauit terra, & cælum, meo nutu. *Et erit ſicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda, & domus Iſrael: ſic ſaluabo vos.* Quia mos prophetarum eſt de alijs rebus habentes ſermonem, miſcere de Meſſia vaticinia, quia Chriſtus fuit ſcopus omnium prophetarum, & legis Lucæ 24. Ideo quodo de Chriſti tempore vaticinatur vates. Etenim hactenus locutus fuerat de duabus tribubus, quæ ſubintelliguntur per domum Iuda; nunc autem addit domum Iſrael, per quam intelligendas eſſe decem alias tribus, ſæpe diximus. Et quidem Iſraelitæ, non fuerunt benedicti à gentibus, poſtquam diffuſi ſunt in Aſſyrios, & Medos, & per alias nationes. Siquidem etſi concedamus domum Iudam fuiſſe honori & benedictioni gentibus poſtquam ſoluta captiuitate, in propria regreſsi ſunt: ſiquidem gentes

gentes illis profuerunt, vt Cyrus, & Darius, & Alexander, & alij principes gentiũ, Iudæos honoribus, & fauoribus ſunt proſecuti eximijs, cæterum de Iſraelitis, iſtud non conſtat hoc, eos vnquam fuiſſe benedictioni gentibus. Niſi referamus vaticinium ad tempora Chriſti, ſub quo omnes fideles ſunt benedictio gentibus. Siquidem infideles gentes ſunt tranſlatæ ex ſua infidelitate ad fidem Ieſu Chriſti, & hæc tranſlatio fuit per Apoſtolos, & diſcipulos Domini Iudæos, facta. Vnde Paulus ſe vocat doctorem gentium in fide, & veritate. Vnde gentes benedicebant Iudæos, quia eorum opera, & miniſterio ex tenebris quibus erant inuoluti, tranſierunt ad lucem Chriſti. *Ideo* ait, *Saluabo vos*, quia per fidem Ieſu Chriſti, & ſacramenta, Iudæi, & Iſraelitæ ſunt ſaluati, qui voluerunt, videlicet Chriſti euangelio morem gerere. *Nolite timere, confortentur manus veſtræ.* Regreditur ad id, vnde diſceſſerat, ſcilicet ad admonendam conſummationem templi. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, ſicut cogitaui, vt affligerem vos, cum ad iracundiam prouocaſſent patres veſtri me, dicit Dominus, & non ſum miſertus, ſic conuerſus cogitaui in diebus iſtis, vt bene faciam domui Iuda, & Ieruſalem: nolite timere.* Addunt hæc verba animum, vt perficiant Iudæi templum. *Hæc ergo ſunt verba quæ facietis loquimini veritatem vnuſquiſque, cum proximo ſuo, veritatem & iudicium pacis iudicate in portis veſtris.* Verba vocat conſueta Hebræis phraſi, ipſa opera. Hoc idem Paulus monet ne quis circunueniat in negotio fratrem ſuum. *Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris.* Rurſus repetit abſtinendum eſſe à cogitationibus malis, vt liquidum ſit peccata cordis eſſe prohibita ſub lege illa veteri. *Et iuramentum mendax ne diligatis.* Hiero. in cõmẽ. verſans hunc locum videtur aſſerere, omne iuramentũ eſſe malũ. Quia dris ait, in Euangelio ego autem dico vobis, vt non iuretis penitus. In præceptis quæ ad vitam pertinent, & ſunt perſpicua, non debemus quærere allegoriam: ne iuxta comicum nodum quæramus in ſcirpo. Et apertius capit. 5. comment. in Matthæum Iudæi ait, permittebantur iurare in Deum non quod rectè hoc facerent, ſed quod melius eſſe, id Deo exhibere quam dæmonibus. Chryſoſtomus item in Matthæũ capit. 5. idem ſentire videtur, nullatenus licere iurare, etiam in cauſa iuſta. Et in homil. in Pſalm. 5. iurare ait, ex diabolo eſt, alij autem autores Græci vt Epiphanius lib. 2. Panarij, & Origenes tracta. 35. in Matthæum & Athanaſi. in ſermo. de Paſsionẽ & cruce Domini & Hilar. cano. 4. in Matthæum, idem affirmat iurare etiam veteꝛ; eſſe ſcelus: quia Dominus ait, ſit ſermo vẽ ſter, eſt, eſt, non, non, quod amplius eſt à malo eſt. Et huic hæretici Albanenſes Wicleſitæ, & nuper Lutherani, idem aſſe runt nefas eſſe iurare. ¶ Reſpondet Chryſoſto. verbo, Ierem. 4. iurare per Deum, hoc fuiſſe permiſſum Iudæis, non tamen præceptũ, ſicut & libellus repudij. Et illi loco Geneſ. 22. Per me metipſum iuraui, ſacram reſponder ſcripturam more humano, ſæpe docere quæ ſunt diuina. Deus igitur ait, non iurat, at vero vt intelligamus quæ promittit eſſe certiſsima, ideo ait, Deum iurare per ſe ipſum, vt loquitur ſæpe quod Deus iraſcitur, ad inſinuandam Dei vindictam cum alioqui Deus ſit immunis ab iræ affectu. ¶ Porrò autem dogma hoc non licet iurare, aut iurare etiam in cauſa iuſta eſſe diabolicum, eſt planè hæreticum, cum Paulus dicat iuramentum eſſe finem controuerſiæ. Quod ergo eſt neceſſarium ad componendam pacem ad ſoluendas lites, non eſt de ſe malum. Ad hæc Ieremias docet formam obſeruãdam in iuramentis, quod celebretur in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia. ergo ſi hos comites habuerit iuramentum, qui iurauerit non peccabit. ¶ Rurſus Apoſtolus diſtinxit inter diuinas promiſsiones, & iuramenta, & dixit eſſe duas res immobiles. Præterea, quia quod apud omnes nationes eſt in vſu nulla dempta, eſt naturale, quod autem eſt vniuerſis naturale de ſe bonum eſt. At vero iuramentum eſt naturale omnibus, nationibus & fidelium, & infidelium vtuntur enim iureiurãdo ad confirmandos contractus ſuos. Vnde Saraceni, & Turcæ iurant per Deum ſuo idiomate Guala. Niſi quod infideles violant rationem iuriſiurandi iurando per falſos deos, quod nefas eſt. Ad hæc ſi iuramẽtum malum eſt, aut ex ſuo genere, quia vel eſt contra Deum, aut contra proximum. Non primum, imo eſt in honorem Dei, ſiquidem Deum, qui iurat profitetur Deum eſſe omniſcium, & ideo omnium occultorum conſcium, id quod hono-

Ephes. 4.

An iurare liceat.

Ad Hebr. 6.

Rationes contra hæreticos inficiantes rem legionem iuramẽti.

rat Deum, neque etiam est contra proximum, quippe est in fauorem eius, vt certus sit factus de stabilitate contractus. Ex genere igitur suo iuramẽtum bonum est: quia est ad honorem Dei, & ad vtilitatem proximi. Accedit eodem quia peierare est de se malũ, igitur iurare est de se bonum, siquidem iuramentum verum, & falsum sunt contraria, vt mẽtiri & dicere verum si ergo falsum iuramentum est de se malum, bonum erit de se bonum. ¶Vnde nequaquam iuramentum est conferẽdum libello repudij, ea ratione, quod vt hic permittebatur, ad euitandum vxoricidia, ita & iuramentum permittebatur per Deum ne iurarent Iudæi per idola. ¶Quia vt aiebam iuramentum est ex suo genere bonũ. Vnde sancti patres ante latam scriptis legem iuramento vsi sunt vt Abraham iurauit per Deum, quod non noceret Abimelech, & Iacob iurauit per timorem Domini. *Et* iub lege itẽ Moses iurat, &c. & sub *lege noua* Paulus inuocat Deũ testem in animam suam. Qua ratione igitur, audebimus dicere hos sanctos patres, & apostolum peccasse? neutiquã, imo contra Deũ suo iure iurando coluisse, vnde Theologi tradunt iuramentum si rectè celebretur esse actum religiosum. Quod autem Dominus ait, Ego autem dico vobis non iurare penitus, vt Hierony. citat, perinde se habuit, sic dicens, atque medici, qui febricitantibus prohibentes aquæ potum, dicunt nullo modo aquam bibatis, imo neque eam degustetis. Ex quo non est animus medicantium, quod febricitãs nõ gustet aquam: nam gustus aquæ nihil augebit febrem: verum vt abstineant à noxio potu, vetant etiam non noxium. Ita Dominus vt compescat nos noxia in ratione, quæ est multa iuratio, aut falsa iuratio, aut indiscreta iuratio, ideo vetat penitus iurationem, cum Christi intentio solum est, à noxia nos retrahere iuratione. Quod vero ait, Sit sermo vester est, est &c. quod abundantius est à malo, est. Sanè expendendum est, non dixisse Dominum, quod amplius est malum est, sed à malo est. Siquidem ex fallacia hominum accidit, vt sit iuramentum necessarium, Sanctorum vero placita, relata ad hanc rationem sunt exponenda, Sanctos præfatos, quia videbant homines laxare habenas ad iuramenta frequentissimè celebranda, vt sunt plerique multi, qui indiscretissimè, & frequentissimè iurant, vt contingit eos sæpe peierare, volentes huic malo succurrere, damnare videntur iuramenta. Vt is qui virgam tortam rectificare studet, ad extremum contrariũ virgam deducit vt in moribus item accidit. Qui enim parcus est, & satagit se ex parcitate, conducere in liberalitatem, declinare oportet in prodigalitatem, vt hanc diffugiens, liberalitatis moderamine vtatur. Similiter sancti, vt abducant homines à frequentissimis iurationibus, nisi sunt damnare iuramenta, quod est alterum extremum, vt sic assueti non iurare, moderentur deinceps sua iuramenta. ¶Verum de re hac hucusque quia in disputa. nostris Theologicis 3. sent. tem hanc prolixius egimus, sed hæc protulimus, ne quem offendant Hierony. commenta. in hunc locum. Hoc tamen vnum adiecerim, quod affectus iræ & alij sensus affectus Deo repugnant, ideo secundum translationem, de Deo dicuntur: at vero iuramẽtum Deo non repugnat per semet ipsum, quia nõ habet maiorem per quem iuret ad Hebr. 6. *Omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus.* ¶*Et factum est verbum Domini ad me dicẽs. Hæc dicit Dominus exercituum ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, erit domui Iuda in lætitia.* Hoc loco respondet Deus per vatem suum, ad quæstionẽ quam miserant soluẽdam per legatos suos principes ex Babylone vt patuit capit. 7. & responsio est, quod templo ædificato, ieiunia quæ celebrare solebant in fletu & mœrore, propter captam vrbem, & templum desolatum, erant vertenda in ieiunia lætitiæ, & festiuitatis. Quia templum erat proximè absoluendum, & vrbs reparanda. ¶Obseruandum est ex 4. libr. Regum vltimo, quod mense decimo, decima mensis Rex Nabuchodonosor cæpit oppugnare Ierosolymam, nam tunc obsedit eam. Et idem traditur Ezechiel. 24. & Ieremiæ 39. Mense autem quinto vt ibidem traditur dest ructũ est templum Dei, à Nabuzardan principe exercitus Babylonici, succensaque est ciuitas Ierosolyma. Mense autem septimo, interfectus est Godolias ab Ismaele. Tradunt autem Hebræi, quod mense quarto capta fuerit ciuitas, quinto autem fuit euersa, & ideo istis mensibus, indixerunt sibi ieiunia, de quibus hic meminit vates, ad professionem luctus, & mœroris propter mala, quæ

Gene. 21. Gene. 31. Exod. 2. 2. Cor. 1.

Matth. 5.

Soluuntur obiecta cõtra religionem iurisiurandi.

Responsio quæstionis mota. c. 7.

quæ his mensibus Iudæi passi sunt. At quibus mensibus nostris isti correspondeant non est prorsus manifestum. Siquidem quidam arbitrantur mensem decimum esse Septembrem nostrum. At vero, secundum rationem festorum Martius erat primus, iuxta quam rationem September est septimus, & Iunius, & Iulius quintus, & December decimus, alia computatio est secundum rationem iubilei secundum quam Hebræis primus mensis erat September: iuxta quam computationem quartus est December, & quintus Ianuarius &c. Iuxta hæc Hebræorum ieiunia, ecclesia instituit quatuor temporum ieiunia, in quatuor temporibus anni, scilicet Hyeme, vernoque tempore, & æstiuo, & autumnali. Propterea quod temporum mutatio, item mutat orbis faciem, ideo, vt mutatio prosperè cedat, ecclesia ieiunandum illis quatuor temporibus instituit. *Es in festiuitates præclaras* Idest erũt vt vobis ista ieiunia non ad mœrorem, sed ad maxima gaudia, & apud fideles, ieiunium Sabbati Pentecostes vocatur ieiunium exultationis. *Veritatem tantum & pacem diligite,* erunt sanè vobis in gaudium ieiunia, si rectè operemini. *Hæc dicit Dominus exercituum vsquequo veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis, & vadant habitatores, vnus ad alterum dicentes, Eamus & deprecemur faciem Domini.* Hoc est templum quod vos restauratis, & vrbs quam reædificatis persistent vsquequo veniant populi ad fidem Iesu Christi, Nam hoc vaticiniũ est impletum sub tẽpore Christi. *Et quæramus Dñm exercituum.* Id est cognoscamus Iesum Christum, qui confertur facie. Nanque ex facie dignoscitur homo quis sit, & per Christum cognoscunt homines Deum, & voluntatem eius docuit nos per sacrum euangelium. *Vadam etiam ego,* subaudi dicent multi, *ibimus & nos. Et venient populi multi, & gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum in diebus illis, apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi.* Seu oram vestimentorum Iudæorum. Id est Apostolorum, & discipulorum Christi, & aliorum qui constentur Christum. qui etiam sunt Iudæi spiritualiter hoc cõfitentes Christum. *Decem* numerus determinatus pro indeterminato, id est, magna multitudõ hominum. *Dicentes ibimus vobiscum,* idest, recipiemus fidem Iesu Christi. *Audiuimus enim quod Deus vobiscum est.* Hoc est certa fide tenemus Iesum Christum esse verè filium Dei, & quod fides eius necessaria est omni nationi ad vitam æternam consequendam. Hæc omnia nõ possunt intelligi de Iudæis illis secundum carnem: quia in ipsis non sunt impleta, vt patet. Siquidem nusquam ex omnibus linguis, & nationibus fuerunt requisiti Iudæi, vt hic traditur requirendos ad requirendum Dominum. Propterea quæ Apostolis sunt dispertitæ linguæ.

Duplex ratio festorum apud Hebræos.

Vaticiniũ de Christo.

Moralia vel mystica.

Zelatus sum Sion Zelo magno. Paulus Apostolus Hebræis scribens, inquit, Non enim accessistis ad tractabilem montem & accessibilem ignem: & subdit paucis interiectis, sed accessistis, ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem. Quibus verbis in Sion illo materiali, & tractabili monte, adumbratum esse Sion inuisibilem, & spiritualem, satis liquet. Et in ciuitate illa terrena adumbrari Ierusalem cælestem, Paulus non obscurè docet. Hic autem mons Sion spiritualis, est quidem catholica Christi ecclesia toto orbe terrarum diffusa. Item eadem est ciuitas Ierusalem spiritualis. Non ad eum sensum in quem torquent hæretici, arbitrantes esse ecclesiam inuisibilem, quo nihil ineptius dici potuit. Siquidem ecclesia est fidelium omnium in vna fide, & charitate Christi, euãgelicaque & apostolica religione congregata: at vero fideles non sunt inuisibiles, sed visibiles. Est sanè verum, quod bona interna huius ecclesiæ, sunt inuisibilia, vnde Rom. 14. Apostolus regnũm Dei non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Et rursus Lucę. 17. Regnũm Dei intra vos est. ¶Sanè regnũ Dei, quod est ecclesia quoad bona regni Dei, nõ extra est, sed intra nos, iustitia, scilicet Dei, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Et sicut arbor radices habet occultas, at rami & truncus sunt omnibus manifesta: ita & radix ecclesiæ, quæ est fides, charitas, spes certa in Deum, aliaque charismata, occulta sunt in mentibus fidelium: ideo Apostolus. 2. Corinthior. 4. aiebat, Habemus thesaurum istum absconditum in vasis fictilibus. Cæterum rami & fru-

Lutheranj refellũtur.

Ecclesia non est inuisibilis, sed visibilis.

Ecclesia habet quædam inuisibilia bona quibus exornatur.

ctus, huius radicis manifesta sint. Domino præcipiente, Sic luceant opera vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Vnde Dominus ob eam causam cõtulit regnum cælorum, ideſt, ecclesiã thesauro absconditio in agro, non quia ecclesia catholica sit inuisibilis, vt Lutherani affirmant, sed quia ecclesiæ fides, charitas, & spes, & adoptio filiorum Dei, hæc sunt inuisibilia, quæ sunt vt diximus radices ecclesiæ. Et huiusmodi bona vocat Dominus, Thesaurum absconditum in agro, vt Paulus dixit, Absconditum thesaurum in vasis fictilibus. Habet igitur ecclesia Dei, visibile, quod exterius extendit, scilicet, fidei sacramenta, & fidei confessionem, & profesionem, & habet aliquid inuisibile, vt prædiximus. Sion igitur istum spiritualem Deus zelat zelo magno. Zelus enim ex amore excesiuo originẽ ducit. Amor enim excesiuus, non ferens, alium amantem, indignatur, si alter amatur, vt vir valde diligens vxorem suam, zelotypia vrgetur, si alium vxor amauerit. ¶ Amor enim zelotypiæ singularitatem poscit. Deus autem quia infinitum bonum est, singularẽ etiam exigit amorem à fidelibus suis sibi exhibendum: ideo ait, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c. ideo ait, modo zelatus sum Sion zelo magno. Quia Christus maximè diligit ecclesiam suam, Paulo testante, Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam. Et semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. ¶ Et ex maxima hac dilectione zelat eam magno zelo tanquam sponsus charissimam sponsam. Et equidem est singularis muneris, gratiæque non exiguæ, quod Deus zelet fideles suos, vt est maximæ indignationis, quod Deus non zelet, siquidem de quibusdam meminit diuinus sermo, Ezech. 29. auferetur zelus meus à te. Quasi dixisset apertius, eò malorum estis delecti, vt iam negligam vos, neque curem amplius vos. Vt vir indignatus facinoribus vxoris snæ, eã relinquit, vt sibi sine fræno viuat, & in vniuersa se deuoluat quæ volet scelera, sam non ducens esse iam vxorem suam.

Zelotypia.

Christus magno zelo zelat ecclesiã suã.

Deus infideles non zelat.

¶ Vt nunc videtur, zelus diuinus ablatus Iudæis, eos sinens viuere in Iudaismo, & in tenebris suis versari. Et ablatus est Dei zelus à Saracenis, & Turcis, & alijs infidelibus. Quos sanè non zelat Deus, quia reliquit eos in suis sordibus, & abominationibus versari. ¶ Non tamen auferet zelum suum ab ecclesia catholica, imo illam zelat zelo magno. Quod si dixeris, imo omnes homines zelat Deus testante Paulo, Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ venire veritatis, dicito, Deũ omnibus prospicere, & omnes curare, quia illi cura est de omnibus, & nihil odit eorum quæ fecit, cæterum zelus vt dudũ aiebamus, subnotat specialissimam cũrã, & amorem, quo zelans, prosequitur quẽ zelat, quo sanè zelo, nõ prosequitur Deus infideles, sed solum ecclesiam suam: etiãsi illis prouidet necessaria ad salutẽ, id quod Paulus docere voluit per verba indicata. *Et indignatione magna zelatus sum eam.* Ex magno zelo, magna resultat indignatio, vt vir zelans vxorem valde, si eam non rectè viderit ambulantem, irascitur in eam, & corripit eam. Quæ correctio ex amore zeli procedit, nõ ex odio. ¶ Christus quoque fideles suos, non in veritate, & pace ambulantes ex zelo suo corripit: & hæc correctio est indignatio vt modo vsurpatur. ¶ Quid autem propriè vocetur à philosophis indignatio, in tomo primo diximus. ¶ In diuinis autem literis est admodum expressa hæc indignatio, ex qua corripit Deus suos famulos, non quia odit eos, imo quia vehementer diligit. Ideo dixit Dauid, Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Et Tob. 11. Benedico te Deus, quia castigasti me. Et Ierem. 31. Castigauit me, & erudiuit me, Et ad Heb. 12. Quem enim diligit Dominus castigat. *Hæc dicit dominus reuersus sum ad Sion*, demonstrat Deum castigare suos fideles, ex amore, ne scilicet perdãtur. Vt medicus potionẽ porrigens amaram ægroto, aut secãs mẽbrũ putridũ, aut cauterio inurens carnẽ nõ ex odio facit: sed cõsulẽs saluti ægrotũ. Ita quoque Deus volẽs curare nostrę mentis ægritudines corripit nos, varijs modis, vt ipse nouit nostris morbis curandis expedire. At vero, nos torquens & affligens ex amore salutis nostræ facit, ideo ait, reuersus sum ad Sion, ideſt, qui iratus eram fidelibus, efflagitãtibus iram meam, scelera ipsorum, iam postquã emẽdatos video, reuertor ad eos ex misericordia, infundens ipsis gratiam meam. *Et habitabo* in ipsis animabus sanctis, quæ per Ierusalem, & Sion significantur. Nanq; Sió

Ecclesiæ catholicæ laudes.

Psal. 117.

specu-

Ecclesia quotidie sanctificatur aspersione sanguinis Christi.

speculationem significat, & Ierusalem pacis visionem. Et ecclesia speculatur diuina rectè per fidem, & pacem habet ad Deum per charitatem, & pacem æternã sperat per spem. *Et vocabitur* sanè ecclesia Catholica, est ciuitas veritatis, nam ipsa sola docet fidei veritatem, & ipsa est mons sanctificatus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quo ipsa semper aspergitur vtens sacramentis. In ipsa habitant *senes, & anus*, quia multi viri sunt perfecti, & fœminæ, nam senectus nõ, numero annorum computatur, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata Sapien. 4. Isti perfecti viri habitant in plateis, siquidem latitudinem charitatis amplexantur. Neque enim solum ad præcepta ob Dei charitatem seruãdam, sed item ad consilia se se diffundunt exercenda. *Et viri baculus in manu sua.* Singulare pro plurali, sunt enim in ecclesia Dei viri habentes baculos in manu sua, vt sunt prælati ecclesiæ. ¶ Ad directionem enim ouium ideſt fidelium baculos gestant. Vnde si prælati baculis vtuntur, ad vulnerandum oues, nõ ad dirigendũ Christi gregem baculis abutuntur. ¶ Directio sanè duobus fit, & doctrina: hac enim sola morigeri reducuntur, si errant, & item castigatione, quæ est necessaria, ad reprimendũ rebelles: & hæc duo in baculo insinuantur. At vero qui sola doctrina contenti, castigatione non vtuntur, aut qui castigationem solam adhibent doctrina neglecta, baculo abutuntur. Siquidem docuit nos diuinum Lucæ euangelium, vino, & oleo vulnera mentis esse curanda, quæ duo doctrinam, & castigationem facilè denotant. Verum vt Psaltes docuit castigans castigauit me Dominus & morti nõ tradidit me. Hæc igitur castigatio, non ad mortem debet fieri, sed ad salutem mentis: ideo debitam mensuram excedere non debet. Ne forte vt Paulus meminit, abundantiore tristitia absorbeatur qui est eiusmodi. 2. Cor. 2. *Et plateæ ciuitatis*, sunt in ecclesia Dei non solum senes, sed infantes, & puellæ, de quibus Paulus aiebat, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potũ dedi, non escam. 1. Cor. 3. sunt enim multi imperfecti viri, & fœminæ, imo maxima pars ecclesiæ est horum, cæterũ isti ludunt prægaudio in ecclesia Dei, in mãdatis diuinis, quæ sunt sicut plateæ latæ. Siquidem Domino tradente, iugum meum suaue est, & onus meum leue.

Prælatorũ baculus doctrinã & castigationem impẽdẽdã fidelibus denotant.

Ecclesia Christi & perfectos & imperfectos amplectitur.

Nanque suauis reputanda est potio amara ex qua ægroto paratur salus. Et latũ dixit Psaltes mãdatum Dei: quia ad palatia vitæ æternæ nos ducit. Imperfecti igitur gaudent in diuinis præceptis, quia iuuante Dei gratia ab illis implentur, etsi varijs interim tentationibus agantur. *Si videtur difficile.* Quod si difficilem isti imperfecti ducunt esse spiritualem sectari vitam pristinosque mutare mores, in oculis Dei nõ est difficile, vnde Apostolus, omnia possum in eo qui me confortat. Et quidẽ difficile videbatur, imo prorsus impossibile sanctos martyres, non solum viros robustos, sed etiam virgunculas tenerrimas tot & tanta toleraſſe cruciatuum genera propter fidem Iesu Christi, vt tolerarunt: at nihilominus, Deo ferente suppetias illa tulerunt æquissimo animo. Is igitur, qui illos confortauit in tormentis, confirmauit imperfectos, vt viam quam cœperunt spiritus perficiant. Vnde subdit. *Hæc dicit Dominus exercituum, ego saluabo populum meum.* Et paulò post: hæc dicit Dominus exercituum, *Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus*, subaudi sub lege gratiæ, *sermones istos*, scilicet sermones consolatorios. Videlicet à die qua fundatur in homine vita spiritualis, vt in inchoantibus ad diem vsque perfectæ ædificationis, quando scilicet euadit homo in virum perfectũ. Quia Deus qui cœpit vt Paulus ait, ipse perficiet. Siquidem, *ante dies illos*, ideſt antequã inchoetur vita spiritualis, *neque est merces hominum, neque iumentorum*, ideſt neque virorum sapientum, aut insipientum opera promerentur ante dies gratiæ vitã æternam. Et nulli hominum, siue introeũtium in mundũ vt sunt qui recẽs nascuntur, siue exeuntium vt sunt qui defunguntur vita, pax est coram Deo, si iacta non sunt fundamenta, spiritualis vitæ, scilicet gratia Dei & virtutum infusio. Pueri enim ante lauacrum regeneratorium, nascuntur infecti primitiua culpa. Et adulti, itẽ nisi sint mundi ex pœnitentia, pacem non habent cum Deo: sunt enim filij iræ. *Nunc autem nõ iuxta dies priores, ego faciam*, dies priores vocat dies ante culpæ abstersionem, iuxta hos dies non faciet Deus cum famulis suis, quorum ex gratia sua culpas mundauit: ideo Deus qui iuxtã dies priores culpæ erat damnaturus peccatores, oblata culpa facit in eis semen pacis, semẽ autem inscriptura significat opus, vnde semẽ pacis est

Philip. 2.

Gratia Dei necessaria sunt vt opera sint meritoria.

Semen opus significat in scriptura.

opus meritorium quod est Deo gratũ. & hoc semen profert voluntas munda à crimine, semen autem belli, est quod Deo nõ est gratum ad vitam æternam assequẽdam quod Paulus alia loquendi forma Gala. 6. vocat semen carnis, vt primum semen spiritus. Quæ seminauerit ait homo, hæc & metet. Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, abolitis igitur diebus culpæ, sub die diuinæ gratiæ adest semen pacis, *& vinea dabit* fructum suũ, ideſt valde spirituales qui valde inebriantur ex dulcedine diuini verbi, dabunt opimos fructus, & terra, ideſt qui inferiores sunt in vita spirituali, accepta diuinę gratiæ irroratione, dabunt fructus suos hoc est proferẽt opera digna Deo. *Et cœli*, ideſt doctores ecclesię dabũt rorem suum ideſt cœlestem stillabũt doctrinam ex qua imbutæ animæ fideles, semina proferent pacis. *Et erit sicut eratis maledictio.* Peccatores sunt maledictio sanctis angelis. *Maledicti* ait psaltes, qui declinant à mãdatis tuis: at vero perfusi Dei gratia, vertunt maledictionem, in benedictionem. Benedicti ait, vos à Domino qui fecit cœlum & terram quippe qui benedictionem hæreditatis æternæ sunt possessuri. 1. Petri. 3. *Nolite timere confortentur manus vestræ.* Inchoantibus viam Dei, qui sunt sicut modo geniti infantes, egregiè aptantur verba ista, vt nihil timeant, mundi illecebras, aut diabolica vaframẽta, imò audiant Christum Dominum. Nolite timere dicentem pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnũ. Lucæ. 12. Et ecclesiam canẽtem, estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum. Quibus Apostolus conenit, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius Eph. 6.

EXPLICATIO IN ZACHARIAM. CAP. IX.

ONUS verbi Domini, in terra Hadrach, & Damasci requies eius: quia Dominus est oculus hominis, & omnium tribuum Israel. Quod sit huius capitis institutum, nõ est perspicuum. Etenim Theodoretus, & alij expositores ad vocationem referunt gentium. Ita vt hoc caput sit prophetia de Christo, sub quo gentes sunt vocatæ ad fidem. Quas gẽtes vocandas insinuat, ex eo quod ait verbum *Domini in terra Hadrach, &c.* quæ erãt oppida vel prouinciæ gentiũ. Vnde quod blus transfert *ad Dñm oculus hominis*, ideſt, subditur *Dominus est oculus hominis*, Vata. ad Christum erit oculus gentium. Nẽpe, quia Christum respicient, & adorabunt abiectis idolis. *Et omnium tribuum Israel.* Quia non solum gentes colent Christum sed etiã ex omnibus tribubus Israel Christus habebit cultores. At vero, hæc expositio, non videtur congruẽs, quia hæc prophetia vocatur onus Hebraicè Massa; at onus significat prophetiã grauem auditu auditoribus: quippe quæ vrbium excidia & habitantium exterminium venturum prænuntiat, vt sæpè supra dictum est. ¶ At vero euangelium nusquã dicitur onus diuini verbi, imo Dominus docet iugũ meũ suaue est, & onus meum leue. Est tamen per accidens onus, negligẽtibus illud vt Christus vocatur petra scandali, & lapis offensionis. Non tamen quia ipse de se est scandalosus, imo ipse ait, tollite iugum meum super vos & inuenietis requiẽ animabus vestris Matth. 11. Et rursus ipse cũ venerit colliget scandala de regno suo Matth. 13. Qui igitur tollit scandala, non infert scandala. At vero per accidens appellatur petra scandali, siquidem testante Paulo prædicamus vobis Iesum Christũ Iudæis quidem scandalum gentibus autem stultitiã. Neque probauerim quod Vatablus inquit eò dictum euangelium onus, quia soluit onera legis antiquæ. Etenim non video qua ratione admittatur, aliquid appellari onus, quia soluit onus. Nisi velit aliquid posse appellari tristitia quia soluit tristitiam. Igitur gaudium iuxta hãc rationem poterit dici tristitia. Quocirca ego mallẽ sequi aliorum expositionem, hanc prophetiam, rectè appellari onus, quia gentibus finitimis Iuda, prænuntiat mala illis futura. Est enim solenne prophetis, non solum suæ nationis prædicere mala, sed & aliarum, finitimarum maximè. Quia igitur Alexander Macedo, multa intulit ma la ciuitatibus hic expressis, ideo appellatur prophetia hæc onus verbi Domini, ideſt, onus propheticum. *In terra Hadrach*, septuaginta sine aspiratione legunt. Quid sit autem Hadrach, non est prorsus confessum interpretibus. Nam Hierony. libr. de locis Hebrai. credit esse terram Damasci.

Lex Christi per se nõ est onus sed eripit nos ab one re.

Hadrach quid sit.

sci. Alij vero Syriam prouinciam, Theo. vrbem autumat esse Arabiæ, alij putãt Palæstinam esse ex Rabbi Ionatha, cuius translatio sic habet, *Verbum Domini in terra Australi, & Damascus conuertetur, vt sit pauimentum diuinitatis eius.* Palæstina autẽ est australis Ierosolymis. Interpretatur autem Hadrach, acumen, seu gaudium: aut si cõponitur ex Syro idiomate & Hebræo, vnicas teneritudinis. Adad autem fuit filius Ismaelis, Gene. 25. *Et Damasci requies eius.* Si Hadrach Syriã significat Hebræis Damascus est requies eius, quia Damascus est caput, seu metropolis Syriæ. Metropolis autem est prouinciæ requies. Quia ergo prophetia hæc profertur, contra Syriam, & caput eius Damascum, ideo ait, *Onus in Hadrach, &c. Quia Dominus* Græca lectio legit, *Quia Dominus respicit homines.* Alia lectio habet, *Quia Dominus est oculus hominis.* Alia vero, *Quia ad Dominum oculus hominis.* Et causa est diuersitatis, quia hoc loco pro *Dominus* habetur Iehoua, quod est diuinum & ineffabilis significationis nomen. Quod cum sit indeclinabile, quidam traduxerunt in recto, alij in obliquo *Domini*, alij vero *ad Dominum*, vt Vatablus quæ mihi videtur traductio magis cõsona Hebraico textui, quæ habet Al Iehoua, & ratione præpositionis Al, transferendum videtur *ad Dominum*, ideſt, omnia pendent ex Dei prouidentia. *Oculus hominis.* Ideſt optima quæque, & maximè desiderabilia, quæ amantur vt oculus ab hominibus, qui summè est amabilis, *ad Dominũ*, ideſt, à Domini voluntate pendent, & illa vertet in nihilum, quando illi placitum fuerit. Auferes dixit psaltes, inquit, spiritum eorum ab eis, & in nihilum reuertentur. Quasi dicat, Syria, & Damascus quæ sunt valde pulcherrima & opulentissima, suam pulchritudinem, à Deo pendentem habent: ideo iam disposuit illa pessundare propter iniquitatem suorum incolarum. Et Hispana phrasis idem habet vocare oculum, quod maximi fit à posidente & omnium tribuum Israel, distinguit tribus Israel ab hominibus, non quod non essent veri homines, verum vt Dei cultores magis participabant deitatem, vt Dominus dixit Apostolis suis, Quem me dicunt homines esse? & dein post respõsum Apostolorum, subdit, Vos autem quem me esse dicitis? vbi notante Hieron. suos Apostolos Christus Dominus potius voluit esse Deos, quam homines. Itemque & pretiosa decem tribuum, ab ipsius Dei prouidentia pendent. Vnde, & decẽ tribus Dei nutu sunt abactæ in Assyrios, & Medos. *Emath quoque in terminis eius*, Hebrai. *Hamath.* Quid sibi velit Hamath, itidem est controuersum. Nam Theo. est Epiphania, seu emissa magna, alijs autem Antiochia Syriæ, vt Eusebio, alijs est vrbs in Cælesyria, seu in Cana Syria. Hamath itẽ est vrbs in tribu Nephtalim, Iosue. 19. cõtra Antiochiam, igitur item prefertur hæc prophetia. *In terminis eius*, relatiuum sine antecedente, quod frequenter accidit sermoni prophetico. Est porrò obseruandum Syriam tendi ab Euphrate, magno fluuio, ad mare Mediterraneum vsque à Syro quodam rege dicta. In hac prouincia est Damascus, à Damasco seruo Abrahæ cognominata, & constructa, ibique est Antiochia, ab Antiocho Rege appellata, olim Reblata vocata. Est item in ea Comagenã, est item in regione hac Syriæ Phœniciæ prouincia à Phœnice rege filio Agenoris dicta. In hac quoque regione Syriæ sunt Tyrus & Sidon. Itemque prouincia Palæstina, à Palæstini vrbe nuncupata. Prouincia item Iudæa in eadem regione situm habet. Verum modo non de prouincia Iudææ sed de alijs Syriæ prouincijs meminit. Quod igitur ait, *& Hamath in terminis eius*, ideſt, & Syria vsque ad terminos eius, nam tenditur vsque ad mare Mediterraneum, originem autem habet ab Euphrate flumine, contra hanc regionem Syriæ est vaticinium hoc. *Et Tyrus & Sidon:* diximus Tyrum & Sidonem, *esse in regione Syriæ.* Tyrus autem *fuit* quondam præclarissima vrbs, & insigne orbis emporium in mari situm. At vero Alexander Macedo, Tyrũ iunxit continenti, vt eam bello caperet, de quibus in explanationibus ad Amos, quædam diximus, quæ indidem sunt hauriendа volenti. *Assumpserunt quippe sibi superbiam valde.* Causam reddit cur hæc prophetia erit onerosa præfatis oppidis, & regioni quia superba erũt valde cõtra Deũ. Rectè ait assumpserunt siquidem superbia non videtur hominibus conueniens, cum homo sit puluis, & in puluerem conuertendus. Præterea sexcentis nunquam non angitur angustijs, & miserijs. Ideo Ecclesiast. ca. 10. Non est, ait, creata superbia hominibus. At vero homines sibi assumũt ex corruptione naturæ per originalẽ culpam

Varietas translationum.

pam. *Ædificauit Tyrus munitionem suam*, ideſt, munitiones ſuas, erat enim munitiſſima. *Et coacernauit argentum quaſi humũ, & aurũ quaſi lutum platearum.* Erat enim opulentiſſima, inde ſibi aſſumpſit maximam ſuperbiam, vt Deum verum non coleret. *Ecce Dominus poſſidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius.* O Tyre, quæ ſuperbis ex auri, & argenti immenſitate, vnde putas te poſſe comparare innumerabiles militum acies, item tu ſuperbis ex arcibus munitiſſimis, quibus cingeris, exque mari Mediterraneo, ex quo circundaris, vnde exiſtimas te tutam eſſe ab hoſtili aggreſſione: at vero Dominus te poſſidebit, ideſt, deijciet te, & percutiet robur tuum, quod ex maris interiectu obtines. Nam vt dixi Alexander hoc robur diſſoluit. *Et hæc igni deuorabitur*, ideſt, tua fortitudo ex maris interuentu conſumetur & perdetur. *Videbit Aſcalon, & timebit, & Gaza.* Item Aſcalon, erat vrbs inſignis in Paleſtina prouincia Syriæ. Et iſta oppida erant finitima terræ ſanctæ, quibus prædicit etiã exterminium. *Et Gaza timebit nimis*, de quibus diximus in expla. ad Amos. *Et Accarõ* Aſcalõ, Gaza, & Accaron ſunt Palæſtinæ prouinciæ inſignes vrbes, ex numero illarum, ſcilicet, quarum fit mentio in libr. 1. Reg. cap. 6. *Quoniam confuſa eſt ſpes eius*: & peribit rex de Gaza, & *Aſcalon non habitabitur*. Perdendas has prædicit vrbes per regem Gazæ, ſunt qui intelligant idolum, quod colebant Gazitæ vel rectius, intelliges ipſum regem Gazitarum. Gaza enim erat metropolis Paleſtinæ, ibique erat regia ſedes regni, *& ſedebit ſeparator in Azoto*, Hebraice, *habitabit quoque nothus in Azoto*, ideſt ſpurius habitabit aut ſedebit in Azoto. Nam Manzer ſpurium ſignificat, cuius mater nota & pater eſt ignotus refertur que ad Alexandrum, qui erat poſſeſſurus Azotum, qui tamen fuit ſpurius: quia ex damnato concubitu natus: Azotus autem eſt vrbs Palæſtinæ, altera ex quinque cuius fit mentio lib. 1. Reg. cap. 6. Græcè, *Alienigenæ habitabunt in Azoto*. Siquidem regnante ibidem Alexandro, Græci habitaturi erant Azotum, qui tamen erant alienigenæ ſeu peregrini: quippe qui non erãt Paleſtini, ſed Græci, *& diſperdam ſuperbiam Philiſtinorum*. Notantur à vate Palæſtini de ſuperbia magna, Deus autem qui exaltat humiles, & reprimit ſuperbos, compreſſit ſuperbiam Palæſtinorum per Alexandrum vt prædictum eſt. *Et auferam ſanguinem eius, de ore eius: & abominationes eius de medio dentium eius.* Nicolaus hũc locum refert ad Alexandrum, qui veniens Ieroſolymam, illam gladio ſuo ducebat ſubdendam, & blaſphemabat nomen Dei. Credebat enim Deum Iudæorum non eſſe potẽtem, vt eruerat Ieroſolymam à ſua poteſtate. Ideo ait Deus auferam ſanguinem de ore eius, ideſt pronuntiabit cædes Iudæorum, ego faciam, vt abſtineat à cæde, rurſus ipſe proferet blaſphemias contra me, ego faciam vt à blaſphemijs abſtineat, vt reuera accidit, poſtquam ſummus Iudæorum Pontifex illi occurrit Pontificalibus indutus, & cæteri ſacerdotes Iudæorũ ſacerdotalibus ornati illi obuij fuerunt, vt teſtatur Ioſephus. At vero Chaldæus paraphraſtes ſic vertit. *Et conſummabo comedentes ſanguinem, & abominationem ex ijs qui ſunt inter illos, & addetur exercitus illorũ, & aduenæ eorum, qui reliqui erunt in eis, addẽtur etiam ipſi ad populum Dei noſtri.* Ideſt vltionem ſumam de comedentibus ſanguinem. Idololatræ enim in ritibus ſuis funeſtis veſcebantur ſanguine hoſtiarum, cum lacte, aut vino, & item comedebant carnes hoſtiarum, quas appellabant deorum epulas, id quod erat abominatio coram Deo, Alexãder enim redigens Paleſtinos in ſuã ditionẽ idola illarum gentiũ confregit, vt principes gentium ſolebant facere ſimul atque compotes erant vrbium ſibi aduerſantium, idola comminuebant, vnde & ritus colendi, illa diſſipabantur. Et quãtum videtur Palæſtinorũ hic erat colendi ſua idola ritus ſanguinem hoſtiarum, & carnes ipſarum comedere, quæ dicit Deus ſe ablaturum. Id quod omnino completum eſt per euangelicam prædicationem, quando reliquiæ ex Paleſtinis, ideſt qui extabant, quando euangelium fuit prædicatũ ab Apoſtolis, fuerunt additi ad populum Dei, ideſt copulati ad Chriſtianam eccleſiam. Solenne enim eſt ſacris vatibus, interſerere mentionem de Chriſto, & eius ſpõſa eccleſia, dum de alijs rebus agunt. At vero tranſlatio noſtra difficilior videtur videlicet, *Et relinquetur etiam ipſe Deo noſtro, & erit quaſi dux in Iuda, & Accaron quaſi Iebuſæus*, exponitur tamen ad hunc ſenſum referendo textum ad Alexandrum, qui viſo Pontifice Dei Deum verum adorauit, & iuſſit vt pro illo Deo optimo & maximo offerrẽtur ſacrificia: ideo ait, relinquetur

Paleſtinorum ſuperſtitio in colendis idolis.

tur etiam ipſe Deo noſtro, quaſi dicat applicabitur ad cultum Dei Iudæorũ. *Et erit quaſi dux in Iuda*, quia functus eſt officio ducis pij & benigni, protegentis Iudæos ne læderentur à ſuis copijs militaribus, *Accaron quaſi Iebuſæus*, ſicut enim Dauid ſubdidit ſuo regno Iebuſæos. 2. Reg. 5. ita Alexander Ieroſolymitis ſubiecit Accaronitas. At vero, res dubia hæc eſt Alexandrum ſubdidiſſe Accaroñitas Ieroſolymitis. Græca ſic habent. *Et remanebunt & iſti Deo noſtro: & erunt vt tribunus in Iuda, & Accaron ſicut Iebuſæus.* Id quod ad Chriſti tempora vt dixi puto referendum. Siquidem ſenſus eſt Philiſtæi, vel Palæſtini negleto tandem ſuperſtitioſo idolorũ cultu, cui incumbebant, transferentur ad cultum veri Dei. Et erunt Palæſtini, ideſt gentes conuerſæ ad Chriſtum, in Iuda ideſt in eccleſia Chriſti, vt duces & tribuni. Quoniam ex gentili natione, multi prodierũt eminentiſſimi eccleſiæ doctores vt Auguſtinus, Hieronymus, &c. & Accaron, ideſt gentes erũt ſicut Iebuſæus, Ieroſolyma enim Ioſue. 18. & Iudi. 19. olim Iebus appellabatur, & Ieroſolymitæ, Iebuſæi: erũt igitur gentes conuerſæ ad Chriſtũ, æquales honore Ieroſolymitis, imo erunt ſi nõ natione, profeſſione Ieroſolymitæ veri, pacem Dei & hominum Chriſtum per fidem videntes, fuit autem Iebuſæus filius Chanaan Gen. 10. & 2. Regũ. 5. niſi velis interpretari Accaron ſicut Iebuſæus erit, ideſt idololatræ qui ſignificatur per Accaron, quia ibi erat idolum maximæ apud Palæſtinos venerationis, erunt vt Iebuſæus, ideſt ab eccleſia Dei expellentur, & conculcabuntur, vt fuit expulſus Iebuſæus, ab arce Sion. Siquidem Iebuſæus ſignificat Hebræis cõculcatum, vt Iebus cõculcationem. Itaque ſenſus eſt idololatrarum abominationes eſſe conculcandas à fidelibus: at reuera textus eſt admodum difficilis. *Et circũdabo domũ meam ex his qui militant mihi, euntes & reuertentes, & nõ tranſibit ſuper eos vltra exactor. Quia nunc vidi in oculis meis*, ideſt circũducam caſtra domui meæ, contra euntes & tranſeuntes, ſeu redeuntes. Hunc locum refert Nicolaus ad Macha. tempora, qui fuerunt poſt Alexãdrum. 1. Macha. 1. Etenim Iudas Machabæus pugnauit contra Antiochum illuſtrem, & eripuit vrbem ab eius violentia, & mundauit templum Domini à gẽtibus pollutum. 1. Machab. 4. & ablatum eſt iugum ſeruitutis ſub Machabæis, quo Iudæi premebantur à gentibus. 1. Machab. 13.

¶ Qui vero caput hoc referunt ad vocationem gentium, vt Hieron. & alij ad eccleſiã Catholicam debent referre hunc locum. Quam Deus veluti quibuſdam caſtris potentiſſimis angelorum, ſacramentorũ doctorum obmunit, contra omnia occurſantia mala. Et diabolus qui eſt accuſator fidelium, & veluti exactor contra eos, fractas habet vires per mortem Ieſu Chriſti. *Quia nunc vidi oculis meis*, Deus omnia quæ facit ab æterno præuidit, ex ſua æterna ſcientia, veruntamen dicitur nunc videre, quando declarat per ſuos vates quæ ab æterno vidit in tempore facturus. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem: Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator, ipſe pauper aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filiũ aſinæ.* Iſtud eſt apertum teſtimonium de Chriſto, vnde Rabbi Salomon fatetur, nõ poſſe intelligi locum hũc, niſi de rege Meſsia. Et locus hic confundit Iudæorum perfidiam, expectantium Meſsiam, carnalem, ſcilicet potentiſſimum regem in regno tẽporali, qui eſſet eos ditaturus magnis diuitiarum copijs, cum tamen Deus docet modo Meſsiam pauperem, inſidentem aſinæ & pullo, non equorũ magnificis curribus. Vnde Dominus regnum inquit meũ non eſt de hoc mundo. Significans hoc ſermone ſe quidem eſſe regem, non quidem mundanum fulgentem auro, & gẽmis & copia militum, & armorum circumuallatum, ſed planè cœleſtem regem. *Exulta ſatis*, ideſt maxime debes exultare filia Sion, maximoque iubilo gaudere, debes filia Ieruſalem. At materia ſummi gaudij tibi ſit quod rex Meſsias, quem prædixerunt ſacri vates, venturum, certo veniet tibi ad iuſtificandum te, à peccatis tuis & ad ſaluandum te à morte ſempiterna, & vt nõ horreas eius conſpectum, & præſentiam, videre non formides, veniet tibi pauper, inſidens aſinæ & pullo aſinæ. Quia forte, ſi magna pompa armorum, & militum & ingenti ſtipatus comitatu veniret horreres eius præſentiam. ¶ At pauper naſcitur, ex paupere virguncula, & in pauperculo preſepio, pauperrimis pãnis iacet inuolutus, iacens & deinde pauperem vitam agẽs, ex ijs quæ illi à fœminis, & ab alijs probis miniſtrantur victitans. Hæc illi ſanè ſumma pompa fuit, quod ingrediens Ieroſolymã pauperibus circũuallatus diſcipulis, aſinã equi-

Vaticinium de Chriſto Domino.

Meſsias non prædicitur futurus rex tẽporalis.

equitans, ingreditur. *Filia Sion*, est Ierusalem, quæ habebat in arcem Sion, & filia Ierusalem, erat gens Hebræa quæ ibidem cõmorabatur, quando Dominus in Dominica Palmarum ingressus fuit Ierosolymam Matth. 21. vbi iudicatur vaticinium hoc. Ierosolymitanam igitur gentẽ, vates prævidens Christi ingressum in Ierosolymam Dominica proxima suæ morti cohortatur vt exultet, & iubilet satis, ideſt maximo afficiatur gaudio: minus enim est, quã dicit, quam quod insinuat. *Ecce rex tuus*, ideſt tuus verus rex, coæternus rex, quem iam olim præstolabaris venturum veniet tibi, non sibi veniet, quia non eget nostris Deus. Ego inquit dixi, Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges: tibi veniet, verbum Dei caro factum, vt tibi largiatur suam deitatem. Neque quæras ab illo terrenas diuitias, aut mundanos principatus, nõ veniet tibi hæc largiturus quæ postquam acceperis, nihil sanctior, nihil mundioris mentis efficieris, at veniet tibi, vt terrenas opes, mundanasque pompas carnisque voluptates nihili ducas. quibus despectis veniet tibi vt animum tuũ Deus ad cœlestia consideranda, & appetenda: veniet tibi iustus imo veniet tibi ipsa iustitia, vnde tu iustificaberis coram Deo. Nã purgationem peccatorum faciens sedet à dextris virtutis Dei. Veniet tibi *Saluator*, ex salute sempiterna, quam neque lex naturæ, neque cum omni illo suo cæremoniarum & sacrificiorum apparatu præstare nõ potuit: hac etiam nomenclatura, ab Isaia, cognominatus est Dominus Iesus Christus capite. 62. Ecce inquit Saluator tuus veniet, & merces eius cũ eo, & opus coram illo. Sanè Christi opus cuius hic fit mentio, est illud cuius ipse Christus memini dicens, Ioan. 17. opus consummaui quod dedisti mihi. Siquidẽ hoc erat opus, videlicet sanguine suo extergere peccatorum maculas, & iamdiu occlusas cœlestes reserare fores. ¶ Istud opus præclarissimum erat coram Christo. Nanque simul atque creata est beata Christi anima, nouit carnem suam esse immolandam, pro mundi vita, ideo rectè ait opus eius coram illo. Non enim Christũ latebat ab initio, se moriturum pro redemptione humanæ salutis. ¶ At vero mercedem eius esse cum Christo testatur item vates. Quandoquidem ante Christi mortem, sanctorum merita, non erant digna sibi mercede repensa: imo erant sine remuneratione: nulli enim patebat ad æterna gaudia aditus. At vero, cum Christo prouenit merces sanctorum: etenim moriens in cruce dixit latroni, hodie mecum eris in paradiso. Nam tota merces est visio Dei, qua donatæ sunt animæ sanctorum post Christi mortem. Vnde rectè dicitur Saluator, & Ioan. 3. non misit Deus filium suum vt iudicet, &c.

¶ Vt etiam angelus Christi festiuis natalia celebrans laudibus, annuncio ait, vobis gaudium magnũ, quia natus est vobis Saluator Luc. 2. Et nomen Christi istud est Iesuach, seu Iesus, quod nomen angelus illi indidit. Quia saluum inquit faciet populum suum à peccatis eorum Matth. 1. *Ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Diuus Matthæus hunc locum indicans, aliter indicat, quam in vate scribitur. Ait enim. Hoc totum factum est, vt impleretur, quod dictum est per prophetã. Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Porro vt non semel admonuimus, frequentissimum est istud euangelistis, reseruato sensu, mutare verba. Vt modo est inuenire: nam vox Hebræa Hanar, pro qua transfertur pauper, etiam significat mitem vel mansuetum. At textus Hebræus habet asinum, & non asinam. Nam sic habet *sedens* super asinum & pullo asinarũ, ideſt vnius ex asinis filio. Et vox Hebræa Hemor asinum significat. Sunt qui velint esse hanc vocem communem duum, vt masculum asinum, & fœminam asinã significat, ideo Matthæus scripsit asinam. Verumtamen Græca lectio habet subiugalem. Ac etsi variẽtur verba vt aiebã, sensus integer perseuerat. Siquidem propheta intẽdit Christi regis summi in primo eius aduentu demonstrare humilitatem & mansuetudinẽ, siquidẽ in animalibus vilibus & infirmis, & bello ineptis erat sessurus vt Matt. 21. & Ioan. 12. demonstrant impletũ fuisse. Et ideo siue asina legatur, vt Matth. memini, siue asinus vt textus Hebræus, idem nobis denotant. *Ascendens*, intellige successiue, non quod simul Dominus insedisset super asinã & pullum, sed primo insedit asinæ, dein pullo. *Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem.* Quia dixerat ascendens super asinam, & pullum filium asinæ, ideo subdit, dispergam, ideſt, propterea non erunt mihi necessariẽ quadrigæ

drigæ Ephraimitarũ siue currus Israelitarum, quibus in bellis suis illi vtebantur. Aut equorum ferocitas, siquidem non vi armorum orbem subiugabo, sed humilitatem & paupertatem seruans, quia sub humilitate carnis Christus recondebat diuinitatem, quæ potentior est omni vi creata, eodem pertinet quod subditur, *dissipabitur arcus belli*, siquidem per arcum quo maximè vtebantur nationes Syrorum, & Assyriorum intelligit omnia instrumenta bellica, ideſt non erunt huic regi ludæorũ iusto, & Saluatori, necessarij currus equorum, aut quadrigarum apparatus, aut arcus & sagittæ, aut alia bellica instrumenta illi erũt necessaria, vt sunt alijs regibus, & principibus. Etenim rex hic non est temporalis rex vt alij, neque venit ad expugnanda regna mundi huius vt alij reges, sed ad expugnandum dæmonem mundi huius principem, & ad expellendum eum foras à mentibus hominum ideoque ad confundendam diaboli superbiam, & mundi pompas venit mansuetus & pauper insidens asinæ & pullo, ingreditur Ierosolymam. *Et loquetur pacem gentibus*, ipse rex iustus & Saluator, per Apostolos & discipulos suos prædicabit euangelium pacis gentibus: quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Nanque euangelium Christi fert nuntium pacis, docet enim Deum reconciliatũ esse hominibus per sanguinem Christi. ¶ Sed ait aliquis & quid est quod Christus ait nõ veni pacem mittere, sed gladiũ, siquidem videtur locus hic contrarius vati. ¶ Sanè, pacẽm loquetur gentibus, non pacem seculi. Nam ait ipse, pacem meam do vobis non quomodo mundus dat ego do vobis itaque mundi pax, & Deo est inimica, & hanc pacem Christus venit dissoluere. Habent nanque pacem in delicijs suis peccatores & in vitijs suis: in mendacijs enim cõquiescunt, Christus autem venit, vt soluat hanc pacem cum diabolo initam, & cum vitijs celebratam, & venit constituere pacem cum Deo. ¶ Vnde subdit, veni enim hominem separare aduersus patrem suũ, & filiam aduersus matrem suam, &c. Matthæi. 10. Non quia ex se hoc malum est, cum alioqui sit ex se bonum sic filios amare suos parentes, verum ex natiua hac inclinatione bona, resultat sæpè morũ corruptio pessima. Siquidem filij sequuntur peccata parentum, & plerũque sectas impias patrias obnixè sectantur. Id quod pessimum est. ¶ Christus autem suo euangelio docuit parentes esse amandos, at sectas eorum, & peccata eorum non esse imitanda. Imo, esse ob eam causam relinquendos parentes. Vt summo omnium parenti Deo, fit obediendum. ¶ Igitur, Christus pacem nuntiauit gentibus, pacem scilicet veram, ex qua homo Deo fit gratus, & bellum nunciauit gentibus esse meundum cum diabolo & pompis eius. *Et potestas eius à mari, vsque ad mare, & à flumine vsque ad fines terræ*, locus hic præsefert collisionẽ cum textu priori. Enim vero, si prædicitur Christus pauper, vt ergo modo prædicitur habiturum potestatem à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad fines terræ? quasi dicat futurum Messiam vniuersale Dominum omnium. ¶ Obserua vt scriptura mira arte, & Christi maiestatẽ, & Christi humilitatem ostendit vt ex humilitate Messiæ quam prædicit, non esse regnaturum intelligerent Iudæi, vt reges terreni sub pompa regia visibili & ex maiestate quam prædicit vniuersalis dominij intelligerent futurum esse Dominum secũdum diuinitatem. Vnde & paulo ante aiebat, pacem nuntiabit vel loquetur gentibus & primo dixerat ecce rex tuus venit, &c. quasi insinuans esse solum regem Iudæorum. Colligenti autem vtrumque non solum regem Iudæorum sed & gentium doctorem pacificum & regem futurum præ nuntiat, id quod in Christi ecclesia impletum videmus. Vt Paulus docet quod pacem erat daturus his qui prope, qui erant Iudæi, & pacem ijs qui procul, quales erãt gentes, quæ erãt longe à Dei fide, & cultu. *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua*, verba hęc, dicuntur à vate personã agente Dei & loquitur Christo, dicens, tu & hactenus enim dixerat Christum humilem, & mansuetum iustum & seruatorem, & vniuersale habentem Imperium, modo exponit qua ratione seruaturus erat suos, & eosdem iustificaturus, dicens, *Tu quoque in sanguine testamenti tui*, ideſt per sanguinem ex quo confirmasti testamentum nouum, vt ipse Dominus ait, hic calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, &c. itaque vt testamentum vetus fuit constitutum sanguine hircorum, qui fusus fuit super populum Hebraum, & super librũ legis, & super altare, dicẽte Mose,

Christus pacem loquitur & bellum.

Collisio apparẽs dissoluitur.

Ephes. 2.

Christus cur sanguine suo nos nã firmauerit testamentum.

Moſe, hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum Exod. 24. & olim fædera omnia ſanguine conſtituebãtur occiſis ſcilicet quibuſdam vitulis, ita voluit Dominus Ieſus ſuum fœdus nouũ de donando regno cęleſti ſuis ſynceris cultoribus, ſanguine non hircorum aut taurorum, ſed proprio firmare ſanguine: ideo concinnè vocatur ſanguis teſtamẽti Chriſti. ¶ Et non ſolum conſtituit ſuum fœdus nouum, quod ſcriptura vocat teſtamentum, ſanguine ſuo, verùm hoc eodem ſanguine ſeruaturum dicit vinctos. Et hoc eſt quod ait, *Emiſiſti vinctos.* Præteritum pro futuro, id eſt emittes, ſeu liberabis vinctos de lacu in quo non erat aqua: lacum vocant Hebræi ciſternam profundam.

¶ Et intelligit per lacum hunc, lymbum, quo tenebantur concluſæ animæ ſanctorum patrum. Vbi non erat aqua, nempe quia carebant æterna quam ſperabant cõſolatione: id quod confitetur eccleſia, dicens, deſcendit ad inferos, &c. ¶ D. Hiero. hunc locũ ediſſerens videtur in ea eſſe ſententia, vt credat lymbum Sanctorum patrum non differre ab inferno damnatorũ verba ſunt. Tu quoque in ſanguine, &c. quod ita intelligitur, in ſanguine paſſionis tuæ, eos qui vincti in carcere tenebantur in quo non eſt vlla miſericorda tua clemẽtia liberaſti. Et paulò poſt in hoc lacu inferni morabatur dives ille quondam purpuratus, cuius lingua magniloqua pœnarum exurebatur incendijs. Et in tantum nulla habebat pœnarum refugeria, vt extremi digiti pauperis tincti in aqua refrigerium poſtularet. Hæc ibi ſecundo libr. cõment. cui refragatur Auguſt. epiſt. 57. ad Dardanum, & epiſt. 99. ad Euodium, neutiquam docens eſſe infernum damnatorũ ſinum Abrahæ. Nanque in Luca traditur eſſe magnum chaos. Et quidem res confeſſa eſt Theologis ſcholaſticis eſſe diuerſa loca damnatorum infernus, & piarum animarum, quod olim erat receptaculum. Etenim nuſquam legimus, quod damnatorum receptaculũ, vocetur Abrahæ ſinus, id quod legimus de Patrum lymbo. Rurſus, qui lymbus Patrum, erat refrigerium habens, ſpem ſcilicet beatitudinis venturæ, & nullus erat cruciatus, id quod Theologi ſcholares vocant pœnam ſenſus. Etſi interim diuina viſione orbabantur, quod vocitant damni pœnam. At vero in loco damnatorum, nulla ſpes fouet nullumque mulcet ſolamen, vbi nullus ordo: ſed ſempiternus horror inhabitat. Vnde ſcriptura lymbum ſanctorũ Patrũ inſinuat ex faſciculo viuentium, vt in primo lib. Reg. traditur cap. 25. at vero infernum damnatorum vocat locum miſeriæ, & tenebrarũ: vbi erit fletus & ſtridor dentium &c. Non me latet etiam infernum damnatorum vocari lacum profundum. Vndè canit eccleſia in officio mortuorum, libera eas de profundo lacu. Itaque, etſi receptacula animarum ſiue damnatarum, ſiue piarum ante aduentum Chriſti, omnia comprehendantur ſub voce profundi laci vel ſub voce inferorum, nam Dominus creditur deſcendiſſe ad inferos, qui tamen non deſcendit ad locum damnatorũ, ſed ad loca piarum animarũ, quæ iam prorſus expiatæ erant.

¶ Cæterum eſt magna diſtinctio in particulari horum receptaculorum, & ratione loci, quia damnatorum conceptaculũ eſt infimum, at vero conceptaculum infantium, qui maculati ex primitiua culpa deceſſerunt erat, & eſt ſuperius, & ſupra hoc purgandarum animarum, locus & ſupremum ad iſta ſinus Abrahæ, qui iam nõ eſt neceſſarius. ¶ Loco igitur dictabãt & qualitate commorantium, vt liquet. Nos de re hac multa diſſeruimus 4. libr. Sentent. tomo 3. Hieronymus ergo etſi verbis videtur præ ſe ferre eſſe eundem locum, intelligit in genere, quia omnia hæc ſunt ſub terranea loca: at in particulari illa differre non abnuit expreſsè. Quod ſi vnquam in ficiatur Auguſtino ſtatur, ſit autem lacũ mentio frequens in ſcriptura, vt in Iſa. 14. verũtamen ad infernum detraheris in profundum laci, ſubnotans infernum damnatorum, Ierem. autem proiectus in lacum cap. 38. id eſt in profundam ciſternam lutoſam, ſine aqua. Gloſſa interlin. videtur ſequi placitum Sancti Hierony. præmemoratũ, etſi clarius rem exponit. *Emiſiſti*, erãt ſanè vinctę animæ illæ ſanctæ, nõ vinculis vel piaculi originalis, vel actualis. Etenim immaculatæ iam erãt, quæ in lymbo illo tenebantur concluſæ. At vero tenebantur vinctæ vinculis peccati totius naturæ, ¶ Quanuis enim originale piaculum quo ad culpam, iam fuerat debitum, verum pœna illius peccati quæ erat orbari cæleſti patria non erat expiata, ſacramẽta enim vetuſta, vt circũciſio, & ſacrificia quædam ſub naturali lege, etſi culpam originalem emaculabant ex fidei profeſsione in

Hiero. exponitur.

An lymbꝰ ſanctorũ patrum locus fuerit damnatorum.

Infernus damnatorũ differt loco, & qualitate.

ne in paruulis, at vero, pœnam commeritam prædictam non condonabant.

Cæleſtiare gna ante Chriſtiredemptionẽ nulli paruerunt.

¶ Nanque ſi condonaſſent, non eſſet opus redemptore. Quia igitur non condonabant idcirco redemptore erat opus. Quo circa, cum redemptio nondum id temporis adfuiſſet, captiuitas peccati, id eſt pœnæ peccati premebat in carcere illo Sanctos patres. Poſtquam autem Chriſtus introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta, iam tunc emiſit vinctos præmemoratos ex lymbico carcere, in libertatem Ieruſalem illius patris cæleſtis.

¶ Hebræi vero vt ſuam nunquam non foueant perfidiam, hunc locum intelligunt de Meſsia: at vero textum peſsime torquent. Aiunt enim eſſe intelligendum, de libertate captiuorum à Babylonica captiuitate, vnde hac ratione exponunt ò Chriſte in ſanguine teſtamenti tui, id eſt per ſanguinem hoſtiarum, quas conſtituit teſtamentum tuum, hoc eſt ipſa lex vetus, emiſiſti per virtutem illorum ſacrificiorum vinctos tuos Iudæos, de lacu, id eſt, de captiuitate Babylonica, in quo non erat aqua, id eſt non erat miſericordiæ refrigerium. Et quod ſequitur *conuertimini ad munitionem vincti ſpei. Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi, prion* expoſitioni ſic attexunt. Propterea vos Iſraelitæ, qui eratis vincti ſub captiuitatis iugo, & ſperabatis in Domino reuerteri iam ad munitiſsimam Ieruſalem. Quoniam hodie habetis Dominum pollicentem vobis, quod pro breui iniuria captiuitatis, omnia bona vobis duplicia prouenient. Et quod ſequitur, *Extendi mihi Iudam, quaſi arcum impleui Ephraim.* Referunt ad tempora Machabæorum, qui fuerunt glorificati & vicerunt Macedones, & templum à ſordibus idolorum repurgarunt. Quod vero meminit Ephraim referunt ad tempora Ezechiæ regis, ſub quo quidam ex decem tribubus, ſunt reducti, ad cultum Dei.

Hebræorũ expoſitio.

¶ At vero hæc expoſitio eſt prorſus ridicula. Etenim, cum erant Iudæi captiui in Babylone, nullum erat ſacrificiũ deuſto templo à Nabuchodonoſore. Et alibi non erat locus aptus ſacrificijs celebrandis: qua igitur ratione per ſanguinem hoſtiarum quæ iam non erant, Deus emiſit captiuos ex vinculo captiuitatis. ¶ Ad hæc Meſsias nondum erat quomodo igitur, ipſe ſoluit captiuitatẽ. ¶ Accedit eodẽ, quia Meſsias etiam ab *ipſis* Iudæis prædicatur potentiſsimus, nihil ergo eguiſſet ſanguine vitulorum ad ſoluendam captiuitatem.

Commentum Hebræo. reprobatur.

¶ Præterea, poſt euerſionem Ieroſolymæ, non erat ciuitas munitiſsima, quia fuit tota deſolata à Nabuchodonoſor. 4. Regum vlti. quomodo erit verum, quod iſti exponunt reuertimini ad ciuitatem munitiſsimam. Neque veram etiam arbitror expoſitionem aliam referentem hunc locum *conuertimini* ad eos qui fugerunt ſub Machabæis perſecutionem vehementiſsimã Antiochi, qui audito Iudam ſuperaſſe Antiochum, regreſsi ſunt in Ieruſalem. Etenim iſti qui fugerunt, non erant vincti, aut captiui, verum textus de vinctis loquitur.

¶ Quare iuxta expoſitionem prioris textus, hic conſequenter ad Chriſti tempora eſt referẽdus. *Conuertimini vincti ſpei &c.* Ideſt vos animæ ſanctæ, quæ quanuis tenebamini vinculis lymbicis, vbi multo iam æuo latebatis, nihilominus eratis ſperantes in Chriſti redemptionem, id quod vobis maximo erat ſolatio, ideo eratis vincti quidem, ſed cum ſpe libertatis, non ſicut ij quos Tartarus vorat, qui vincti ſunt non ſpei tamen, ſed deſperationis ſempiternæ.

Damnati ſunt vincti ſine ſpe animæ ſanctæ olim erant vinctæ ſpei vt modo animæ quæ purgatorias dant pœnas.

¶ Vos igitur vincti ſpei, conuertimini, aut reuertimini ad ciuitatem illam cæleſtem, munitiſsimam, quia non accedet ad illam malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo Domini. ¶ Et apte dixeris hæc eſſe verba Chriſti, alloquentis ad animas ſanctas, quando deſcendit ad inferos. Quaſi dicat ſufficiat iam vobis prolixum ſatis quod tuliſtis exiliũ, ſat ſit vobis prolixus, quem toleraſtis carcer, ſolutum iam eſt exilium veſtrum confracta ſunt vincula, conuertimini iam ad patriam veſtram munitiſsimam cæleſtem Ieruſalem. *Hodie* quoque quando vobis ſum præſens annũtio vobis duplicia, quæ reddã vobis. Quia non ſolum vos beo modo meæ diuinitatis præſentia, ſed etiam ducam vos, mecum in cæleſtia regna, vt à carceribus ad regnum ſit veſtra ineffabilis promotio. *Quoniam extendi mihi Iudam, quaſi arcum, impleui Ephraim.* Quoniam paulò antè dixerat diſpergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem: & diſsipabitur arcus belli vbi dicebamus inſinuari Euangelium Ieſu Chriſti prædici propagandum non per quadrigas, aut per alia inſtrumenta bellica, nunc eo ſe refert oratio vatis, vt explanet, quo modo propagan-

dum erat, Christi euangelium. Et explanat verbis commemoratis, *extendi* pro *extendam*. Iudam, id est Iudæos quasi arcum, & Ephraim impleui, pro *implebo*. Quasi dicat propagabitur Christi euangeliū per Apostolos, & discipulos Domini, quorū alij pertinebunt ad tribum Iuda, alij vero ad decem alias tribus. *Implebo* subaudi arcum, phrasis Hebraica, implere enim vocat quando sagittæ iaculātur: vt sagittas meas complebo in eis Deutero. 32. Quia ergo sancti Apostoli, fuerunt velut arcus quidam spirituales quibus Deus est vsus, ad expugnandum mentes rebelles, & procaces hominum, ideo ait se extensurum Iudam, &c. Et declarans hoc idem amplius, subdit. *Et suscitabo filios tuos Sion, super filios suos Græcia.* Quia Christus dixit sanctis Apostolis suis, quos hic vocat filios Sion, Ite in vniuersum mundum & prædicate euangelium omni creaturæ. Et Græci susceperunt verbum Christi, vt patet ex epistolis Pauli, quas misit Corinthijs, & Ephesijs, &c. qui omnes erant Græci. *Et ponam te sicut gladium fortium.* Vtique sermo Dei est gladius est acutus, imò penetrabilior omni gladio ancipiti, & sancti hoc gladio muniti fortissimo subegerunt gentes euangelio. Vnde dixit Dominus, Petre, occide & manduca. Nanque nulla anima erit Dei sacrificium, nisi hoc gladio eius culpa occidatur. Sunt qui hæc referant ad Machabæos, qui superarunt Græcos, verum ex consequentibus patet, multo perfectius hæc referenda esse ad Christi apostolos, & discipulos. Nam ait, *& Dominus Deus super eos videbitur, & exibit, vt fulgur iaculum eius, & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine austri*, auxilium se exhibiturum pollicetur Deus, & si loquatur in tertia persona euangelij prædicatoribus, dicens, *Dominus Deus super eos videbitur.* Idest præsentissimus illis erit. Et sicut fulgur velocissimè transcurrit ab Oriente in occidens, ita euangelica prædicatio citissimè totum orbem impleuit. Vocat iaculum ipsum verbum euangelicum. Quia supra meminerat arcus, nunc iaculorum meminit. *Et tuba canet*, tuba est ad excitandum milites, ad prælia Dominus excitauit mentes Apostolicas, quasi tuba, vt præliarentur cum toto orbe. Turbines autem qui ab austro sunt vehemētissimi sunt: vnde hoc figurato sermone docet prædicationem euangelij futuram vehementissimæ efficaciæ, vt turbines austri. Et quidem ita accidit, nam miraculo dādum est, quod duodecim Apostoli pauperes, & nō instructi sapientia humana totum orbem conuerterent ad fidem Iesu Christi. Siquidem non tantum verbis agebant, sed sermonem miraculis confirmabant. Quod si quis non credit miraculis ab eis editis maius est miraculum, sine miraculo orbem trahi ad fidem Iesu Christi duodecim hominum opera. Ad fidem scilicet, quæ humanum captum transcendit, & ad euangelicos mores, qui videntur repugnare humanæ conditioni. Quid quod non trahebant, vtcunque, neque enim leniter persuaserunt euangelium Iesu Christi: imo adeo vehementer persuaserunt, vt nullus philosophorum adeò persuasit suam doctrinā, neque vllus principum in tantum persuasit suam legem, fideles enim tradiderunt corpora sua, in mortem, vt Christi euangelio obedirent. Id quod nulla ars humana præstare vnquam potuit. *Dominus exercituum proteget eos, & deuorabunt & subjcient lapidibus fundæ.* Idem inculcat alia loquendi figura. Protectionē pollicens euangelij promulgatoribus, & victoriā prædicit eorum cōtra hostes suos, dicens, *Et deuorabūt, & subijciēt*, lapides fundæ vocat quę supra dixerat iacula, videlicet sacra vtriusque paginæ testimonia. *Et bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris.* Maximam victoriā, & certissimā reportaturos Apostolos subindicat de hostibus euangelij. Bibentes inquit subaudi sanguinem hostium suorum satiabuntur & explebunt animum suum, quia vindictam accipient de iniurijs ab eis illatis. Et replebuntur vt pelues, quæ sanguinem hostiarum excipiebant, & quasi anguli altaris, qui perfundebantur sanguine hostiarum. Hoc idem psaltes cecinit, lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris, id quod implebitur sub iudicio finali, vbi stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, Sapient. 5. Et tunc sancti Apostoli iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. Sedebitis & vos ait Dominus super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel. *Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui*: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius, Christus liberauit Apostolos suos, à multis, quibus presti sunt

Apostoli veluti arcus sunt spirituales.

Euangeliū iaculum Dei est.

Maximi miraculi est, quod duodecim Apostoli orbē Christo subdiderint.

Sancti iudicabitur in die iudicij.

2. Cor. 6.

2. Cor. 12. sunt pericula, vt Paulus commemorat nō semel. 2. Corinthiorū. 12. & 2. Timoth. 4. Neque enim iniquitas hominum, potuit impedire, quominus euangelium disseminarent Apostoli, & plantarent in toto orbe. ¶ Erant autem Apostoli, vt oues Christi, ideoque tanquam gregem sibi charissimum, curauit illos, & præsto fuit illis, vnde Petro in carcere coniecto, astitit angelus Dei, qui soluit vincula eius. Et Paulo si militer, vt sacra denarrat Actorum Apostolicorum historia, & ita alijs Apostolis contigisse ex gestis eorum quæ habentur proditum est. Eleuati autem sunt Apostoli vt lapides pretiosi super terram eius. Idest supra Christi ecclesiam: Apostolis enim duodecim, vt duodecim lapidibus pretiosis coronatur ecclesia Iesu Christi. Hinc enim gloriosa fulget ecclesia, quia quæ credit & docet, ab Apostolis Domini accepit. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Relatiua vsurpantur pro antecedentibus, id est quanta est bonitas terræ prædictæ quantaque pulchritudo eius, respondet vtique bonitas, & pulchritudo terræ Christi, id est ecclesiæ Christianæ est frumentum electissimum, & vinum item electum, quod scilicet miram habet efficaciam Græcè. *Si quid pulchrum illius, si quid bonum eius, frumentum iuuenibus, & vinum boni odoris ad virgines. Et huic consona est Vatabli translatio, quanta bonitas eius, & quanta pulchritudo eius frumentum iuuenes, & vinum virgines succulentas, & vegetas reddet.* Itaque per *electorum* oportet intelligere iuuenes, & apta est intelligentia, vt correspondeat virginibus, itaque frumentum & vinum commendantur, quia iuuenes & virgines vegetant, & reficiunt. ¶ Atqui non de iuuenibus materialibus, aut virginibus hic locus intelligendus, sed de mysticis. Nempe de his iuuenibus qui depositā culpæ vetustate, ambulant in nouitate vitæ, id quod est mystica iuuentus. Itemque de virginibus illis quarum meminit euangelica lectio, Matthæi 23. quæ cum essent prudentes virgines acceperunt oleum in lampadibus suis, & ingressæ sunt cum sponso. Quales animæ sanctæ incorruptam obseruantes viuendi normam. Hos igitur iuuenes, hasque virgines frumentum Sanctæ ecclesiæ, quod est diuinum verbum, & vinum, quod est idem Dei verbum creat, creare autem hoc loco non vsurpatur proprietate sermonis, vt significet aliquid ex nihilo facere: sed vt significet recreare, & exhilarare, aut vegetare. Qua sermonis ratione, est in vsu Hispanis, nam apud illos dicuntur criados, qui aluntur ex alterius cibo, y bien criado, id est bene vegetatum appellant, *creans virgines*, & iuuenes, id est eos exhilarans & fouens. Et nihil est, quod adeò recreet mentes fidelium, quam diuinum verbum testante Paulo. 1. Timotheū. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Et 1. Machabęorum. 12. habentes solatio Sanctos libros sunt qui locum hunc propheticum, referunt ad synaxeos sacramentum, quod consecratur in pane, & vino, & quidem hoc sacramentum vegetat quos diximus iuuenes, & quas diximus virgines, & est optimum sacramentorum ex re contenta, & nihil excellentius habet apud se Dei ecclesia, verum priorem expositionem literalem magis censuerim & interlineal. quæ plerumque allegorizat, hunc locum ad legem Dei retulit. ¶ A sensibus mysticis abstinuimus, quia duximus huic capiti non necessarios.

Act. 5. Act. 12. Act. 16.

Rom. 6. & 7. & 12. Et 2. Timot. 6.

EXPLANATIO IN ZACHARIAM. CAP. X.

PETITE à Domino pluuiam, in tempore serotino, & Dominus faciet nines, & pluuiam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. Non sibi conueniunt huius capitis expositores, nā quibusdam arrisit hoc caput iuxta literalem sensum esse referendum ad tempora euangelicæ gratiæ, sub qua fuit concessa hominibus abundantia bonorum spiritualium. Alij vero placuit istud caput referre ad tempora Machabęorum, sub quibus, quia cultus Dei erat syncerus fuit abundantia temporalium bonorum quæ denotantur per pluuiam, & nines, & imbres. Nanque huiusmodi metheorologiæ impressiones, terram fœcundant, verum germanior sensus mihi videtur prior, nam sub temporalibus bonis spiritualia subintelligere bona solenne est diuinis ser-

monibus, verum quia vates dudum de spiritualibus intellexerat bonis quæ dixerat de frumento, & vino, hæc quoque de eisdem videntur intelligenda. Vocat autem pluuiam serotinam, euangelicam gratiam: quia in nouissimis temporibus concessa fuit. 1. Pet. 1. Meminimus autem supra in terra Sancta esse duo tempora pluuiæ alterum, temporaneum, alterum serotinum, quod erat vltimum: quia proximũ messi. Græcè. *Postulate à Domino pluuiam opportunã, matutinam, & serotinam.* Hebraicè non habetur *Niues*, sed coruscationes à voce illa Haziz, plurale Hazizim, Haziz autem significat coruscationem, apparentiam, scilicet fulguris ante vocem tonitrui. Et propterea, exposuerunt septuaginta, *Phantasias*, alij autem nubes. *Pluuiam imbris*, id est vberem imbrem, siquidem sub euangelica gratia charismata diuina fuerũt vberiora, quã prius fuerunt vt liquet in descensu Spiritus sancti super Apostolos & in potestate clauium discipulis collata, ad condonandum peccata, & ad referandas cælestes ianuas, ex efficacia sanguinis Christi, *singulis herbam.* Nam diuisiones gratiarum sunt, vnus est autem spiritus, qui diuidit singulis pro volũtate sua. Vnde alios instituit esse Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores &c. ad consummationem sanctorum ad Ephes. 4. istud est quod ait, quod singulis fidelibus erit herba in agro, quia habebit gratiam Dei quilibet fidelis secundum exigentiam suæ vocationis. *Quia simulacra locuta sunt inutile, diuini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustra.* Quia sub tempore euangelicæ gratiæ dissipatus est idolorum vetustas cultus. Et patefactum est, quod simulacra loquebantur noxia: & quod diuini quando arripiebantur à dæmone, quæ videbant erant vana, & mendacia. *Et somniatores locuti sunt frustra.* Idolorum enim cultores obseruabant somnia, sub quibusdam syderum aspectibus, vt imponerent consulentibus. Hanc autem obseruationẽ somniorum scriptura reprobat. Eccles. 5. Vbi sunt multa somnia, multæ sunt vanitates Leui. 19. Non auguraberis neque obseruabis somnia. Siquidem etsi quædam euadant certa, tamen plerumque sunt falsa. Ideo ipsa naque sunt obseruanda religiose, neq; spernenda prorsus, sed de illis habẽda hæc ratio est, vt de hominibus loquacibus, qui sæpè loquuntur vana etsi aliquãdo vera loquantur. Nam qui sæpè iaculatur aliquã do collimabit. Porro autem quibusdam accidit hominibus, vel ex nimio complexionis temperamento, aut ex speciali astrorũ aspectu, somnia certiora esse quam alijs: vt est experiri in quibusdam fide dignis hominibus, qui hoc testantur, se plurima habere certa somnia de rebus sibi vel alijs vẽturis, vt mihi etiam accidit. Ideo commeminit Aristot. non esse prorsus spernenda libr. de diuinatione per somnium. ¶ Vnde si huiusmodi homines, opinentur sibi venturum quod somniant, quia viderunt plerumque euenisse non peccant sic opinando. Siquidem ex longa experientia suorũ somniorum, sic opinantur, imo si malum sibi prognosticat somnium, illud euitare, prudentiæ est. Vt si somniat se in fluuium cadere & suffocari, non ingredi fluuium, non erit stulti consilij. Siquidem hoc immune est à crimine, quod longa experientia est comprobatum verum si fœlicia sibi ventura somniant, opinati sibi ventura, quia elatio subrepit, vanitati dandam est: etsi vt dixi sic opinari non puto crimen. ¶ Est autẽ multus error in somnijs absolute loquendo, ex varia commixtione humorum, vnde variæ se se obiectant rerum vana spectra. ¶ Obseruare autem somnia superstitiose, vt idololatræ, & infideles obseruant, expectando à dæmone quem consulunt sub somno responsa de agendis, est crimen damnatum in scriptura, vt dudum dicebamus. ¶ Deus autem immittit somnia, aliquando suis vatibus, quæ sunt diuina, & ideo infallibilia: imo non solum vatibus suis, imo & alijs non vatibus Dei, sed infidelibus, vt liquet de somnijs Nabuchodonosor. *Vanè consolabatur id circo abducti sunt, quasi grex affligentur.* Vana est consolatio quæ falsa est, at vero diuini & somniatores, sæpè fallunt, & ideo ait vanè consolantur, vt grex ouium est errabunda sine pastoris directione ita isti, quia verum pastorem non habent Deum, abducentur in præcipitia, & in demia se cõmittent, *vt quia pastorem non habent*, & quod non habent pastorem, ideò affligentur. *Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo*, per pastores reges, principes, & doctores, intelligimus, & hoc loco principes gentium, & doctores earum: contra quos ait Deus se esse iratum. Quia vlturus est, eorum pessimum regimen, siquidem ex principibus, pendet,

Sub euangelica gratia vberiora sũt charismata Dei quam ante fuerant.

Credere sõnia probabiliter esse verã non est crimen.

Obseruare insomnia quomodo est crimen.

det, & virtus & peccatum reipublicæ hircos autem vocat populos impios, qui sequuntur ducatum pessimorum pastorum hircus autem significat reprobos, ex malo lentia hircorum, ideo Matth 25. hœdi cõstituentur à sinistris. At in veteri lege hircus iubetur immolari pro peccato principis: & pro peccato populi. Et Leui. 16. duo hirci statuuntur pro peccato expiando. In Daniele autem. 8. hircus principem designat. Vnde quod ait iratus est furor Domini contra pastores & hircos, vel potest referri ad populares reprobos, vel ad principes eorum. *Visitabo*, visitatione correptiua, non consolatoria, nisi resipuerint. *Quia visitabit Dominus exercituum gregem suũ domum Iuda.* Visitare primo loco vsurpatur in malum, hoc vero loco in bonum. Per domum Iuda subaudi catholicam ecclesiam, quippe hæc ab angelo appellatur domus Iacob, quia Iacob fuit Deo dilectus, & ecclesia Deo est grata, item quia Iacob subripuit benedictionẽ Esau, & ecclesia ex gentibus coallita, assecuta est benedictionem diuinam: synagoga reprobata adumbrata in Esau. Ita quoque appellatur modo domus Iuda. Nam Iudas confitens, at vero ecclesia verè confitetur Iesum Christum. Visitauit igitur Deus ecclesiam mirum in modum eam augens & numero fidelium, & donorũ incrementis. *Et posuit eos quasi equũ gloriæ suæ in bello.* Id est suos Apostolos, & discipulos posuit eos quasi equos fortissimos ad pugnandum contra diabolũ, mundi pompas, & carnis illecebras. Nam equi sunt pugnaces, & ideo sunt animalia bellica, propterea conferuntur Apostoli equis fortissimis, quos vocat equos gloriæ suæ. Quia per Apostolos triũphauit Christus de orbe vniuerso, sibi subigens homines ad fidem. Vnde 2. Corinth. 2. Deo autem gratias, qui semper triũphat nos in Christo. Et supra item apostoli sunt collati equis, vt prædictum est. *Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij*, ex ipso egredietur, *omnis exactor simul.* Relatiuum *ipso*, refert Iudam cuius paulò antè meminerat ex ipso Iuda angulus, id est lapis angularis qui fecit vtraque vnum Christus Iesus descendit, quia manifestum quod ex Iuda ortus sit Dominus ad Hebr. 7. Christus quo que est paxillus vel clauus totius ecclesię. Nanque vt ex clauo suspenduntur vtensilia domus, ita ex Christo omnia sacramenta ecclesiæ pendent, quo ritu loquendi locutus est Isai. capit. 22. Et figam ait illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui patris sui. Ex tribu quoque Iuda arcus prælij, quia à Christo filio Dauid processit euangelij verbum, quod verò locus sit intelligendus de Christo Chaldæus paraphrastes indicat, *ex ipso, ait, rex erit & Messias.* Et exactor hic, vsurpatur in bonum & singulare pro plurali; id est, exactores. Apostoli enim & discipuli Domini, doctrinis suis quæ quotidie legũntur in vniuersa ecclesia vrgent semper fideles ad Christi fidem obseruandam, & charitatem colendam, alij per exactorem intelligunt Antichristum, qui conculcãdus erit à Christo. 2. Thessal. 2. verum violenta videtur expositio. Siquidem Antichristus non egredietur ex Iuda, sed ex tribu Dan, & item quia ait, omnis exactor, at vero distributio non additur singularibus vocibus, sed communibus. Antichristus autẽ vnus erit singularis homo. At vero alij exponunt ex ipso egredietur, id est expelletur ab ecclesia Dei adumbrata per domum Iuda, omnis exactor, id est omnes impij & pessimi homines. Vt Ioan. ait. Ex nobis prodierunt, sed non erãt ex nobis, id quod implebitur in die iudicij. Verũtamen egredi ex alio non significat violentum morũ, sed spontaneũ, seu naturalem. Ideo prior expositio est consona literæ Hebrai. Nanque vox Hebræa, pro qua transfertur exactor, significat arctatorem, vel appropinquatorem, qui scilicet instantissimè vrget ad opus complendum. *Quales fuerunt sancti Apostoli, qui verbi diuini efficacia videbantur instanter vrgere, & arctare citra violentiam homines, ad Christi fidem* adeò, vt relictis proprijs substantijs, & mũdi honoribus, imo & ipsa charissima omnibus vita, Christo hærerent. Et apostolus hanc arctationem se habere profitetur, dicens, Charitas Christi vrget nos. Isti igitur exactores ex ipso Christo, qui ex Iuda duxit originem egressi sunt. Nam ipse creauit duodecim Apostolos & misit eos prædicare euangelium per totum orbem. *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio.* Hebraicè. *Calcantes vt lutum platearum in ipso conflictu.* Id est, Apostoli egressi à Christo, tota pollebunt spiritus fortitudine, quanta hostes fidei Christianæ, calcabunt pedibus suis, vt qui calcant lutum.

Leuit. 4. Leuit. 9.

2. Cor. 5.

Matt. 10.

Marci vl timo.

¶ Siquidem Apostoli triumpharunt de to

to orbe,& nihil profuerunt omnes aduer-
Ioan. 16. sarij contraillos. Vt dixit Dominus, confi
dite,ego vici mundum, & vos vincetis. Et
Lucæ. 21. rursus,ego dabo vobis,os & sapiẽtiam, cui
non poterunt contradicere aduersarij ve-
1. Ioã. 5. stri. Et Ioãnes in catholica epistola inquit,
Hæc est victoria quæ vincit mũdum fides
nostra, *Conculcantes*, subaudi aduersarios
suos,vt lutum viarum vel platearũ. Chal-
dæus paraphrastes vertit. *Conculcabunt ca-
daueră hostium suorum quasi lutum. Et bella-
bunt,quia Dominus cum eis, & confundentur
ascensores equorum.* Bellabunt strenuè,quia
Dominus in auxilium eorum. Quia equi-
dem nisi Dominus auxilium excellẽs præ
stitisset sanctis Apostolis,fieri non posset,
vt ipsi victoriam reportarent de mundanis
hominibus. *Confundẽtur* per ascẽsores equo
rum intellige tyrannos,superbos philoso-
phos,tumentes, & hæreticos procaces, &
omnes mundi contentiosos amatores. Qui
omnes sunt pudore suffusi, quando paupe
ribus hominibus non poterant repugnare,
sed ipsis inuitis,& repugnantibus fides Ie-
su Christi fuit propagata per totum mun-
dum. *Et confortabo domum Iuda, & domũ Io-
seph saluabo, & conuertam eos,quia miserebor
eorum:& erunt sicut fuerunt quando non proba
ueram eos exaudiã eos.* Per domũ Iuda sæpè
diximus ad literam esse intelligendas duas
tribus, & per domum Ioseph,reliquas de-
cem. Quia ergo decem tribus, à sua captiui
tate non leguntur liberatæ, sed solum do-
mus Iuda,admonet hic locus vt ad ecclesiã
catholicã referatur,inquã omnes, qui con
fluunt saluantur,secundum normam euan
gelicam & apostolicam vitam suam com-
posuerint. Obserua,quod ait, *Conuertã eos*,
siquidem multi ex Iudæorum,& Israelita
rum genere sunt cõuersi ad fidem Christi,
& Romæ,& alibi quotidie conuertuntur.
Verum hæc conuersio non suæ virtuti aut
maiorum suorum meritis est ascribẽda sed
diuinæ misericordiæ. Deus enim cui⁹ vult
misereꝛ, & quẽ vult indurat Rom. 9. Ideo
ait conuertã eos. Quare si rogitat quispiã:
quia scilicet, miserebor eorũ, & hæc item
causa est,quod exaudiã eos. *Et erunt*, quia
sub tempore euangeliæ gratiæ, in omnes
diffusa est Christi benedictio,& omnes vo
cantur ad fidem,& amorem Iesu Christi,si
ue Iudæi,siue Israelitæ,siue Græci,siue Bar
bari. Omnes igitur susceptа fide, & ea ob-
seruata,& sanctis studijs exornata, omnes
Iudæi erunt grati Deo,vt fuerunt maiores
eorum ante aduentũ Domini, patriarchæ,
scilicet & prophetæ,& alij qui legitimè vi
tam ducebant. *Et erunt quasi fortes Ephraim,
& lætabitur cor eorum quasi à vino.* Idest filij
Ephraim, similes Ephraim sunt fideles,
quippe quibenedictionem à Christo rece
perũt, vt Ephraim benedictionem Iacob.
Isti igitur filij Ephraim,erunt fortes,ad re-
pugnandum aduersarijs fidei, nam induẽt
armaturam Dei vt resistant principi tene-
brarũ, *& lætabitur*. Sicut enim sancti Apo-
stoli ibant gaudentes à conspectu concilij,
quia digni habiti sunt pro nomine Iesu cõ-
tumeliam pati,ita quoque filij Apostolo-
rum fideles gaudebant in tormentis, quæ
patiebantur pro Christi amore. Vt de mul
tis proditum est,lætanter subijsse grauissi-
mos cruciatus. Nam si vinum lætificat cor
hominis, multo vehementius Spiritus san
ctus exhilarat humanas mẽtes sub pressu
ris, & tribulationibus constitutas. *Et filij
eorum videbunt,& gaudebũt, & exultabit cor
eorum in Domino*, Siquidem discipuli Apo-
stolorum susceptа fide,multo gaudio sunt
perfusi,vt historia gestorum apostolicorũ
narrat Actor. 8. & 13. *In Domino*, quia gau-
dium Sanctorum, nõ est de temporalibus
bonis,sed de spiritualibus,ideo ait. Exulta
bunt in Domino. *Sibilabo eis, & congregabo
illos,quia redemi eos, & multiplicabo eos sicut
ante fuerant multiplicati.* Sibilo vtimur ad
vocandum eos,qui sunt procul,gentes au-
tem erant procul à fidei veritate. Christus
autem per Apostolos,& discipulos suos si
bilauit eis & sibilus exterior fuit euangeli-
ca prædicatio,interior autem Dei inspira-
tio, vel vocatio, & congregauit gentes
in vnitatem fidei catholicæ,& sacramento
rum. Sibilauit autem eis,quia redemit eos.
Christus enim ꝓ omnibus hominibus mor
tuus est. Nõ ergo vocauit homines ad euan
gelium suum ex operibus eorum,quia pec
catores erant,& indigni Dei vocatione: at
vocauit eos quia redemit eos, redemit au-
tem ex sua misericordia. Quia non ex ope
ribus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secun-
dum misericordiam saluos nos fecit.

¶ Vocatio igitur seu sibilus ex quo sibilat
intus inspirans in mentibus nostris est Dei
opus purè gratuitum. Vt est videre in
Paulo, quem repugnantem, & spirantem
minas in fideles Christus ad se vocat & Pe
trum negantem, ad se conuertit, &c. vbi
peccata reperies & grauissima, quæ vide-
bantur vocationi obstitura, nihilominus
non

*Interior Si
bilus Dei
est vocatio
Dei inte-
rior & prę
dicatio est
sibilus ex-
terior.*

*Ad voca-
tionem ho
mo nõ coo-
perat Deo
quia vocat
nos sine no
bis, at non
iustificat
nos sine no
bis.*

non obstiterunt ex Christi gratia: sed hos
ad se traxit, vt palam fit vocationem di-
uinam esse merè gratis. Vnde & ociosos
vocauit ad culturam suæ vineæ, vt non no
stris meritis arrogemus diuinam vocatio-
nem. Iustificatio autem cooperationẽ no-
stram exigit,& si cooperatio non fit con-
digna gratiæ primæ,at verò perseuerantia,
ex gratia Dei,& meritis nostris pendet,de
qua re. *Et multiplicabo*, statim ad Petri præ
dicationem multi sunt conuersi ad Domi-
nũ. *Sicut antea*. Sicut enim in AEgypto He
bræi sub pressuris & vexationibus Pharao
nis multiplicati fuerũt valde, ita & fideles
eo magis crescebant, quo magis vexaban-
tur ab infidelibus. *Et seminabo eos in populis
& de longe recordabuntur nominis mei.* Nam
fides & prædicatio apostolica, sicut semen
fuit sata in totũ orbe, nam semen est ver-
bum Dei: & qui erant ignarissimi diuinæ
veritatis,erant q; barbarissimi,colendo deos
ligneos, & lapideos &c. Isti nihilominus
susceperant fidem, & recordati sunt nomi
nis Dei,est autem nomen Dei, Christus,
Apostoli,item viuẽt in cælestibus regnis,
cum filijs suis quos spiritualiter genuerũt
Christo. Ideo subdit *viuent cum filijs suis,&
reuertentur*. Ad ipsum Christum reuertẽ-
tur,ipso dicẽte, volo pater,vt vbi sum ego
illic sit & minister meus. Ioan. 12. Tradun
tur autem reuersuros ad Christum, hic per
fidem,& charitatem, illic autem in regno
Dei per claram visionem diuinitatis. Non
quod animæ fidelium fuerint vnquã crea-
tæ in cælo, vt somniant Origenistæ. Ne-
que ob eam causam traduntur ibidem re-
uersuras: sed quia anima rationalis creata
est ad æterna gaudia,ideo cum illo commi
grauerit,dicitur reuerti, quia vadit in eum
locum,in quem obtinendũ fuit à Deo con
dita. In quem modum,ait script. Eccle. 12.
& spiritus reuertatur ad eum qui fecit eũ.
*Et reducam eos de terra Ægypti & de Assy-
rijs congregabo eos:& ad terram Galaad, & Li
bani adducam eos.* Sunt qui credant fideles
aduentante Antichristo venturos in terrã
Sanctã,ex diuersis orbis plagis, & ad hanc
rationem intelligunt locum hunc. Per fidi
vero Iudæi tradunt ex hoc loco Messiam
esse cõgregaturum Iudæos omnes, & mul
tiplicaturum eos plus quam prius fuerant
quem locum obijciunt nobis,quia ipsi mo
dò sunt dispersi ideo sperant Messiam qui
hæc sit præstiturus eis: at vero locus de ve
ris Iudæis qui Christum confitentur tardè
& voce,& opere intelligitur. Nam Messias
non erat venturus propter temporalia:sed
propter æterna bona. Quare exufflãda est
expositio hæc. Imo iuxta præcedẽtia,hæc
sunt referenda ad Iudæos & Israelitas, qui
omnes primum sub Ægyptijs fuerunt val-
de diuexati,& dein ab Assyrijs fuerũt plu
rimum offensi,saltem decẽ tribus. At pol-
licetur illis Deus sub fide Christiana, esse
liberãdos,ab Ægyptijs,& ab Assyrijs, hoc
est ab hostibus suis spiritualib⁹, & adducẽ
dos in vnitatem ecclesiæ catholicæ,quam
insinuat per terram Galaad & Libanum.
Et non inuenietur in eis locus,idest in Galaad,
& Libano præ multitudine aduenientium
deficiet locus eos excipiens exaggeratio
est. Vt significetur maximam fidelũ mul
titudinem impleturam Dei ecclesiam. *Et
transibit in mari freto, & percutiet in mari flu-
ctus.* Domus Iuda transibit per fretum &
angustum mare: qui prædicitur ecclesiam
esse valde premendam laboribus,*id quod
in primitiua ecclesia compertum fuit*,quę
valde fuit tribulationibus concussa. Non
solum à Pharisæis, & primoribus Iudæo-
rum,sed à gentibus. Vnde decem referũtur
ecclesię persecutiones. Prima sub Nerone.
Sub quo Iacobus à Iudæis lapidatur Pe-
trus crucifigitur Paulus decollatur. Secun
da persecutio sub Domitiano. Tertia fuit
sub Traiano. Quarta fuit sub Antonino Pio.
Quinta sub Seuero Pertinace, Sexta sub
Decio. Septima sub Gallo. Octaua sub Va
leriano. Nona cæpit sub Aureliano. Deci-
ma sub Diocleciano. Ideo rectè prædici-
tur ecclesiam Dei transituram maris fre-
tum. Siquidem mare tumultus & tribula-
tiones denotat,quoniam qui nauigant ma
re narrant pericula eius. Porro subditur
subaudi tamen, Deus *percutiet in mari flu-
ctus*. Quia Deus sedauit omnes has tempe
states horum imperatorum, pace reddita
ecclesiæ cum victoria, & triumpho quem
Sancti martyres fundentes sanguinẽ suum
obtinuerunt,de huius seculi potentissimis
principibus,quibus etiam repugnantibus,
fides Iesu Christi retulat in toto orbe. *Et
confundentur omnia profunda fluminis, & hu-
miliabitur superbia Assur, & sceptrum Ægy-
pti*. Infirma huius seculi elegit (ait Apo-
stolus) Deus vt fortia quæque confundat,
Profunda fluminis vocat profunda consi-
lia,potentũ & sapientum huius mũdi, quę
excogitabant aduersus fideles,vt perderẽt
funditus ecclesiam Iesu Christi. At vero

*Errꝛ Ori-
genistarũ.*

*Decẽ per-
secutiones
ecclesiæ.*

vt psalmista inquit, Quare fremuerũt gentes & populi meditati sunt inania aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius: si quidem inania fuerunt consilia eorũ, & sine affectu, nã aduersus Deum nulla est sapientia nullumq; consilium. Imo humilia tã est superbia gentium, quia Assyria, & Ægyptus, ideſt gentes dederunt manus victas Christo. Et qui aduersarij fuerũt Christo cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, *recedet* non significat, quod fides Christi soluit mũdi imperia sed quod sibi subiecit non ad Christi vtilitatem, sed vt vitam æternã donet sibi morigeris. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt dicit Dominus.* Loquitur Deus in tertia persona. Et verè confortauit suos fideles, misso eis Spiritu sancto de cælo, & confortat semper suam ecclesiam, quia ait ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

Moralia vel mystica.

MAxima cura est diuinorũ scriptorum, nos erigere ad cælestia, nam, qui mẽtes ad cælestia erigunt, terrena parum curant. Et hic est scopus diuinarum musarum, à terrenis nos subducere, vt in cęlestibus animos nostros figam⁹. Ideo modo ait vates noster. *Petite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet, &c.* Hortatur igitur vates, vt leuemus corda nostra ad Dominum, vt scilicet petamus à Domino pluuiam. Nanq; corda nostra arentia sunt sine rore diuinæ gratiæ. Hanc autem pluuiam cælestium donorum gratis nobis donat Deus: vnde psalmus, Pluuiam voluntariã segregabis Deus hæreditati tuæ. Nam quanuis præmia cælestia exigãt merita nostra, Præmiũ enim respondet merito, vt corona certamini, & bratium cursui, velociori: at vero quod mereamur, originem habet ab hac cælesti pluuia: siquidẽ prima gratia non cadit sub merito condignitatis. Nanq; prima gratia non est præmium, sed origo meritorum. *Primagratia non cadit sub merito.* ¶Quamobrem hæc pluuia instantissimè à Deo petenda est, nam hac submota, aridi sumus coram Deo. Vnde ecclesia petit. Tua nos quæsumus Domine gratia præueniat, & sequatur & bonis operibus præstet esse intentos, & quanuis tempus sit serotinum: quale est senectutis tempus, nihilominus petenda est tunc à Deo hęc pluuia. ¶Sunt enim plerique multi, qui totam vitã ad extremam vsque senectutem, maculatã duxerunt, qui tamen non debent ob id desperatam habere suam salutẽ, imo audiant Zachariam Dei vatem clamantem, Petite à Domino pluuiam in tempore serotino. Nanq; tantisperdum spiritus humanos rexerit arctus, locus est pœnitentiæ: & si vera est, nunquam à Deo despicitur, qui vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Gratior sanè est festina pœnitentia. Siquidem qui cito dat bis dat. Et qui dilatat pœnitentiam periculo non pœnitẽdi se committit. Et quo magis peccatum detinet eò potẽtius hostẽ suum nutrit, & diabolicæ seruituti vilius se subdit. Nam si qui facit peccatum seruus est peccati, qui longas agit in peccãdo moras, & ad extremam vsq; senectam peccata fouet nonne, multò maiori seruitute, se mancipat diabolo? At stultus est equidem qui hostem suum quotidie nutrit, & fouet, & stultissimus qui nõ solum hostem vnum, sed hostium agmina corroborat contra se & fortificat. Qui igitur de vno peccato nõ pœnitet hostem vnum fouet, at qui ex lõga cõsuetudine, multis peccatis incumbit hic agmina hostilia cõtra se vegetat, & corroborat. Et quidem quo magis quispiam assuescit peccatis debilior fit ad studia virtutum, at quanto debilitatur, ad virtutum officia, tanto promptior redditur ad peccatorum sordes ferendas. Et quãto quispiã se elõgat à luce, tanto magis offunditur tenebris. At peccatũ nos elongat à luce Dei, ex multa autẽ & inueterata peccatorũ cõsuetudine, valde elongamur, à Deo, qui est lux humanæ mentis. Vnde resultat vt inuoluamur sæpe tenebris errorum, quia malitia excæcat corda nostra; omnis enim malus est ignorans. ¶Porrò autem, his nõ obstantibus petenda est à Domino pluuia in tẽpore serotino isto. Quantũlibet enim in ueterata peccandi nos premat cõsuetudo, quantumlibet, iam simus in extremo spiritu, petenda est pluuia diuinæ gratiæ & diuinæ misericordiæ, à Domino. ¶Nanq; patiens est, & misericors & præstabilis super malitia, ideſt excedit eius misericordia peccata nostra, peccata em̃ nostra finita sunt qualitate & numero: at vero Dei misericordia est infinita. Infinitũ autẽ citra proportionem excedit finitum. Neq; obstat, peccata nostra esse infinita obiectiuè, quia offendunt infinitum Dei numẽ, siquidem hæc infinitas ab extrinseco est, ideſt ab obiecto,

Quodlibet tempus vitæ aptum est ad pœnitentiã.

Peccanti cõsuetudo valde nocet.

Quodlibet vitæ tẽpus est opportunum ad pœnitentiã.

Ioelis. 2.

Peccatum est infinitũ obiectiuè, sed nõ intensiuè.

iecto, non tamen est intrinseca, quia nullũ peccatum est malum intrinsecè, seu intensiuè infinitum, sed habet malitiã intensiuè finitam, vnde & pœna intensiua est finita in gehenna, tametsi est extensiuè infinita, ob infinitatem malitiæ, extrinsecam quã habet ex obiecto. ¶Quo circa cum diuina misericordia sit intrinsecè infinita, & peccatum sit intrinsecè finitũ, præstabilis est Deus super humanam malitiã: & illam facilè imo infinitè superat. Si volũtas humana, tamen ab ipsa malitia desistere per verã pœnitentiam disposuerit, misericordia em̃ Dei itẽ est iustitia Dei, ideo nõ cõcedit misericordiã suam impœnitẽtibus hoc enim iustitia vetat Dei. Quæ rectissimè disposuit, vt homo qui liberè peccauit liberè quoq; de peccato pœniteat, & qui noluerat pœnitere misericordia ei denegetur. Ideo ait vates noster vt petamus pluuiã in tẽpore serotino. Hoc est quod demus operam precibus nostris, vt Deus misereatur nostri excitando nos ad pœnitentiam peccatorum nostrorum condignam. Et equidem quo magis nos grauant peccatorũ nostrorum pondera, eo vehementius est imploranda Dei misericordia: nam id tempo ris in maiori animus versatur periculo. Vnde Eccles. 5. De propitiato peccato noli esse sine timore neque adijcias peccatũ super peccatum. Et ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorũ meorum miserebitur. Misericordia & ira ab illo cito approximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes cõuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim venit ira illius &c. ¶Hac autem ratione tẽperauit Deus, sua diuina eloquia, vt aliquãdo, maximum timorem incutiat peccatoribus aliquãdo autem, blandius se gerat in illos. Vnde verba præfata magni sunt timoris, ijs qui in peccatis ducũt dies suos, & tardè disponunt ad Dominũ conuerti. ¶At vero, alibi eos valde prouocat ad pœnitẽtiam, dicens Ezechi. 18. Nũquid volũtatis meæ est mors impij, dicit Dominus? & non vt conuertatur à suis vijs pessimis. Et rursus, si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis quæ operatus est &c. vita viuet & non morietur. Quæ verba calcaria adijciunt etiã inueteratissimis peccatoribus agendi pœnitentiam. Itaq; diuinus sermo monet vnũquẽq; peccatorũ ne differat, aut procrastinet pœnitentiã: quia res est plena periculo. At vero si cõtingat procrastinare, & differre diu pœnitẽtiam ne isti desperent salutem assecuturos insonat alter Dei sermo per Ezechielem proditus. Et nunc per Zachariam edoctus petite pluuiam &c. Septuaginta aliter transtulerunt. *Petite à Domino pluuiam matutinam, temporaneam, & serotinam.* Siquidem in iuuentute offenditur valde Deus, quæ est tã quam mane humanæ vitæ in media ætate, & in postrema, sub quacunq; enim offenditur Deus, & petentibus Deus donat misericordiam. Quia vesperi etiam Deus conuenit operarios in vineã suam Matth. 20. Vnde iuuenum est petere pluuiam matutinam, ideſt Dei quæ eos excitet ad resipiscentiam suorum peccatorum, sunt nanq; pro clines ad culpas, quia lubrica fruuntur ætate, ideo plurimũ est illis necessatia Dei pluuia, & dabit illis petentibus *nines*, ideſt refrigerationem carnalium voluptatũ, quibus iuuenes perurgentur, diuina enim gratia confertur pluuię, quia vt pluuia irrigat terram, & eam fœcundat, ita & gratia Dei irrigat spiritualiter humanas mẽtes, & eas fœcũdat, vt possint germina iustitiæ Deo grata pferre. ¶Rursus quia Dei gratia mitigat & temperat fomitis carnalis ardores, niuibus rectè comparatur. At vero Hebra. vt prædiximus non habetur. *Niues*, sed *coruscationes* de quibus in psalmo 76. fit mentio in hæc verba illuxerunt coruscationes orbi terræ vidit & cõmota est: id quod ex allegoria, ad aduentum Spiritus sancti visibilẽ super apostolos aptè referre licebit. Siquidẽ in linguis igneis veluti fulgurauit & coruscauit Spiritus sanctus super Apostolos, & viderũt Iudęi, & cõmoti sunt stupore Actor. 2. Et tunc itẽ impletũ est, quod per nostrum vatem promitur. Nanq; diuini apostoli petierũt à Domino pluuiam, ideſt abundantiam cælestium charismatũ, & apostolicæ functiõis dignitate & Deus illis dedit, *coruscationes*, ideſt linguas igneas per Spiritus sancti aduentum. Vberemq; imbrem diuinorum donorum. Nanq; apostoli primitias spiritus acceperũt. Rom. 8. *Ei singulis herbam in agro.* Quia vnicuique apostolorũ, & discipulorum Domini, non solum sunt datæ gratiæ gratis datæ, ad profectum ecclesiæ, vt linguarũ dona & operationes miraculorũ: sed etiam gratia gratum faciens, quæ erat ad profectum proprium. ¶Verum tamen, & animabus pœnitentibus, lucent istæ Dei coruscationes. Siquidem à Deo illuminantur, & dirigun-

Sine pœnitentia nulli adulto salus.

Vt temperat Deus suos sermones ad profectum nostrum.

Verba Dei adijciunt omnes peccatores ad pœnitẽtiã.

Sub quacũque ætate hominis Deus cõducit ad vitã æternã homines.

Allegoricus sensus.

Rom. 8.

Moralis sensus.

Pœnitẽtes vere illuminantur à Deo.

tur, vt depoſito pondere peccatorum, iugum Chriſti ſuaue ſuper ſe tollant. *Quia ſimulacra.* Coruſcante in orbe Euangelica prædicatione nouerunt homines, quanta eſſet vanitas ſimulacrorum, & quod diuinatores, & arioli, & magi erant impoſtores, & quod obſeruationes ſomniorũ, erãt fruſtraneæ, & demũ quod vana erant omnia, quæ ad cæleſtem habitationem non dirigebant. Vnde in Actis Apoſto. legimus Actor. 19. Epheſios, qui ſectabantur vana ſuſcepto Chriſti euangelio combuſiſſe libros vanitatum ſuarum fomenta. Itemq; veri pœnitentes, poſtquam irrorantur irriguo diuinæ pluuiæ, poſtquamque illuxerunt eis diuinæ coruſcationes, vniuerſa ducunt eſſe vana, quæ prius anxiè ſectabantur. Vnde relictis peccatis, nouam ſecundum Deum vitam inſtituunt. Et quidem peccata ſunt ceu ſimulacra quædam, quæ colũtur à peccatoribus quæ tamen adepta Dei gratia per pœnitentiam dignoſcũtur eſſe vana. *Ideo abducti ſunt &c.* Qui noluerint à Domino petere pluuiã ſalubrem abducentur, ideſt pręcipites ibunt ſicut grex orbatus paſtore. *Super paſtores.* Præcipitiũ gregum paſtoribus ſuccẽſebitur à Deo. Si quidem paſtorum negligentia, aut prauo exemplo, aut corruptis doctrinis greges Chriſti pereunt. Ideo ait, *Super*, ideſt contra paſtores iratus eſt furor meus. Vnde dixit S. Bernardus in nullis Chriſtus ſuſcipit tantam iacturam, atque iniuriam quantam à ſacerdotibus, prælatis, paſtoribuſque indignis: qui gregem ſibi creditum negligunt: & animas pro quibus ſanguinem ſuum effudit perire permittunt. Imo non ſolum permittunt, ſed ſæpè faciunt ſubditos ſcandalizando, inſufficientes vicarios ſubſtituendo, ſeculariter, carnaliterque viuendo. Vnde Paulus, Attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctꝰ, poſuit epiſcopos, &c. Actor. 20. At vero quia multa de hac re prioribus moralibus ſcripſimus, vlterius in re hac non progrediemur. *Quia viſitabit Dominus* Deus ex ſua benignitate, cum aduertit res eccleſiæ ſuæ turbatas eſſe excitat nonnunquã egregios paſtores, qui rebus eccleſiæ, & moribus fidelium ſedulò prouideant, ideo ait, *Viſitabit Dominus gregem ſuum domum Iuda & poſuit*: prælati, ſcilicet, quos Dei prouidentia non hominum iniquitas conſtituit ponuntur à Deo vt equi glorioſi, id eſt, vt equi pugnaces cõtra vitia fidelium, & hæreſes infideliũ. *Ex ipſo angulus.* Ex ipſo Chriſto, conſtituitur angulus ſingulari pro plurali, ſeu cõſtituuntur quidã prælati & doctores, qui ſunt velut anguli eccleſiæ. Nã ſicut anguli, ſuſtinent domos, cõnectentes parietes inuicẽ ſic iſti ſuſtinẽt eccleſiã Dei vnde viri præeminẽtes anguli per quandã metaphorã ex Hebraica dialecto dicũtur. *Ex ipſo paxillus.* Ex ipſo quoq; Chriſto cõſtituũtur in domo hac Iuda, quidã qui ſunt inſtar clauorum vel paxillorum. Quia ex illis pẽdet recta fideliũ adminiſtratio. Ex ipſo item Chriſto *arcus prælij*, quoniam à Chriſti doctrina, ſumuntur arma, & ſcutũ ſpiritualia q́; alia armorum genera, ad colluctandum, & ſuperandum hoſtes eccleſiæ. *Exactoreſq́*, qui opus Dei inſtanter ſolicitent, ipſe Chriſtus dat, vt eſt videre ſi volueris diſcurrere per eccleſiæ ætates, aduertes, ſub maioribus eccleſiæ preſſuris, illuſtriores fuiſſe pontifices ſublimioresque eccleſiæ doctores. *Et erunt quaſi fortes*, ſanè fuerunt Sancti pontifices, & doctores bello ſpirituali ſtrenui, & conculcarunt hæreticos ſuis concilijs, & conculcabunt hoſtes eccleſiæ, & mundi illecebras, quaſi lutum. Vnde Apoſtolus omnia, vt ſtercora reputaui, vt Chriſtum lucri faciam. *Et bellabãt quia eis &c.* Ideſt vincent diaboli cas tentationes, quia Dominus adiutor eorum, vt Apoſtolus, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Rom. 8.

Deus ſub eccleſiæ maiori neceſsitate excitat illuſtriores prælatos, & doctores.

Philip. 3.

Prælatorum incuria valde culpabilis coram Domino.

EXPLANATIO
IN ZACHARIAM CAP. XI.

APeri Libane portas tuas, & comedat ignis Cedros tuas. Quod ſit huius capitis argumẽtum, ſeu vatis inſtitutum, non eſt ex ipſo vate perſpicuũ. Quippe multo ſchemate varijs ve loquendi tropis loquitur: qui tropi figuratæque locutiones admodum obſcurant lectionis intelligentiã. Expoſitores fere omnes, ita Chaldæi, vt Hebræi, & Latini fere idem ſapiũt, vatis inſtitutum eſſe, euerſionem ſecundi templi per Romanos fiendam prædicere. ¶ Theodoretus autem Græcus, nõ ad templum & vrbem Ieroſolymorum, ſed ad deuaſtationem Iudaicæ ſuperbiæ caput hoc refert. Nanq; Libanus, quia erat mons præexcelſus, & amęniſsimus, ideo rectè ſignificat homines potentes, & ex potentia tumentes

mentes contra alios. Alijs placuit per Libanum totam Iudæam ſubaudire, quæ propter ſuam amenitatem & fertilitatem Libano ameniſsimo & fertiliſsimo cõfertur. Per portas vero Ieroſolymam intelligunt. Namvt ex portis clauſis pendet ſalus, contentorum ſub portis, & ex portis apertis ruina prompta eſt, ita ex Ieroſolyma quæ erat metropolis regionis Iudaicæ, pendebat ſalus: verũ hæc expoſitio verbo tenus differt à vulgata, interpretum declaratione: quæ eſt hæc, vatis intentũ eſſe cap. hoc, poſtquã ſuperioribus capitibus expreſſerat ædificationem Ieroſolymæ, & templi reſtaurationem, & temporaliũ bonorum abundantiã ex templi reſtauratione. Quãtæque gloriæ eſſet futurum templũ illud, quia Chriſtus erat illud ſua illuſtraturus præſentia, & verbo decoraturus. Subdit hoc capite, quanta eſſent infelicitate premenda, tam templum, quam vrbs ipſa, propter nefanda incolarum ſcelera, quorũ maximum & atrociſsimum fuit Dominum Ieſum crucifigere, Et quidem hanc explanationem, ego probandam duxerim. Nam paraphraſtes Chaldæus pro Libano vertit templum, & cauſa eſt, quia templum illud erat contignatum ex lignis Libani, vt patet ex lib. 3. Reg. cap. 4. & 5. & 2. Parali. 2. Et vtitur proſopopeiæ figurata locutione vates dicens templo inanimato, vt aperiat portas ſuas, quaſi eſſet animatum & ratione vtens, vt poſſet obedire iubenti. Et rurſus ex cõſueta Hebræorum phraſi vſurpandi tempus pro tempore, & modũ, pro modo ſit vſurpatio nũc modi imperatiui, pro modo indicatiuo. *Aperi* pro aperies. Vt item illud pſalmi fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, pro fient: & eſt familiaris admodum loquendi figura diuinis ſcriptis. Vates igitur præſentis ex diuina qua potiebatur illuſtratione, templi deuaſtationem, ait, aperies Libane portas tuas. Ioſephus narrat ſponte fuiſſe portas orientales apertas interioris tẽpli ſua ætate quod ſignum erat hoſtibus Romanis patefacien das vltro contra Ieroſolymam. Et ſiue ſpõte Dei miraculo illæ portæ apertæ eſſent, ſeu Romanorum violentia, vt fuerunt tandem apertæ, verum præuidit vates. Et *comedat* pro *comedet ignis Cedros tuas.* Etenim Romani capta Ieroſolyma, ignibus tradiderunt templum illud, & quia ex Cedris Libani erat contignatum, ignis deuſit cedrina illa ligna. *Vlula abies, quia cecidit Cedrus.* deuſto templo ſacrificijs non erat locus, ideo ſubdit *vlula abies*, ideſt magiſtratus minores vlulate, quia Cedrus, ideſt ſacerdotalis & regia dignitas collapſæ ſunt. Vt ipſe vates ſe continuo exponit, dicens, *Quoniam magnifici vaſtati ſunt.* Vos igitur minores magiſtratus cadetis à veſtra domi natione: ſiquidẽ ſupremi ordines collabentur, vt factum eſt. Nanque euerſo ſecundo tẽplo, reſpublica Iudaica collapſa eſt vſq; modo. Siquidẽ ſub ſeruitute alienarũ gentium degũt, & nullus apud illos eſt principatus, vel minoris, vel excellioris ordinis. *Vlulate quercus Baſan quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus*, Baſan regio, Og regio pinguiſſima: quia nemoribus & paſcuis erat refertiſsima, cuius fit mentio ſæpe in ſanctis ſcripturis, vt Deute. 2. & ſæpe alibi, quæ ſignificat metaphoricè, homines opulentiſsimos, quos hoc loco vocat quercus Baſan prædicit igitur Ieroſolymitarum opulentiam eſſe perdendam à Romanis: quia Ieroſolyma ciuitas erat deſolanda quam vocat ſaltum ſeu ſiluam munitam, quippe, quando capta eſt, erat admodum munitiſsima. Vnde vos Ieroſolymitę vlulate, quia Ieroſolyma ſuccidenda eſt. Aut per quercus Baſan, ciuitates Ieroſolymæ ſubditas licebit intelligere, quæ capta metropoli, nihil virium reſtabat ipſis, vt ſe ab incurſione hoſtili defenderent. *Vox vlulatus paſtorũ, quia vaſtata eſt magnificentia eorum.* Cum vlulatus auditur, magnus eſt, ſignificat magnã futuram calamitatem Iudæorum principibus: quia eius fama vbilibet erat defunden da. *Magnificentia* per magnificẽtiam intelligit templum, quod magnificabat pontifices, & ſacerdotes, quos vocarat dudum paſtores. Imo erat magnificentia, & ſummus honor, non ſolum ſacerdotum quinetiam, & regum & principum & plebis Iudaicæ, ſiquidem ibi Colebant verum Deũ. *Vox rugitus leonum quoniam vaſtata eſt ſuperbia Iordanis.* Superbiam Iordanis appellat terram ſanctam, quia ſita eſt ad Iordanem, ex fluuio igitur Iordanis ſuper quem ſita erat terra Sancta denominat totam terram *Superbia Iordanis*, id eſt ſuperbiæ terræ Sanctæ. Per leones autem intelligit ipſos eoſdem quos dixerat paſtores. Iſti enim ſub eo tempore erant truculenti, & prædabantur ſua violẽtia inferiores. Vnde Dominus Phariſaicam notans rabiem, ad diuitias cõgregandas iniuſtè. Nunc ait vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis, & catini mundatis:

Libr. 7. de bello Iudai co. ca. 12.

tis:quod autem intus est vestrum plenum est rapina,& iniquitate Lucæ 11.& ca.20.

Iudæorum semperfuit notata crudelis auaritia.

Deuorant domos viduarum, vnde tumentes diuitijs cæteros spernebant. De eodem crimine notantur Iudæorum primores, vt sacerdotes & cæteri magistratus apud Ezechiel.22. Coniuratio inquit prophetarum in medio eius:sicut leo rugiens rapiensque prædam animas deuorauerunt,opes & pretium acceperunt. ¶Et paulo infra ibidem principes eius in medio illius quasi lupi, rapientes prædam & ad effudendum sanguinem, & ad perdendas animas & auarè sectantur lucra. Vt igitur leones quando fame torquentur rugiunt ad capiendam prædam,sic isti principes Iudæorũ ad deprædandum pauperes rugiebant. At verò prostrata terra Sancta ab aduersarijs rugitus Leonum horum versus est, in vlulatũ. *Hæc dicit Dominus Deus meus pasce pecora occisionis,quæ qui possederant occidebant, & non dolebant:& vendebant ea dicentes, benedictus Dominus diuites facti sumus, & pastores eorũ non parcebant eis.* Iudæos destinatos,ad mactationem sicut pecora vocat pecora occisionis: vt homo mortis, qui destinatus est ad mortem subeũdam. Dicit igitur Deus, vati, Pasce Ierosolymitas & alios Iudæos verbo cõminatorio,& excitatorio ad pœnitentiam, vt euadant,venturam per Romanos deuastationẽ. Alijs placet imperatiuum vertere in indicatiuum ex Hebraica phrasi, vt si legas, sed pecora occisionis. Et refertur sermo ad Deum, id est ego per vates meos pascam Iudæos: qui sunt vt pecora destinata occisioni vẽturæ per Romanos, declarat vt sunt similes pecoribus occidendis,dicens. Qui possederant, tempus pro tempore,idest,qui possidebũt eos Romani, occident eos. Vt reuera occiderunt myriades Iudæorum & non dolebãt, quod occiderent eos,qui ducebant se iustè occidere eos propter iniquitatem eorum. Imo tantum abest vt dolerent,quia vendebant Iudæos, vt Deum laudarent ex facto venditionis,dicentes,idest dicent Romani benedictus Deus,quia diuites facti sumus. Nam ita accidit sub deuastatione Romana quod multi Iudæi sunt diuenditi à Romanis vilissimo pretio. Et qui vendebat lætabatur ex pretio & qui emebat sibi congratulabatur ex mancipio. ¶ Aliter exponitur locus, præmittendo prius id quod nos commemorauimus ad Oseam. Multiplicẽ variamque esse prophetandi rationẽ, quẽdam enim prophetia,sola oratione agitur, vt sæpè est inuenire in prophetis. Alia vero non oratione, sed figuræ vel imaginis ostensione, vel quæ menti vatis imprimitur, aut quæ exterius sensibus subijcitur: vt huic vati accidit dum ait se vidisse ascendentes equos, aut amphoram,aut volumen volans. Tertia vero, quando exactione vatis aliquid venturum demonstratur vel præsens occultum. Vt Isaias discalciatus incedit, & Ieremias,catenis onustus & Ezechiel radens pilos barbæ, &c. *Capit.* 20. *Capit.*5. *Capit.* 28.

¶Est igitur hic locus habendus per hãc tertiam prophetandi rationem,Quia iubetur exterius pascere pecora occisionis. ¶Est autem obseruandum vlterius, quod quædam pecora pascuntur propter sobolem ab illis speratam,aut propter lactis emolumentum & huiusmodi pecora, quia sunt valde vtilia,ideo pascuntur magno studio ad sobolem ex ipsis habendam. Et hæc nõ venduntur,neque distrahuntur neque occiduntur,sed sedulò pascuntur. Alia vero sunt pecora,quæ non sunt vtilia ad sobolem, & ideo pascuntur, vt ad macellum occidenda vendantur. Et huiusmodi qui possidet,cum nõ speret ex ipsis aliud emolumentum vendere curat,& gratulatur sibi cum vendiderit pecus,quod nullius erat emolumenti, nisi vt venderetur ad mactationem. Et iuxta hanc obseruationem exponitur locus,Dominus enim iubet vati, vt sumat pecora huiusmodi, quæ non sunt vtilia ad sobolem vel ad alia emolumenta, sed solũ vtilia macello, & quod huiusmodi pecora pascat. ¶Quæ qui possident solum possident,vt vendant ea ad occisionẽ, & qui emit ea similiter,vt qui emit arietes vel hircos &c.& non dolent propter hoc, imo gaudent: quia vendunt ea vt reportẽt pretium,siquidem non asseruantur ad aliũ finem nisi vt vendantur,ideo si venduntur gratulatur sibi vẽdens, dicens. *Benedictus, &c.* facti sumus diuites,idest lucra reportauimus ex pecoribus nostris, quæ nisi venderentur,aucturam reportaremus. *Pastores eorum*,qui pascunt huiusmodi pecora,non parcunt eis,siquidem vendunt ea ad occisionem eorum. Ex qua actione significare voluit Deus Iudæos esse inutiles, & esse, vt pecora occisionis supradicta, ideoq; tradendos esse occisioni sub Romana potestate. ¶Et quidem hæc expositio congrua satis videtur, nisi quod, quando huiusmodi actiones propheticas legimus. Legimus item

Varia est prophetandi ratio.

Benedicti Mont. expositio expenditur.

item iussas exerceri à vatibus vti præsentes videntes illas,commoueantur ad pœnitentiam. Nanque quæ videntur sunt longe efficaciora ad persuadẽdum,quam quæ audiuntur.Ideo Dominus iubebat vatibus suis huiusmodi actiones coram suo populo vt mala quæ illis imminebant pœnitendo de peccatis deuitarent. Aut mala, quæ alijs nationibus vates prædicebant impendere populus ille incredulus crederet. Vnde nuditas Isaiæ captiuitatem Ægyptiorum denotabat. Et catenæ Ieremiæ captiuitatem Ierosolymitarum, quæ iam iam illis impendebat. Vt rasura pilorum Ezechielis. At vero Romana captiuitas quam hæc expositio asserit significari ex pastu materiali pecorum occisionis, longè valde distabat à tempore Zachariæ, vnde videtur superflua actio,siquidem præsentes mala quæ multum distant non deterrent, vt Aristoteles meminit. 1. Rhetoric. Vnde videtur superfluum suadere pœnitentiam ex actione illa propter mala, quæ lõgissimè distabant. Quia vt dicebam videntes actionem illa nihil commouerentur ad pœnitudinem:idcirco ego probatiorẽ habeo priorem expositionem. Quia suadere pœnitentiam ex oratione,vt modo suadet vates semper vtile est. *Et ego non parcam vltra super habitantes terram.* Præuidet vates obstinationem futuram Iudaicam, & ideo ait non parcam vltra. Quia captiuitas Romana semper perseuerat: & secundi templi euersio, nunquam amplius fuit restaurata,vt fuit prima,*dicit Dominus*, confirmatio est prophetici sermonis. *Non parcam* Deus nunquam non verè pœnitẽtibus parcit,quid igitur est quod modo ait, *ego non parcam*,respondetur Iudæis semper patet Dei misericordia,vt & gentibus omnibus: at vero hæc misericordia non conceditur alicui nationi, nisi recipiat fidẽ Iesu Christi,& euangelio obtemperet. Cæterũ quantum ad id quod Iudæi perfidi prætendũt, videlicet, restaurationem sui templi,& sui pristini statũs, nunquam Deus hoc illis cõcedet, neque ob hoc parcet. Siquidem illa fuerunt omnia typus ecclesiæ catholicæ, & coruscante veritate,typi & vmbræ necessariò cessant. Nicolaus ad exitũ de Ægypto præfata prophetæ retulit verba, meo tamen iudicio violenter satis. *Quia hæc dicit Dominus, ecce ego tradam homines in manu proximi sui,& in manu regis sui, & concident terram, & non eruam de manu eorum.* Hæc accidерunt sub destructione à Romanis illata Iudæis. Quia narrante Iosepho, sub obsidione, multæ fuerunt intestinæ factiones, & ciuilia bella, inter Ierosolymitas. Erant enim tres factiones,quarum tres viri erant principes,libr.6.de bello Iudai.ca.1. quos hic vocat reges. *Et concident* subaudi Romani. *Et pascam pecus occisionis*, verba sunt Dei, & eadẽ vidẽtur prioribus cũ aiebat, *pasce*, quia vt diximus vsurpatur pro *pascam*,vt annotabam. Deus igitur, qui est clementissimus, adhuc ait se pasturũ tunc verbo euangelico, subaudi Israelitas: nam per Apostolos suos Christus prædicauit euangelium Ierosolymitis post ascensionẽ suam in cælum ante excidium Ierosolymorum quadraginta annis. Et Dominus item commiseratus excidij venturi ante mortẽ suam fleuit super ciuitatem, Lucæ 19. Et vt narrat Iosephus,quidam plebeius & rusticus filius Nemi per annos septem, & quinque menses clamoribus cum perpetuis prædixit excidium Ierosolymorum, & quidem non sine diuino afflatu:& tunc pascebat Deus per hunc rusticum Ierosolymitas. Nanque clamores illi erant,vt Iudæi resipiscerent à facinoribus suis. *Propter hoc ò pauperes gregis.* Hebrai. *Ideoq; pauperes ipsius gregis.* Vt sit sensus pascam pecora occisionis pauperes gregis, & multo melius, pauperes gregis,idest homines humiles,& mansuetos. Vnde videtur quod per pecora occisionis non intelligit pecora materialia, vt putat expositio secunda. Siquidem pecoribus occisionis opponuntur pauperes,idest & mansueti,qui erant in populo Hebræorum sub tempus excidij. *Et assumpsi mihi duas virgas*, alteram vocaui decorẽ, & alteram *vocaui funiculum & paui gregem.* Persistit in cepta metaphora ex qua Deus professus,est,se pasturum pecora &c. Nanque virgæ seu baculi sunt pastorum. Præteritum vsurpatur pro futuro. *Assumpsi*, pro *assumam*. Per virgam intelligit modũ gubernãdi plebem. Siquidem gubernatio est tanquam quãdã mysticus pastus. Vnde reges ab Homero appellãtur pastores, quatenus iustitiam suis subditis administrant. Vsus est autem Christus,multa clementia ad Hebræos, & sumens carnem ex illorum genere, & miracula edens in fauorem illorum, & illis personaliter prædicãs regnũ Dei. Vnde ipse ait, multa bona ostẽdi vobis,propter quod horum me lapidatis? Ioan.10. Et rursus ipsi apud Marcum con-

Libr.5. de bello Iudaĩ co capi. 2. *lib.4.c.* 5.

De bello Iudai. lib. 7.cap. 12.

Iudæi pro caces & impij contra Dominũ.

confitentur, bene omnia fecit & surdos fecit audire Marci. 7. ¶ At vero ea fuit huius nationis obstinatio mentis, & ingratitudo procaciſsima, vt autorem omnium bonorum cruci affigerent. ¶ Propter quod Dominus vt procaces, & rebelles affligeret, vſus est alia virga, quæ appellatur funiculus seu castigatio: vt prior appellatur pulchritudo, seu iucunditas Hebrai. *Noa*, & *Hablim*. Rursus magna Deus est vſus clementia erga Hebræos ferens illis legem, & multis beneficijs, & illis singularibus eos prosequens, quantis nullam aliam nationẽ tunc affecit, vt vero aduertens eorum perfidiam, & in Christum impietatem, tandem vſus est virga funiculi, eos tradens interneccioni, & perpetuæ captiuitati, quam patiũtur hucusque à secundi templi euersione. Et hac ratione gubernantur modo, sub exteris principibus grauiſsima preſsi seruitute. *Et succidi tres pastores in mense vno.* Per hos tres pastores quidam intelligunt tres filios Mathatiæ sacerdotis maximi filios, qui præfuerunt sacris, & prophanis, videlicet Iudas Machabæus, & Simon, & Ionathas: qui dicuntur mense vno succiſsos, quia omnes prælationem egerũt annis triginta. Nã Iudas annis sex, Simon annis 8. Ionathas item sex annis computando annum pro die est mensis annorum: recte autem intelliguntur per hos tres pastores sacerdotes iudices, & prophetæ per prophetas non illos vates solum futura præsentiẽtes, sed legis interpretes, intelligere modo oportebit. Iudæorũ igitur respublica omnino collapsa sub Ieroſolymitano vltimo excidio fuit. Siquidem sacerdotiũ defecit collapſo templo, item & iudicandi potestas, quia misera & perpetua corripiuntur seruitute. Item & recta intelligentia scripturarum, quæ sub prophetia comprehenditur, ab eorum mentibus aufugit. Habent enim velamen oppãsum supra mẽtes suas cum legunt diuinas musas, vt Paulus testatur. 2. Corint. 3. Et psaltes cecinit, fiat mẽsa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem. Per mensam enim intelligit diuinam scripturam in qua est panis vitæ & intellectus positus ad satiandas humanas mentes. Hæc autem mẽsa quotidie fit illis in laqueum, siquidem corrumpentes scripturam, & sensum syncerum, obscurantes, & ad fauorem suæ perfidiæ trahentes, in sua perfidia obstinantur vehementius. Et mensa vitæ, fit illis ex sua prauitate mẽsa martis. *Mense vno*, id est breui tempore fuit collapsa omnis eorum magistratus & dignitas. *Et contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me.* Id est animus meus eos detestatus est, quia & animus eorum est me detestatus, ideſt ego ait Deus odio habeo eos, quia ipsi me oderũt vt Psalmus cecinit. Perfecto odio oderã illos inimici facti mihi, & odio iniquo oderũt me. Deus sanè, charitas est, & charitas est amor, vnde diuinæ naturæ nõ est odire sed amare, vt sapiẽtia docet. Diligis ait, omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Et infra, Parcis omnibus, quoniã tua sunt Domine, qui amas animas. Amoris enim est germanum amare, & non odire. ¶ At vero, exigentibus humanis sceleribus Deus homines impios odit, non sanè naturam eorum, sed scelera quatenus disposuit obstinata scelera perpetuo punire, & hæc punitio est diuini odij effectus. ¶ Verũ qa Deo magis natiuum est amare, & benefacere, quam odire, & punire, ideo nõ odit nisi odientes diuina mandata. Diligit autem se ipsum Deũ diligentes nisi quod ipse prius diligit nos, quam nos Deum diligamus. At vero nõ prius odit *ipse*. Sed prius nos odio habemus ipsum. Quod si dixeris nemo odio habet Deum, quandiu in corpore mortali agit, est sanè verum quod nullus vel in fidelis Deum formaliter odit, quia in Deo nihil est quod non sit summè amabile. Cæterum omnis homo, qui non seruat fidem, & charitatẽ Dei & proximi censetur Deũ odire, vnde Dominus, vos amici mei eritis si feceritis, quæ ego præcipio vobis: igitur ex contrario sensu idonea est illatio si non feceritis omnia quæ præcipio vobis, inimici mei eritis. *Contracta* metaphorica est locutio, siquidem Deus non habet animam, siquidem simpliciſsima est diuinitas, & nõ est ideo animata, sed ipse est vita vitaliſsima, omnibus viuentibus effectiuè, concedens vitam. At vero vt sæpe docuit diuina scriptura attemperat sermones suos humanæ capacitati, & humanis sermonib⁹ suos sermones componit. ¶ Sed neque Deus cõtrahi potest, qui infinitè distat ab omni affectu nostro. Nos sanè contrahit tristitia & odium: at delectatio & amor nos dilatat, ideo vt significaret scriptura Deũ odio nabere Iudæorum iniquitates ait, *Contracta est anima mea in eis.* Et quia ipse Deus hominem odit hominum, nisi prius odio habeatur ideo subdit, causam cur odio habeat

Psal. 138. *Psal. 24.*

Sapiẽ. 11.

Deus prius diligit quã diligatur at prius odio habetur quam odio habeat.

Ioan. 15.

beat. Siquidem dicens, *Anima eorum variauit in me. Et dixi non pascam vos, quod moritur moriatur, quod succiditur succidatur*: & reliqui deuorent, *vnusquisque carnem proximi sui.* Præterita pro futuris. *Et dicam* verba sunt pastoris ablegantis à se pastoralẽ sui gregis cũram, quod succiditur ait, succidatur, quod moritur, &c. Quasi dicat, quod fame peribit pereat, quod gladio succidetur, succidatur, quod fame exeditur exedatur, & hyperbole est deuorare carnem proximi sui. Deus em̃ obstinatiſsimos Iudæos tradidit gladio Romano interficiendos, & fame id temporis sunt item cõsumpti. &c. Et Ioſepho testante, etiam carnibus filiorum matres vescebãtur. *Et tuli virgã meam quæ vocabatur decoris & abscondi eam: vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.* Præterita pro futuris, id est, tollam virgam, &c. Item pro *abscondi*, Hebra. est *confregi*. Maxima Deus miseratione vſus fuit in Iudæorum nationem, at vero ea fuit ingratitudo, & obdurata nationis perfidia, vt Deus, miserationem suam illam maximã abstulerit ab eis: & hoc est quod ait *abscondi*, vel *confregi*, ideſt confringam virgam decoris, id quod accidit sub vltimo excidio templi. Et enim ab eo tempore vsque modo in obiectionem gentium sunt, vt sæpe annotatũ. *Irritum*, id est pollicitus fueram misericordiam si ipsi ambularent in vijs meis, ipsi autem respuerũt me: & ideo quæ pollicitus illis non implebo. Vnde ob eam causam permittam Romanis, eos inuadere & summè affligere, neq; opitulabor ipsis, vt solebam desinamque eos protegere ab hostibus suis, quibus subdendos perpetuò pronuncio. *Et irritum de ductum est in die illa.* Ideſt irritabitur in tempore illo. Siquidẽ Dominus in cruce pendens dixit, consummatum est, significans iam pactum illud vetus, quod pepigerat cum natione illa Iudæorũ abrogatũ inesse & irritum iam & inane. Quippe, iam vmbræ illæ legis, & typi cessabant. *Et cognouerũt pauperes gregis, quicunq; odiũt mihi quia verbum Domini est.* Ideſt cognoscent humiles, & mansueti quos vocat pauperes gregis, qui humiles obseruant mandata mea cognoscent, quod vera Deus est locutus per vates suos, quando viderint Romanam desolationem vrbis, & templi. ¶ *Si bonum est in oculis vestris afferte mercedem meam, si non quiescite.* Sermo hic Dei est ad pecora occisionis, seu ad oues vt transtulerunt septuaginta. Quibus inquit Deus, si iustũ vobis videtur, pro pastu quo paui vos, afferte mercedem mihi, si habetis vnde afferatis mercedem mihi: sin vero non habetis quiescite, ideſt illam omittite: quia illam nõ curabo. Locus hic ad Christum refertur, vt nobis est testimonio. S. Matth. c. 27. ideoq; Christi sunt verba, quæ præuidit Zacharias & sunt verba Christi ad Pharisæos & Scribas, & ad principes sacerdotum & magistratus templi, qui subaudiũtur per oues occisionis. Quasi dicat Christus, ego multa vobis ostendi opera & verba, nam in docendis vobis, & curandis morbis vestrarũ ouiũ, & vestris laboraui, si igitur vobis iustum videtur afferte mihi mercedem, si potestis, quod si impotentes estis, omittente. *Et appenderunt mercedem meam triginta argẽteis.* Id est appendent in mercedem illam meam. *Et dixit Dominus ad me, proijce illud ad statuarium, decorum pretium.* Vates præuidens Iudæ factũ, & iubetur in visione imaginaria id facere quod Iudas proditor erat facturus. Itaque proiecit in visione mercedem illam quam acceperat, & proiecit illã ad statuarium. Vox Hebræa, pro qua vertitur statuarium est, יוצר, quæ vox per Iod significat figulum, & hic per Iod scribitur. At per aleph scripta significat thesaurarium. Statuarius autem hic vsurpatur pro figulo, etsi re vera erant prohibiti statuarij apud Hebræos, apud quos statuæ & idola formare, erat lege vetitum: figuli autẽ erant apud illos. Et si legeremus proieci ad thesaurarium, congrua esset lectio, siquidem sacerdotes templi erant ministri & custodes thesaurorum templi. Et sumitur singulare pro plurali. Iudas autẽ retulit triginta argenteos ad sacerdotes, & seniores Iudæorũ. Si vt oportet iuxta Hebræam vocem legatur figulus, item apta est lectio: quia testante Matth. 27. ex huiusmodi pecunia, emptus est ager figuli cui iusdam in sepulturam peregrinorum. *Græcè autem scribitur deposui ad conflatorium.* Est autem obseruandum, id quod obseruandũ esse non semel notaui, Matthæum hunc locum aliter retulisse, quam extat apud Zachariam: vt facile est videre collatis testimonijs. ¶ Verum vt admonui non semel, Apostolis & euangelistis familiare est retento sensu veteris instrumenti mutare verba, veruntamen, istud non est quod ad modum premit in testimonio Matthæi isto: quippe quod amplio premit, est quod hoc testi-

Vaticiniũ de Christo.

Locus difficilis in Matthæo edisſeritur.

teſtimonium iudicet ex Ieremia, cum alio qui non extet apud Ieremiam: ſed ſolum in Zacharia. ¶Et Diuus Auguſti. libr. 3. de conſenſu Euang. capit. 7. laborat in extricando hoc dubio & bifariam extricat, aut quod dandū vitio ſit ſcriptoribus Græcis, qui tranſtulerunt vnum nomen pro alio. At hæc reſponſio incerta videtur quouſq; conſuleretur todex Hebræus Matthæi. Alia reſponſio eſt, iſtud accidiſſe conſilio Spiritus ſancti, vt pateat prophetas ex eodem ſpiritu ſcriptitaſſe ſua vaticinia.

¶Hierony. lib. de optimo genere interpretandi nodum iſtum indicat, & non ſoluit, ait autem Chriſti pediſequos, nō ad verba & nomina, ſed ad rem ipſam debere attēdere. Origenes ex apocriphis, ideſt ex occultis libris Ierem. hoc teſtimonium eſſe deſumptū teſtatur. Etenim in libris illis etiā Hieronymus teſtatur ſe vidiſſe teſtimoniū hoc. Sed reuera cum eſſet canonicum teſtimonium apud Zachariam, quorſum Matthæus petiſſet illud ex non canonicis libris. Præſertim cum de re ſummi momenti agebatur, ſcilicet de vaticinio vēditionis Ieſu Chriſti. Alij alia cōmentantur, credentes non infringi diuinorum librorū autoritatem, ſi in aliquo nomine citando, nō ſeruetur veritas. Quibus ego refragor, arbitror enim, quod diuina ſcriptura, diuina fulcitur autoritate, id eſt infallibili ſiue in maximis ſiue in minimis potitur autoritate. Etenim ſi admittimus euangeliſtam falſum fuiſſe in nomine prophetæ diceret alius quis, quid mirū ſi fallaretur in alijs. Leuiſsimo igitur mēdacio admiſſo in diuinis ſcriptis, tota eorum collabitur autoritas: credetur enim cōtinuo non ſpiritu Dei veraci dictante ſacros ſcriptores, ſua prodidiſſe ſcripta, ſed ex ſpiritu hominis fallaci. Dixerim igitur, rem hanc pendere, ex codice Matthæi Hebræo: nam ſi ibi extat Zachariæ nomen, dubitatio diluta eſt, ſi vero Ieremiæ fortè ab aliquo Hebræo ex induſtria factum eſt, vt vnum pro altero ſcriberetur, vt haberent Hebræi, vnde euangeliſtas noſtros arguerent de imperitia Sanctarum ſcripturarum. Aut oportebit dicere cum Origene, & Hierony. locum deſumptum ex apocriphis Ierem. & noſtro argumento reſpondetur, quod quia expreſsius emptio agri figuli tradebatur in apocriphis Ieremiæ, quam apud Zachariam, vbi nulla mētio fit huius emptionis, ideo Matthæus vſus eſt teſtimonio petito ex Ieremiæ apocriphis. Et indicatio loci fecit teſtimonium, non tamen librum eſſe canoni cum, ſiquidem Spiritu ſancto dictante indicatum eſt & in re grauiſsima. *Et tuli triginta argenteos & proieci illos in domum Domini, ad ſtatuarium.* Iſtud fecit vates in viſione prophetica. *Statuarium*, ideſt, *ad ſigulum*, videlicet proieci illos argenteos ad ſacerdotes domus Domini qui emerunt ex illis agrum figuli. Proiecti igitur ſunt numi argentei ad familiares domus Domini, ad figulum. Vnde ſcilicet, ſacerdotes emerunt agrum figuli pro ſepultura peregrinorū. *Decorum pretium*, irriſoriè, ſeu ironicè hæc accipiuntur, quod Hiſpanè dicitur, *donoſo precio*. Hæc omnia vatis verba eo tendunt quo demonſtret ingratitudinē omiū occiſionis, id eſt malignantium Iudæorū, qui Chriſto optimè de illis merito, non rependerunt grates, & obſequium fidei & amoris illi debitum non obtulerūt: ſed potius pro mercede vel recompenſatione beneficiorum illis collatorum, Dominū venderunt viliſsimo pretio, quod indignum pretium vel pro mancipio vili erat. *Et præſcidi virgam meam ſecundam quæ vocatur funiculus, vt diſſoluerem germanitatem inter Iudam, & Iſrael.* Sunt qui per hanc fractionē huius ſecundæ virgæ, intelligant regnum eſſe ablatum à Iudæis in excidio Ieroſolymitano: quia prius habuerunt duces, & reges poſt captiuitatem Babylonicam. *Nicolaus Lyranus.*

¶At vero ſub Chriſti aduentum, iam non ponebantur regibus ex ſua natione Iudæi teſtante Matthæo cap. 2. cum natus eſſet Ieſus in diebus Herodis regis. Et ex Luca item patet iam fuiſſe ſubditos Romano imperio, exijt inquit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Vnde etſi ſoluta captiuitate potiti ſunt ducibus ex ſua natione. Nam Zorobabel ex tribu Iuda fuit dux eorum, & poſtmodum alij ſub Machabæis vſque ad tempora aduentantis Chriſti ſicut prophetatum erat Geneſ. 49. Non auferetur ſceptrum de Iuda &c. Cæterum reuera ſplendor regiæ maieſtatis ſub Sedechia rege Iuda fuit collapſa: & poſtmodum nunquam reparata. Erenim etſi vt ex hiſtorijs proditum eſt, poſt ſolutam captiuitatem nōnullos ex ſua natione habuere reges Iudæi, vt de Ariſtobolo proditum eſt, qui fuit rex & ſacerdos. Et de Alexandro, & de Hircano, qui fuit rex & ſacerdos: & item Ariſtobolus, & Antigonus: cæterum iſti reges erant pendentem habentes dignitatem ab exteris nationibus, ideo obſcuratus eſt ſplendor regiæ maieſtatis in eis, vt aiebam à tēpore Sedechiæ regis. Vnde iā ab eo tēpore virga ſecunda quadam ratione fuit fracta. Vnde infertur, quod etiam ante excidium vltimum templi, imperantibus Romanis in Iudæa, iam erat fracta regalis dignitas apud Iudæos & principatus omnis: ſiquidem multo ante Romani res Iudæorum moderabantur. ¶Etſi ſacerdotium vigebat apud Iudæos ſub Romanorum imperio, cæterum obſcuratum item erat tale ſacerdotium, & multum defecerat à ſuo natiuo ſplendore, nā venale erat, & annale &c. ¶Forte igitur aptius exponemus, ſi dicamus per virgā hāc ſecundā intelligendū principatū Iudæorū, qui principatus tum demū defecit, quādo Iudæi ſubiecerunt ſe Romano imperio. Quod accidit ex cōtentione inter fratres duos Ariſtobolū & Hircanū ex ambitione regni orta cui ſedandæ Romani ſe Iudæis ingerētes, vſurpauerūt principatū Iudaicū, & tunc penitus fracta eſt virga illa ſecūda, quæ dicebātur funiculus. Siquidē Iudæis nō licebat iam quēquā obſtina delicta punire: vt ipſi teſtātur nobis nō licere interficere quenquā. Et id tempore diſſoluta eſt germanitas inter Iudam & Iſrael, id eſt ſimile accidet ait, per vatem Dñs in vobis Iudæis ei, quod olim accidit inter duas & decē tribus, quæ fraternitate erant coniunctæ conſanguinitatis. Vt enim tunc decē tribus defecerunt ab imperio tribus Iuda: ita tunc ideſt tēpore prænotato deficiet tribus Iuda à ſuo ducatu & principatu: cui vt eſt veriſimile, multi ex decē tribubus adhuc parebāt, etſi maxima pars decem tribuū erat iam diſperſa. At illi qui ex decē tribubus parebant tribui Iudæ diſſoluerūt ſuam obedientiā à tribu Iudæ: quia ſe ſubiecerunt Romanis & hoc eſt, q̄ dicit *vt diſſoluerē germanitatē*. ¶ *Et dixit Dñs ad me adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti.* Hoc itidem ſub viſione prophetica accidiſſe credendū eſt, vt quod primo denarratū eſt ge ſtum. Iubet igitur Dñs vati, vt ſumat vaſa, ideſt inſtrumēta paſtoris ſtulti. Eſt autem paſtor ſtultus, contrarius paſtori cordato. Hic autem vaſa habet puta perā & baculū ad profectū, & directionē ſui gregis, vt ſcilicet eum paſcat: ſuumque gregem vt defendat à lupis habet canes. Stultus autē habebit vaſa ad defectū gregis, & ad nocumē tum eius. Puta vtitur baculo ad percutiendum, & canibus ad dilacerandum gregem.

¶ *Dominus* igitur, qui vt benigniſsimus paſtor pauit Iudæos oues occiſionis alioqui, quos nihilominus tulit ex ſua patiētia eorū ſcelera expectās eorum pœnitentiam. Quia tamē ingrauatū eſt cor eorū, voluit oſtendere vindictā quā eſſet habiturus ex pecoribus occiſionis negligentibus diuinū paſtū. Et vt hoc ſignificet iubet Zachariæ, vt ſumat vaſa paſtoris crudelis. Et vt adumbrauit paulò antè Iudæ geſtum in Zacharia, ita modo adumbrat in eodem Zacharia quæ erāt gerenda per paſtorē ſtultū quem Dñs iratus Iudæis erat tunc conceſſurus.

¶Quis autē ſit hic paſtor ſtultus, variant ſententiæ, quibuſdā arridet eſſe Antichriſtū: attamen cōſequentia ſermonis, aliud præ ſe fert. Siquidē hic ſtultus paſtor præuideretur cōcedendus à Deo, vt vlciſcatur in gratitudinē Iudæorū reſpuentiū diuinam gubernationē, ſeu diuinas cōtemnentiū leges, Antichriſtus vero potius fauebit Iudæis: quia ex eorū natione erit. *Erit* quidē ſtultus paſtor, cōtra fideles, nō tamē inſaniet contra ſibi cognatos Iudæos. ¶Vnde aptius expones ſi retuleris hunc locū ad Herodem qui vocabatur magnus, ſub quo natus eſt Dñs noſter Ieſus Chriſtus. Hic ſanè Herodes fuit ſtultiſsimus paſtor: vſus eſt enim maxima tyrānide in Iudæos. Hic enim occidit infantes plures Bethlehemiticos, Matth. 2. & filios itē ſuos, & alia ſcelera nō pauca exercuit, vt eſt videre apud Ioſephū. *Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorē in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum nō quæret, & contritū non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet & carnem pinguiū cōmedet: & vngulas eorum diſſoluet.* Hæc omnia tyranno Herodi, & omnibus tyrannis cōmunia ſunt. Siquidem tyrannus nō curat neq; admini ſtrat rempublicā, propter bonū reipublicæ, ſed propter bonū ſuū, vt Ariſto. meminit. Ideo derelicta non viſitabit, ouiculas, ſcilicet, derelictas non viſitabit, id eſt non requiret pauperes, & viduas quas deſpiciunt homines & relinquunt ſine ſolatio, quia pauperes inuiſi ſunt, & deſpecti apud deuites. Has item negligunt tyranni, quia nullum emolumentum ex eis ſunt habituri. Et cum debuiſſent illis ex officio opem ferre, & defendere ab iniurijs potentū nihilominus deſolatas relinquūt, vt pateāt iniurijs aliorum. *Diſperſa nō quæret.* Siquidē ſi qui ſe diſſociāt ab vnitate fidei, & eccleſiæ, nihil curat eos reducere tyran-

Diuinæ ſcripturæ veritas nullam vel leuiſsimū admittit mendaciū.

Iudæorum reſpublica immutata eſt ſub Roma. imperio.

Ioſeph. libro. 1. de bello Iud. capit. 6.

2. Parali.

Paſtor bonus & paſtor malus vt differant.

Herodes fuit tyrannus.

Ioſep. libr. 17. antiq. cap. 9.

Tyrannus qui dicendus.

5. Ethico. capit. 1.

Nicolaus non probatur.

Regia Iudæorum dignitas in Sedechia rege Iuda fuit collapſa.

Lege Ioſephum libr. 1. de bello Iud. ca. 4.

nus ad fidem & vnitatē eccleſiæ. Imo ſi hæreſis, & ſchiſmata augent ſuā tyrannidē & ex huiuſmodi diſperſionibus à fidei veritate, & eccleſiæ obedientia ſuæ tyrannidi bene cōſulitur, ſchiſmata augebit, & hæreſes fouebit. Vnde neq; cōfracta, non ſanabit, quia cōſcientias cōfractas ex multitudine peccatorū non ſanabit: oculus enim tyranni nō religionis ſynceritatē, neq; animorū puritatē ſpectat, ſed ſolū hoc vnū illi inſtitutum, vt tyrannidē ſuam fouebit, & firmabit diutius in filios, & nepotes ſuos. Vt eſt videre in hoc, de quo eſt ſermo peſsimo Herode, qui libidine dominādi furens Dominū Ieſum Chriſtū adhuc infantē, nō erubuit neque formidauit quærere ad necem: qa ſuæ tyrannidis lapſum ex infante recēs nato timebat. Et ideo horrendiſsimū tentauit facinus, occidit enim myriades infantū. Quē non flexit infantilis ætas nulli noxia vt eius miſereretur, quæ ſola ſufficit ad cōmiſerationem prouocandā vel in homine truculento, tanta erat hominis tyrannis. ¶Hunc igitur paſtorem cruētiſsimū excitauit Dominus ſuper perfidum occiſionis pecus & quidem iuſtiſsimè, ſiquidem ſi neglexit gens Iudaica optimū paſtorē Deū, æquum erat, vt ſubijceretur peſsimo paſtori Herodi. Id quod item accidit Græcis qui Chriſti vicario Romano pontifici, reluctarunt, multo æuo repudiantes apoſtolicæ ſedis fræna, propterea ſuſcitauit Dominus cōtra eos paſtorē truculentiſsimū, & ſtultiſsimū Turcam, qui crudeliter ſeuit in eos. Rapit enim quotannis eorū chariſsimas ſoboles, quas abnegare cogit fidem Ieſu Chriſti, & parentes item triſti premit ſeruitute. *O paſtor & idolum derelinques gregem, gladius ſuper brachiū eius, & ſuper oculū dextrum eius.* Totus animus Herodis huius erat ad necem ſuorū, & non ſolū ciues ſibi ſubditos, quin & filios occidit, vt latè proſequitur Ioſephus lib. 17. antiq. Iuda. ca. 9. *Idolum*, ideſt nihil: quia ſuperbia & faſtus Herodis, nihil erāt corā Deo. Ideo vocatur nihil: vnde illud pſal. ad nihilū in cōſpectu eius deductus eſt malignꝰ. Aut dicitur idolū, quia videbatur rex Iudæorū, & erat crudeliſsimus tyrānus eorū. Nā iāiā moriturꝰ Herodes non deſinebat à tyrānide. Nāque iuſſit oēs Iudæos, obſideri à militibus, qui erant in hypodromo, vt ſimulatq; ipſe animā exhalaret, necarētur oēs: vt nac ratione mors eius multo fletu vxorū, & filiorū ociſorū honoraretur. *Brachium eius ariditate ſiccabitur.* Siquidē mortuus eſt diues & ſepultus eſt in inferno. Vbivires nō habet ad lædendū alios, ſed æternis torquetur ipſe pœnis ob ſua immania ſcelera. *Et oculus eius dexter tenebreſcēs obſcurabitur*, vocat oculū dextrū conſilia, & aſtutiā Herodis, quibus vſus eſt, ad perdendū gentes ſibi ſubditas. Tyrāni enim miris fraudibus pollent, quæ obſcurata ſunt modo, quia nihil illi profuerūt, & cogitauit cōſilia quæ nō potuit ſtabilire. Vnde & calliditas eius, qua vſus eſt, dicēs Magis, Ite & interrogate diligenter de puero, vt ego veniens adorem eū, obſcurata eſt. Siquidē Magi fefellerūt eū. Brachiū autē dextrū vocat potentiā & fortunæ mundanæ flatum ſecundum, quo ipſe fruitus eſt dum viueret. Quæ omnia aruerūt iuxta pſalmi verbū, vidi impiū ſuperexaltatū ſicut cedrū Libani, trāſiui, & ecce nō erat. ¶Sciendū autem, q̄ quidā ex poſitorum per duas virgas intellexerunt duos reges, videlicet Ieroboā regem Iſrael vel decem tribuū. Et itē Roboā regem duarū: primā tradūt eo appellatā virgā decoris, quia blādè eſt allocutus decem tribus vt deficerent à regno Dauidis. At vero Roboā, quia aſpera eſt locutus duodecim tribubus, dixit enim, ſi pater meus vos cędebat virgis, ego vos cædam ſcorpionibus. Ideo Roboā dictū putant virgā funiculi. Fregit autem Deus virgā decoris, quia ſub Salmanaſar quē credūt vulgo eſſe Sennacherib collapſum eſt regnū Iſraelitarū, & poſt modum fracta eſt virga funiculi, quia ſub excidio vltimo Ieroſolymitano, item defecit regnū duarum tribuū. At vero hæc expoſitio, nō mihi videtur admodum congruēs, primo quia puto, vt explanabā prophetiā hanc omnino eſſe textā de futuris. Vnde *aſſumpſi*, expoſui, ideſt aſſumam verum defectus regni Iſraelitici, iam diu defecerat. Secūdo, quia regnū duarū tribuū, vt diſſerebā paulò antè, multo ante excidiū Ieroſoly. ſub Veſpaſiano & Tito defecerat, ideo magis probauerim expoſitionē priorē. Itē neq; credo germanā eſſe expoſitionem ſi per tres paſtores, intelligas Ochoziā regem Iuda, & Ioram regē Iſrael, & huius matrē Iezabel, quæ ſimul regnauit cum filio, quos Iehu filius Namſi occidit 4. Reg. 9. Nam vt dicebam, hæc prophetia futura tēpora ſpectabat, & non præterita. ¶Rurſus aduertēdum quod Diony. & alij expoſitores, volunt realiter Deum iuſsiſſe Zachariæ vt ſumeret vaſa paſtoris ſtulti, quia

Tyranni pollēt fraudibus, & aſtibus.

Alia expoſitio litera lis.

Salmanaſar binomius.

Herodes ſæuiſsimꝰ tyrannus.

quia non ſolum verbo vaticinati ſunt vates, ſed etiam operibus, vt nos in expoſitione præhabita demonſtrauimus. Verū ego arbitror, q̄ viſione imaginaria hæc iuſſa ſunt vati, propter rationem ſupra in eluci datione capitis à me commemorata.

Moralia vel myſtica.

Paſtorſtultus graphicè deſcribitur.

Vme tibi vaſa paſtoris ſtulti. Multa hoc loco dicēda forent de paſtoribus ſtultis, niſi in moralibus præcedentium capitum eſſent ſatis à nobis inculcata: verum paucula hoc loco addam. ¶Et ſanè paſtor prudens qui verè re & nomine paſtor eſt habet vaſa, id eſt inſtrumenta, ex phraſi enim Hebræa didicimus vaſa denotare cuiuſcunq; artis inſtrumenta. ¶Habet igitur paſtor verus, vaſa paſtoralia, ad profectū & directionem ſuarum ouium, vt peram, qua condit ſibi cibum, baculum vt oues de uias reducet, pellem, vt ſe foueat à frigoribus & algoribus, ſibilum vt gregem vocet fiſtulam, vt ipſe pauliſper à labore ceſſans cantū tibiæ vel fiſtulæ refocilletur. Quæ omnia in bonum vergunt gregis ſibi concrediti. Nanq; paſtoris ſalus, gregis eſt profectus. ¶At vero ſi paſtor indueret toracem, & galeam, ſi lanceam ſumeret, & gladium, ſi catapultam manu geſtaret, & diceret ſe hæc habere ad paſtum ſui gregis, vtique paſtor ſtultus eſſet, & nomine ſanè paſtor, at reuera non paſtor, ſed ouium immanis hoſtis. Nanque hæc inſtrumenta, non ſunt ad ſalutem, ſed ad necem gregis. Vnde optimè traditum eſt à me tyrannos eſſe paſtores ſtultos. Siquidem horū vaſa ſunt ad deſtruendam rempublicam. Ideo dixit Ariſt. 8. Ethic. cap. 10. Tyrannidem eſſe cōtrariam regno, & ideo eſſe peſsimā. Quia optimo contraria: nam ex regno tranſitur ad tyrannidem. Tyranni enim non paſcuntur honore & gloria imperandi, ſed rapiūt ſubditorum diuitias vt dixit vates. *Carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet.* Aptiſsimè igitur hæc ſecundū allegoriam Antichriſto cōgruunt. Antichriſtus enim eſt paſtor ſtultus, habēs vaſa, & inſtrumenta diabolicę artis, ad nocendū eccleſię Dei: nō vtcunq;, ſed maximè: tanto ſcilicet nocumēto, quāto nūquā eccleſia Dei fuit affecta, adeò vt Dūs dicat. Niſi breuiati eſſent dies illi nō ſalua eſſet omnis caro, ſed breuiabuntur propter electos. De huiuſmodi igitur ait Deus per vatē ſuū, *Suſcitabo paſtorē in terra.* Suſcitat quidē Deus paſtores malos, nō q̄ Deus ſit peccati autor, ſed exigē tibus ſceleribus noſtris permittit regnare hypocritas ſuper terrā. ¶Et hac eadē ratione permittet, Antichriſtū hominē peccati, qui conturbabit totū orbē ſua nequitia. At in vltionē infidelitatis Iudaicæ veniet Antichriſtus quippe, qui verū Meſsiam nō ſuſceperunt falſus illis dabitur, cui credant. ¶Vnde Dūs ait, Ego veni in nomine patris, & nō receperūt me, alius veniet in nomine ſuo. Ideſt propria autoritate dicēs, ſe eſſe Meſsiā, hūc recipietis vos Iudæi. Iraq; perfidiam Iudæorū obſtinatiſsimā, altera perfidia puniet Deꝰ, ſcilicet credēdo peſsimū omniū hominū eſſe verū Meſsiā. Sicut & Saracenos Mahometanos, hoc ſupplicio punit Deus permittens eos decipi ſumma deceptione, detinētur enim errore ſummo putantes peſsimum Mahometū, eſſe ſanctum Dei vatem, poſt Moſem enim & Chriſtū, ſuum Mahometū recēſent. Anti chriſtus igitur paſtor erit ſtultus, quia ſumet arma, & veſtimenta ſtulti paſtoris, ſimulabit enim hypocriſim, vt facilius gentibus imponat. At vero cōſilia ſua, & aſtus ſuos & vires ſuas omnes expēdet ad nocendū gregi Ieſu Chriſti: vt ſcilicet auertat eū à fidei ſynceritate. Ideoq; *derelicta non viſitabit* deſolatos & afflictos fideles nō cōſolabitur, imo magis deſolabitur. *Diſperſa nō quæret.* Quos ſcilicet ipſe terroribus & minis diſperdet, nō quæret, imo magis terrebit, quo longius diſpergantur. *Contritū non ſanabit*, quia quos ipſe auertet ab amore Ieſu Chriſti, nō ſanabit, imo magis eos auertet. *Et quod ſtat*, id eſt, quod ſtabit fide & charitate, *non enutriet*, imo dabit operā ſuis fraudibus & tormētis, vt vtrūq; deponāt. *Carnes pinguiū comedet*, quia expilabit ſubſtātias diuitū, qui mos tyrānorū eſt, vt Ariſto. meminit. 8. Ethic. cap. 10. opes ſuorum deglutire ciuium. Et Ezech. 3. de Antichriſto idē cōmemoratur. *Vngulas eorum diſſolnet.* Vngulis ſe defendūt aues, ab offendentibus, Antichriſtus omnē defenſam fideliū eneruabit, vt ipſe rerū ſumma potiatur poteſtate: vt tandem nō cōtentus humanarū rerū faſtigio tyrānicè vſurpato, etiā cōtendet diuinos honores vſurpare vt Paulus teſtatur. 2. Theſſ. 2. & Daniel. c. 11. aduerſus ait, Deum deorum loquetur magnifica, ideoq; erit omnium hominum ſuperbiſsimus, & nequiſsimus, quare & Paulus eum appellat hominē peccati. Et hypocrita erit fraudulentiſsimus ſimulabit ſe Dei eſſe cul

Antichriſti mores deſcribuntur.

Ioh 34.

Ioan. 5.

Matt. 24.

torem, cum alioqui erit nefandus idololatra, vt ex Daniele 11. lectione insinuatur Deū ait, loquens de Antichristo Maozim in loco suo venerabitur. *Hic erit pastor, & idolū*, nomine tenus pastor, quia principatu seculari & illo amplissimo fruetur, at reuera erit teterrimus impostor, & fraudulētus diuinæ legis calūniator, *derelinquens gregem*, curās scilicet vt grex Christi, derelinquatur à Christo, quia ipsum inducet in errores varios. Gladius *super brachiū*, ideſt diuina vltio erit soluens Antichristi potentiam, quā subaudit per brachiū. Nā ipsum interficiet spiritu oris eius. Et super oculū dextrum eius, ideſt cōsilia & fraudes, & techinas eius Christus diluet omnes, & vertet omnia illa in tenebras. ¶ Moraliter autem aptissimè refertur hic ꝓpheticus sermo in reges, qui vertūt regiā suam potestatem in tyrannidē non curantes regnū ad regni vtilitatē, sed solum ad sibi parādas excessiuas opes. Vnde isti habent vasa pastorum stultorū, siquidem armantur pessimis cōsilijs ad depilādos sibi subditos. Et mercede pingui cōducūr pessimos cōsultores, qui excogitēt exquisitissimos modos quibus substantiā suorū subditorū ad se trahant totā. Nouis exactionibus, & impositionibus & tributis, quibus tacitè depauperantur subditi, vt ipsi sint opulentissimi exugentes sanguinē pauperū subditorū dicuntur sanè qui eiusmodi sunt reges, & pastores nomine tenus, verum sunt re ipsa non pastores, sed tyranni. Et quanuis sanguinem non fundant subditorū, at vero expilant eorū pecunias, quæ sunt subditis vicem habentes sanguinis. Etenim vt ex sanguine viuunt animalia omnia, ita ex pecunijs omnes homines parāt victum, at sine victu, nō est vita Et quidem sanctum est, subditos pendere tributa suis principibus à quibus gubernantur in pace, & defenduntur in bello. At vero item sanctum est principes & reges sub pelle regia, non abscondere tyrannidem, & sub prætextu pastorum, luporum rapacitatem non exercere imponendo subditis onera importabilia, exactionum, & nouarum impositionum. ¶ Non enim ob aliā causam Deus permisit Roboā orbari regno decem tribuū, nisi quia hic noluit relaxare Salomonis patris sui tributa plebi Iudæorum imposita, quæ alioqui Roboam non imposuerat, sed parer eius. Et quanuis hoc obseruare omnibus regibus est iustissimum, at summopere fidelibus, quippe quibus maximè incumbit, regna sua moderari legibus suauibus, vti mitentur regem regum Christum quem colunt, cuius iugum suaue est, & onus leue.

Maozim erit idolū quod colet Antichristus.

Reges fideles & principes nō debēt grauare suas respublicas.

EXPLANATIO IN ZACHARIAM CAP. XII.

ONus verbi Domini super Israel, dicit Dominus. Difficiles habet explanationes caput hoc, quas sigillatim si denarrarēmaiores offunderē elucidationi capitis huius tenebras. Ideo sequar meo iudicio aptiorē. Videtur autē intentū esse vatis hoc capite ecclesiæ primitiuæ afflictionē prædicere, quæ vt superius meminim⁹ vocatur Israel Dei, seu Israel spiritualiter. Videt eñ Deū per fidem, per speculū in ænigmate. Et est fortis Chri ecclesia cū Deo: quia portæ inferi nō prævalebūt aduersus eā. Et item est fortis, quia regna cælorū per claues ecclesiæ iam patēt beatis: vult autē vates simul prædicere, quod vexatores ecclesiæ nō nisi suo grādi malo vexabūt eā. Et quia non solū ipsam vexarunt gētes, sed etiā Iudæi, vt ex historia sacra Actorū apostolicorum le gēti erit perspicuū: ideo & Iudæis & gentibus mala ventura, ob ecclesiæ diuexationē prędicit hoc loco Zacharias neq; puto hāc esse mysticā, sed potius literalē expositionem, vt patebit ex processu. ¶ Quid autē onus significet, ꝙ Hebræis dicitur, *Massa*, supra non semel docuimus esse prophetiā videlicet, prædicentē afflictionē venturā aliquibus. Verum quia sæpè Deus affligit sanctos suos, nō ad vltionem culpæ, sed ad augmentū meriti: onus vtranq; afflictionē denotat, siquidem primitiua ecclesia fuit onerata magnis persecutionibus, non ex culpa sua, quia sanctissima erat: sed ex Dei ordinatione, vt virtus ecclesiæ in tanta infirmitate perficeretur, vt Dñs dixit apostolo Paulo, sufficit tibi gratia mea nā virtus in infirmitate perficitur. *Dicit Dominus exercituū extendēs cælū, & fundans terrā.* Ad fouendā & stabiliendā spem ecclesiæ, Deus suā manifestat omnipotentiā. & bonitatē. Deus enim cū sit omnipotens potest ab omni malo nos eripere: vt dixit ille, si ambulauero in medio vmbræ mortis nō timebo mala, qm̄ tu mecum es, in adiutorium, videlicet: vt igitur Deus cōstitueret spem ecclesiæ, quando erat multis pressuris con-

cutienda, ait modo, vates, *Dicit Dominus &c.* Extendens cælos fuit sanè diuinæ omnipotentiæ molem cælorum vastissimam ex nihilo in instāti creare. Ideo ait, *extendens*, ideſt creans cælos extensissimos. Non enim ex globo aliquo complicato, Deus extendit cælos, sed in pūcto temporis illos creauit vastissimos & capacissimos. ¶ At vero scriptura more suo, per sensibilia nos manu ducit, ad intelligentiā diuinarum operationum. Ideo psaltes ait, Extendens cælum sicut pellem. Non quia corrugati prius fuissent, vt pellibus accidit, & dein Deus extenderit pelliū rugas, sed hoc sermone voluit nos admonere Deū creasse cælos capacissimos, & quod sine labore vllo Deus eos sic creauerit. Itidem quod in Iob 37. depromptum est, cælos solidissimos quasi ære fusos fuisse: sanè Deus non fudit cælos, vt argentarius, aut faber ærarius fudunt sua metalla: siquidē cæli non sunt liquabiles, vt metalla: non enim sunt corpora mixta, sed simplicissimæ naturæ corpora à nostra materia abhorrentia: ideoque quintam essentiam eos esse dixere philosophi: verum vt denotaret diuina scriptura cælorum incorruptibilitatem, pronuntiat eos esse solidissimos, quasi ære fusos. Similemque sermonis formam legimus in Isa. 42. Hæc dicit Dominus creans cælos, & extendens eos: id est creans cælos capacissimos: ideoque cum spherica figura sit maximè omniū figurarum capacissima, sphericos Deus creauit cælos. Et Isa. 40. inquit, Qui extendit velut nihilum cælos & expandit velut taberna culum ad inhabitandum. ¶ Sanè quasi nihilum eos extendit, quia ex nihilo cælos Deus fecit, & summas cælorum moles nullo labore in momento creauit, quasi esset res exigui operis, quod vocatur modo nihilum. Et quia cæli vniuersa inferiora tegūt, indeq; traxerūt apud latinos nomē à celando: ideſt à tegendo. Nanq; sub cælo elemēta omnia, & mixta cōtinētur, & ideo sunt veluti tabernaculū omniū inferiorū? *Et fundans terrā*, fundare est stabilire terrā, nā generatio præterit, generatioque accedit, terra autē semper immobilis in mundi centro perseuerat. ¶ Etenim omniū elemētorū grauissimū, infimū mūdi locum obtinēs ibi cōquiescit: quia in loco sibi natiuo residet. ¶ Vnde in psal. qui fundauit terrā super stabilitatē suā. Legimus autē Iob 26. qui appēdit terrā super nihilū, id quod nō est intelligendū, quod terrā Deus appēderit super vacuū, siquidē nullū est vacuum 4. Physic. At vero, quia nihil habet fulcri etenim neq; aqua neq; aer terrā fulciūt ne cadat, sed ipsa in se ipsa consistit, nō egens sustentaculo. Siquidē læuia mouētur à me dio, ad cæli circūferentiā. Grauia vero ad mediū: vnde terra cū sit in medio mūdi, nō pōt inde suapte natura dimoueri, semper enim si moueretur, moueretur à medio, & ascēderet sursum, id quod sibi repugnat, cę lū enim semper sursum est, quod est alterū mūdi extremū. Si igitur terra, locū suū demutaret, esset motus à medio mūdi, ad extremū mundi, qui motus ascensio est. Ideo ait. Appēdit terrā super nihilū, quod vero psal. cecinit, qui fundauit terrā sup aquas, nō pugnat cū verbo Iob. Nam primus sensus est, Deus fundauit, ideſt stabilē, & fixā fecit terrā super aquas, id est magis quam aquā. Siquidē aqua nō est stabilis sicut terra. Nā fluminū, motū videmus, maris autē fluxū, & refluxū ad lunarē motū, itē experientia quotidiana cōprobat. Et est *similis* locutio illa, placebit Deo super vitulū cornua producentē & vngulas ideſt oblatio fidei & charitatis placidior est Deo, quā vitulorū oblationes legis antiquę. ¶ Aut fundata dicitur terra sup aquas, quia in viscēribus terræ sępè reperiūtur aquarū fontes. *Fingēs spiritū hominis in eo.* Postquā creationis cælorū, & terræ meminerat sub quorū creatione cętera intellecta cōspiciūtur, vn de ideo Moses dixit, in principio creauit Deus cælū & terrā, qa sub duobus vniuersi extremis inter media elemēta cōprehen debātur, adiecit vates hominis creationē, eo ꝙ erat finis creationis omniū rerū visibiliū. Ideo ait, *Fingēs spiritū hominis in eo.* Itēq; Isaias fere eodē modo, rē explicat cap. 42. Postquā enim dixerat creās cælos, & extēdens eos, subiecit firmans terrā, & quæ germināt ex ea, Dās flatū populo, qui est sup eā, & spiritū calcātibus eū: id quod non de spiritu brutorū, aut flatu velim intellectū, sed de spiritu humano, omniū spirituū inferiorum nobilissimo. ¶ Huius igitur creationē, Zacharias, vt creationē singularē inter cætera quæ Deus sub globo cōdiderat lunæ, introducit modo. Siquidē anima rationalis, condita est, ad imaginē & similitudinem Dei. Et nihil creatorū sub cælo, cōditum est ad Dei imaginem excepto spiritu humano. Qui quia immortalis est, & quia liber est, & qa spiritualis substantiæ est, est

Cælorū natura essſim pliciſſima

Cæli habent diuersam materiam à nostra.

Terra non potest tota moueri per naturam.

Terram nihil sustinet nisi quia in se ipsa consistit.

Collisio apparens solis.

enim angelorũ naturæ cognatus, ideo ſolus in mundo hoc viſibili imagine Dei ſulget, vnde quid diuinũ eſt. ¶Quod vero ait, fingens, more noſtro loquitur, vt Rom. 9. Paulus loquitur vt vel hac ratione pateat humani ſpiritus creatio. Deus enim tanquam figulus, ſe habuit in creando ſpiritu hominis. Quamuis figulus ex luto fingit ſua vaſa, at vero Deus etſi humanũ corpus ex luto fecerit animam vero ex nihilo formauit. ¶Non enim educitur de potẽtia materiæ. Tota nanque natura, non ſufficit ad creandum hominis ſpiritum, quia ſolius Dei eſt iſtud opus. *In eo* non creauit igitur Deus ſpiritum hominis extra hominis corpus, vt Platonici nugantur: aſſerentes animas rationales, creatas ſub exordio mũdi, quæ tamen ob delicta, quæ in cælo admiſerunt deiectas fuiſſe & deturbatas, à cęlorum faſtigio in ergaſtula humanorũ corporum, vt ibi pro erratis pœnas luant. At vero hoc dogma, quod etiã tribuitur Origeni, eſt hæreticum. Et illud damnat modo vates noſter dicens, fingens ſpiritũ hominis, *in eo*. Et concinit Dauid, dicens, Qui fingit ſigillatim corda eorum, & intelligit opera eorum vtique ſigillatim Deus creat animas rationales, vt in ſingulis corporibus ſint ſingulæ animæ, vt procul abſcedat dogma Auerroicum vnicum eſſe intellectum in omnibus hominibus. Contra quod dogma nos in comment. ad libros de anima diſſeruimus abundè libr. 3. & lib. 2. ſenten. Et forſan incidit in hanc illle comment. ſententiam, quia putauit eſſe Ariſtotelis ex corrupta Arabica trãſlatione, quã habebat. *Ecce ego ponam Ieruſalem ſuper limina crapulæ omnibus populis in circuitu.* Dominus omnipotens, qui extendit cælos, & firmauit terram, & finxit ſpiritum hominis in corpore eius dicit, *Ecce ego* Hebraicè, *vt ſit calix omnibus populis*: nam vox *ſuper limina*re, habet Hebræam vocem, quæ ſignificat ſcyphum, ſeu calicem verum tranſlator noſter ſecutus eſt tranſlationem Græcã ſeptuag. interpre. quæ itidẽ vertit, ſuper liminaria. Et hæc trãſlatio reddit locũ obſcurũ. Verũ interpretatur locũ iuxta Hebraicã literã, & inde euadet nota trãſlatio noſtra. Et quidẽ familiare eſt ſacris literis, tribulationẽ, & mœrorẽ magnũ vocare calicẽ. Vnde Chriſ diſcipulis duobus ait, Poteſtis calicẽ quem ego bibiturus ſum, ideſt mortẽ & cruciatus poteſtis ſuſtinere meos ſicut ego ſuſtinebo? Et rurſus imminente paſſione, patrẽ precatur, vt trãſferat ab eo calicẽ, ſcilicet, paſſionẽ mortis. Et in Iſaia, Bibiſti calicem iræ, & calicem ſoporis capite. 51. & Ierem. 25. ſume calicem vini furoris &c. Quã ob rẽ hoc loco Ieruſalem prædicitur futura calix furoris vel iræ, aut ſoporis inebriãtis & ſtupefacientis populos ſeu nationes in circuitu. Id eſt læſores perſecutoresque Ieruſalẽ ſpiritualis, quæ eſt eccleſia Ieſu Chriſti puniẽtur vehemẽter à Deo. Et ea ratione ſe habebũt, ſicut ij qui ex potu calicis vini venenoſi ſoporantur & intereũt. Et iſtã ebrietatẽ intellexit trãſlator vulgatus per crapulã. Habet autem domus limen, ſeu liminare, quod eſt infra & ſupraliminare, ſibi correſpondens ſupra. Quod ſi domus oſtium humile ſolent incautè impingere capite inſuper liminari, maximè, ſi equitantes domum intrent. Quod igitur dicit, hoc eſt talem eccleſiã illã primitiuã fuiſſe inſtar ſuperliminaris, in quod impegerunt increduli, & lapſi ſunt ex impactione, ſicut crapula obruti tenerẽtur, verũ planior eſt ſenſus prior. *Sed & Iuda erit in obſidione cõtra Ieruſalem.* Non legimus Iudæos obſediſſe vnquã Ieruſalẽ, vt cõtra eam belligerarent. Etenim quod legimus. 1. Mach. 1. Alcinũ ſacerdotẽ, qui erat de ſemine Aaron ipſum cum filijs quibuſdã Iſrael intuliſſe mala Ieroſolymitis, & quod ipſe cũ ſibi hærẽtibus obtinuerũt terrã Iuda nõ probat Iudam, obſediſſe Ieroſolymas: quia Alcinus erat de tribu Leui. Neq; textus expreſsit adhærẽtes huic Alcino fuiſſe ex tribu Iuda, filiorum enim Iſrael, meminit qui ſæpè diſtingũtur à tribu Iuda. Neq; itẽ expreſsit, quod obſederũt Ieruſalẽ. Vnde videtur, quod hic locus ſit referẽdus ad Ieruſalẽ ſpiritualẽ: quoniã certũ eſt Iudæos mala multa intuliſſe Sanctis apoſtolis, & diſcipulis Dñi, vt patet ex geſtis apoſtolicis, quæ S. Lucas memoriè prodidit, propterea ſupra dicebam. Literalẽ ſenſum, eſſe quẽ proſequimur. *Et erit in die illa ponã Ieruſalẽ lapidẽ oneris cũctis populis, omnes qui leuabũt eũ, cõciſione lacerabuntur.* Eccleſia cõgruè ſicut ſuperius vocata eſt calix crapulam inducẽs, ita hoc loco vocatur petra, ſeu lapis oneris, ſicut & Chriſtus eius ſponſus. Et itidem vt Chriſtus appellatur petra ſcandali, ita & Eccleſia eius ſponſa, modo vocatur lapis oneris, ſeu oneroſus cunctis populis: ſiquidem Apoſtoli, & diſcipuli erat faſtidio & oneri Iudæis & gentibus: quia in Chriſtũ credebant, & Chriſtum prædicabãt. Vnde Dominus hoc onus expreſsit, eritis dicens odio cunctis hominibus propter nomen meum. Tu tamen intellige eſſe lapidem oneris eccleſiam non per ſe, ſed per accidens, nam iniquis eſt oneroſa, non ſanctis vt Chriſtus nõ eſt per ſe petra ſcandali, ſed per accidens ex noſtra iniquitate, vt ſuperioribus moralibus ediſſerui, verum qui lapidem grauem & ponderoſum, leuare nituntur, lædantur, ita Iudæorum principes & gentium proceres, contendẽtes ſuis tormentis, & argutijs fideles illos dimouere à fide Ieſu Chriſti, ſe ipſos valde læſerunt. Etenim damnationem æternam ſibi parauerunt. Et Iudæi à Tito & Veſpaſiano fuerunt deuaſtati, vt ſæpe ſupra commemoratum eſt. *Et colligentur aduerſus eam omnia regna terræ.* Ideſt aduerſus Ieroſolymam colligent ſuas vires omnia regna terræ. Et ita fuit quia eccleſia primitiua fuit oppugnata ab vniuerſo orbe. *In illa die percutiam equum ſtupore, & aſcenſorem eius in amẽtiam: & ſupra domum Iuda, aperiam oculos meos.* Pollicetur fidelibus ereptionem ab omni vexatione, vt ſub beata Lucia, donata eſt pax eccleſiæ: per equum & aſcenſorem, ſubaudi omnia machinamenta, quæ diabolus excogitauit, & per miniſtros exercuit, contra ſanctos Chriſti fideles, quæ vniuerſa tandem diſſoluta ſunt ex Chriſti gratia, & fauore, quia Dominus aperuit oculos ſuos in præſidium, & protectionem ſuæ eccleſiæ. *Et omnem equum populorum percutiam cæcitate*, hoc eſt palam faciam, omnes equos populorum eſſe cæcos, ideſt demõſtrabo, quod omnis infidelium ſapiẽtia eſt cæcitas: quia in veram Dei lucem nolunt credere. Vnde Dominus, ſinite eos, quia cæci ſunt & duces cæcorum. *Et dicent duces Iuda in corde ſuo confortentur mihi habitatores Ieruſalem in Domino exercituum.* Duces Iuda fuerũt ſancti Apoſtoli, quos Diony. Areopag. vocat eccleſiæ duces, iſti confortauerunt fideles verbo ſuo, & exemplo, & miraculis, quos hic vocat habitatores Ieruſalem. *In die illa ponam duces, Iuda ſicut caminum ignis in lignis: & ſicut faciem ignis in fœno.* Apoſtolos confert camino, per caminũ in lignis ardentes intelligẽs, & ſicut facem ardentem, eos futuros prædixit ardentem, ſcilicet, facem in aceruo manipulorũ. Nã pro *faciem*, oportet legere facem. Et reuera fuerunt ardẽtiſsimi in amore Ieſu Chriſti apoſtoli, & fideliũ propter Chriſtũ amantiſsimi. Paulus enim eſt nobis ex multis teſtimonio. Quis inquit ſcãdalizatur, & ego nõ vror? Accepto enim Spiritu ſancto linguas igneas ſunt ſortiti, ex quibus incenderunt totum orbem, ad amorem euangelij. Et ignẽ illum quem Dominus ait, ignẽ veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat, ſancti Apoſtoli & diſcipuli Dñi, miſerũt in orbẽ. Nãq; feruentiſsimè prædicarunt euangeliũ, ſolũ quærentes animas ad Chriſtũ conuertere: & non propria ſectari lucra, aut ſeculi ambire honores. ¶Neminẽ enim grauabant, ſed omnes ad Chriſtũ alliciebant ſine ſumptu. 1. Cor. 9. Prædicãtes Chriſti euangeliũ. 2. Cor. 12. Ego ipſe non grauaui vos. Et 1. Theſſal. 2. Nocte, & die operãtes, ne quẽquam veſtrũ grauaremus. Et 1. Timot. 2. Vt non grauetur eccleſia. Itaq; proprio iuri cedebat Paulus, vt inſipientes non crederent Apoſtolũ propter cibum & potum ſibi miniſtrandũ, euangelizare. Imo vt crederent, non hoc intendere Paulũ, ſed potius animas Chriſto lucri facere, ideo ipſe laborabat, vt ex labore ſibi & ſuis pararent victũ. Acto. 10. ideo aiebat. 2. Cor. 12. Nõ quærim⁹ veſtra, ſed vos. ¶Tales igitur prunæ erãt Apoſtoli, & has prunas miſit Chriſtus in totum orbem, vt eũ incenderẽt, in amorem Dñi. Haſque faces ardẽtiſsimas ſparſit Chriſt⁹ per vniuerſum mundũ. Quæ adeo incẽderũt humana in Chriſtũ corda, vt mortẽ fideles pati non formidarẽt, & mille ſubire tormentorũ genera propter amorẽ Ieſu Chriſti. *Et deuorabũt, ad dexteram & ad ſiniſtrã omnes populos.* Ignis deuorat ligna, quia ligneã materiam vertit in ignẽ. Et apoſtoli, & diſcipuli Dñi corda algẽtia, & lõgè diſtãtia adeo verterũt in feruẽtiſsima corda amãtia Chriſtum ſuper omnia. *Omnes populos.* Quia in omnẽ terrã exiuit ſonus eorũ, & apoſtolica tuba exonuit potẽtiſsimè in toto orbe. Quãuis enim multi repugnarũt euangelio, at vero ex omni natione obedierũt multi euangelio: & ſi quæ natio nõ fuit morigera, tandẽ in fine mundi erit obediẽs. Vnde hęc eſt diſtributio pro generibus ſingulorũ, & non pro ſingulis generũ, & bene ait, deuorabũt. Nãq; Petro Dñs ait, Petre occide, & mãduca, quod autem manducatur deuoratur, & quod deuoratur trãſit in ſubſtantiam deuorãtis: gẽtes igitur quæ ex prædicatiõe apoſtolica in Chriſtũ crediderũt fuerũt deuoratæ ab Apoſtolis myſtica deuoratione: quippe ritibus peruerſis & moribus peſſimis.

Anima rationalis ex nihilo creatur.

Anima rationalis nõ educitur de potẽtia materiæ.

Animæ hũmanæ non ſunt creatæ in cælo.

Hæreſis eſt vnicũ eſſe intellectũ in omnib⁹ hominib⁹.

Chriſtus eſt petra ſcandali per accidens, & non per ſe item eccleſia eſt lapis oneris, & calix inebrians.

Apoſtoli prunæ faces ardentes.

Diſtributio pro generibus ſingulorum.

Lucæ. 12.

2. Cor. 11.

mis relictis, translatæ sunt ad cultum Christi, & obedientiam euangelicam. vt iam nõ sint dicendæ gentes, sed Christi fideles, nõ mancipia diaboli, sed serui Iesu Christi. *In circuitu*, id est per circuitum totum orbis. *Et habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem.* Ante Christi aduentum erãt habitantes Ierusalem fideles credentes Christum venturum, vt promptum est de Zacharia patre præcursoris Domini, & Elisabeth, Simeone &c. & post Christi aduentum, item habitata fuit Ierusalem illa terrestris à fidelibus credẽtibus in Christũ, iam veniſſe. Siquidem post Christi ascensum in cælo ibi fuerunt Apostoli, & discipuli Domini, & alij fideles Christi antequã excisa fuisset Ierusalem per Titum, & Vespasianum. *Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio.* Per Iudam, subaudit fideles, quorum tabernacula, vel tentoria prædicit saluanda, id est, totius orbis fidelium ecclesias, seu congregationes, quas intelligit per tabernacula vel tẽtoria, sicut ab initio, ideſt, vt curam gesſit primitiuæ ecclesiæ, ita geret Deus ecclesiarum succedentiũ per orbem. ¶ Primitiua enim ecclesia, & ecclesia, quę successit illi, & quę huc vsque perseuerat, vsque in seculi finẽ vna est substantialiter, est enim eiusdem fidei, spei & charitatis, eorundemque sacramentorum. ¶ At vero accidentaliter differunt, quia primitiua ecclesia, maiori pollebat sanctitate, siquidem apostolica præsentia, & martyrum sanguine, & aliorum præclarissimorum sanctorum vita resplendebat: & miraculis item ornabatur, quæ tunc necessaria erant plantandæ fidei gratia, quæ apostolica doctrina, quæ viua voce, tunc tradebatur, & sanguine martyrum, qui tũc fluebat & diuinis miraculis in posteros est fundatissimè transmissa. Vnde illa primitiua ecclesia est velut mater nostræ ecclesiæ: quia hæc illius doctrina sanguine, & miraculis generatur, nutritur: & roboratur. Quanuis autem nostra ecclesia miracula non edat, neque illa pristina vigeat sanctitate, at vero Spiritum sanctũ habet assistentem sibi, & gubernantẽ eam in necessarijs. Et eadem autoritate fruitur ad præcipiendum, & prohibendum, quæ oportet præcipere, aut prohibere. Siquidem Deus in necessarijs non deficit, sicut neque abundat in superfluis: at vero istud est necessarium ad rectam fidelium gubernationem, vt Ecclesia habeat autoritatem clauium eandem, quam & primitiua Ecclesia habuit, vt possit coercere hæreticos, & contumaces, & fideles dirigere in viam pacis. *Vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem, contra domũ Iuda.* Non erit maior gloria domus regiæ Dauidis quæ fuit magna gloria, siquidem Dauid fuit valde honoratus à Deo & Salomon filius eius: & Ierosolyma id temporis maximo resplẽduit honore. ¶ At vero nõ fuit maior gloria illius temporis, quam domus Iuda gloria, ideſt ecclesiæ primitiuæ. Quæ etsi non opibus argento videlicet, & auro resplẽdebat, erant enim id temporis pauperes fideles, neque regia fulgebant dignitate temporali, verũtamen opibus spiritualibus fuit mirabiliter diues ecclesia illa, vt supra dictũ est, & Apostoli erãt principes spiritualiter super totum orbem, id quod neque Dauid, neque Salomon obtinuerunt, neque reges posteriores, qui Dauidi successerunt. *In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis, quasi Dauid, & domus Dauid quasi Dei.* In die illa, tempore, scilicet primitiuæ ecclesiæ, erit diuina protectio protegens mirabiliter fideles, *& erit qui offenderit.* Qui infirmis laborant pedibus facile in lapides offendunt: ideo per hæc verba subaudiendi sunt qui infirmi fuerunt in ecclesia primitiua. Et non est sermo de infirmitate corporali, quæ est ægritudo corporis, sed infirmitas hoc loco vsurpatur, vt Paulus hãc vocem sæpè vsurpat. Ait enim, quis infirmatur, & ego non infirmor? 2. Corint. 11. id est quis patitur tribulationẽ, & ego illi non compatior? Et rursus inquit, Christus mortuus est ex carnis infirmitate, id est, quia accepit carnem passibilem. Apostoli igitur erãt hac ratione infirmi, quippe qui multa passi sunt tormenta, multasque tribulationes, & erant despecti à suis, ppter fidem Iesu Christi. Vnde Paulus 1. Corin. 11. latè ꝓsequitur tribulationes quas ipse patiebatur propter fidem Iesu Christi. Periculis inquit in mari &c. At vero Apostoli infirmi, erant alioqui potentes, sicut Dauid rex, qui fuit egregius debellator, & fortissimus expugnator. Vnde ob id interpretatur manu fortis. Nisi quod fortitudo Dauidi erat corporalis fortitudo: at vero fortitudo sanctorum Apostolorũ erat spiritualis. Non enim armati præcesserũt, aut militibus stipati curribusve & catapultis instructi, sed solũ armati virtute Spiritus sancti

Primitiua ecclesia sub stãtialiter an eadẽ cũ nostra etsi accidentaliter differunt.

Primitiua ecclesia est mater nostræ ecclesiæ.

Vaticiniũ de Christo.

sancti orbẽ subegerunt Christo, instar Dauidis, qui Goliath superauit inermis. Et domus *Dauid quasi Dei*, ideſt, qui ex genere Dauid erit nasciturus, habebit fortitudinem Dei, ideſt Christus qui ex genere Dauid descendit secundum carnem, habet fortitudinẽ diuinam: quia Deus verus est, etsi exterius solũm homo videbatur. Aduerbium *quasi*, hoc loco, vt sæpè alibi non denotat similitudinem, sed veritatem, vt est illud, vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre, Ioan. 1. *Sicut angelus Domini in conspectu eius.* Hebrai. in conspectu eorum, id est ante eos Christus præcedet. Christus apud Malachiam appellatur angelus testamenti. Enim vero vt Gregor. in quit angelus non est nomẽ naturæ, sed officij. Etenim significat nuntium, Christus autem fuit legatus Dei patris, quatenus homo erat, ideo aptè subnotatur per angelũ. Sicut igitur angelus Domini præcessit Israelitas in exitu ab Ægypto, & deduxit eos per vastam eremum donec introduceret eos in terram promissionis, ita & Christus est antesignanus totius ecclesiæ Christianæ. Vnde ipse ait, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matth. 24. & Ioan. 10. se pastorem esse vniuersi generis christiani pronuntiat: & quod vadit ante suum gregem, vt nos exposuimus in denarrationibus ad Ioannem. *Et erit in die illa quæram contercre omnes gentes, quæ veniunt contra Ierusalem.* Deus enim gentium idololatriam, & abominabiles vsus contriuit, & furorem earum, & tyrannidem contra Christi gregẽ dissipauit subijciens gentes Christo. *Et effundam super domum Dauidis, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ, & precum*, istud fuit impletum in sanctis Apostolis, quando Actor. 2. Spiritus sanctus sub specie visibili linguarum ignearum effusus est in sanctum Apostolicũ, & aliorum fidelium collegium, spiritus gratiæ, quia gratis fuit collatꝰ, nulla enim merita paria erant effusioni illi visibili Spiritus sancti. Et *precum*, quia testante Paulo, Quid oremus nescimus spiritus est, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nõ quod Spiritus sanctus oret Deũ, quippe ipse est verus Deus: sed quia nos excitat ad orandum. Simili phrasi Hispanè dicimus, medicum qui suis medicamentis fecit vt fœmina aliqua fertilis esset ex viro suo fœminam impregnasse: quia scilicet sua arte fecit vt fœcundaretur. ¶ Quia igitur hoc impletum credimus in ecclesia primitiua, ideo huius capitis intelligentiã retulimus ad ecclesiam primitiuam. In ecclesiam item posteriorem, qualis est quæ secuta est apostolica tempora, item Deus effundit spiritum gratiæ & precum: at vero non tanta abundantia donorum & gratiarum abundat posterior quanta prior referta fuit ecclesia, vt supra diximus. Per domum Dauid secundũ literalem sensum nequimus intelligere materialem domum Dauid, sed ecclesiam primitiuam, & posteriores, quia sunt domus Christi, filij Dauid Matth. 1. *Et aspicient ad me quem confixerunt & plangent eum planctu, quasi super vnigenitum: & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti*, hunc locum Ioan. cap. 19. commemorat esse in Christo impletũ. Et impleta est ait alia scriptura quæ dicit, & videbunt in quem transfixerunt. Quo circa, hæc sunt verba Christi, quæ de se loquitur in tertia persona. Simile huic videmus in Apocal. cap. 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Tametsi hic locus ad diem iudicij quãdo descendet Christus in maiestate magna de cælo, & videbitur ab omnibus hominibus, & damnatis & beatis. ¶ At vero locus nostri vatis ad passionem Domini est referendus, vt Ioannes retulit. Et est sensus effundet Deus super domum Dauid &c. Spiritũ gratiæ, qui illuminat corda Iudæorum & gentiũ quæ Christum cruci affixerunt, & tũc videbũt, hoc est credent esse Christũ verum Messiam, vt Centurio ille cõfessus est verè, hic homo dicens, *filius Dei est. Et multi reuertebantur Ierosolymã percutientes pectora sua pœnitudine affecti, quod Dominũ cruci affixissent.* Et latro cruci etiam appẽsus confessus est, Dominum Iesum esse verum Messiam, cui Dominus, Hodie mecũ eris in paradiso. ¶ At vero quod de planctu ait, non est admodum perspicuũ, quid velit, siquidem non legimus tantum planctum, quantum hæc scriptura commemorat editum fuisse ab Apostolis, ex morte Christi. ¶ Legimus Mariam Magdalenam fleuisse ad sepulchrum, quia tulerunt, inquit Dominum meum & nescio vbi posuerunt eum: non flebat mortẽ tunc, sed oblationem eius ex sepulchro, quem credebat esse mortuũ, item legimus Apostolos Lucæ 24. tristes fuisse ex nece Domini sui, nõ tamen eos fleuisse adeo legimus, vt solent flere parentes ex obitu filij dilectissimi,

Vaticiniũ de aduẽtu visibili spiritus sancti.

Vaticiniũ de passiõe Christi.

quales sunt vnigeniti. ¶Porrò autem satis credibile est, maximè fleuisse discipulos Domini ex morte Dñi, quia ipsum summè diligebant. ¶Aut secundo dicendũ est. quod prophetia hæc in ecclesia impletur semper. Siquidem quãdo ecclesia anniuersariam celebrat memoriam dominicæ passionis, multus fletus excitatur in ecclesia Dei ex compassione ad Christi innocentissimi mortem. ¶Et quidẽ nullius vnigeniti mors tanto fletu prosequitur, quanto mors Christi à fidelibus, siquidem, temporis lapsus, memoriam mortis huiusmodi obliterat. At memoriam mortis Christi, quia est nostrorum vulnerum antidotum, deleri nequit ex Dei ordinatione. ¶Et obserua vatem vocare Christum, & vnigenitum, & primogenitum, vt etiam nouum testamentum eundem vocat vnigenitum, vt Ioan. 1. vnigenitus, qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis, item & appellat primogenitum, vt apud Matth. 1. Peperit filium suum primogenitum. Id quod intelligenegatiuè, antequem, videlicet nullũ genuit B. Maria, non tamen affirmatiuè, id est genitus ante alios. Istud enim est hæreticum dogma, quia Dei patris Christus, vt Deus est vnicus filius, & virginis vt homo vnicus filius. *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem*, sicut planctus Adadremon, in campo *Magedon*. 2. Paral. 35. traditur Iosiam fuisse occisum in campo seu planitie appellata Magedon, quæ vt traditur erat proxima vrbi Adadremõ, legimus autem loco citato maximum planctum fecisse Ierosolymitas super mortem Iosiæ, quẽ vulnerauit Nechao rex Ægypti in campo Magedon. Et quod anniuersario plãctu illum plangebant in Ierusalem, & solenni planctu, eum flebant cantores, atque cantatrices. Et quasi lege erat cõstitutum in Israel, vt anniuersarius esset de Iosiæ morte planctus. ¶Id quod videmus de morte Christi fieri in ecclesia Dei: fuerunt autem quidam insipientes, homines damnantes huiusmodi morte Christi in ecclesia Dei planctus. Probãtes suam assertionem: quia Christus iam regnat in cælis gloriosus, quorsum igitur flenda est mors eius? Præterea, quia mors Christi, est triumphus fidelium, erit potius gratulandum. ¶Tertiò quoniã Dominus fœminis flentibus post eum, dixit filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, Dominus igitur prohibuit fletum de passione sua. ¶Porrò autem prophetia hęc hanc opinionem reprobat, & consuetudo antiqua ecclesiarũ, eandem non probat. Enim verò nobis est natiuum compati innocentibus iniustè patientibus mala, cum ergo prædicatur Christi innocẽtissimi durissima mors, naturaliter compatimur, vnde & lachrymæ sæpè desultant. ¶Sanè nihil vetat gaudere, de gloria Christi, & cõpati de eius morte. Mors igitur Christi, vt nobis reserat cælestia regna, nos perfundit gaudio, vt autem est mors innocentissimi agni, quam tulit pro vniuerso mundo, hac ratione incutit fidelibus compassionem, & fletum. ¶Quod verò Dominus dixit Ierosolymitis fœminis, ex eo dixit, quo intelligerent mortẽ suam, non esse mortem vt aliorum hominũ, qui à morte non possunt se liberare, sed inuiti patiũtur. At Christus spõte moriebatur & seipsum suscitare debebat, tertio die à morte sua. Ideo dixit, nolite flere super me, subaudi, vt fletis super alios, qui cruci adiguntur. At vero non prohibuit, quod morti eius compatiamur, vt prædictum est. Abolenda igitur est hæc opinio vt veritatis inimica.

Christus vnigenitus filius Dei & primogenitus Mariæ.

Fletus de passione Domini sunt prohibendi.

¶Quanuis non admodum probauerim repræsentationes quasdam facere vt aliquando Hispanis fuit consuetum ad prouocandum huiusmodi fletus: siquidem multa in commoda, ex illis acciderunt: & pro fletu fœpè redditur risus. Sufficit euangelicam denarrare pro suggestu lectionem, vt Christi morti compatiamur: absque eo quod alias inuentiones excogitemus. *Et plangent terra familiæ, & familiæ seorsum, familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorũ seorsum familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum omnes familiæ reliquæ, familiæ, & familiæ seorsum, & mulieres eorũ seorsum.* Hebræis consuetum erat mulieres seorsum à viris, & orare, & plorare. Ideo ait, mulieres eorum seorsum. Prædicit autem mortem Domini, à multis & diuersissimis cognationibus, & familijs esse plangendam, id quod impletum cernimus in ecclesia catholica sunt qui putant, hoc vaticinium implendum in fine mundi, quando Iudæi conuertentur ad Christum, quia ex Methodio martyre creditur, ex qualibet tribu quadraginta quatuor millia subituros martyrium, quod martyrium planctum hic vocat vates. At germanior est prior expositio.

Repræsentationes dominicæ passionis facere non licet.

Moralia.

QVI volet hoc caput donare moralibus sensibus facilè poterit verũ locum illum. *Et effundam super domum Dauid, & habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, &c, & quod sequitur, & aspicient ad me quem confixerunt*, poteris si voles moraliter referre ad peccatores fideles quibus Deus donat spiritũ gratiæ suæ, eos trahẽs ad pœnitentiã. Siquidẽ pœnitentiã nemo consequetur nisi ex spiritu gratiæ diuinæ operãtis, & cooperãtis, hic spiritus gratiæ est etiã spiritus precũ. Siquidẽ postquã homo Deo gratus fit preces, quoq; sunt Deo gratæ. Vnde psal. ait, si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dñs. Postquã autẽ peccator spirituũ gratiæ & precũ ade prus est, aspicit Christũ cruci quẽ cõfixit. ¶Etenim peccatores iam illuminati ex spiritu Dei huiusmodi aduertunt, se peccatores fuisse, & grauiter offendisse Deũ, & dolent de patratis culpis, & instituũt nouam vitã secundũ Deũ. ¶Peccatis autẽ nostris quadã tenus ratione Christũ cõfiximus, vt Paulus meminit ad Hebr. 6. Rursus crucifigentes sibi filiũ Dei. Quãuis fideles crimi nosi antequã pœnitudine afficiãtur de peccatis suis cognoscunt se offendisse Christũ suis peccatis: cæterũ nunquã verè hoc aduertũt quousq; à peccatis suis desistunt: vt qui vescitur sibi noxio cibo, etsi sciat esse noxium, sanè ipso facto videtur sibi cibus nõ noxius, siquidẽ ipso vescitur. At vero, quãdo desistit ab esu propter nocumentũ quod sibi timet ex cibo, tunc verè cognoscit esse noxiũ cibũ. ¶In quẽ propè modũ, peccator etsi per fidẽ quã gerit mortuã, cõfiderat opera quibus delectatur esse noxia & diuini numinis offensiua, cæterũ facto illa exercens videtur nihili facere peccare contra Dominũ: quando autem verè pœnitet, & abstinet à sceleribus admissis, tunc vere leuat mentis oculos, vt aspiciat ad Christum, quem suis criminibus, visus est configere, vt verè dixit vates sub Christi persona, & aspicient ad me, &c.

Peccatores post acceptũ gratiæ ex pœnitẽtia vere aspiciũt in Christũ quem confixerunt.

EXPLANATIO IN ZACHARIAM CAP. XIII.

IN die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Caput hoc totum gratiam spirat euangelicã. Qua coruscante idololatria abolita fuit, & pseudo prophetæ sunt consopiti. Nanque diabolus, qui eos afflabat per Christi mortẽ confractus, non afflat eos, vt responsa, & vaticinia falsa edant. Quãuis autẽ adhuc apud Indos, orientales & occidentales, apudq; Æthiopes, vigeat idololatria, tamẽ ex maiori parte orbis exposa est. ¶Et apud Indos quoque opera Hispanorum fidelium, etiam profligata est, vt etiam apud Æthiopes qui appellantur Gilophij, & Monicongij, item exposa fuit sub rege Emanuele Portugaliæ: quãuis vt ex relatione quorundam accepi relapsi sunt in pristinã idolorum impietatem. ¶Verum tandem fine mundi aduentante, quando plenitudo gentium subintrabit, & Israel saluus fiet, quia tunc Iudæi suscipient fidem Iesu Christi, prorsus idololatria extinguetur à toto orbe. Quod si dixeris, qua ergo ratione, Dominus ait, Nũc princeps mundi huius eijcietur foras? Ioan. 12. Siquidem adhuc non est eiectus foras, vt multitudo infidelium quam diabolus inhabitat luculento est nobis testimonio. ¶Respondetur, quod verba illa secundum se vera sunt, siquidẽ quantum est ex morte Christi diabolus eiectus est foras. Cæterum venit lux in mundum Christus, & dilexerunt homines tenebras, & non lucem. Sanè sole exoriente tenebræ eijciuntur, verum si homines querunt latibula non illuminabuntur, num solis est defectus, an fugientis solem? Si fons manat aquas multas, & sunt qui sitiant, at nihilominus nolunt accedere ad fontem, nũ fonti succensebis si siti pereãt, an declinãti fontem. Fons autem, iam est patens in mũdo, ad ablutionem peccatoris, & menstruatæ, qui fugiũt hunc fontem, sub peccatis suis, & sub mẽstruis suis, diaboli mãcipia erũt. ¶Ideo ait vates, *In die illa*, quando euangelica gratia Iesu Christi coruscauerit in mũdo, erit fons baptismi patens in ecclesia Dei, qui fons erit ad ablutionem peccati, & menstruorum, nam ita habet Hebra. lectio. Per menstrua igitur, quæ conceptionem nostram spectant intellige originale peccatum, quod expiat baptismalis aqua, & per peccatum, reliquam peccatorũ molem, mortalium & venialium. ¶At quæret aliquis, cur ait, quod erit patens domui Dauid, quãdoquidem baptismus omnibus hominibus patet? Respondetur, vt sæpè est annotatum per domum Dauid fideles intelli-

Ioan. 1.

Baptismus est fons expiãs semel omnia scelera.

telligendos,& idem per habitantes Ieruſa lem,fidelibus igitur ſolum modo patet ba ptiſmus. Siquidem ,qui fidem non habet, non poteſt mundari ex baptiſmo , ideoq; infidelibus baptiſmus non patet , quando quidem cum non credant gratiam baptiſmi,eos latet fons baptiſmi. ¶ Infantes autem non ſunt infideles priuatiuè , ſed ſolum negatiuè:quia etſi non habent fidem, verum fidei non repugnant,ideo ſi ritè eis adminiſtretur baptiſmus , ſub eccleſiæ forma,proficiet eis ad ſalutem, & per baptiſmum donabuntur fide. *Et erit in die illa dicit Dominus exercituũ diſperdam nomina idolorum de terra,& non memorabuntur vltra* : & pſeudoprophetas: *& nomina idolorum auferam de terra.* Viguit equidem plurimum idololatria in vniuerſo, ante Chriſti euangelium,quo euulgato paulatim fuit abolita , per nomina idolorum , intelligit idola ipſa. Vnde apud omnes Saracenos, & Turcas,quorum eſt immenſa multitudo,quanuis ſunt infideles , & Chriſti euangelio repugnantes,idola tamen reſpuũt : & vnum Deum ſolum adorant. ¶ Et ſi quia ſyncerè non colunt Deum , ſed iuxta ſordidam ſectam ſui pſeudoprophetæ , diabolus eos inhabitat,ideo ſunt apud eos diuinatores, & Pythoniſſæ,ventiloquæ. Et ſi non adorant idola , nihilominus virtualiter adorãt diabolum quibuſdam verbis & ſuffumigationibus eum colentes & inuocãtes , & pacta cum eo ineuntes. *Et erit cum prophetauerit quiſpiam vltra,dicent ei pater eius,& mater eius,qui genuerunt eum,non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et confingent eũ pater eius & mater eius genitores eius.* Sub luce euangelica cognita veritate fidei, falſis vatibus non erit locus quoniam erit abominationi falſus vates à Deo , vt pater & mater falſi vatis, pronuntient ſuam prolem eſſe dignam morte hoc vitio contaminatam. *Configent eum,* dignum iudicabunt, quod huiuſmodi piaculum crucis morte expietur. Siquidem mors hęc ſuſpendij in cruce, pro maximis criminibus infligebatur olim,comprehenduntur autem ſub falſis vatibus,etiam hæretici. Etenim nõ ſolũ falſi vates ſunt , qui ventura falſo annuntiãt,vt diuini ſeu auſpices,Pythoniſſę,&c. Sed etiam qui falſo interpretantur diuina eloquia. Et huiuſmodi ſunt hæretici deprauantes ſcripturam ad ſuam ipſorũ perditionem. In hos iuſtiſsimè animaduertit eccleſia incendio. Et ſæpè parentes deferunt filios hæreticos ad Inquiſitores,vt eos flãmis deurant, quia crucis ſuſpendiũ non eſt in vſu apud fideles,propter honorẽ crucis Domini. *Et erit in die illa cõfundentur prophetæ vnuſquiſque ex viſione ſua cum prophetauerint.* Hebrai. quam prophetauerit, vt referat viſione relatiuum quam , ideſt pudebit falſum prophetam, de quibus nũc fit mentio,vt ex ſuperioribus patet. Pudebit ſcilicet eum ex mendaci viſione,quia prodiderit. Deo patefaciente eius falſitatem. *Nec operientur pallio ſaccino vt mentiantur.* Videtur ex hoc loco ,pphetas veros vſos fuiſſe veſtibus aſperis,& villoſas induiſſe clamides,vt patet de Elia Dei vate.4.Reg.& Iſa. 20. Solue ſaccum de lumbis ſuis , quos imitabantur pſeudoprophetæ , vt ex veſtimẽto ab inſipientibus putarẽtur eſſe veri prophetæ,ſignificatur per hæc,quod in eccleſia catholica lucebit fidei veritas à Deo vt hæretici & impoſtores non poſsint ſuis technis,& argutijs, aut hypocriſi obſcurare. *Sed dicet non ſum propheta homo agricola ego ſum,quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.* Tantum aberit vt profiteãtur ſe eſſe prophetas, quod planè inficiabũtur ſe eſſe prophetas. Imo dicent ſe eſſe agricolam quem Adam,ideſt homo aliquis inſtituit in arte agricolãdi , ab adoleſcentia ſua. *Et dicetur ei quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum* ? Dicetur ei negãti ſe eſſe iam pſeudoprophetã,quæ ſunt plagæ iſtæ ſeu tuores iſti, quibus affectas manus tuas habes ? *Et dicet his plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Hæc ſuſtinui , in ſupplicium pſeudoprophetandi, quod mihi intulerunt parentes , & genitores mei. Hæc omnia non ſolum impleta ſunt in primitiua eccleſia cõuerſis multis Iudæis ad Chriſtum , ſed etiam in vltima conuerſione ad Chriſtum quæ accidet aduentante die iudicij,implebuntur. Quia nunc cognoſcent Iudæi ſe fuiſſe ſeductos ex ſuis falſis doctoribus,& pœnas ſument parẽtes & propinqui de filijs & cognatis, non credentibus in Chriſtum. Quia tunc magno feruore cõuertentur in Chriſtum , poſtquam plenitudo gentium, ideſt omnes gentes ſuſcepe runt fidem Ieſu Chriſti,quia tum Iſrael ſaluus erit,Rom.11. à Deo, quod S. Methodius martyr proditum reliquerat ex qualibet tribu ſubituros martyrium pro Chriſti amore quadraginta quatuor millia. Apocal.autẽ Ioan.non tot cõmemorat,ex qualibet enim tribu vidiſſe ſignatos, ſed ſolum duode-

Infidelib⁹ non patet baptiſmus.

Infantes ſunt infideles negatiuè,non priuatiuè.

Hæretici ſunt pſeudoprophetæ.

Conuerſis omnibus gẽtibus ad Chriſtũ Iudæi conuertentur in fine mũdi.

duodecim millia ſignatorum teſtatur ſe vidiſſe niſi ad aliud ſit referenda viſio Ioan. cap.7. ¶ Verum iſta Deo ſoli ſunt nota, quot ex qualibet tribu tunc ſubibũt mortem pro Chriſto:quod ſi forte Methodius habuit de re hac reuelationem diuinam, ſanè quia canonica non eſt non habet multum fidei : verum quia à martyre dicta eſt non eſt omnino ſpernenda. *Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum , & ſuper virum cohærentem mihi* , Quia vates dudum meminerat de Chriſti paſsione hæc ſubdit, vt admoneat paſsionem Domini ex æterno Dei conſilio fuiſſe ordinatam ad humani generis ſalutem, eſſeque nõ propter paſſuri culpam,ſed propter noſtras iniquitates,id quod item Iſaias meminerat dicẽs propter ſcelus populi mei percuſsi eum. ¶ Ait igitur, *Phramea*,ideſt gladio,ſic enim à Græca habent. Et Dominus in pſal. patrem precatur,dices.Pſal.21. Erue à phramea Deus animam meam : & de manu canis vnicam meam. Sunt autem verba Dei patris ſuam ordinationem de morte Chriſti ex primentis per Zachariam , *Phramea*, ideſt gladio , *ſuſcitare*. Per gladium autem non materialem ſubintellige gladiũ , quia Dominus gladio non fuit occiſus,ſed cruci affixus fuit mortuus aut intellige tribulationẽ & paſsionem Chriſti. Vt etiam Simeon dixit B. Virgini,& tuam ipſius animam pertranſibit gladius , id eſt maxima te premet anguſtia ex morte filij tui. *Suſcitare*,imperatiuum vſurpatur pro indicatiuo. Nanque Deus pater non iuſsit Iudæis, vt Dominum Ieſum occiderent. Etenim ſi iuſsiſſet immunes fuiſſent à culpa Dominicæ necis:at vero fuerunt maximè culpabiles occidentes Iudæi Dominũ. Ideo Dominus dixit, Veruntamen qui me tradidit tibi maius peccatum habet Ioan. 19.

¶ Nanque etſi mors Chriſti ſit mundi ſalus,cæterum interfectores non hoc intendebant mundi ſalutem,ſed ſua odia contra Chriſtum concepta explere,ipſum adigendo cruci. ¶ Imo etſi ſcirent mundi eſſe ſalutem,non erant facienda mala , vt prouenirent bona. ¶ Deus igitur pater tradidit filium pro nobis non iubendo,ſed permittẽdo eum impiorũ tyrannidi , vt fœuitia ſua, ipſum occiderent. Et ipſe Chriſtus,item ſe tradidit in manus impiorum,non imperando,ſed non repugnando eorum impijs conatibus,cui tamen luberat in momẽto eos peſſundare. Ideo aiebat Iudæis multa opera bona oſtendi vobis, propter quod horum me lapidatis, Ioan. 10. ¶ Cæterum vt Exod.7. Pharao indurauit cor ſuũ, ne obediret diuinis miraculis,id quod fuit vt diuina potentia ex duritie illius magis clareſceret,ad Rom. 9. ita quoque Iudæorũ corda ex miraculis & doctrina Chriſti induruerunt vehementiſsimè, ex quorum duritie ſalus mundo per mortem Chriſti Dei clementia vertente mala in bonum noſtrũ acceſsit. *Suſcitare*,ideſt ſuſcitabitur paſsionis gladius *ſuper*,ideſt contra paſtorẽ meũ Chriſtus eſt paſtor verus hominum Ioan. & 10. Ego ſum paſtor bonus , non eſt paſtor ille cuius mentionem fecerat vates ca. 11. qui habebat vaſa paſtoris ſtulti,qui nomine tenus erat paſtor , & re ipſa hoſtis. Sed eſt paſtor bonus habens vaſa veri paſtoris: ſunt enim vaſa huius boni paſtoris , crux eius & claui,per crucem enim ſeu per baculum vniuerſum chriſtianum gregem ducit ad paſcua æternæ vitæ , per clauos ſecum configit oues ſuas ne ad præcipitia vitiorũ vadant : ſibilus huius paſtoris,eſt euangelium, ex quo ſibilat omnibus hominibus, vt ſalutem conſequantur. Pera eius eſt caro,ſacroſancta eius vbi abſcondita eſt eius diuinitas,quæ vita eſt ſui gregis,canes eius ad arcendum lupos , ne mactent ſuas oues ſunt apoſtoli Domini & diſcipuli & ſucceſſores eorum:qui oblatrãt aduerſus peccata,vt arceant truculẽtiſsimi lupi diaboli truculentam rabiem,eſt quoque inter vaſa paſtoris recenſendum cornu,quod oleo iuniperi implent paſtores,quod Hiſpa.appellatur,miera. Hoc nanque oleo ſcabioſas inungunt oues , vt ſcabiem decutiant, & ſanentur. Eſt autẽ cornu iſtud ſacramentum baptiſmi, item & aliud cornu pœnitẽtiæ ſacramentum quibus peccatorum ſcabiem ſanat Chriſtus. ¶ En tibi huius paſtoris vaſa ſeu inſtrumenta diuina paſtoralia quibus vtitur erga gregem ſuum Chriſtus. Omnes ſanè nos ſicut oues errauimus vnuſquiſque in errorem ſuum declinauit Iſa,53 At vero hic paſtor deuias oues inveritatis viam reduxit:quod ſi quæ non reducuntur , non eſt negligentiæ paſtoris ſuccenſendum, ſed vitio vertendum ouibus. ¶ Hic item paſtor paſcit pecora occiſionis, quia omnes homines in Adam peccauerunt , ideo omnes ſunt oues occiſionis , id eſt digni interitu æterno , at vero paſtor hic ex ouibus occiſionis fecit oues vitæ, & conſolationis. Quia ouibus ſuis dedit vitã, ipſe

Indæi ad ſidem mundi ſanguinem fundent pro Chriſto.

Lucæ.2.

Chriſtus verus paſtor, & quæ ſunt vaſa eius.

Vaſa paſtoralia Chriſti.

ipse propriam perdens vitam. Pastor inquit bonus animam suam dat pro ouibus suis.¶Pastor autem stultus & impius, animam ouium suarum tollit, vt commodis suis consulat, & sanguinem ouium sugit, vt ipse impinguetur. At vero hic verus pastor sanguinem suum fudit in vitale poculum suarum ouium. Ideo ait, *Pastorē meum*, quia hic pastor verè est Dei pastor, nihil in hoc pastore alienum est, à Deo. Nihil in eo mundus, nihil caro nihil diabolus habent, imo totum quod in ipso est Dei est. Nunc inquit princeps huius mundi eijcietur foras, & in me non habet quicquam Ioan. 12. Quinimo, non solum hic pastor est Dei, sed est Deus, quare subdit, *super virum cohærentem mihi*. Hic ergo pastor est pastor, & vir cohærens Deo: quia Deo patri est consubstantialis. Hic tu vides duas expressas naturas in Christo in personæ vnitate diuinæ vnitatem. Nanque cum ait, *virum* humanam indicat naturam, cum addit cohærentem mihi, diuinam non obscurè docet naturam. *Dicit Dominus exercituum* firmissimè sunt verba hæc veritatis, quia illa dicit Dominus omnipotens, qui fallere nequit, *Percute pastorem, & dispergentur oues, & conuertam manum meam ad paruulos* Matth. 26. & Marci 14. verba hæc indicantur, & sub morte Chri esse impleta docetur. Nā pastor apostolici gregis Christus erat, quo percusso, id est sub eius passione apostoli sunt dispersi, omnes nanque relicto Domino fugerunt. *Et conuertam* vocat paruulos quos paulò antè dixerat oues, paruuli autem significant hoc loco eos qui sunt humiles & morigeri Deo. De quibus Dominus ait, Sinite paruulos venire ad me, taliū enim est regnum cælorum. Et rursus confiteor tibi rex cæli & terræ, quia abscondisti hæc sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et apostol⁹ monet nos esse paruulos malitia, non sensu. Nonnūquam autem vox hæc in scriptura imbecillitatē in fide denotat quale illud est, vt paruulis in Christo vobis lac in potum dedi non escam non enim poteratis, &c. Hoc autem loco, vsurpatur iuxta priorem significationem. Ait igitur Deus manum suam esse cō uersurum super paruulos, idest afflicturū apostolos & discipulos Domini: quos nunc propter causam relatā paruulos vocat. Apostoli enim post ascensum Domini in cælum, varijs fuerunt diuexati persecutionibus: vt oues pastoris vitali cibo refectæ etiā pastoris quas sustinuit persecutiones sustinerent. Quia non est maior seruus Domino, neque discipulus est supra magistrum neque ouis excellit pastorem, vnde ait, Pastor, si me persecuti sunt & vos persequentur. *Et erunt in omni terra dicit Dominus partes duæ in ea dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea.* Difficilis locus, ideo vel intelligit de reprobis Iudæis & electis fidelibus, qui fuerunt sub deuastatione facta à Tito vt sit sensus, quod tertia pars Iudæorum fuit à Deo tunc seruata, quia electi fideles erāt alijs duabus partibus deuastatis ob eorum incredulitatem, vel referendus est, ad gentes & Iudæos infideles quæ sunt partes duæ hominum, & ad Christianos quæ est tertia pars, & hæc seruabitur alijs perditis duabus. *Et ducam tertiam per ignem, & vram eos sicut vritur argentum: & probabo eos sicut probatur aurum.* Tertiam partem electorum vrendam esse igne tradit modo. Atqui ignis in scriptura noua, & veteri significat tribulationem vehementem. Vnde apostolus, ipse tamē saluus erit, sed quasi per ignem, idest salutem æternam consequentur electi purgati tamen per ignem purgatorium, idest in hoc per patientiam in tribulationibus, & in altero seculo per tolerantiā purgatorij ignis. Vnde Petrus vt probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur. Et rursus Sapien. 3. Tanquam aurū in fornace, probauit illos, & quasi holocausti hostiam suscepit illos. Ego autem per hanc tertiam partem, non intelligo christianismum, siquidem multi ex christianismo peribunt, vt patet ex parabola illa seminis, quod seminatū est, à Christo per Apostolos. Seminis enim istius quoddam, cecidit secus viam, quod à volucribus cęli comestū, illudque terra non concepit, & hoc significat infideles, quibus prædicatū est euangelium, & ab eis non susceptum. Aliud cecidit in petrosam terram, & natū aruit, & istud significat eos, qui receperūt fidem Iesu Christi, & receptam reiecerūt ad tempus, inquit, credunt & in tempore tentationis recedunt. Quales multi fuerūt sub exordijs nascentis ecclesiæ: siquidem tribulationes & tormenta fugientes intentata contra fideles, multi deserebant fidē. Aliud autem cecidit in spinosam terrā, & suffocatum est, quod significat eos qui recipiunt fidē, at vero etsi eam non reijciūt, verum gestant fidem sterilem, & sine fructu:

In Christo duæ naturæ diuina & humana in vnitatē hypostaticam.

1. Petri. 1.

Parabola seminis explicatur apertè.

Matt. 13.

Infideles hæretici, & apostatæ.

Peccatores fideles iusti fideles hos quatuor hominum modos parabola significat,

ctu: quæ fides vocatur mortua à Iacobo. Aliud autem semen cecidit in terrā bonā, & retulit fructum varium: quod significat fideles, qui ex fide viua operantur. ¶Sunt ergo ex numero baptizatorū, quidam qui fidem explodunt, vt apostatæ & hæretici, alij qui fidem non explodunt, sed seruant incontaminatam, at vero fidem habēt mortuam. Demum sunt alij, qui fide pollent viua. Non ergo omnes qui baptismate sunt proluti, sunt electi, vnde tertia pars hęc cuius meminit hic vates, non significat eos, qui dederunt nomina Christo in baptisma te, quia horum multi peribūt, nam solum seruabuntur, qui fidem viuam retinuerint. ¶Ex hac autem parabola bene considera, quam delyrus sit Lutherus dogmatizās solam fidem sufficere ad obtinendam vitam æternam. Nam respondeat ipse si fides sola sufficit, quomodo semen illud, q̄ cecidit inter spinas suffocatū, nullius fructus fuit ferax? Quia scilicet à solicitudinibus & spinis & voluptatibus huius seculi suffocatū, fuit semen infructuosum: quod si non suffocaretur, esset frugiferū. Fides igitur suffocatur à peccatis nostris, vt nō possit referre fructum: & hæc fides suffocata est mortua fides, mortua igitur fides, non prodest ad vitam consequendam. Verum ad nos redeamus per tertiam partem intelligere oportet quam primo diximus esse tertiam partem, nam electos sub exordijs ecclesiæ oportet intelligere. Et per omnem terram solum Iudæam subaudire. *Percute*, videtur verbum hoc referri ad phrameā cuius paulò antè meminerat, idest, ò tu phramea percute pastorem &c. vt est verbum Dei patris. At vero euangelistæ, aliter extulerūt. *Percutiam pastorem*, & hac ratione vsurpatur modus p̄ modo, q̄d est frequētissimū in diuinis literis: at si sub imperatiuo legamus, est figurata locutio prosopopeiæ, ex qua dicitur à Deo phramea, percute, &c. verum quia euangelistæ expresserunt sub indicatiuo, ea ratione est accipiēdum. *Ipse inuocabit nomen meum & ego exaudiam eum.* Hebrai. *Ipsa*, & refertur ad partem residuā, quæ seruata est. Et quia dixerat hanc partem esse vrendam & probādam igne, ideo subdit, quod pars hæc electorum inuocabit nomen Dei in tribulationibus suis, & exaudietur à Deo, vt reuera exaudiuit, qa apostoli & discipuli Domini, fuerūt à Domino protecti, pro eum lege eam, quia nō refertur ad pastorem, sed ad partem electā à Deo, de qua dixerat, & tertia pars relinquetur in ea. *Et dicā populus meus es, & ipse dicet Dominus Deus meus.* Subaudi dicet populus de me, Deus meus es tu. Et est sensus populus electorū, quem supra dixerat partem tertiam residuam, ducendā per ignem implorata Chri ope, & adepta dicet Christum esse Deum suum, & Christus vita cō stantia suorum electorum in tribulationibus dicet, populus meus es tu. ¶Multa de passione Domini essent adiungenda huic capiti, nisi plura de eadem materia in propria declamatione de passione Domini à me essent enarrata in declamationibus nostris ad Isaiam: ideo nunc à maiori tractatu duxi abstinendum.

Lutherus explodi-tur.

EXPLANATIO
IN ZACHARIAM
CAP. XIIII.

Ecce dies Domini veniet. Equidē hoc finale caput est nimia obscuritate obuolutū, ideo expositiones diuersæ illi tribuūtur. Quibusdam enim probatur quantum ex consequentibus colligere licet, hoc caput totum referēdum esse ad ecclesiæ finalem vexationem quæ accidet sub Antichristo, quæ maxima erit. Nam ait infra. *Et veniet Dominus Deus meus, & omnes sancti cum eo*, id quod in die iudicij implendum scriptura apertè testatur, vt subiungendis liquidū erit. Rursus diuisio realis mōtis olearum, hactenus facta non est, & tunc fienda traditur. Alij vero quia prior pars huius capitis, rectè potest exponi de desolatione ciuitatis Ierosolymæ per Titum, & Vespasianum. Et hanc explanationē sectatus est Euseb. lib. 2. de demonstra. euang. arti. 15. *Capitē.* 18. Et item post eum Theodoretus in cōmen. Neque hoc incōsuetum, aut nouum est in Sanctis scripturis, multas subire interpretationes, quia plerunque hoc illis accidit. Vnde hæretici fouent sua dogmata, nouas explanationes inducentes ad loca scripturarum. ¶Quamobrem pro necessarijs fidei & morum decidendis articulis necesse est autoritatē esse supremā, quæ secernat sensum catholicum à sensu hæretico. Alias ecclesia incertitudine laboraret, quolibet eum sensum amplectente, qui sibi & suis dogmatibus astruendis commodiorem arbitraretur. ¶Iure igitur sedes apostolica hoc sibi vendicat iudiciū, quippe quæ suprema

Lutherus refellitur.

prema est in ecclesia apostolica. At hæretici, vt suis hæreant erroribus, sedem apostolicam ab hoc iudicio nituntur expungere, blaterant enim Lutherani, scripturam esse lucidam, ideo non egere hac suprema sua sedis dijudicatione. At qua ratione lucida est scriptura per se, cuius catholici sensum vnum habẽt, & hæretici alium: quod enim multis patet sensibus lucidum esse ne dixeris, sed egere dilucidatione fatearis oportet. ¶Vnde iudex de hac re non est hæreticus, sed neque catholicus quiuis, sed iudicium esto penes suprema sedem, de qua re superius non semel meminimus.

Sẽsus pios quilibet p arbitrio potest scripturæ inferre.

¶Porro autem in rebus quæ fidem, & mores non spectant necessario, scripturã pluribus intelligentijs donare, non euertentibus fidem in arbitrio est lectoris vel doctoris eam exponentis. Et huiusmodi sunt verba huius capitis, quippe quæ subdũtur varijs explanationibus. ¶At vero censuerim expositionem posteriorem, congruere magis textui. Et si in processu capitis nõnulla interseruntur: quæ commodè possunt referri ad alia, quam ad desolationem factã per Romanos principes. Id quod non est alienum à diuis prophetis, multa immisce re in contextu suorum vaticiniorum, quæ videtur esse digressiones à primo instituto. Ait igitur. *Ecce dies, &c. Dicit Dominus.* Græcè, legitur in plurali, vt in quibusdam Biblijs, *dies venient.* at Hebr. & in correctioribus Biblijs in singulari, *venit.* Dies Domini appellatur in scriptura, quando Deus ipse, vel maximam miserationẽ suam, vel maximam iram ostendit. Vnde, quia nũc prædicit vates vltimam & longe infeliciss mam deuastationẽ Ierosolymæ vbi Deus suam iram magnam protulit cõtra Iudæos: ideo vocat diem Domini, *venit*, pro *veniet. Et diuidentur spolia tua, in medio tui*, irruenti bus violentia magna Romanis in Ierosolymitas, hos spoliauerunt & non solum spoliauerunt, sed & spolia ipsorũ in ipsa ipsorum vrbe sibi distribuerũt hostes, id quod significat, prorsus futuros Ierosolymitas impotentes ad repugnandum Romanis. Si quidem in conspectu illorum, in ipsa vrbe isti sibi distribuent spolia. *Et congregabo omnes gentes ad Ierusalem in prælium.* Siquidem Romani cum essent Domini tunc orbis ex omnibus gentibus habebãt milites stipendiarios. Ideo prædicit quod ex omnibus gentibus erant venturi ad præliandũ cum Ierosolymitis. *Et capient ciuitatem*, nam obtinuerunt Ierosolymam Romani & deduxerunt captiuos Iudæos. *Et vastabuntur domus, & mulieres violabuntur.* Id quod semper accidit in huiusmodi prælijs, obtenta ab hostibus victoria. *Et egrediatur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur.* Siquidem Romani fidelibus multis ex Christi gratia pepercerũt. *Et egredietur Dominus & pugnabit cõtra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis.* Deus non mutat locum quia immutabilis est, at dicitur egredi non loco, sed effectu. Propter nouam ergo & admirabilem quã noue exercet operationem, dicitur egredi. Simile est illud, exurgat Deus & dissipentur inimici eius: vt sæpe suprà annotatũm est. B. Theodo. locum exposuit, quod Dominus erat præliaturus tunc contra Iudæos in fauorem Romanorum, sicut in die certaminis, quando scilicet Deus pugnauit contra Pharaonem Exod. 14. verum videtur ex contextu, quod huiusmodi gentes cõtra quas prædicitur Dei pugna, sunt illę eædem de quibus dixerat, & congregabo omnes gentes. ¶Rursus, qũia in die certaminis, cuius hic fit mentio, fuit in fauorẽ Hebræorum quãdo diuina virtute, demersi sunt Pharao, & comitatus eius militaris in mare rubrum. Propterea videtur huiusmodi prælium diuinum cõtra gentes, esse prælium apostolicum, & discipulorũ Domini contra infidelitatem Romanorum, & aliarum gentium. Tunc cum egressus est Dominus mirabiliter operans per apostolos ad euertendam vetustissimam gẽtium idololatriam. *Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad orientem: & scindetur mons oliuarum, ex media parte sui ad orientem, & ad occidentem præruptu grandi valde.* Trãslatio autem Vatabli, sic habet, quia locus hic est obscurissimus, ideo oportet translationes conferre. *Diffinditurq́ mons olearum medius versus orientem, & occidentem (vt sit) vallis maxima: dimidium deinde illius montis deflectet ad aquilonem, & dimidium eius ad austrum.* Qualem vates dicat diuisionẽ montis olearum propriam, scilicet diuisionem, an figurata sit potius locutio, vt est solenne vatibus, non expresit. At vero si de diuisione propria quæ est sectio totius in partes, sit sermo, hæc hactenus nõ cernitur facta mõtis oliuarum: siquidem integer perseuerat hucusque neque ex descriptione terræ sanctæ, huius montis realis diuisio patet.

Prophetæ sæpe digrediuntur à primo instituto.

Si autem

Si autem sub tempus Antichristi, tũc sic facienda quãdo Dñs in correspõdentia vallis Iosaphat, quæ est media inter montem Sion, & montẽ oliuarũ venturus est iudicare orbem hoc itidem euidenter nõ colligitur ex hoc loco. ¶Etsi quibusdã visum sit ad eã rationẽ exponere locũ. Quod Antichristus, ascendet super montẽ olearũ, adorandus, vt Deus ab omnibus suæ factionis gentibus, & quod descendet Angelus Michael super montẽ, interfecturus Antichristũ, tuncq́; erit terræ motus ingẽs, vt in diebus Oziæ regis Iuda, Amos. 1. & ex terræ motu illo, diuidetur mons oliuarũ in quatuor partes, secũdũ quatuor orbis plagas. Eruntque valles intermediæ, per quas Iudæi attoniti, & stupefacti ex mõtis diuisione, & ex terræ motu fugiẽt à Ierosolymis, sibi præcauẽtes ne ibidẽ moriãtur, & iuxta hanc expositionẽ, priora, explanantur *stabunt pedes eius*. Ideſt Dei pedes, nam Dei paulò antè meminerat, dicens, *Et præliabitur, &c.* autẽ pedes metaphoricos dicuntur Angeli: quippequi discurrunt per vniuersum orbẽ, vt diuinã de agendis dispositionẽ exequãtur. Cũ igitur beatus Archangelus Michael, ibidẽ sit descensurus, ideo ait stabũt pedes, ideſt Angelus vel angeli, qui propter rationẽ dictam appellari possunt per trãslationẽ pedes Dei, cũ alioqui Deus infinitus spiritus sit & simpliciſimę substantiæ, & ideo neq; pedes neq; manus habere potest. Quoad diuisionẽ mõtis attinet, videtur quod secundũ longitudinem, tũc diuiditur, quia hæc lõgitudo est secundũ distantiã oriẽtis ob occidẽte, & resultabit vallis maxima deflectentq́; partes istæ diuisæ secundum lõgitudinem, dimidia ad aquilonem, & dimidia altera ad austrum, Siquidem valde à se distabunt. Ideo altera erit ad aquilonem alia austrum respiciens: tamen diuisionem hanc si sub tempore Antichristi futuram realem. Aliorum autem extat sententia non de futura reali montis diuisione, hæc esse habenda, sed de præterita qua ex figurata locutione dicitur diuisus, non tamen realiter, sed solũ ex eo, quia acies Romanæ obsederunt Ierosolymam, & montẽ illum ex parte orientis, & occidẽtis, & aquilonis, & austri. Nã vndiq; Romanus exercitus obsedit vrbẽ Ierosolymorum. Aut vt alij referũt ad ascensionẽ Dñi, quãdo ex mõte olearũ ascendit in cælum. Tũc pedes Chri steterũt supra montẽ illũ: & quãuis mõs olearũ cõtinuo post ascẽsio nẽ Chri nõ fuerit diuisus, prædicit tamẽ, q́ post Christi ascensum in æthera sit diuidendus puta sub finem mundi, *vsque ad proximum.* Hebrai. vsque ad Azal. Et Græcè, vsque ad *Asael*, estq́; nomen proprium loci: vnde sic habet litera Hebrai. *Et fugietis per vallem montium, eo quod vallis montium, vsque ad Azal pertinget.* Nam facta scissura maxima montis Oliueti scissura illa inter media vocatur vallis montium. *Et fugietis, sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ regis*, supra exposuimus. In explana. ad Amos cap. 1. rem istã, explicauimus, quis fuerit ille terræmotus, sub Ozia rege Iuda. Quia hic vsurpauit sacerdotale officiũ. 2. Paral. 26. *Et veniet Dñs meus, & omnes sancti eius cũ eo.* Hoc est veniẽt quæ Dñs Deus meus locut⁹ est, & omnes sancti eius cũ eo Hebr. *tecum.* Id est certissimè veniet verbũ Dñi Dei mei, q́ locutus est per Sanctos vates qui sunt cũ eo. Verũ locus hic etiã admittit aliã intelligentiã, videlicet, si referatur ad diem iudicij, cuius *meminit* Iudas in epistola catholica *dicens*, Ecce Dominus venit cum Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt & de omnibus duris quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij, &c. Et Isaiæ. 3. Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius. Et demum ex euangelica lectione didicimus, quod cum Dominus venerit ad iudicandum, Sanctos Apostolos venturos cum illo, vnde ait sedebitis, & vos super duodecim sedes iudicãtes duodecim tribus Israel. *Et si diuisio mõtis* Oliueti realiter futura intelligatur. Vt videtur consonum esse literæ, benè subditur quod futurum est in die illo nouissimo, qñ quidem Antichristus non longè ante diem illum creditur venturus. *In illo die lux nulla erit, sed frigus, & congelatio*, vtique reprobis nulla erat lux, qui deijcientur in tenebras exteriores, ibiq́ue erit frigus & congelatio, vnde ibi erit strídor dentium, qui ex frigiditate accidere solet. Et Iob docet impios transituros ab aquis niuium vsque ad calorem nimium, hoc est à nimio æstu, ad nimios frigoris rigores. Aut aliter per diem hũc significat vates tempus regni Antichristi, nam vt non semel diximus, vsurpatur dies pro tẽpore, particulare pro generali: & per lucem prosperitatẽ & fauorem Dei hominibus impensum significari

Diuisio mõtis erit secundũ lõgitudinem mediã mõtis ab oriẽte in occidens sumẽdam.

Lucæ. 12. *Mat.* 25.

Matt. 13. 24. 25. *Lucæ.* 13. *Iob.* 24.

in ſcripturis non ſemel diximus. In tempore igitur illo, non erit lux, quia erit magna piorum tribulatio, qualis prius nunquam fuit, ſed frigus & congelatio, ſeu gelu. Si quidem frigus & gelu, homines valde arctat, & conſtringit, ne poſsint facere quæ velint tempore brumali impedit: quia igitur tunc erunt pij fideles valde coarctati, & anguſtijs preſsi ex perſecutione Antichriſti, ideo ait, in die illa non erit lux &c. *Et erit dies vna quæ nota eſt Domino non dies neque nox*, tempus aduētus Antichriſti ſoli Deo eſt notum, & tempus illud neq; dies erit pijs, quia preſſuris varijs corripiētur, ideo quia non experientur exteriorē Dei fauorem, imo videbitur eis deſertos eſſe exterius, ideo tempus illud non dies, ſed neque nox erit pijs, ſiquidem ſperabunt victoriam contra Antichriſtum, & eripiendos ſe à ſuis calamitatibus: & quod tandē Deus reſtaurabit ruinas ſuæ eccleſiæ, quas tunc patietur. Vnde à Domino Elias dicitur Matth. 17. Venturus eſt, & ipſe reſtaurabit, vel reſtituet omnia. Prædicabit enim contra Antichriſtum euangelicam veritatem. Et hoc eſt quod ſubdit, *& in tempore veſperi erit lux*. Id eſt iam ſub fine mundi ſuperato Antichriſto, reſtituentur omnia, & gaudebunt ſumma pace fideles, ſperantes beatam ſpem, & aduentum magni & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, tunc igitur erit lux, ſcilicet, proſperitas piorum, & fauor diuinus, non timens iam tenebras aduerſitatis. *In die illa exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare nouiſsimum.* Secundum aſtrologos, ab occidente in oriens, ſumitur totius terræ habitabilis longitudo, quam quoque hoc loco inſinuat vates, dum maris orientalis, ſiue Oceani, qui eſt ad orientem & maris occidentalis, ſcilicet Oceani, qui ſpectat ſolis occiduum meminit ſignificatque hoc ſermone, tum ex Ieruſalem in totum orbem, exituras aquas viuas. Euangelicæ prædicationis, quia ſermo Dei viuus & efficax eſt. Per mare autem ſubaudiendum eſſe mundum hunc tritum eſt in ſcriptura. Tunc igitur deuicto Antichriſto prædicabitur vbique euangelicus ſermo, vt confirmet fideles in accepta fide, & infideles ad fidem trahat. Per Ieruſalem autem eccleſiam catholicam Harum aquarū etiam meminit Ezechiel. 47. dicens ſe vidiſſe aquas redundantes ex latere dextro templi. Viuæ autem aquæ ſunt, quę ſe mouent ſurſum ebullientes. Quia igitur, ſermo Chriſti credit⁹, nos excitat ad cæleſtia quæ ſurſum ſunt amanda, ideo aquis viuis conferūtur. Ideo Ioan. 4. Aqua quā ego dabo ait Chriſtus, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternā, & ibidem, tu forſitā petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquā viuam. ¶ Et fortè diuiſio montis Oliueti ſupra cōmemorata, hoc idē adumbrat, quod Sancti Apoſtoli ex Ieruſalem exeūtes, in omnes orbis plagas ſunt diuiſi ad prędicandū euangeliū. Nihil enim officit veritati ſi per montē Olueti, qui pertinet ad Ieroſolymā, ipſam Ieroſolymā ſubaudiamus ex Metonymia. Niſi quod modo ait vates futura tēpora Antichriſti ſpectat, at diuiſio montis Olueti ad præterita à quibuſdā refertur. ¶ Etſi mihi congruentior eſt expoſitio, quæ illam ad ſeculū Antichriſti refert vt ſupra à me eſt expoſitū. *In æſtate, & hyeme erunt.* Quia viuæ ſunt, ideo non deficient. Aquæ in æſtate deficiunt æſtu ſolari eas euaporante, & ſiccante, & hyeme, itē ex rigore brumali coactæ deficiunt. Verū eſt tamen: aquas viuas minus deficere, quia ſunt manantes iugiter, quam ſtagnales, quæ non ſcaturiūt ex fonte ſed ſtagnant. Cæterum aquæ viuæ iſtæ de quibus vates meminit nunquā deficiēt, quia verbū Dñi manet in æternum. Et ſermo Dei omni tēpore proficit credentibus ſiue æſtate, ideſt ſi proſpera decurrāt tempora, ſiue hyeme, ſi flatibus aduerſis concutiamur. *Et erit Dominus rex ſuper omnē terrā*: in die illa erit Dominus, *vnus, & erit nomen eius vnum*, Deus ſemper eſt rex ſecundum naturā ſuā ſuper cælū & terrā. Vnde Dñs ait, Cōfiteor tibi pater rex cæli, & terræ. At quia à multis hominibus nūc Deus nō colitur, neq; adoratur, ideo qui rex vniuerſalis eſt ex natura, nō eſt rex ſecundum verū cultū ſibi impendēdū ex debito creationis, & redēptionis. At vero ſub finē mūdi ipſe ſolus Deus verus & Chriſt⁹ eius ab omnibus coletur ſiue Iudęis ſiue gentibus, ideo ait, erit Dñs vnus, qui ſemper eſt vnus ex natura diuina ſingulari diuinitatis, erit vnus id temporis ex ſyncerita te vnius cultus, religionis chriſtianæ, ſimile eſt quod traditur in Iſaiæ. 2. Et eleuabitur Dominus ſolus in illa die, idemque proditur Ioannis 10. Erit vnum ouile, & vnus paſtor. *Et reuertetur vniuerſa terra vſque ad deſertum, de colle Remon ad auſtrum Ieruſalem.* Pro *colle*, Hebraicè à Gaba, & ſeptuaginta à Gabaon. At interpres poſuit vocis interpretationem. Nanque Gaba, ſeu Gabaon interpretatur collis, ſeu calix. Et erat quondam metropolis Euęorum Ioſue 18. ex tribu Beniamin filijs Aarō aſcripta Ioſue 21. Remon, ſeu Rimon interpretatur malum granatum, vnde & Arabica lingua Romā, idem ſignificat ciuitas in tribu Iuda, & Simeonis Ioſue 15. & 19. & hoc loco vallem quandam ſignificat. Alijs placet eſſe ciuitatem non procul diſtantem à Magedo. ¶ Eſt autem ſenſus, quod Ieruſalem tota verteretur in maximam planitiem, quæ qui dem nunc montuoſa eſt. Et pro reuertetur, lege *vertetur* æquore plano à Gaba, vſque ad Rimon, ideſt tota erit plana. Et ſub hoc loquendi tropo, ſignificat, quod deuicto Antichriſto, diuina virtute, eccleſia quæ eſt ſpiritualis Ieruſalem, id temporis erit pace plena fruens, & aſperitates & tribulationes, quas ſubaudit per montes propter difficilem eorum aſcenſum, ceſſabunt omnes id temporis, vt poſt maximam tempeſtatem, ſumma ſuccedat tranquillitas. *Ad auſtrum Ieruſalem*. Remon erat ad auſtrum, ſeu meridiem Ieruſalem. *Et exaltabitur, & habitabit in loco ſuo.* Id eſt Ieruſalem ſpiritualis, erit tunc ſublimis, & inclita valde & ciues eius, ideſt catholici habitabunt apud ſe, id eſt ſumma pace gaudebunt. *A porta Beniamin, vſque ad locum portæ prioris, & vſque ad portam angulorum, & à turre Hanael, vſque ad torcularia regis.* Id eſt tota eccleſia, pace fruetur, id quod adumbrat ex Ieruſalem illa terreſtri deſcribens illius portas. *Et habitabunt in ea. Et anathema non erit in ea amplius, ſed ſedebit ſecura.* Anathema idem eſt, quod exciſio Numer. 21. vocauit nomen loci illius Horma, id eſt Anathema. Et Ioſue 6. Iericho item cēſetur anathema. Et Achā lapidatur, quia ſuffuratus aliquid de anathemate, de re inquam quam non licebat contingere. Quod ergo modo ait, eſt, Ieroſolymam, tunc non eſſe ſubdendam occiſioni, aut excidio, vt ipſe ſe exponit, *ſed ſecura ſedebit*, id eſt, habitatores eius ſeu ciues, fideles ſcilicet, ſecuritate magna potientur.

¶ *Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt.* Deſcribit ventura ſupplicia incutienda hoſtibus eccleſiæ. *Pugnauerunt pro oppugnabunt Tabeſcet caro vniuſcuiuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi eius contabeſcent in foraminibus ſuis.* Id eſt paulatim diſſoluentur corpora, vt prolixior ſit cruciatus. Vt accidit ijs qui lepra intabeſcunt, nam ſenſim ſoluuntur membra eorum. Et oculi liqueſcent adeò, vt diſſolutis ocularibus tunicis, & humoribus, appareat oculorum cauitas: itidemque & lingua, ſenſim ſoluetur. *In illa die erit tumultus Domini magnus in eis, & apprehendet vir manum proximi ſui: & conſeretur manus eius ſuper manum proximi ſui.* Tempore Antichriſti, iungent homines exercitus, & acies contra eccleſiam Ieſu Chriſti: at vero fruſtra, id molientur, quia non eſt conſilium, neque poteſtas contra Dominum. *Tumultus*, id eſt, magna contritio à Deo, id eſt, conterat Deus valde Antichriſtum, & ſectatores eius. *Sed & Iudas pugnabit contra Ieruſalem.* Iudæi enim tunc ſe ſociabunt Antichriſto, profitentes eſſe ſuum Meſsiàm: & ideo pugnabunt contra fideles, ſignificatos per Ieruſalem. *Et congregabuntur diuitiæ omnium gentium in circuitu, aurum & argentum, & veſtes multæ ſatis.* Aduerſus Ieroſolymam ſpiritualem exeret magnas vires ſuas Antichriſtus, quippe congregabit maximas opes gentium circumquaque, vt militibus ſuis illa diſtribuat in mercedem, & ſtipendium militibus qui agent ſub vexillis Antichriſti. *Et ſic erit ruina equi, & muli & cameli, & aſini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in caſtris illis ſicut ruina hæc.* Supra prædixerat ſupplicia incutienda hominibus hoſtibus eccleſiæ. Nunc idem verſat ſub alia tamen forma loquendi. Nanque ſub nominibus varijs iumentorum ſeſſores ſubaudit milites, ſcilicet varij ordinis in militia: quos omnes deuaſtandos prædicit, & vſurpat ſingulare pro plurali, equi, pro equorum, & ita de reliquis, pro *ruina*, Hebraicè legitur plaga. *Et omnes qui reliqui fuerint de vniuerſis gentibus, quæ venerunt, contra Ieruſalem aſcendent ab anno, in annum, vt adorent Regem Dominum exercituum.* Ideſt, qui ex ſequacibus Antichriſti conuerſi fuerint ad fidē Ieſu annuatim aſcēdent in Ieruſalē, vt adorent regem regum Chriſtum hoc eſt ritu perpetuo ipſum colent & adorabunt. Hoc enim intelligit per annuas vices, aſcēdere, vel quotannis aſcendere in Ieruſalem in Chriſtum credere, & ipſum amare ſemper &c. *Et celebrent feſtiuitatem tabernaculorum.* Per hanc feſtiuitatē, reliquas ſubaudit

Sermo Chriſti eſt aqua viua ſaliens in vitā æternam.

Aquæ viuæ tardiꝰ deficiunt quam ſtagnales.

Sub finem mūdi vna ſola erit vera religio Chriſtiana,

dit, verum quia lex Christi iam abrogauit Mosaicas festiuitates, per has festiuitates, spiritualia festa subaudire oportet. Nam cum pascha nostrum immolatus est Christus, ille vere celebrat pascha, qui immolatum Christum pro salute nostra syncerè credit, & ardenter amat. Vt ille festum tabernaculorum spiritualiter celebrat, qui recolit se hic non habere manentem ciuitatem, sed futuram inquirere. Nam Iudæi hoc factum celebrabant, in memoriam peregrinationis prolixæ per vastas eremos quam fecerunt maiores eorum, &c. *Et erit qui non ascenderit de familijs terræ, vt adoret regem Dominum exercituum, non erit super eos imber.* Qui tunc incræduli fuerint, non inebriabuntur eximbre cælestis gratiæ, sed cum infideli Antichristo peribunt sempiterno. Et demum qui tunc noluerint obedire euangelio, orbabũtur pluuia cælestium bonorum, nec habebunt annũtiantem, in pœnam suæ inobedientiæ, & pertinaciæ contra veritatem euangelicam. Vnde modo etiam videmus neque Saracenis, neque Turcis, neque Iudæis euangelium prædicari, quia sunt rebelles, & contumaces. At vero Indis prædicatum est euãgelium hoc æuo: siquidem non erant contumaces, & rebelles vt sunt Pagani, & Iudæi commemorati. Vnde Indi susceperunt euangeliũ Iesu Christi hac ætate, & idola colebant, quæ Saraceni, & Iudæi respuunt. Verum
Actо. 17. Deus despiciens tempus ignorantiæ eorũ miseratus est eorum: quia ignorantes, idola colebant: quanuis ignorantia erat crassissima, ex naturæ enim dictamine vnus solus Deus colendus decernitur. ¶ Idemque accidit sub apostolica ætate, sub qua Iudæi colentes vnum Deum, sunt reiecti, quia rebelles fuerunt lumini euangelico: at vero Pagani idololatræ fuerunt asciti ad euangelicam gratiam, vt Paulus meminit in gestis apostolis loquens Iudæis, vobis ait, oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce con-
Actо. 13. uertimur ad gentes. Similiter Publicanos, & peccatores Christus vocat, & superbos Pharisæos spernit. *Quod etsi familia Ægypti non ascenderit, & non venerit, neque super eos erit: sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandum festiuitatem tabernaculorum.* Si Ægyptij non ascenderint in Ierusalem spiritualem, id est nõ se subiecerint euãgelio Iesu Christi, non veniet super eos Dei gratia, quia in suis peccatis morientur. Et erit ruina, id est plaga, cuius supra paulò antè meminerat, quæ inferenda gentibus erat oppugnaturis Ierusalem. Et manifestè loquitur hic vates de ecclesia Iesu Christi, & non de Ierusalem illa terrena, siquidem Ægyptij non tenebantur celebrare festiuitates Iudæorum: at vero modo inquit afficiendos plaga supra posita Ægyptios, si non obseruauerint festiuitatem. Propterea diximus supra, has festiuitates, non Iudaico sensu esse intelligendas, sed spirituali. Et admodum congruit fidelibus, huiusmodi tabernaculorum celebrare festiuitatem, secundũ spiritum, non secundum literam: siquidem illis proponuntur cælestia bona si terrena despexerint. Et reseratam esse cælestem ianuam rectè ambulantibus ad veritatẽ euãgelij, eisdem certa fide traditur. Ideoque se censere exules & peregrinos in hoc seculo oportet, seque ceu in eremo versari, non tanquam ciues hic agere. Hebręi autem putant, quod ipsi sub aduẽtu sui Messiæ sunt pugnaturi contra Gog, & Magog: & reportaturi victoriam, in festo tabernaculorum, & ideo hoc loco fit mentio huius festiuitatis: quæ tunc secundum illos celebrabitur multo festiuius, quàm prius, ob causam commemoratam victoriæ.

¶ At vero expositio peccat in fundamento, quia frustra speratur venturus, qui certa fide creditur iam venisse. *In illa die erit quod super frænum equi est sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari.* Hebrai. *Erit super tintinnabula equorum sanctitas Domino.* Et est sensus, tanta pace fruentur deuicto Antichristo fideles, quod non erunt eis necessarij equi, neque ornamenta militaria equorum, sed illa omnia quæ erant phaleræ vel ephippia equorum vertentur in cultum Dei & sanctæ ecclesiæ: ideo erunt sanctitas Domino. Idest Deo sanctificabuntur offerendo illa ad cultum Dei, & ad vsus pauperum. Alij referunt ad tempora Constantini, qui clauos Domini, conuertit in frænum, & galeam, vt tutus subiret prælia, vt referunt historiæ. At vero literalis est prædictus, si quidem ad tempora finalia referenda sunt verba Zachariæ, non ad statum Ecclesiæ præsentis. *Erunt lebetes*, in phialis sanguis victimarum recipiebatur, sub lege veteri, & in lebetibus carnes coquebantur, significat igitur magnum futurum numerum lebetum, qui æquet numerum phialarum, & tu aduerte vatem sub ritu sacrificiorum veterum adumbrasse modo, sacrificia noua, christianæ legis, vt supra sub voce festiuitatum Iudaicarum tabernaculorum, scilicet, insinuabat christianas festiuitates, vt dudum annotabam.

¶ Sensus igitur est, quod sub finem mundi superato Antichristo & Antichristianis, ecclesia summa pace fruens, offeret Domino sacrificia iustitiæ, de quibus meminit Psalm. dicens, Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Est enim sacrificium iustitiæ, sacrificium laudis, quod honorat Deum, item cor contritum, & humiliatum, & sacrificium illud maximũ corporis & sanguinis Iesu Christi. Quod recipitur in phialis sanctarum animarum, & in lebetibus syncerarum voluntatum. *Et erit omnis lebes in Ierusalem, & in Iuda sanctificatus Domino exercituum*, hoc est, mentes id temporis fidelium, erunt Deo sanctificatæ, quando erit vnum ouile, & vnus pastor Ioan. 10. Per Ierusalem & Iuda, idem subintelligit, ecclesiam, scilicet catholicam.

¶ Quia igitur tum erit Dominus vnus, & nomen eius vnum, & cessabunt omnes superstitiones paganorum, hæreticorum errores, apostasæ & schismata, & Iudaismus abolebitur, ideo tunc omnes lebetes & phialæ erũt Domino sanctificatæ: quia vniuersi cultus erunt vnius Dei, & vasa quæ adhibebuntur religionis gratia, erunt ad cultum religionis christianæ. Et hoc est, quod subdit, *& venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis.* Et immolabunt Domino sacrificium iustitiæ, & sacrificium altaris, coquent carnes non agnorum, vel vitulorum materialium, sed veri agni Christi, non igne materiali, sed igne charitatis. Non enim agnus crudus comedendus, sed coctus igne charitatis, quæ coctio mystica est. Ideo eam quoque si dixeris assationem non errabis. Qui enim credit Christũ esse hominem solum aut Deum solum, aut hominem apparentem, & non verum aut Deum non ex natura, sed per participationem maximam diuinitatis, hic non coquit benè agnum hunc, sed crudum comedit: crudę enim carnes si comedantur, non proficient, sed nocebunt. Ad eandem rationem, fides si non sit recta, non proficiet, sed nocebit credenti. *Et non erit mercator vltra in die illo in domo Domini.* Legimus apud Ioannem, quod erant in domo Domini ementes, & vendentes oues scilicet, & boues, & columbas, quos mercatores Dominus eiecit ex templo. Est igitur sensus Iudæi conuersi ad Christum fastidient sacrificia vetera, neque ement boues, aut oues gratia sacrificiorum.

Qui sunt, qui comedunt Christum non coctum neque assũ.

¶ Aut quia tunc fideles intelligent diem nouissimum Iudicij impendere deuotissimè seruient Christo, & non erit mercator vitiosa tractans mercimonia, aut superflua, sed solum necessaria curabunt, ideo cessabunt vsuræ, & simoniæ, & alij contractus iniusti inter fideles.

Obseruanda obiectio.

¶ At forsan obijciet aliquis, quod apud Matthæum. 24. legitur, Sicut in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis. Sicut enim erat in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in Arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis. Quæ verba etsi insinuant summam pacem tunc futuram, at vero non summam sanctitatem, neque quod fideles, aduertent, tunc instare diem Iudicij. Imo vt Paulus ait, cum dixerint, Pax & securitas, tum repentinus veniet interitus. 2. Thessaloni. 2. Respondetur, quod in diebus illis nouissimis, Deus maximè ostendet potentiam suam interficiendo mirabiliter Antichristum, & sectam illius exterminando. Et conuertendo vniuersum ad fidem Iesu Christi. Vnde ex hac ostensione maxima diuinæ virtutis, & ex prædicatione Eliæ, & Enoc, & quia superato Antichristo, credent tunc fideles diem nouissimum Iudicij instare, erit sub id temporis magna fidelium sanctitas.

¶ At vero, quia non continuo post prædicta, se prodet dies Iudicij, sed intercedet temporis mora, quæ quanta erit homines latet, nam dies ille, vt dixit vates, soli Domino est notus, idemque Matthæi. 24. propterea fideles Iudicij instantis timore depositio, relaxabunt se voluptatibus, vt in diebus Noe, quibus securè suo iudicio vacantes, quia opinabuntur diem Domini diutius esse prorogandum, tunc de repente, & ex inopinato, inuadet eos dies Domini, & hac ratione omnia sibi consentiunt.

EXPLANATIO IN Malachiam Prophetam, Authore Michaele de Palatio.

PROLOGVS.

An Malachias fuerit Angelus.

DE VATE isto varij varia sensere authores. Etenim Origenes in tom. 2. in Ioan. Euangelium, & in libr. Periarch. sensit fuisse Angelum Dei iussu incarnatum. Mouit Origenem editio septuaginta vbi pro Malachia legitur Angelus. *In manu Angeli.* Et auget suum placitum, quia nihil miratu dignum est, si Angelus carnem assumat, si Deus ipse fuit incarnatus. Rursusque & credit Ioannem Baptistam Angelum fuisse, quia de eo scriptum est in hoc vate, cap. 3. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Et hãc esse causam affirmat, cur Ioannes Domini præcursor exultauerit in vtero matris

Origenicũ dogma.

suæ: idemque de Aggæo censuit. ¶ Huius dogmatis meminit Hierony. in præfatione ad hunc vatem, & ab illo discedit, ne inquit incidamus in ruinam de cælo animarum. ¶ Porrò autem hoc dogma hæreticum est, & infirmis fulcris fulcitum. Siquidem editio septuaginta nihil iuuat, nam ipsi interpretationem nominis Malachi, ediderunt: verum non quia nomen vatis interpretatur Angelus vel nuntius meus, ideo ipse vates erat Angelus. Nunquid quia sacerdos vocatur Angelus ab hoc vate, Angelus Domini exercituum est, ideo sacerdos habet angelicam naturam. Est quidem Angelus nomen officij, significat quod latinis est nuntius. Vnde meritò non solum hic vates, sed omnes Dei vates possunt Angeli cognominari. Sunt enim nuntij diuini, nobis patefacientes Dei præcepta, & consilia, &c. Imo ab hoc vate capit. 3. ipse Dominus Angelus testamenti appellatur, non quia angelicam habuerit naturam, qui est Dominus Angelorum, id quod sequitur si verum fuisset dogma Origenis. Quia etiam Dominus vocatur Angelus, sed quia missus est in mundum à Deo patre, vt palam faceret suum, & patris sui nomen, & mandata. ¶ Et quidem Ioannes Domini præcursor Elias vocatur in scriptura, Matth. 17. & Marci 9. Nunquid Ioannes erat Eliæ persona, aut anima Eliæ erat incorporata in corpore Ioannis? neutiquam, sed Elias appellatus, ob similitudinem morum & officij. ¶ Epiphanius autem credit vocatum Malachiam Angelum, ob pulchritudinem vultus. Erat

Malachias pulcher aspectu.

inquit Epipha. forma oppido quam præstanti. Isidorus autem ex eo Angelum vocatum, quia quæcunque ipse vaticinabatur Angelus Domini confirmabat. Verum tamen apud nos quidam homines Angeli vocantur, non ob aliquam istarum causarum, sed quia ex serie auorum deducunt, hæc vel illa nomine. Cæterum quale quale hoc fuerit constantissimè credendum est Malachiam, non fuisse Angelum incarnatum neque Ioannem Domini præcursorem: solum enim verbũ Dei est caro factum, id quod cæteris negatur omnibus. ¶ Nam quæ obsecro necessitas vt Angelus assumeret humanam carnem ad prophetandum? cum hoc munus prophetandi ab omnibus alijs sacris vatibus fuerit absolutum, sine huiusmodi incarnatione. ¶ Oportebat autem verbum Dei assumere carnem, vt ex carne assumpta accessisset verbo Dei merendi ratio, & ex verbo assumente carni patiẽdi ratio accederet. Et quis ferat Malachiam, aut Ioannem Baptistam fuisse ab exordio mundi?

Malachias non fuit Angelus neque Ioan.

Itemque

Itemque fuisse beatos antequam Christus reseraret cælestia regna. Etenim si Angeli erant beati erant, hæc & pleraque alia consequuntur ad dogma istud, vt nos latè in. 2. senten. prosecuti sumus. ¶ Verum his interim omissis Malachiam Epiphanius tradit fuisse ex tribu Zabulon, & genitum in Sopha, item terra Zabulon, illique cõsentit Isidorus, ibidemque mortuum, iuuenemque fato sublatum, vt ait Epiphanius. Vnde iuxta horum sanctorum placitum Malachias non fuit Esdras. Siquidem hic in Babylone fuit natus & inde venit Iudæam soluta captiuitate, anno septimo Artaxerxis regis Persarum mense quinto. At vero Malachias, in Sopha aut Sophi in terra Zabulon natus, post solutam captiuitatem & reædificatum templum, & ibidem iuuenis mortuus fuit, vt prædicti authores meminerunt, idemque autumat Petrus à Natalibus libr. 4 de sanctis cap. 82. & indicat Flauium Iosephum in hanc eandem sententiam. Quibus suffragatur, quia Esdras fuit sacerdos, & scriba, ex genere Aaron. 1. Esdræ capit. 7. at Malachias, non traditur sacerdos. ¶ Porrò autem D. Hierony. secutus Hebræorum placitum eundem censet esse Malachiam, & Esdram, in procemio comment. ad Minerium, & ad Alexandrum monachos. Et causam affert, cur Hebræi sic censeant, quia hic vates scripsit, Labia sacerdotis custodient scientiam & legem exquirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est: quæ verba, etiam in Esdra commemorata inueniuntur. Hæc autem ratio Hebræorum, non admodum colligit propositum, quia item in Michæa legimus, id quod in Isaia commemoratur: at vero diuersi fuerunt prophetæ. Accedit eodem, quod si vera est supputatio quæ traditur in Biblijs Benedicti fuit Malachias anno ante Christum natum 516. At vero Esdras anno 544. Vnde Malachias fuit prior & Esdras posterior. Ego quidem magis probauerim sententiam Epiphanij, & Isidori, & Petri. Cæterum qui volet Hebræorum cum Hieronymo sectari placitum, sectetur, etsi reuera stylus Esdræ est historicus totus, & Malachiæ totus propheticus, id quod eos esse diuersos probare videtur.

Esdras capit. 8.

Michææ 4. Isa. 2.

Argumentum in Malachiam Prophetam.

MALACHIAS Angelus Domini interpretatur, nam Angelum noui testamenti authorem, & confirmatorem Iesum Christum Dominum nostrum clara voce prænuntiat, Christianæq; Ecclesiæ sacrificium augustißimum corporis & sanguinis Iesu Christi, quod cætera omnia vetera consummauit sacrificia præsensit. Israelitarum ingratitudinem in ipso exordio valde increpat, itemq; sacerdotum increpationi incumbit, quia ipsi maculati maculatas Deo offerebant hostias, Domini præcursores, & primi & secundi aduentus Eliam, & Ioannem capit. 3. & 4. prædixit.

Malach

EXPLANATIO IN MALACHIAM. CAP. I.

Massa assumptio onus quid sibi velint.

ONVS *verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ.* Sæpè diximus onus, quod Hebræi vocant Massam, & Græca editio assumptionē significare verba prophetica criminatoria, & expostulatoria, quæ Deus ministerio prophetarum profert cōtra gentes aliquas, vel nationes. ¶Quod vero ait in manu Malachiæ, id est quod ministerio Malachiæ *Prophetæ* additur in quibusdam Biblijs redundat tamen. Quia ergo nunc expostulat Deus cū Israelitis eisdem obijciens ingratitudinem eorum, ideo ait, onus verbi Domini. Et quidē hoc onus verbi Domini est nimis graue, si quidem Deus si expostulat, si criminatur, iustissimè expostulat iustissimè criminatur. Quippe non ex odio criminatur, sed ex zelo iustitiæ. Et quidem hoc onus nemo potest à se reijcere, quia iustissimè imponitur, & calumniæ nostræ contra Deū nihil proficient, neque excusationes quicquam efficiunt: pœnitentia sola est, quæ hoc onus poterit à nobis excutere, pœnitentia enim vera, onera peccatorum deponit, & nos coram Deo ab hoc onere exonerat. *Ad Israel*, ideſt contra Israel hoc loco Israel, significat duas tribus Iuda, & Beniamin, aut contra omnes Israelitas dirigitur prophetia. Siquidem reuersis Iudæis ex captiuitate Babylonica, decem tribuū dispersarum, multi se iunxerunt duabus, & ideo duæ tribus cæperunt vocari Israel, quæ prius secernebantur: vt prius sæpè est annotatum. *Malachiæ*, quis fuerit Malachias in prologo dissertum est, fuit enim vnus ex prophetis qui soluta captiuitate Babylonis prophetarunt, qui fuerunt Aggæus, Zacharias, & postremus Malachias, vnusque ex duodecim minoribus prophetis, qui in catalogo Eccles. 49. recensentur, & postremus eorum. *Dilexi vos* dicit Dominus. Vates hic non recensēt quo tēpore prophetauerit neq; ex qua tribu originem duxerit: & ideo forsan postremus cōstituitur. Quod si Malachias, is idem est, qui & Esdras, sub quo tempore fuerit Esdras ex suo libro constat sub Cyro scilicet & Artaxerxe &c. Ex qua item tribu originem traxerit item constat, quia ex tribu Aaron. 1. Esdræ. 7. & ideo putant Hebræi fuisse Malachiam vtrunque, quia vtrūque commemorarat in alio libro. Verum quale quale hoc fuerit, nunc absolutè incipit, dicens, *Dilexi vos.* Proponit Deus beneficia singularia populo exhibita, vt hinc facto gradu ingratitudinē Israelitarum vehemēter carpat. *Et dixistis, in quo dilexisti nos?* Proponuntur verba Israelitarū respōdētia Deo impudenter. Quæ verba aut corde, aut ore protulerunt. *In quo*, ideſt qua in re dilexisti nos, hoc est, quæ sunt beneficia singularia quibus nos tu es prosecutus, vt dicas, quod nos singularius diligis, quam cæteras nationes? Et quidē sunt verba hæc ingratorum, qui obliti beneficiorū, dicunt qua in re dilexisti nos? Qualia sunt hęc tua beneficia, quæ nobis narras nobis specialiter impensa? *Dixistis* sumitur fortè pro alia oratione, scilicet, si vos dicatis mihi, in quo dilexisti nos? vt sit responsio tacitæ, quam poterant facere obiectionem Israelitæ ingrati. *Dilexisti*, ideſt operibus ostendisti te nos diligere. *An non Esau frater erat ipsius Iacob?* Ex antiquo, & de proximo multa potuisset Deus referre singularia beneficia, quibus affecerat Israelem. Et proximū erat referre solutionis ex captiuitate beneficium omissis innumeris alijs, quibus nullam aliam ita affecerat nationem: at vero, longè repetita narratione, ab exordio altissimè rem repetens, ad maiores se contulit Dei oratio, videlicet, quod cū essent Iacob, & Esau vterini fratres, cæterum elegit Iacob, & reiecit Esau. Quia ex Iacob, deduxit Deus genus populi sui, at vero ex Esau non processit Dei populus, sed populus Deum non adorans, & colēs idola, *Dicit Dominus*, qui neque fallere, neque falli potest. *Iacob dilexi Esau autem odio habui.* Sub Iacob etiam subaudi posteros descendentes ex Iacob, ita sub Esau posteritatem quoque eius licebit intelligere. Dilexit Deus Iacob, quia voluit vt Isaac, Iacob benedicere de rore cæli, & pinguedine terræ, qua tamen benedictione orbatus est Isaac, etsi lachrymis eam exegisset à patre. ¶Præterea prælatus est Iacob, ab Isaac ipsi Esau, Dominum ait tuum eum constitui. Præterea fuit dilectus, quia primogenita Dei nūtu translata sunt ab Esau, in Iacob. Vnde Iacob ex primogenituræ iure, erat ipsi Esau præferendus. ¶Ad hæc posteritas Iacob possedit, promissam Isaac, & Abrahæ terram Chananæorū, & aliarum septē nationum, at vero Esau illam nō possedit, sed montem Seir & Idumæam, at non ex promissione. ¶Accedit eodem posteritas Iacob fuit colens Deum, prophetis illustrata, sacerdotibus, & pontificibus à Deo consecratis prædita, & illustrissimis regibus exornata. Et templo celebratissimo exornata, & insignibus Dei miraculis fulgens quibus omnibus priuata fuit Esau posteritas. Et quod omnia superat cōmemorata beneficia, quod ex Iacob Messias promissus fuit descensurus secundum carnem, ideo ait Iacob, dilexi &c. obijcis forsan, locum sapientiæ, Deum cuncta quæ fecit diligere & nihil odisse eorum quæ fecit, qua igitur ratione ait modo, Esau autem odio habui? Respōdetur naturam diligere Deū, sed peccatum odio habere. Quid enim fecit, hoc amat, quod autem ipse non fecit in nobis, istud odit. Deus autem non est autor peccati, sed est autor naturæ. Esau igitur, duo habet consideranda, & naturam, & hanc Deus in illo, vt in cæteris amabat, & peccatum, quia odio habuit fratrē suum Iacob, & in ipsius necem intēdebat, & hęc Deus odio habuit: homo igitur vel angelus vt peccator odio habetur à Deo, at vero vt homo, vel vt angelus, hac ratione diligitur, *etsi diabolus* ait, Apostolus autem Roma. scribens cap. 9. hæc refert verba Malachiæ, & exponit ex alijs Genes. 25. Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est Iacob dilexi Esau autem odio habui. ¶Hæc autem verba Hierony. in prologo ad hunc vatem pertractans, videtur apertè docere Esau reprobatum ob præuisa à Deo peccata ipsius, at vero Iacob dilectum à Deo ob præuisa bona eiusdem merita. Cuius verba sunt. Esau non iniqua aut spontanea voluntate odio habitum à Deo vel sine meriti gratia Iacob à Deo dilectum, manifestū est: cum secundum præscientiam suā Esau effusionem sanguinis concupiscere, Iacob autem in sui cognitione obseruandam legem desiderare cognosceret, id quod etiā is ipse Hiero. q. ad Hedibiam. 10. testari videtur. Et lib. 1. sup epist. ad Gala. inquit, Deus quem scit iustum futurum prius diligit, quam oriatur ex vtero, & quem peccatorem, oderit antequā peccet. Et in Cōm. huius vatis hunc eundem exponens locū. Porro inquit, dilectio, & odiū Dei ex præscientia nascitur futurorum vel ex operibus: alioquin nouimus, quod omnia Deus diligat, nec quicquam eorum oderit, quæ creauit: sed propriè eos suæ vindicet charitati qui vitiorum hostes sunt, & rebelles: & è contrario eos odit, qui à Deo destructa cupiunt rursus extruere. Et hæc Hieron. sententia fuit Origenis libr. ad epistolā ad Rom. 7. & fuit Chrysost. homilia in epist. ad Rom. vbi edisserit Deum esse instar nostrorum artificum, qui semper eligunt optima, & respuunt deteriora. Et Theo. explicans hunc eūdem locum ad Rom. 9. Dei electio ait, hominum proposito conuenit. Et rursus quorum propositū Deus præsciuit, hos Deus prædestinauit. ¶Et Theophil. in Matth. 22. Dei inquit est vocare, electos autem fieri, vel non nostrum est. Quibus quoque assensit August. libr. 83. q. quæst. 68. voluntas Dei iniusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis: id quod dixerat Christo. In Matthæo, & in Paulo occultissima fuisse merita, hominibus incognita Deo autem nota. Vnde ait August. quod quanuis omnes simus ex origine peccatores, at vero, aliquid præcedit in peccatoribus quibusdam, quo quanuis non sint iustificati digni efficiantur iustificatione. Et in obstinatis, aliquid itē est, quo digni sint obtusione. Et videtur suffragari huic placito, quod Paulus ait, misericordiam cōsecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea. Igitur Pauli ignorantia fuit, causa vnde dignus fuit iustificatione. Et quidam vt Brito, conatur nodū hunc dissolere, quia sanctorum citata placita, Pelagianorum errorem promouere videntur: qui liberum arbitriū magnificant adeò, vt credant, nullam esse Dei gratiam, sed iustificationem correspondere nostris meritis, ideo præfatus autor, dixit verba Hierony. audienda esse de merito congrui non tamen condigni. Et ad eundem explicaret aliorum Sanctorum indicia testimonia. Itaque Deus ab æterno gratis prædestinat, quia non ob merita condigni præuisa prædestinat, verum ob merita præuisa congrui, videlicet, quia præuidit præparationem huius ad gratiam excipiēdam, ideo hunc prædestinauit. At quia præuidit illum non se præparaturum, ideo illum reprobauit. ¶Porro autem D. Augusti. libr. retracta. 1. cap. 25. & sæpè alibi retractat quod supra dixerat Deum prædestinare, quos præuiderat fidem habituros. Putabat enim Augustinus prius fidem posse hominem concipere sine adiutorio speciali Dei. At postquam obseruauit in Paulo fidem esse donum Dei, retractauit

An Deus prædestinet ob præuisa merita.

Placita Sanctorum de prædest. & reprobatione.

In expos. prologi Hierony. ad Mala.

Prædestinat Deus merè gratis.

placitum,& prædestinationem, esse omni no pretiosam censuit. Et equidem si Pauli ad Rom.9. exactè librentur verba,hoc est necessario concedendū Deum gratis prorsus prædestinare,non ob præuisa vel congrui, vel condigni merita:sed omnino gratis. Ait enim Apostolus de duobus geminis Iacob, & Esau, cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, vel mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est maior seruiet minori, sicut scriptum est Iacob dilexi Esau odio habui. Dein vero quia videbatur iniustum odio habere, nondum natum nullius mali factorem, & diligere, eum qui nihil boni adhuc fecisset proponit obiectionem, quid ergo dicemus nunquid iniquitas apud Deum? Absit,Moysi enim dixit miserebor, cuius misertus sum, & misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Et tandem concludit cui vult miseretur, & quem vult indurat, quæ verba manifestè ostendunt prædestinationē, quæ est summæ misericordiæ diuinæ, non pendere ex præuisis meritis,sed ex Dei solum beneplacito. ¶Deus enim ab æterno præuidens omnes homines lapsuros in originalem culpam, & nascituros filios iræ ex culpa primitiua, gratis omnino,ex hac perditionis & peccati massa,quosdam prę elegit,iustificandos, & glorificandos, per fidem in Christum,& obseruantiam mandatorum, alios vero dimisit in suis peccatis morituros,habuitque se erga hos negatiuè,non volens illos eruere à massa perditiōis,qua grauādos ex peccato Adæ,quod diffusum est in posteros vel ex pprijs reatibus alijs ab æterno præuiderat. Et nulla est apud Deum iniustitia,segregans quosdam à perditionis massa, & alios dimittēs eadem grauari. Siquidem cum omnes homines nascamur filij iræ, & digni pœna æterna,adeò, vt si voluisset Deus sine iniustitia,imo ex summa iustitia, totum hominum genus potuisset sub sordibus peccati, dimittere,siquidem has peccati sordes, seu maculam omnes homines sibi parauerunt ex peccato primorum parentum, quo infecti nascuntur, & postquam adulti sunt ex proprijs malis actibus maculam illam omnes homines augerent, nisi diuina gratia subueniret seruandis in vitam æternā. ¶Quia igitur omnes ex originali peccato, quo sunt inquinati, obnoxij sunt homines damnationi, diuina hoc exigente iustitia summæ est misericordiæ diuinæ,ab hac dā nation quosdam eripere, vt summæ est iustitiæ alios in eadem damnatione dimittere.Neque Deus sic agens acceptor est personarum, siquidem in gratuitis personarū non est acceptio, cum ergo sit purissimæ Dei gratiæ,quosdam seperare,à damnatione hac peccati, cui omnes à natiuitate subduntur homines nulli facit iniuriā,si quosdam seperet, alijs relictis in dānatione sui peccati cuius Deus non fuit autor, sed humana inobedientia ad Dei legem. Et hac sanè ratione, Deus suam administrat misericordiam,& suam quoque exercet iustitiā. Quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Et equidem misericordia commendat iustitiam, & iustitia commendat Dei misericordiam.Et quidem si Deus omnes homines eriperet à damnatione hac,iustitiæ diuinæ non esset locus. Etsi omnes dimitteret sub damnatione, non esset locus misericordiæ diuinæ, idcirco Deus secundum suam æternam sapientiā vtrūque temperauit.Sanè, si multi crimen læsæ maiestatis admitterent, & eodem crimine essent innodati, si rex Iesus quibusdam parceret, & alios sub damnatione dimitteret criminis,nulli faceret iniuriam : sed expostulantibus euestigio diceret,nunquid oculus tuus nequam est,quia ego bonus sum. ¶Quod vero nulla in Paulo, vel in Matthæo fuerint occultissima merita, non est obscurum dijudicare. Etenim Paulus ipse proferat nobis sua merita,antequā ad Dominum conuerteretur. Qui prius inquit 1.Timoth.1. fui & blasphemus, & persecutus sum ecclesiā Dei.Hęc sunt Pauli merita,nunquid horum præuisio, erat digna causa prædestinationis, an potius reprobationis dignissima? ¶Quod vero ibidem ait se consecutum misericordiam, quia ignorans fecit,vtique ignorantia Pauli culpabilis erat valde : culpa autem malum meritū est,& non bonum vel condigni vel cōgrui verum Apostolus ait se misericordiā consecutum,qua non ex malitia peccabat, sed ex ignorantia, ignorantia enim minus culpæ habet,quam malitia. Quid quod aliud est loqui de effectibus prædestinationis, qui sunt coniūgentes in tempore, aliud de ipsa æterna prædestinatione. Hæc enim ex sola gratia Dei est,solum ex bene placito Dei pendet Domino docente Lucę.12.

Prædestinatio non pendet ex præuisis meritis vel hominum vel angelorum.

Iustitia Dei suam misericordiam commendat: & misericordia Dei suam iustitiam gratiorem facit.

Nulla fuerūt in Paulo merita aut in Matthæo, vt à Deo eligerentur.

Ignorātia Pauli non fuit meritum præsumptum vt vocaretur.

Nolite

Nolite timere pusillus grex,quia complacuit patri vestro dare vobis regnū. Et rursus confiteor tibi rex cæli & terræ, quod abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis : ita pater, quia sic placitū affuit ante te Matthæi.11. Vnde quod quibusdam detur fides,& alijs non detur, beneplacitum Dei solum esse à Domino profertur in causam. Nisi quod qui potiuntur fide placuit Deo eorum misereri,vt potirentur fidei dono cooperante tamen libero eorum arbitrio, & qui eam desiderant ea priuātur:quia digni sunt fidei priuatione, & ob suam culpā placuit Deo eis fidei donum negare. ¶At vero effectus prædestinationis sunt vocatio, iustificatio perseuerantia in bono,& glorificatio: vocatio igitur ex sola prędestinatione pendet. Vnde Augusti. in Ioan.cur istum trahat, & illum non trahat noli scrutari si nō vis errare. ¶Verum hæc vocatio fit efficax, quia in nobis aliquid est aliquādo qđ impedimentum remouet suæ efficaciæ:est autem impedimentum malitia,& hanc remouet ignorātia. Nam qui peccat ex ignorantia,minus grauiter peccat,quam qui ex malitia : ignorantia enim diminuit voluntarium. Ideoque aptior est ad iustificationem & correctionem ignoranter peccans, quam malitiose peccans, & hoc sibi volebat Paulus verbis præfatis misericordiam &c. ¶Sed neq; in Matthæo fuerunt occulta merita, vt prædestinaretur, & inde vocaretur à Domino, etenim criminantibus, quibusdā,quod cum Publicano Matthæo & alijs peccatoribus Dominus panem mā ducaret,ait Dominus, non est opus valentibus medico, sed malè habentibus. Matthæi.9.igitur si malè habebat coram Deo Matthæus, vnde illi tu parabis occultissima merita? Quod itidem dicendum erit de cunctis prædestinatis, qui omnes non habent occultissima merita ex quorum præuisione Deus eos eligat ab æterno. Siquidem omnes in Adam peccauerunt. Et Dominus de cælo prospexit super filios hominum, si est intelligēs,aut requirēs Deū. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt.Non est qui faciat bonum nō est vsq; ad vnum Psal.13. Si nullus est intelligens, nullus requirens Deum, nullus qui faciat bonum in filijs hominū, vbi obsecro sunt merita quæ præuideantur, vt propter hæc præuisa Deus eligat? ¶Et quid nonne multi infantes sunt electi, qui aqua baptismatis prolati antequam essent doli capaces, de medio sunt sublati, infantes hos igitur prædestinauit Deus, at qualia dices esse horū merita qui ex sola regeneratione beātur? Dices ob merita Christi,annuo tibi,at merita Christi gratis conceduntur illis participanda. ¶Neque vera est sententia Britonis supra indicati in expositione prologi.S.Hierony. ad Malach. quod præparatio præuisa sit causa electionis æternæ seu prædestinationis.Enim vero, nemo se potest præparare ad iustificationem,nisi fide catholica sit præditus,& spe theologica sit donatus, & timore diuinæ iustitiæ corripiatur: fides enim docet salutis antidotum esse sanguinem Iesu Christi:spes erigit animum ad sperandam peccatorum remissionem,timor autem concutit mentē gehennam aduertens. At vero fides gratis donatur,item & spes, item & timor prædictus est donum Dei, igitur nemo se potest præparare ad iustificationem,nisi pręueniatur diuina gratia, aut diuinis donis. Si ergo hęc sunt merita congrui, vt iustificemur, congruitas hæc pendet ex diuina gratia præveniente, siue ex diuino munere mentem eleuante ad pœnitentiam habendā de peccatis.Non ergo Deus eligit ad vitam æternam quosdam,quia vidit ab æterno,eos se præparaturos ad pœnitentiam,& alios reprobat, quos præuidit non se præparaturos. Imo,quia quosdam præelegit, ideo illos excitat sua gratia vt se præparent, & quia alios non elegit,relinquit non præparatos ex sua iustitia. ¶Similiter dicendum erit,nō ex eo Deus eligere quosdam, quia eos præuidit obedientiam præstaturos diuinę vocationi,& alios reprobat,quos prę uidit futuros rebelles. ¶Etenim obedire vocationi, etsi sit actus liberi nostri arbitrij, at vero hic actus præuenitur à diuina gratia iuuante liberum arbitrium vt obediat:quod si non iuuaret non obediret. ¶Est enim obedientia hæc ad supernaturalia vel credenda,vel facienda, natura autem nostra,ad supernaturalia nequit ascendere nisi diuinitus iuuetur. Ideo Marci.9. dicebat ille. Adiuua Domine incredulitatem meam.Et Dominus,Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit illum. Igitur,ex eo electi obediunt,quia propter electionem iuuantur à Deo, vt obediant. At reprobi non obediunt, non quia reprobi sunt,reprobatio enim non est causa peccati, sicut electio est causa prima etsi non

Deus non prædestinat ex præuisa præparatione.

Nulla sūt occultiora meritaob quę Deus prædestinat.

totalis

totalis: vnde iuſtificamur, quia neceſſe eſt, vt nos cooperemur. Reprobi igitur non obediunt ex liberi ſui arbitrij obſtinatione, nec non ex Dei reprobatione. Quia reprobatio non tollit libertatem arbitrij noſtri, ſicut neque electio. Niſi quod reprobatio libertatē arbitrij noſtri dimittit eam ſibi, quia ex Dei iuſtitia reprobi non iuuantur efficaciter ad vitæ æternæ conſecutionem, at vero electi efficaciter iuuantur ex Dei miſericordia. Quod ſi obieceris, cur illi nō iuuantur efficaciter, vtique quia Deus prænidit eos futuros lumini diuino rebelles. Et rurſus ſi quæras, & cur electi iuuantur efficaciter, vtiq; quia Deo morigeri. At quantum ad hoc eſt diſcrepātia inter reprobos, & electos, quia illi ſunt Deo rebelles ex libertate ſui arbitrij, iſti morigeri, primo qa iuuantur, vt electi à Deo, ſecundo quia liberè conſentiunt Deo vocāti & iuſtificanti, &c. ¶ Demum obſeruandum eſt, quod in re hac eſt magna fallentia, quia non diſtinguntur, quæ ſunt diſtinguenda. Nanq; duo ſunt in primis hac in re diſtinguenda. Videlicet electio ad vitam beatam, & deductio electionis huiuſmodi ad ſuum effectum: primo enim ſecūdum modum intelligendi noſtrū elegit Deus æternò quoſdā ad vitam æternā, dein vero diſpoſuit ſuos electos deducere ad vitam æternam per varia merita, verbi gratia, ab æterno ſic diſpoſuit Petrum deducere ad vitam æternam, per crucem, & Paulum per gladium. Hæc deductio ad vitam præuidetur per merita, quia nemo coronabitur, niſi legitimè certauerit. Et fortè hoc voluit Hiero. locis prænotatis, & alij Sancti cum eo. Confundebant enim prædeſtinationem, cum deductione prædeſtinationis ad ſuum finalem effectum, qui eſt beatitudo. ¶ At vero ſunt diſtinctavt dudum expoſuimus: item arbitror eſſe diuerſa, reprobationem, & ad dānationem æternam diſpoſitionē, etſi Scotus cum ſua ſchola illam cōfundant. Vndè dixerunt reprobationem eſſe ex præuiſis peccatis, etſi prædeſtinatio non ſit ex præuiſis bonis meritis Ego tamen arbitror conſentaneam magis eſſe Paulo Theologiam, quam Auguſti. & Thomas ſunt ſecuti, ſi dixerimus reprobationē non eſſe actum poſitiuum, etſi præ ſe ferat affirmationē: ſed eſſe negationem electionis. Itaq; Deus ab æterno videns totam humanam naturam collapſam & corruptā, peccati corruptione, quoſdam inſtituit eripere ab hac corruptione, & hæc diſpoſitio diuina fuit Sanctorum electio, ſeu prædeſtinatio. ¶ Alios vero ſub eadem corruptione manere permiſit habens ſe ad illos negatiuè. ¶ Itaque non eſt dicendum quod voluit eos non eripere, aut noluit eripere, ſiquidem nunquā Deus vult hominem manere ſub peccato, nam ſi voluiſſet, quomodo vult omnes homines ſaluos fieri? Etſi voluiſſet, quomodo homo ſe poſſet extricare à culpa, ſi Deus voluiſſet eſſe eum ſub culpa? Non ergo reprobatio eſt actus poſitiuus, ſed electionis prædicti negatio. Porro dānatio eſt actus Dei poſitiuus, ex quo vult Deus ex præuiſis peccatis non purgandis hominem damnare finaliter. ¶ Vbi cernere licet, quomodo reprobatio non eſt cauſa quod homo peccet, Siquidem reprobum Deus nō inclinat ad peccandum, vt electum incitat ad iuſtificationē. Imo electos & reprobos Deus potius mouet, vt conuertantur & viuant, vt Iudam reprobum, & verbo & opere ad ſe trahere conatus eſt Dñs Ioan. 13. & 19. ¶ Et equidem ſi Paulum obſeruamus diligenter, ad hanc rationem oportet theologizare. Nam ait, cum nōdum nati fuiſſent, aut aliquid boni aut mali egiſſent (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt maior ſeruiet minori ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi Eſau autem odio habui. ¶ Cur autem Deus ex natura tota humana corrupta, quoſdam inſtituit eripere ab hac corruptione, & alios permiſit ſub illa permanere, generaliter ſi loquamur cauſa eſt, quia vóluit in quibuſdam oſtendere ſuam miſericordiam, & in alijs ſuam iuſtitiam. Cur autem ſi quærere progrediaris in particulari, plus voluit in iſtis, quam in illis ſuam oſtendere miſericordiam, Apoſtolus tibi reſpondebit, ò homo tu quis es, vt reſpōdeas Deo? Nunquid dicet figmentum ei qui ſe finxit, cur feciſti me ſic, &c. Quod ſi obieceris Paulo figmentum vel vas quod factum eſt in matulā, nihil ſentit opprobrij, ex eo quod matula eſt, at homo ſentit ſuā damnationē. Reſpōdetur vt ceſſet Durandi hæc obiectio, Paulum per facere hoc loco, vt ſæpe alibi in ſcriptura intellexiſſe Dei permiſsionem. Itaque ſenſus eſt, nullus hominum eorum qui in ſordibus ſuorum peccatorum relinquentur à Deo, poterit dicere Deo, cur me permittis vt in ſordibus meis, vitam finiam? Quia vt diximus, diuinæ iuſtitiæ eſt opus.

Electio eſt cauſa prima, ſed nō tota iuſtificationis, & glorificationis.

Reprobatio non eſt cauſa damnationis, ſed finalis impœnitētia.

Aliud eſt electio dei aliud deductio electionis ad effectum.

Concordia Sanctorū in materia prædeſtinationis ex autore.

Reprobatio & dānationis diſpoſitio diuerſa.

Reprobatio non eſt actus poſitiuus diuinæ volūtatis.

¶ De

¶ De his tamen hactenus quoniam in primo Sententiarum libro, ad finem multam de re hac diſputationem texuimus. Hæc tamen libuit adnotaſſe, ne ieiune tranſiremus locum hunc vatis', *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, Quem locum etſi primo ſecundum literalem ſenſum expoſuimus, tamen quia Paulus Apoſtolus eundem alius intellexit locum, ideo iuxta Pauli ſenſum qui eſt verus ſenſus, attexuimus, quæ hucuſque proſecuti ſumus. Hoc tamen ſolum addentes, reprobare Dei vt diſtinguitur contra damnare, non eſſe odio habere: nam hoc eſt damnare, aut præordinare dānandum propter præuiſam finalem impœnitentiā. ¶ At vero reprobare, vt diximus eſt non eligere ad vitam æternam, quia nō actus diuinæ voluntatis, ſed negatio actus, veruntamen ad reprobationē, aut non probationem conſequitur Deum odio habere reprobum ex præuiſis demeritis. Iam vero ad inſtitutum redeat oratio, ſequitur in vate, *& poſui Seir montes eius in ſolitudinem: in Seir*, non eſt in Hebræo, ſed additur, quia mons Seir erat vbi degebat Eſau, & ſua poſteritas, & ait montes, quia Idumæa regio Eſau, erat montuoſa. *Et hæreditatem eius in deſertum draconis*, deſolati enim montes, rediguntur in luſtra draconum. Nabuchodonoſor autem redegit Idumæam in ſolitudinem. Hæc dicuntur à vate, vt oſtendat, quod Dominus Deus odio habuerit Eſau: id quod dudum propoſuerat. *Quod ſi dixerit Idumæa deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt. Hæc dicit Dominus exercituum, iſti ædificabunt, & ego deſtruā: & vocabuntur termini impietatis.* Idem proſequitur diuinum contra poſteros Eſau ódiū, ſi dixerint poſteri Eſau, ſi redacti fuerimus ad extremam inopiam, & ſolitudinem, *reuertentes*, Hebraiſmus eſt, ideſt, rurſus ædificabimus, euerſa à Nabuchodonoſore, at Dominus inquit fruſtra conabitur Idumæa reſtaurare perdita: quia meo nutu ſunt omnia diruta, & meo nutu item nō reſtaurabuntur. *Et vocabuntur à poſteris termini.* Ideſt populus impius fuit Idumæa, & ob eam cauſam fuit deſolatus. *Et populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum*, Dicent poſteri, Idumæam fuiſſe populū, cui iratus eſt Dominus propter ipſorū ſcelera vſque in æternum. *Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis, magnificetur Dominus ſuper terminum Iſrael.* Dilectionem diuinā in poſteritatem Iacob, hæc verba docent. Nā viſa vindicta ex Idumæis capta Iſraelitæ exiſtentes in patria ſua, hoc eſt quod ait ſuper terminum Iſrael magnificatūri erant Dominum, & eum glorificaturi. ¶ *Filius honorat patrem ſuum, & ſeruus Dominū ſuum, ſi ergo pater ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum vbi eſt timor meus, dicit Dominus exercituum.* Reprehenſurus vates ſacerdotes illius temporis, orditur ſuam reprehenſionem, à generali omnium Iſraelitarū obiurgatione eò quod neque honorabāt Deū vt patrem vniuerſorum, & maximè Iſraelitarum, ob beneficia ſingularia, illis præſtita. Neque timebant vt Dominum & herū vniuerſalem, & Iſraelitarū præcipuè, quia multis flagellis, & caſtigationibus vſus fuerat Deus, vt animaduerteret in eorum delicta, vt à vijs peſsimis, ad viam rectam eos abduceret. ¶ *Ad vos ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum & dixiſtis in quo deſpeximus nomen tuum?* In exordio capitis dixit vates. Dilexi vos, dicit Dominus, at Iſraelitæ reſpondent, *in quo dilexiſti nos.* Modo vero ſacerdotibus non ait, dilexi vos, quia iam generali ſermone ſub Iſraelis nomine etiā comprehendebantur ſacerdotes, qui cum alijs prophanis etiam ingrati fuerunt diuinis beneficijs, ideo modo eorum ingratitudinem apertè explicat dicens, *Deſpicitis nomen meū.* Et quia ſub nomine Dei ipſe Deus intelligitur deſpicere nomen Dei, & deſpicere ipſum Deum. Deſpiciebant autē non verbo conuiciantes, ſed malè operātes. Vnde Dominus, hunc deſpectum exponens ait, Populus hic labijs me honorat cor autem eorum longe eſt à me. *Offertis ſuper altare meum panem pollutum.* Hic vſurpatur panis pro oblatione: ſiquidem panis nō offerebatur ſuper aram: ſed ſuper menſam panis propoſitionis. Oblationem igitur pollutam offerre erat polluere nomen Domini. Siquidem cum Deus ſummè impollutus ſit quæ ſibi offeruntur oportet eſſe impolluta, qui contra autem facit, præ ſe fert ex opere ſuo Deum eſſe pollutum, offerēdo polluta, quaſi vero Deo placerent polluta: ideo huiuſmodi offerēs polluebat nomen Dei, quantū præ ſe ferebat eius oblatio. *Offertis*, reſponſio eſt Dei, *panem pollutum.* Anxij ſunt expoſitores, quidnā oporteat intelligere per panem pollutum. Quibuſdam arridet eſſe panem piſtum, & formatum & coctum per prophanas manus, qui alioqui per ſacerdotes eſſet elaborandus. Alijs placuit panem pollutum eſſe panem

nem ex frumento ex rapina ſublato. Verũ hæc gratis videtur aſſerta, & neceſſaria nõ ſunt. Nanque vt aiebam dudum per panẽ oblatum in altari, non panem, ſed oblationes alias oportet ſubaudire. *Et dicitis in quo polluimus te cogitatione dicitis.* Legimus Leuit. 21. Sacerdotem pollutum prohiberi à Deo ne offerat ſacrificiũ. Item 1. Machab. 4. Vnde Leuit. 20. Dñs ait, ſanctificamini, & eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum. Rurſus Leuit. 3. & 22. & Numer. 28. Iuſſu Dei oblationes impollutas, & immaculatas eſſe offerendas. Iſti ergo ſacerdotes ex duobus culpandi. Et quia polluti erant, & quia polluta offerebant. Sacerdotes autem iſti, vt ſuperbi non agnoſcebant pollutionem ſuam, ideo non confitebantur ſe eſſe pollutos, ſed impudenter ſe objiciunt Deo dicentes. In quo polluimus te? Et reſpondet Deus per vatem. *In eo quod dicitis menſa Domini deſpecta eſt.* Hæc & alia iſti dicebant mente, videlicet, ſeu cogitatione. Menſa pro eſca in ea contenta, continens, ſcilicet, pro cõtinente, ideſt, cibos oblatos Domino nihil refert contemptibiles eſſe, aut aliter menſa Domini non eſt tanti facienda, vt ſuper eam non poſsint etiã polluta offerri. *Si offeratis cæcum ad immolandũ nonne malum eſt?* Id eſt ſi animal cæcũ, hic verſus poteſt etiam legi ſine interrogatione, & tunc ſubaudiendum verbum *dicitis*, videlicet, ſi offeratis cæcum animal ad immolandum dicitis non eſt malum, & eſt increpatio ſacerdotum offerentium polluta: quaſi non eſſet lege cautum illa non offerre. Cum interrogatione vero nonne malũ eſt? ita equidem quia lege prohibitũ. *Et ſi offeratis claudum, aut languidum nonne malũ eſt? offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſuſceperit faciem tuam.* Vtique malum eſt Deo omniũ perfectiſsimo, offerre imperfecta. Vt ſunt animalia claudicantia: aut languẽtia, quæſi offerantur primatibus, ingrata erit illis oblatio: quid quod Deo, ſit odioſa oblatio, cui vt optimo, optima quæque, quoad licuiſſet erant offerenda, aut ceſſandum ab oblatione. *Suſcipere faciem*, eſt gratum habere munus offerentis. *Dicit Dominus exercituum*, qui mentiri nequit. *Et tunc deprecamini vultum Dei, vt miſereatur veſtri, de manu enim veſtra factum eſt hoc, ſi quomodo ſuſcipiat facies veſtras: dicit Dominus.* Monet vates ſacerdotes, vt Dominum precentur veniam ſuorum ſcelerum, quorum fecerat mentionem & aliorum quorum mẽtio fiet in calce capitis. Et cauſam aſsignat, cur debeant poſtulare Dei miſericordiam, quia ſponte huiuſmodi ſcelera admiſerunt, de manu enim veſtra, ideſt veſtro miniſterio factũ eſt hoc ſcelus polluendi nomen meũ precamini igitur Dominum, vt gratum illi exhibeatis ſeruitutis veſtræ obſequium: ſunt qui ironicè dicta putent hæc, quaſi dicat, ſic impolluti deprecemini Dominum & miſerebitur, pro non miſerebitur. *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus.* Quaſi dicat obſequia quæ mihi impenditis vobis rependuntur, nam ex ſacrificijs mihi oblatis, & oblationibus vobis paratis victum & neceſſaria: vnde tenebamini impolluta mihi offerre ſacrificia, & vos impollutos præſtare, ſiquidem ex altari meo victitatis: at hoc magis auget offenſam veſtram & ingratitudinem: quia mihi beneficentiſsimo in vos, eſtis ingratiſsimi. Et iuxta hunc ſenſum, non licebit colligere iniuſtum eſſe miniſtris eccleſiæ referre ſuæ operæ ſtipendia. Vt ſacerdoti ſacra facienti, & canonicis reſidentibus, & cæteris alijs eccleſiaſticis, qui operam ſuã impẽdũt diuinis officijs porrigendis. Nãq; fas eſt vt ſtipendia referant, ſiquidem docente veritate dignus eſt operarius mercede ſua conteſtante Paulo, qui altari ſeruit, de altari viuere debet. At vero Hebra. in alium ſenſum ſunt referenda verba, vt ſit, fruſtra clauditis oſtia templi mei, & incenditis thura in meo altari, quia veſtra ſacrificia non ſunt mihi grata, & ideo per illa nihil impetrabitis. Aut in hũc ſenſum vtinam aliquis ex vobis clauderet oſtia tẽpli mei, vt vos non incendatis victimas in altari meo fruſtra. Vnde Vatabli trãſlatio ſic habet. *Ad hæc quis ex vobis oſtia claudat? num vero in ara mea gratis incenditis.* Id eſt fruſtra incenditis victimas in ara mea, nam gratis hoc loco, idem eſt, quod fruſtra, vt Hiſpanè etiam vſurpatur aliquando, dicitur enim, hablar de gracia, id eſt vanè. Et hic ſenſus videtur germanus huic loco, ex conſequentibus enim apparet Dominum per hæc verba inſinuare reprobationem veterum ſacrificiorum, propter pollutionem offerentiũ, & pollutionem oblatorum. Hoc enim eſt quod ait, *Non eſt mihi voluntas in vobis.* Et Chaldæus paraphraſtes hũc ſenſum fouet: vertit eñ ſic. *Quis etiam in vobis & claudet fores ſanctuarij mei, & non offeretis ſuper altare meũ munus*

nus abominationis. Et Græca conſonãt, *& in vobis*, ideſt per vos claudentur *fores, & non ſuccendetur altare meum gratis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Non erũt mihi grata munera veſtra propter cauſas prędictas. *Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus*: vocationem gentium ſignificat hic locus. Siquidem gentes ſuſceperunt fidem Chriſti quem colunt. Quaſi dicat ego reijciam vos propter veſtram incredulitatem, & transferam cultũ meum ad gentes: quæ recipient fidẽ meam & non coarctabitur religio mei nominis, & cultus in veſtra terra vt ſolebat: ſed dilatabitur per totum orbem euãgelica fides: & hoc eſt, quod ait, ab ortu ſolis, &c. *In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomẽ meum in gentibus.* Oblationem mundam, & ſacrificium impollutum eſſe intellige iuge ſacrificium quod offert religio chriſtiana Deo, corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti. Et tu obſerua: quomodo hic inſinuat eſſe Euchariſtiam ſacrificium impollutum, *ſacrificatur* pro ſacrificabitur. *Magnum nomen*, quia fideles ex gentibus vocati maximè colunt Deum verum, & populus Iudaicus, non tam perfectè coluit Deum, vt eccleſia catholica, colit, vt myriades Sanctorum qui floruerunt in eccleſia chriſtiana teſtimonio ſunt. *Dicit Dominus exercituum*, qui neque fallere neque falli poteſt. *Et vos polluiſtis illud in eo quod dicitis, menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile, cũ igne qui deuorat illud.* Quod ſupra dixerat de mẽſa, repetit modo. Et per contaminatã menſam intelligit vilem eſſe menſam Domini, & non multi faciendam, & ideo referre nihil, quod ſacrificia quæ ſuperponebantur eſſent maculata & polluta. Hebrai. pro ſuperponitur habetur dictio Nebo, ſignificans verbum eius, aut eructationem eius. Verbum autem menſæ erat prouẽtus eius ſeu cibus, qui ibi ſuperponebatur. Itaque hæc verba ſunt ſacerdotum excuſantium, quod vilia offerrent: excuſabant enim ſe, quia altare ſeu menſa Domini, non erat tanti facienda, vt ſolum immaculata eſſent ibi offerenda. Et hoc vertebatur, ad cõtemptũ diuini præcepti, ex quo tenebantur offerre impolluta. Et ideirco ait vos polluiſtis nomen meum violando præcepta mea. *Et dixiſtis ecce de labore meo, & exuſflaſtis illud.* Nunc flectit ſermonẽ in populares, quod item præuaricatores erant, dicebant ecce hoſtia hæc quã ego affero immolandã à ſacerdote ex labore meo parta eſt & exuſflaſtis illã, ideſt cõtẽpſiſtis hoſtiã proijciẽtes eã ad pedes ſacerdotũ contẽnendo Deũ, & hoſtiã. *Dicit Dñs exercituũ*, quẽ vos vt omnipotentẽ, debueratis admodũ colere, amãdo, & timẽdo eũ. *Et intuliſtis de rapina claudũ & languidũ, & intuliſtis munus, nũquid ſuſcipiã illud de manu veſtra dicit Dñs?* Duplex vitiũ in oblatione horũ erat, alterũ, quod oblatio erat ex rapina, alterã quod erat vitioſa oblatio, offerebatur enim imperfectũ & vitioſum animal Deo. At vero donaini quorũ nõ probat altiſsimus. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculũ, & votum faciens immolat debile Dño, quia rex magnus ego, dicit Dñs exercituũ, & nomen meũ horribile in gentibus.* Subaudi erit horribile, id eſt maximę venerationis erit nomẽ meũ apud gẽtes quãdo ſuſceperint fidẽ euãgelicã. Si ducibus & primoribus ſeculi, offerantur vilia, reputãt in ſui cõtẽptũ eſſe oblata, Deo igitur maximo & optimo, optima quæq; nõ vilia ſunt offerẽda. ¶Quod ſi dixeris, & quid nõne vilis erat vetulæ illius oblatio? at vero Dñs gratiorẽ habuit obolũ illum, quam grandia quæ obtulerunt magnates? ¶Reſpõdetur, q̃ Deus nõ ſpectat quãtum offeratur, ſed ex quãto amore Dei, & affectu ad diuina fiat oblatio. Ex affectu igitur plus obtulit vetula illa, quã alij præpotentes, qui ad captandã auram vulgi, magnas faciebãt oblationes. Vnde Dñs hũc charitatis diuinæ affectũ conſiderãs docet. Qui dederit in potũ vni ex iſtis minimis calicẽ aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, perdet mercedẽ ſuã. At vero Iudæi ex corrupto affectu offerebãt, quæ offerebãt, ideo Dñs eos obiurgat vt prædictũ eſt. ¶Multa hic de ſacrificio altaris, & de ſacerdotũ ſanctimonia eſſent pro moralibus huius capitis addẽda, quę quia plixe pertractata ſunt in declamationibus ad Iſaiã. Et in. 4. Sent. lib. ideo ab illis in præſentia duxi abſtinendũ. *Matthæi 10.*

A verbo Nabad eructauit locutꝰ eſt.

EXPLANATIO IN MALACHIAM. CAP. II.

ET nunc ad vos mandatum hoc ô ſacerdotes. Regreditur vates ad exhortandos ſacerdotes denuo, vt hoſtias immaculatas, & animo puro Deo offerant. Siquidem ſacrificia illa vetera, non proficiebant ſacerdoti

doti, nisi ipse offerens mundus esset. Non enim poterant mundare à peccato sacrificia illa, quia non habebant vim mundatoriam à peccatis, sed solum sanctificabant exterius, vt Paulus ait, proderant enim ad emundationem carnis, scilicet mundabant irregularitates quasdam, quæ accidebant tum ex multis, at vero animum mundare nequibant, verum quantum ex vate videtur colligēdum, peccabant sacerdotes corde impuro sacrificia tractantes. Et ideo frequenter monet de re hac vates, vt mundentur sacerdotes, & nunc ait, & nunc ad vos ò sacerdotes hoc mandatum pertinet audire. *Si nolueritis audire si nolueritis ponere super cor.* Id est si opere non compleueritis, quæ vobis præcipio. *Vt detis gloriam nomini meo.* Vt is, qui violat Dei mādata, polluit nomen Dei, ita & qui implet dat gloriam nomini Dei. *Ait Dominus exercituum*, qui ab omnibus est glorificandus. *Immittam in vos egestatē & maledicam maledictionibus vestris.* Inopia vos opprimam & benedictiones vestræ vertētur in maledictionem, Iudæi possidebant terram sanctam egregiam & inclytam ex Dei benedictione, vnde huiusmodi terram vocat benedictiones, quia ex Dei benedictione, & fauore possidebatur: Deus autem ait, maledicturum huiusmodi terræ, quia erat illam redditurus sterilem. ¶ Verum quia loquitur de benedictionibus sacerdotalibus, aptius exponitur, ego maledicam ijs, quæ vos sacerdotes benedicitis: benedicebant enim, vt ex hoc loco colligitur vineis, & segetibus, & oliuetis, & oleribus &c. Verū quia Dei ira in sacerdotum peccata, hęc ab eis benedicta, erant vertēda in sterilitatem, ideo ait, *Maledicam &c.* Neque hinc idonea erit collectio, sacerdotes pollutos apud nos non conficere sacramenta, vt fuit error Bohemorum, aut quod preces eorū, & benedictiones sint vertendæ in maledictionem, quia Deus reputat illa execrata, vt ab hominibus pollutis, ideſt criminosis profecta. ¶ Enim vero sacramenta ecclesiæ non habent vim & efficaciam à sacerdotibus, sed à Christo: sacerdotes autem solū sunt ministri per quos illa applicat Deus, suscipientibus. Et ideo refert nihil, quod medicus sit malus, si medicamentum quod admouet infirmo opportunè applicauerit, quoniā medicamentū, non haurit vim à medico, sed à sua natura, itemque preces & benedictiones, quibus sacerdotes benedicunt segetibus, & profligant locustas, & brucos, &c. sunt ab ecclesia institutæ, quæ Deo grata est, etsi minister non sit gratus. Benedictiones autē istę, de quibus hic agit vates erant benedictiones forte ab ipsis sacerdotibus excogitatæ ad lucrū percipiendū, aut si à synagoga erant institutæ, Deus nō sæpè has exaudit benedictiones segetū vel quibus petimus tēporalia bona, etsi ab ecclesia sint institutę: imo aliquando nihil impetrant. Nanque sæpè neque locusta, neque brucus aut aliæ segetum pestes profligantur, etsi multæ hoc genus preces ex manualibus ecclesiarum depromantur. Si quidem hæc sunt pertinentia ad bona temporalia, hæc quidem elargitur Deus, iuxta id quod opportunius sibi videtur ad punitionem peccatorum nostrorum, & correctionē eorum. Et quia nescimus sæpe quid petamus, adeò aliquando votis petentium Deus non annuit. *Et maledicā illis, quoniam non posuistis super cor.* Id est, quia præcepta mea non coluistis, neque ea operi mandastis: hoc enim vocat ponere super cor, id est efficaciter illa velle implere. *Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum.* Pro brachio Hebraica vox, est Zarach, quæ semē & brachiū significat. Græca sic habent *separo à vobis humerum, & dispergam ventriculum super facies vestras.* At videtur congruentior interpretatio si interpretemur semen. Et verbum proijciam habet sibi correspōdens verbum Hebræū, quod significat increpare, vt sit litera. *Ecce ego increpabo vobis semen.* Perdere autem semen, est increpare semen. Quasi dixisset projicietis semen in terrā & erit nullius vigoris. Quia dixerat, maledicā benedictionibus vestris: ideo subdit maledictionem, quod Dominus increpabit semē, ideſt reddet infœcundum. Et est metaphorica locutio. Vt illa increpauit mari &c. cessatio à fluctibus erat increpatio: ita non exercere semen vim suam Dei nutu vocat Dei increpationem. Nostra autem translatio alium habet sensum proijciam in vobis brachiū, subaudi meum, vt excutiam oblata à vobis, Hispanè, dare le de mano, a lo que offrecieredes. *Et dispergam*, vocat solennitates illas stercus, quia erant vilipendendæ sub Christi lege, vt stercus. In quem modū Paulus dixit omnia, vt stercora reputaui, vt Christum lucri facerem, Hispano sermone, echare por ay esse estiercol de vuestras

stras solennidades y dare os con ellas en los hocicos. *Et assumet vos secū.* Stercus iste vos assumet, ideſt inuoluet vos in obstinationē, vt modo Iudæi sunt inuoluti in stercore, & vilitate suarū superstitionū. *Et scietis, quia misi ad vos mandatū istud, vt esset pactū meū cū Leui, dicit Dñs exercituū.* Pactū de victimis offerendis immaculatis, & quod ipsi immaculati essent, hoc fuit pactū, scilicet præceptū Dñi, vt supra fuit expressum. *Pactum meū fuit cū eo vitæ, & pacis, & dedi ei timorē, & timuit me.* Explicat pactū, quod dudum dixerat, pactū vitæ, &c. quod si seruassent Leuitæ & sacerdotes foret eis vita, & pace. *Dedi*, ideſt feci, eos vt reuererentur nomē meū, hoc ait propter veteres sacerdotes iustos & pios, vt ex collatione piorū impij sacerdotes fœdiores videātur & digniores diuina increpatione. Quales fuerūt Moses, & Aaron, & pleriq; alij successores, qui Deum vere coluerūt. *Et timuit me.* Tribus Leuitica antiquitus timuit Deū. *Et à facie nominis mei pauebat*, ideſt audito nomine meo, plurimum me obseruabat *lex veritatis fuit in ore eius: & iniquitas non est inuenta in labijs eius.* Quia sacerdotes illi primi docebant diuinæ legis veritatē, purè, citra iniquitatē. *Eius*, id est tribus Leuiticæ. *In pace, & in veritate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate,* Laudat veteres sacerdotes, vt diximus Aaron & Phinees, &c. vt reprehendat ex laude veterū mores recentiorū, etsi quidā referant istud ad Phinees, qui valde zelauit honorem Dei Num. 25. & Psalm. 105. *Labia enim sacerdotis custodiēt scientiā, & legē exquirent ex ore eius: quia Angelus Dñi exercituū est.* Qualē sit munus seu functio sacerdotū demōstrat. Et vocat sacerdotē angelū, ideſt legatū Dñi. Quia sacerdotes debent exponere legem Dei populo, vt sciant quid facere aut deuitare debeant. At quia legati & debent denūtiare quæ cōmissa sibi sunt nihil cōtrarij miscēdo, nec quoq; ratione sacerdotes cū sint legati Dei, ea solū debent exponere, quæ diuina scriptura docet, & ecclesia catholica, admonuit docenda, cætera excludendo, quæ ad rem non pertinent. Sed ait aliquis, multi sunt sacerdotes ignari modo, nūquid culpādi sunt, si non nouerint scientiam Dei, ideſt Sanctam scripturā? nō vtiq; quia nō omnes funguntur officio docendi plebem, quales sunt simplices sacerdotes, qui nō sunt pastores dominici gregis. At vero, qui sunt pastores, vt episcopi, & alij inferiores parochi, quorum interest docere gregem Dñi obligantur ex diuino iure scientiam Dei habere. Nanq; vt concil. Triden. ait, præcipuum munus episcoporum est docere ecclesiā, prædicando Dei verbū. Huius enim istorū inclinata est ecclesia. At vero parochi pro suo modulo sufficit, quod mediocriter possint docere sibi subditos, explanando euangelium Iesu Christi ad literam, & nouerint administrationē sacramentorum. Dicet aliquis multi sunt in ecclesia prædicatores, vt monachi, & clerici, igitur etsi episcopus nō prædicet Dei verbum, sat est quod alij hoc munus subeant. Respōdetur, q̄ episcopi per se ipsos censibus episcopatus fruūtur, ideo per se ipsos laborare debent. Nam qui nō operatur, nec manducet, vt Paulus ait. 2. Thessa. Et indigni sunt nomine pastoris, qui functionem pastoralem nō exercent, est autem præcipua hæc episcoporū functio pascere plebes verbo Dei. Et modo vates inquit, *Labia sacerdotis, &c.* quod si sacerdotibus hoc incumbit negotij maximis sacerdotibus maximè incumbit. Et S. Valerium legimus resignasse episcopatum in S. Augustinū, quia blesus erat, & nō potens cōmodè prædicare verbum Dei, obijcies forsan, quid ergo episcopi, qui non didicerunt theologiā, sed solum ius canonicum, crimen ne incurrunt? dubium agitatū satis, at meo iudicio, agitatione tanta nō est dignum. Siquidem in re hac, aliud est quod expedit, aut quod licet, nam Paulus hæc distinxit dicens, multa mihi licent, sed nō expediunt: tanè hoc est expediēs valde, vt episcopi eligantur theologi, qui nouerint pascere verbo Dei gregem Christi. Nam vt sæpè diximus, hæc est præcipua eorum functio, nanq; ad cōponendas lites suorum subditorum, habent Vicariū generalē iurisperitum, qui hoc præstet. ¶ Istud tamen nō est præcipuum episcoporū munus. Sed dirigere gregem suum in viam pacis cum Deo cōciliandæ. Verum mihi videtur licitum est, eligere in episcopos iuris Pōtificij peritos, quia in iure pōtificio, quædam sunt quæ ad lites pertinent resoluendas, vt quæ in decretalibus pontificū epistolis sunt decreta, alia vero mores fideliū cōponunt vt sunt multa in volumine decretorū ex Sanctorū codicibus ibi ascita. Quæ episcopi si instillauerint suis subditis, implent vtcunq; munus suū, docendi plebem sibi à Deo cōcreditam. Cæterum in ecclesia Dei, nunquam iurisperiti fuerunt electi ad munus episcopale, vtq; ad tempora Cōstantini, qui elegit Nectarium Iurisconsultū in Archiepiscopatū Constantinopolitanū, vt proditum est in tripartita

1. Mach. 2.

Magis expedit eligere in episcopos, Theologos, quā iurisperitos.

Episcopi tenentur scire scientiam Dei.

Licet re Iurisconsultos in episcopos.

hiſtoria. ¶ Et quia iuris Cæſarei periti, in multis ſymbolizant cum iuris Pōtificij conſultis, ideo de iſtis vna videtur eſſe ratio, & multo ſatius eſt hos eligere, quam ignaros, vt olim ſolebat vſu venire. Sic ergo iuris pōtificij ſcientia, eſt quadā tenus ratione ſcientia Dei, propter aſſertā doctrinam Sanctorum. *Vos autē receſsistis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritū feciſtis pactum Leui.* Ad id vnde diſceſſerat vatis redit oratio, nēpe vt exponat quomodo ſacerdotes polluebant nomen Dei. Quia ſcilicet vos ſacerdotes receſsiſtis à lege Dei, & veſtra præuaricatione, offerentes mihi polluta, & ducentes altare meū eſſe pollutum ſcandalū actiuum intuliſtis popularibus: nam iſti etiam offerebant etiam polluta ducti veſtro malo exemplo. *Irritū feciſtis pactū*, cuius ſupra, *Dicit Dñs exercituū.* Loquitur in tertia perſona, cū ſit alioqui Deus ipſe qui loquitur per vatem. Et vtitur ſemper hac periodo, vt ſingula quæ dicuntur ſummæ veritatis verba eſſe credātur. *Propter quod & ego dedi vos cōtemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut nō ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege*, ſcribitur in pſal. Nimis honoratos eſſe Dei amicos, & nimis confortatū eſſe principatū eorū. Et alibi qui me cōtemnūt ignobiles erunt. 1. Reg. 2. Sacerdotes igitur iſtos quia cōtempſerūt legē Dei prædicit eſſe à Deo cōtemnēdos: quia nō obſeruarunt Dei legem, & reſpōdentes dubijs à ſecularibus ſibi propoſitis, nō ſecundū legis diuinæ veritatem, ſed propter amicitiam, aut pecuniā reſpōdebant. Et hoc eſt accipere faciem in lege, ideſt cōtra legem perſonam accipere: quā vocat faciem. *Nunquid nō pater vnus omnium noſtrū? nunquid nō Deus vnus creauit nos? quare ergo deſpicit vnuſquiſq; veſtrū fratrē ſuū?* Nūcinuehitur in peccata cōtra proximos admiſſa poſtquā reprehenderat peccata directè contra Deum cōmiſſa. Qui mos propheticus eſt in hæc & illa peccata dirigere ſermonē. Nam nō ſolū diligēdus Deus eſt, quinimo & proximus. ¶ Deſpicere autem proximū bifariam cōtingit, aut verbo, vt is deſpicit, qui verba cōtumeliæ in eum iacit, aut opere, qui ſcilicet, vel ſubſtantiam, vel vxorē, vel liberos, lædit, aut honorē detrahit proximi. Et vtroq; modo hoc loco licebit verba interpretari vatis. Pater vnus qui dā ad Adam, alij ad Abrahā, alij ad Iacob referūt. *Violans pactum patrum noſtrorū*, verba hæc vt proxima ſunt, iam vatis verba, reprehendēs eoſdē quos dudū, quia violabāt præcepta Dei, quæ maiores ipſorū obſeruauerūt, vt carpſit ſacerdotes quod polluebāt ſanctū Dei nomen, id q̄ maiores eorū ſummopere cuſtodiebāt. *Trāſgreſſus eſt Iuda, & abominatio facta eſt in Iſrael, & in Ieruſalem, quia tranſgreſſus eſt Iudas ſanctificationē Dñi, qua dilexit, & habuit filiam Dei alieni.* Iam in ſpecie carpit vitia Iudæorū, videlicet, quod violabāt legē diuinā in ineūdis cōiugijs. Nō enim poterāt alienigenas ducere in vxores, at vero ſoluta captiuitate Babylonica, vt ex lib. Eſdræ liquet: duxerūt vxores gentiles. Ideo ait tranſgreſſus eſt Iudas & abominatio facta eſt in Iſrael, & eſt repetitio exaggerando crimen, per ſanctificationem Domini, intellige legem ſanctam Domini, quā Deus ſanciuit cuſtodiendam ab eis. Habuit Iudas, id eſt Iudæi ex tribu Iuda filiam in vxorem, quæ alienigena erat alieni Dei, id eſt cultricem alienorum deorū. *Habuit*, ſubaudi Iudas. *Diſperdet Dñs virū qui fecerit hoc*, illud cōiugiū, cum muliere diſparis cultus, erat inane, & ideo Eſdras Dei ſacerdos, illa militer, qui duceret Saracenā, vel Iudæam, aut cuiuſuis alterius diſparis cultus non iniret matrimoniū: quia nullū tunc eſt matrimonium. ¶ Etſi in primitiua eccleſia, illud permittebatur, ſed iam prohibetur, vt nos in 4. Sent. lib. 10. abundè diſſeruimus exterminandū docet eum qui huiuſmodi abominationē prophani cōiugij fecerit. *Magiſtrū, & diſcipulū de tabernaculo Iacob & offerentem munus Dño exercituū*, pro *Magiſtrū, & diſcipulum*. Hebra. excitantē, & reſpondentē, vt ſit ſenſus, viri ineuntis hoc prophanū cōiugiū exterminandā & excindendā eſſe ſobolem, etſi fuerit ſacerdos, nullus ex illo ſuperſtes erit, qui afferat Dño munus, Chaldæus apertius vertit. *Exterminabit Dñs virū, qui facit iam filium, & filiū filij, de vrbibus Iacob. Et ſacerdos ipſe, nō erit illi offerens oblationem in domo ſanctuarij Dei ſabbaoth.* Et eſt idem ſenſus ex vtraq; trāſlatione. Itaq; hoc loco nō agitur de pluralitate vxorum, quæ permiſſa erat ſub lege Moſayca, & ante legē Sanctis patribus erat cōſueta: ſed ſolū fit mentio de prophano cōiugio, cū vxoribus diſparis cultus. Vnde pronūtiat huiuſmodi connubia prolem illegitimā eſſe & excindendā habitura, quæ repellenda eſſet à miniſterio altaris, ſi ſacerdotibus talia inire connubia cōtingeret. *Et hoc rurſus feciſtis operiebatis lachrymis altare Dñi flatu, & mugitu: ita vt nō reſpiciā vltra ad ſacrificiū: nec accipiā placabile quid de manu veſtra.* Exaggeratione vtitur vates, ingentem dolorem vt ſignificet vxo-

Bifariam deſpicim⁹ proximū.

rum legitimarum quas repudiabāt Iudæi, vt noua cū alienigenis inirent cōiugalia fœdera. Quia hanc grauiſsimā iniuriam inferebant ſuis cōiugibus, ideo ait, quod ſacerdotū huiuſmodi ſacrificia futura Deo ingrata. Vnde Dñs, cum offers munus ſuū, ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te. Vade prius reconciliari fratri ſuo &c. *Operiebatis*, id eſt cauſa, quod in vxores legitimæ veſtræ plurimū flerent, & *Altare*, Mulieres nō cōtingebant altare, ſed quia lachrymæ illæ à mulieribus illis veluti ſacrificiū Dño offerebantur, vt illis ſubueniret, ideo opertū eſſe altare lachrymis. *Et dixiſtis quā ob cauſam? quia Dñs teſtatus eſt, inter te, & vxorē pubertatis tuæ, quā tu deſpexiſti. Et hæc particeps tua, & vxor fœderis tui.* Ideſt, ſi dicatis, quam ob cauſam Dño nō ſunt grata noſtra ſacrificia, quia Dñs fuit teſtis cōnubij veri initi inter te, ò ſacerdos, & vxorē iuuentutis tuæ, & illud probauit eſſe legitimū, & iuſsit ad alienigenas nō eſſe accedendū, & nihilominus tu deſpexiſti vxorē pubertatis, ſeu iuuentutis tuæ, quā ſcilicet accepiſti ſub iuuentute tua, nā vxores huiuſmodi ſolent eſſe chariſsimæ, quia ſunt quæ à viris primo amantur, & nihilominus ſpreuiſti legitimū hoc cōnubiū, vt prophanū inires. Hæc *particeps* quā ſcilicet primo cognouiſti, & ſociaſti tibi, & vxor primi fœderis tui cōiugalis. *Nō ne vnus fecit, & reſiduū ſpiritus eius eſt? & quid vnus quærit niſi ſemen Dei.* Nicolaus ſecutus gloſſam, ad hominis creationē locū retulit hoc modo, vnus Deus fecit maſculū & fœminam & reſiduū, ideſt coſtam Adam, conuertit in Euam: vt eſſent vnus ſpiritus per amorē, & dilectionē, vt erant caro vna per cōiugalem copulā. Et ideo, quod vir debet quærere, eſt prolem ex vxore habere ſanctam, quæ Deū colat. ¶ Hebræi autē quidā, quos indicat in additione Burgenſis, in aliū ſenſum locum hunc retulerunt, vt ſcilicet ſint verba Iudæorū excuſantium vxorum pluralitatem, qui aiebant nonne vnus ſcilicet Abraham, hoc idem fecit? & reſiduū ſpiritus eius, ideſt ſuperabundans fuit eius ſpiritus. Nam quod reſiduum eſt ſuperabundat. Quaſi dicat, Abraham fuit vir excellentis ſanctitatis: at vero pluribus eſt fruitus vxoribus. Quibus reſpōdit propheta Abraham fruitum fuiſſe pluribus vxoribus, quia Sara vxor ſterilis erat: & quærebat habere prolem, ad propagandū cultū Dei, ideoq; conſentiente ex Dei ſpiritu accepit ancillā Gene. 16. non ex libidine, ſed ex religione.

At vero hæc expoſitio non videtur cōgruere, cum vatis inſtituto: videtur enim, quod hic intendat omnino coercere petulantiam Iudæorum dimittentium ſuas vxores, vt adhærerent mulieribus alienigenis, quas vocat alieni Dei. Et non agitur de pluralitate vxorum ſed omnino carpitur odium quod habebant in ſuas vxores, quas Deus illis donauit legitima coniugia probans. Nam ex hoc odio vehementiſsimo, repudiabāt vxores legitimas, & adhærebant prophanis. Et iſtud reprehēdere, quod dixerat vates eſſe abominationē in Iſrael, eſt vatis intentū, vt ex cōtextu patet. Et quidē etſi Abrahā accepit Ceturam, & Agar ancillā: at vero non legimus has fuiſſe diſparis cultus, imo credendū eſt, quod Abrahā vir ſanctiſsimꝰ nullam accepit in vxorem, quæ idola colerer. Græcè, *non alius fecit, reliquiæ ſpiritus ſui*: at vero Theodo. non legit ſui, ſed tui, id quod refert ad primū coniugiū Adam, & Euæ, ſcilicet non alius fecit matrimoniū, niſi Deus omnipotens, iungens Adam & Euam in paradiſo, & reliquiæ ſpiritus ſui, ideſt Adam, videlicet Dñs inſtituit matrimoniū, vt multiplicarentur homines ſuper terram & defunctis eſſent reliquiæ ſuperſtites in mūdo, & hac ratiōe ſeruaretur ſpecies humana, in ſpecie, quæ ſecundum individuū ſeruari nequibat. At vero Hebra. *Et nō vnus fecit, & reſiduum ſpiritus eius, & quid ille vnus? quærens ſemen Dei.* Id quod ab alijs exponitur, multo ſecius, quam hactenus ſit expoſitum, & expoſitio hæc eſt, qua lucidè tradam, etſi obſcurè traditur excuſant Iudei, vel potius vates accuſat Iudæos, quod alienigenas ducerent vxores, & odio magno haberēt quas ex legitimo connubio ſibi copularant. Et quia vitium cōmune erat, ideo valde culpabile, quia maioris erat cōtemptus diuinæ legis. Ait non vnus ſolum hoc facinus eſt curſus: imo plures priores facinus hoc admiſerunt, & reſiduū, ideſt reliquiæ ſeu poſteriores ſunt ſpiritus *eius*, ideſt eorum ſingulare pro plurali. Aut ſecuti ſunt ſpiritum multitudinis facinoroſæ, & audaciſsimæ: vſurpatur ſpiritus pro ſententia, vel opinione, id quod aliquando accidit in diuinis ſcriptis: vt Eſter 15. Conuertit ſpiritum regis in mānſuetudinem, ideſt ſententiam, mutauit ex crudeli in clementem, vel ſi pro animū & affectu vſurpetur, quod eſt frequentius, *reſiduum ſpiritus eius*, ideſt poſteriores ſecuti ſunt animum peſsimum & affectum priorum relinquendi ſuas, & accipiendi prophanas. *Et quid ille*, &c. ideſt etſi vnus fuiſſet ſo-

lus, qui hoc tentasset facinus, dicens se ex religione facere, vt scilicet ex mulieribus prophanis susceptos filios diuino mancipa ret obsequio, adhuc facinus non excusaret intentio bona. Siquidem ex pessimo coniugio pessima proles & non sancta est speranda. Quid quod non sunt facienda mala, vt proueniant bona. *Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorē adolescentiæ tuæ noli despicere.* Hoc est, vestrū animum nolite coinquinare, & vxores vestras, quarū coniugiū Deus probatū habuit nolite despicere præferendo illis, alienigenas. Noli despicere, mutatio est personæ. *Cum odio habueris dimitte e, dicit Dñs Deus Israel, operiet autē iniquitas eius vestimentū eius, dicit Dominus exercituū.* Qui amant expositiones priores istum locū exponunt, referendo ad repudium, si odio habueris dimitte, nam licebat Iudæis dimittere vxores odiosas, vt Matth. 19. traditur, & quod sequitur *operiet*, Vatablus vertit, num ergo violentiam vestimento suo teget? At vero facilior *est* translatio nostra, si sic exposueris, iniquitas horum qui ducunt alienigenas vxores, tanta est, quanta occultari nequit: nam ipsa ex latebris cordis exiens operiet, ideſt perfundet vestimentum auto ris. Hispanè dicitur de valde Amasijs, en la ropa se le ve, quod diligit fœminam. Significatque hoc sermone, quod istiusmodi homines impudentissimè publicè talia nefanda tractabant connubia, aut hoc dicit quia fortè viri, vt placerent istiusmodi vxoribus vestiebātur ritu gentilico. Verūtamen iuxta Hebrai. literam, hæc est alia translatio. *Nam odisse mittere, dicit Dñs Deus Israel. Et operuit iniquitas super vestimentum eius, dicit Dñs exercituū.* Aduertendum ex phrasi Hebræa infinitiuum vsurpari pro nomine, nō nunquam, vt *odisse*, pro *odium*. Et mittere apud Hebræos est Selah, quod significat erumpere, vel propagare aut dilatare, vnde emissiones tuæ paradisus, ideſt propagines tuæ, &c. Significat igitur. Nam odium vestrum in proprias vxores est adeo vehemens, vt erumpat publicitus dimittendo eas. Aut si mauis expone literā. *Nam odisse*, proprias vxores super inducendo alias prophanas, *est mittere*, est eas palam odire, & mittere earum odium exterius male tractādo eas, & illis relictis alias superinducēdo. *Et operuit iniquitas*, super vestimētum, id est redundabit & se propalabit super vestimētum harū, vt iam expositū est. Ego probatā habeo magis hanc expositionē quam Benedictus Montanus inuexit, etsi vt solet obscurissimè rem hanc prosequitur: id quod ego lucidius exposui. Causa autem cur in hanc eo expositionem, est quia vates, hoc loco, vti ex contextu liquet, non de repudio agit, sed solum de prophanis connubijs, quæ Iudæi ineibant cum alienigenis: postquam soluti sunt ex captiuitate Babylonica: quia si hoc modo exposuerimus, vates perseuerat semper in eadem obiurgatione, etsi obscurissimè, eam pertractat, hoc loco: ideo magis hanc probauerim. ¶ Vnde Theologi scholastici, hunc locum inducētes quo probent, sat fuisse odium cōtra vxorem ad repudiandam vxorem, non satis probāt ex hoc loco, vt visum est: quia non hīc agitur de repudio, vt præscripsi. Porrò vnum malè me habet in Benedicto Montano, ait eñ aut certè insinuat repudium nō esse à Deo cōcessum, sed à Mose. Quia Matth. 19. Traditur, quid ergo Moses mādauit dare libellū repudij? At vero scimus quod Moses nō ex autoritate sua, sed diuina mādauit dare, & ideo licebat tunc repudiare vxorē dato libello repudij. Ideoque Deus per Mosem cōcessit libellū repudij, vt nos latè disseruimus *in* 4. Senten. tractātes de matrimonio. Et hunc locū vatis nos item induximus, vt colligeremus sufficisse odiū viri, ad repudiandā vxorē, etsi modo locū tractantes ex professo, locum non cōuincere nobis videtur, vt ex dictis patere poterit. Quibus ad de quod Iudæi istud versabāt dubiū, quod maximè angebāt eos an ex quacunq; causa fas erat repudiare vxorē, & ideo eam vt grauissimā quæstionē à Dño petunt soluendā Matth. 19. At vero si hic locus esset de repudio intelligendus, non erat cur eos vexaret quęstio, quam solutam exhibebat vates dicens. *Cum odio habueris dimitte, dicit Dominus Deus Israel.* Adhæc quæ consequentia sermonis esset, cum odio habueris dimitte, & continuo subditur, quod videtur derogare prædictis, videlicet, *Operiet autem iniquitas, &c.* quæ verba præferunt esse iniquum dimittere. Et tandē iubet non dimittere, dicens, *Custodite spiritum vestrum, & nolite despicere.* Quomodo ergo concedit facultatem dimittendi ex solo odio, si modo iubet non dimittere? Vnde videtur, quod non agitur hic de repudio, vt prædictum est. *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris.* Metaphorica est locutio Deus enim non potest laborare, sed quia sermones illorum Iudæorum vehementer discipliceabant Deo, ideo ait, *laborare fecistis*, qualis est ille sermo. Pœnitet me fecisse hominem, & in numeri alij

alij. *Et dixistis in quo fecimus eum laborare?* dicetis: vnde Dño displicet sermo noster, siue cogitatio nostra quæ est mentale verbum. *In eo quod dicitis, omnis qui facit malum bonus est in conspectu Dñi, & tales placent.* Diuinæ prouidentiæ ignorantes profunditatem, eā culpabant dicentes, malos esse Deo gratos. Siquidem videbāt impios prospere habere in hoc seculo, & qui erāt digni pœna, promoueri sæpè ad coronā: hinc isti, vt pleriq; alij infideles prouidentiam Dei accusabant. ¶ Istud autem argumentū fuit à me pertractatū in explanationibus ad Abacuc, & ideo non eget nouo tractatu. Sat sit sciuisse diuinam prouidentiam esse infallibilē, etsi à nobis impenetrabilē. Siquidē humana gubernat non secundū visibiles, aut sensibiles rationes, sed secundū seculi venturi rationem. Quocirca impios aliquando non punit, quos seruat magis puniēdos in seculo venturo. Et iustos videtur punire, ad augmentū meritorū suorū. *Aut certè non est Deus iudicij.* Id est non est prouidentia apud Deum, sed fato omnia humana sunt danda. Vtrūq; est summa blasphemia, aut culpare Dei prouidentiā, quæ rectissima est, aut eā negare, quæ negari nequit, cum Deus sit autor hominis, etsi naturalia mirabiliter gubernat hominem quem fecit ad imaginē & similitudinem suam, nunquid reijciet à sua prouidentia?

Moralia.

Inquinatus sacerdos non inquinat sacramenta.

ET *nunc ad vos.* Hoc capite admonebat veteres illos sacerdotes Malachias, vt Dei mādata obseruarent, videlicet, vt Deo immaculatas & immaculato offerrent animo. At vero, multo vehementius istud mandatum obseruare incūbit sacerdotibus nouæ legis. Quippe sunt multo digniores, quam vmbratiles illi sacerdotes. Illi enim vmbræ seruiebāt, isti autem veritati. Et qui dē sacramenta nouæ legis immaculata sunt & sacrificium christiani altaris immaculatissimū est: quorum ea est sanctitas, quę maculari nequit vel à pollutissimis ministris, sicut Sol enim inquinari nō potest à sordibus terræ, ita neq; prædicta inquinari possunt à sordibus ministrorum. ¶ Porrò autē ex igitur sanctitas in ministris, vt illa administrent, & cōficiant, nō quia ministrorum sanctitate opus habeant diuina sacramēta, quæ cōfici possunt, & administrari, & à sanctis ministris, & à peccatoribus. Cæterum sanctitate egēt ministri propter se ipsos, ne impollutа ipsi polluti tractantes, inquinentur. ¶ Inquinantur autem, quia sancta versant non sanctè, sed pollutè. Quo fit vt quadam tenus ratione, quantū ex ipsis est ipsi polluāt sancta quibus ob eam causam, quia sancta Dei sacramēta nō reuerētur, vt oportet, ideo vates illis loquitur dicens in Dei persona. *Si nolueritis audire, &c.* Id est si vestram animi pollutionem non emundaueritis, vt detis gloriā nomini diuino meo, *Mittam in vos egestatem.* Hæc autem egestas, est illa de qua scriptū est, egestas à Dño in domo impij. Et quidem priuatio bonorū spiritualium est maxima egestas. Et Deū permittere sacerdotes, vt in suis criminibus iaceant, & obstinentur, est maxima egestas. Hanc igitur Dñs ait, se immissurū in sacerdotes, qui polluto animo & impura mente sacramenta versant. Vnde Paulus, Qui mā ducat, & bibit indignè iudicium sibi mādu- 1. Cor. 11.
cat, & bibit nō dijudicans corpus Domini. Hæc est, segestas, vt ipsa cælestia sacramenta, quæ animum sanctificāt si sanctè tractē- *Confectu-*
tur, impuris tamen *animis sint iudicium &* *ro & rece-*
damnatio. *Quare in* cōcil. Triden. traditum *pturo Eu-*
est, vt nullus sacerdos celebret, nisi præmis- *charistiam*
sa suorū criminū vocali cōfessiōe si crimini *præmitten*
bus fuerit maculatus, tametsi alijs sacramē *da confes-*
tis tractādis, nō tanta premat cōfitēdi crimi *sio.*
na obligatio: qa de alijs nō dixit Apostol⁹
probet autē se ipsum homo priusquā de pa
ne illo edat, & de calice bibat &c. ¶ Verum *Contritio*
etsi cōfitendi non premat obligatio, cætera *necessaria*
sacramenta versaturo: cæterum purificandi *ministratu*
animum ex cōtritione si habeat crimen in- *ris sacra-*
cumbit sacerdoti necessitas. *Et quia contri-* *menta.*
tio includit animū cōfitēdi pro tēpore, qui
legitimè conteritur: item animū induit suo
tempore confitendi. Qui vero obstinatus
persistēs diuina sacramēta maculatus inten
dit versare, cōtra eū intonat diuinus sermo.
Maledicā benedictionibus vestris. Nō sanè maledicet Deus benedictionibus sacerdotum quantūcunq; maculatorū, quas ipsi agentes ecclesiæ personā fuderint: vt in expositiōe literali exponebā. Verum quia ipsis sacerdotibus maculatis vertentur sacramēta quę sua benedictione ipsi cōficiunt ipsis vertuntur ex sua culpa in maledictionē, vt ex Paulo dudum cōmemorabā, iudiciū inquiente, *Quæ bene-*
sibi manducat & bibit, ideo ait, *maledicam*, *dixit De⁹*
Ideſt mea ordinatione ad suppliciū vestrū *peccatores*
sancta mea erunt vobis ad coinquinatiōnē. *vertunt in*
Quia grauiter peccatis, & illa sub criminib⁹ *maledictio*
vestris tractātes ideo erunt vobis ex vestra *nem.*
culpa maledictio: quæ alioqui sunt summa benedictio. ¶ Enim vero, si valde febricitās,

aut pleuresi laborans vescitur perdicibus, sanè erit perdix illi in ruinam salutis. Nam quod perdix sit mortiferus cibus, sed ex malo affectu ægrotantis vertitur in cibum mortiferum, qui alioqui ex se est salubris cibus. ¶ Et itidem creaturæ omnes creatæ sunt ad laudem Dei, at ex hominum prauitate vertuntur sæpè in vituperium diuini nominis. Et quæ erant ad benedictionem vsurpantur ad maledictionem, vt qui vtuntur eis ad incantationes, & præstigia, & ad sua perpetrãda scelera. Vnde dixit sapiens, Sapient. 14. Creaturas factas esse in muscipulam pedibus insipientum, vt enim muscipula, capit mures, ita homines iniqui creaturis abutentes, capiuntur à diabolo.

Benedictionibus hæreticorũ Deus maledicit.

¶ Rursus hæreticorum benedictiones, maledicuntur à Deo: quia doctrinas quas ipsi laudant & efferunt vt catholicas, Deus maledicit per ecclesiæ censuras eas pronuntiãs esse hæreticas. Et libros eas comprehendentes flammis committit deurendos.

¶ Porro autem si hæreticus sub Ecclesiæ forma, sacramenta conficit, vt baptismum, vel Eucharistiam aut ordinem, &c. Vtique conficit, quia tunc non vt hæreticus conficit, sed vt ecclesiæ minister, quia sub forma Ecclesiæ sacramenta conficit, etsi peccat conficiendo. Nisi quod sacramentum pœnitentiæ, etsi sub forma Ecclesiæ administret, inane est, quod administrat.

Hæreticus non potest administrare sacramẽtum pœnitentiæ, & si administrauerit inane est, quod administrat.

¶ Hoc enim sacramentum exercetur sub forma iudicij: in iudicio autem est iudex, & subditus reus. Verum hæreticus excommunicatione plexus, orbatur iurisdictione, ideo iudex non potest esse, vel in foro animæ, vel in foro exteriori, quousque reconcilietur ecclesiæ. ¶ Verum si hæreticus, non sub forma ecclesiæ, sed sub forma peregrina profitente hæresim suam vel alienam conficiat non sacramenta, sed execramenta sunt: & benedictionibus huiusmodi Deus maledicit. *Pactum meum fuit cum eo*, idest cum Leuitica tribu. Hoc est cũ Apostolis & Pontificibus veteribus, qui pertinent ad Leuiticam tribum spiritualem, fuit diuinum pactum vitæ & pacis: quia illi sacerdotes noui Testamenti seu primitiuæ ecclesiæ, vixerunt obseruantes euangelicas institutiones, ideo erant Deo quam gratissimi: quia Domini iugum ferentes, inuenerunt requiem animabus suis. *Lex veritatis*, id est euangelium Christi, fuit in ore ipsorum: quia illud prædicabant, & custodiebant. Et multos auerterunt ab iniquitate, siquidem sancti Apostoli, orbem subegerunt fidei christianæ. *Labia*, labia ipsorum custodierunt Dei scientiam. Non enim solum corda Apostolorum custodiebãt scientiam Dei seruando puritatem cordis, sed etiam labia eorum illam custodiebant docendo, videlicet, veritatem fidei. Vnde Paulus se vocat doctorem gentium in fide, & veritate. *Vos autem recessistis.* Prædixit sanctitatem priorum noui Testamenti sacerdotum, vt turpiores esse ostendat nouos huius temporis sacerdotes eos inquam, qui corruptis sunt moribus. Quibus ait, *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis.* Corrupta vita sacerdotum, maximè prælatorum, & eorum quorum refert alios docere vita & verbo, vertitur in scandalum popularium. Qui plurimum obseruant vitam monachorum, & clericorum. Et quidem sicut næuus in facie turpior est, quam in quauis alia parte corporis, ita in sacerdotibus peccata publica turpiora multo sunt, quam in secularibus. Nam ipsi tanquam facies ecclesiæ sunt, inquam cæteri fideles spectant, vt in speculo: & prouerbio dicitur cum caput languet cætera membra dolent, cum ergo prælati & Doctores ecclesiæ sint velut caput cum istorũ mores languidi sunt, langor huiusmodi in fideles alios qui sunt sicut mẽbra subrepit. ¶ Et quidem corruptio olim quę erat in Romana curia incẽtiuũ præbuit Luthero, & asseclis debacchandi in sedem apostolicam, & Cardinales, & Episcopos. At Lutherani, quia insani erant non obseruabant verbum Domini illud super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque vobis dixerint facite, secundam vero opera eorum nolite facere, Matth. 23. sed equidem verum est sapientis verbum Prouerb. 18. qui vult discedere ab amico occasiones quærit. Et hoc verbũ quotidiana probat experientia, est enim male affectis in alios hominibus hoc ingenium, vt vel leuissimas captent occasiones, vnde promant pessimum suum affectum. Hacque ratione Lutherus & sui malè affecti in ecclesiam catholicam, captarunt occasionem insaniendi, & blasphemandi contra eam ex corruptione antiqua Romanæ curiæ, & aliorum sacerdotum, cum satius multo fuisset illis illorum ferre corruptionem, quam machinandi diabolica quæ machinati sunt contra fidem & sacramẽta machinamenta. *Propter quod*, sacerdotes, qui iniquis degunt moribus contẽptui sunt secularibus. Nã cuius vita despicitur necesse est, vt prædicatio contemnatur. Quanuis si pingues

Corruptorum sacerdotum vitem recessistis de via, & scandalizastis.

Corruptio capitis corrumpit mẽbra.

Lutherus malè affectus in ecclesiã Romanam.

pingues habeant census non despiciuntur, sed potius honorantur, etsi luxurioſi sint sacerdotes aut alijs vitijs irretiti. Pecunia enim tegit apud seculares eorũ peccata, etsi non apud Deum. ¶ Sunt tamen pleriq; clericorum qui in subdiaconatu subsistunt, & ad sacrum ordinem presbyterij proueheri nõ contendunt. Existimant enim, quod si falaces fuerint & libidinosi, non illis imputabitur, si solũ subdiaconi, aut diaconi sint. Isti autem plurima deceptione tenentur: siquidem votum castitatis, quod implicitè Deo nuncupant, in susceptione subdiaconatus nuncupant, non in alijs ordinibus. Vnde tã ipsi agunt contra hoc castimoniæ votum, si libidini vacent, quam sacerdotes si eidem vitio incumbant. Nisi quod sacerdotes si libidini operam dantes celebrẽt grauius peccabunt, addentes præuaricationem præuaricationi: & quidem etsi pingues census tegant peccata sacerdotum, quippe valde honorantur, à reliquis, verum hic honos exterior est, animo autem contemnũtur vitiosi sacerdotes. At vero istiusmodi sacerdotes, contemptum interiorem contemnunt modo honorentur exterius: quia de occultis non iudicat homo, sed Deus. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum, nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisq; vestrum fratrem suum violans pactum vestrorum?* Hæc vatis verba hortantur valde ne simus superbi & efferamur contra fratres nostros. Nanque superborum est, contemnere fratres. Equidem optima est hæc admonitio, siquidem Deus vnus est pater omnium nostrum, & vnus est Deus qui omnes homines creauit, vt in Zacharia legimus. c. 12. fingens spiritum hominis in eo, & in psal. qui fingit sigillatim corda eorum, & demũ ipse Deus fecit hominem, ad imaginem & similitudinem suam. ¶ Ab vno igitur creatore profecti, & eandem naturam sortiti, cur cõtemnit homo alterum hominẽ? quid quod qui hodie sublimi potitur statu, crastina die humilem suã deflet deiectionẽ. Et quod sibi non vult fieri, iniquum est, vt alteri prę stet, vt Dominus ait. Quod tibi non vis alteri ne feceris. ¶ Quandoquidem igitur nullus vult contemni: neque ipse debet cõtemnere. Accedit eodem si dives cõtemnit pauperem, quia dives est, meminerit fallaces esse diuitias, & honores seculi. Dionysius enim ille Syracusanus, qui florebat regia dignitate deiectus est à regia dignitate, & factus est puerorũ institutor in elemẽtis primis. Si superbit ex celsitudine status nihil tam firmum est, cui non sit periculũ, eriam ab inualido, nam ferrum rubigo consumit, & arbores procerrimæ diu crescunt & vna hora extirpantur, & leones ex aspectu pauent mustellæ, & ardentes titiones fugiũt. Et demum nihil habet seculum hoc, vnde homo possit alium contemnere, quia visibilia omnia caduca sunt, & facilè labuntur, & qui labenti innititur, necesse est, vt cum labente labatur. ¶ Porrò dicet aliquis, quid ergo contemnere fratrem est ne semper crimen? Respondetur, contemnere bifariam accidere aut materialiter, aut formaliter. Omnis enim, qui iniuriam irrogat proximo, contemnit materialiter: vt qui furatur qui mechatur, &c. Verum iniuriam facere proximo bifariam contingit, aut enim ex ignorantia iniuria fit, aut ex infirmitate, & hac ratione, non est formaliter cõtemptus. Nam qui sic facit, non intendit contemnere, sed vlcisci, verbi gratia, iniuriam sibi illatam, aut quia ignorat quod facit, *non intendit malum facere, etsi malum sit quod facit, quia ignorantia tollit voluntarium.*

Census pingues tegũt peccata sacerdotum apud homines.

Homo non debet contemnere alium hominem.

An cõtemnere fratrem sit crimen.

¶ At vero qui iniuriam facit vel verbo, vel opere, solum quia contemnit, & vt contemnat, hic est, qui despicit fratrem formaliter. Et huiusmodi contemptus, est familiaris superbis. Vnde quæ tradidimus in expla. ad Abdiam contra superbos, huc vocari possunt. *Transgressus est Iudas*, hoc vltimo loco vates vt aiebam inuehitur in Iudæos, quos subintelligit per Iudam, & Israel & Ierusalem, nam repetitio est per varia verba eiusdem sententiæ: quippe qui vxores prophanas superinducebant neglectis legitimis, id quod ad literam nõ fit apud fideles, quia expressum iure est, huiusmodi prophana connubia esse fœdationem. At vero secundum tropologiam, in vxores malas, referenda sunt verba quę vates de viris fecit, anima fidelis Deo cõiuncta est per spirituale quoddam matrimonium, vnde Paulus dixit despondi enim vos vt virginem castam vni viro exhibere Christo. Iam vero, si neglectis diuinis mandatis, virum suum Deum dimittit, & diabolo hæret, sanè prophanum conciliat sibi matrimonium. Enim vero, creatura, non est vir animæ rationalis, sed solum creator ipse: qui super omnia ab ipsa anima rationali est amandus. Cum autem creaturæ amorem præfert creatoris amori, tunc sanè, legitimo viro neglecto prophano hæret, & spiritualem fornicationem committit. Et hoc est, quod ait, *Contaminauit Iudas sanctificationem.* Per Iudam animam fide-

lem ſubaudiens, quæ contaminauit ſanctificationem, quando ſe ipſam contaminauit, quæ ſancta erat Deo, per Dei gratiam in ea inhabitantem: at vero contaminauit hanc ſanctitudinem, relinquens Deum propter creaturas. Et iunxit ſe iniquitati, quæ eſt filia diaboli, quem vocat Paulus Deum huius ſeculi. Quod vero ait, *Operiebatis lachrymis.* Item ad mulieres fideles referri poteſt, quæ videntes viros ſuos amaſijs hærere, & ſe negligi, imo verberari, laboribus preſſæ & zelo fundunt preces gemebundas coram Domino, vt earum miſereatur. Et Dominus ſe non reſpecturum ſacrificia adulterorum huiuſmodi: quippe grauiſsimè offendunt ſuas vxores. Quo vſque igitur reconcilientur cum vxoribus Deus nõ gratum habebit ſacrificium eleemoſynæ, vel precum virorum iuxta id, quod habetur Matthæi. 5. Tu autem ſi offers munus tuum, &c.

EXPLANATIO *IN MALACHIAM.* *CAP. III.*

ECCE ego mitto angelum meum, & præparabit viam, ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & angelus teſtamenti quem vos vultis. Ab hoc loco exordium ſumit caput 3. iuxta Hebraicam capitum diuiſionem, & eam quæ circunfertur in multis latinis Bibliis. Tametſi gloſſa ordinar. & Nicolaus, ab illo alio loco, ſcilicet, laborare me feciſtis, &c. caput hoc inceperunt.

¶ Capitis inſtitutum eſt vtrunque Chriſti præſignare aduentum, & item præcurſoris Domini Ioannis Baptiſtæ dignitatem prædicere. Iudæi autem ad ſuum Meſsiam quem expectant locum inferunt.

¶ At vero cum iam templum Salomonicum, ſit abolitum, quomodo poſt aduentum Meſsiæ, veniet ad templum dominator Deus, quod ſi aliquis alius ante Meſsiã templum reſtituet, quorſum expectãt ſuũ Meſsiam reſtituturum?

¶ Quocirca quia Dominus Matth. 11. Marci. 4. Luc. 7. hunc locum explicauit de Ioanne præcurſore, de Ioanne eſt intelligendus. Quem Deus pater per vatem ſuum prædicit ab ipſo mittendum, vt præparet viam Chriſto: & ita impletum eſt, ſiquidem Ioannes venit ante Dominum Ieſum prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionẽ peccatorum. Vnde ex prædicatione ſua præparauit Chriſto viam, ideſt corda fidelium, qui tunc erant Iudæorum, diſpoſuit verbo prædicationis, vt reciperent Chriſti fidem. Aiebat enim, Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere calceamentorũ corrigiam. Et rurſus, qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, ideſt, eſt mihi prælatus. Et cætera huiuſmodi non pauca Ioan. verba exponentia dignitatem ſupremam Chriſti. Item & baptiſmus Ioannis erat veluti præludium, ad baptiſmum Chriſti. Baptizabat enim in nomine venturi. Rurſus & digito demonſtrans Chriſtum eſſe verum agnum Dei incitabat maximè corda hominum, vt in Chriſtum crederẽt, & eum amarent. Ideo ait Deus pater. *Ecce ego mitto angelum.* Ioannes Baptiſta, commodè per tranſlationem vocatur angelus, quia angelicam in eremo duxit vitam. Et ſecundum proprietatem, dicitur angelus Dei, ſi interpreteris legatus Dei, id quod vox hæc angelus denotat, *Et ſtatim.* Et ita accidit, quia poſtquam Ioannes prædicauit Chriſti dignitatem, Chriſtus ſe oſtendit eſſe verum Meſsiam quem Ioannes prædicauit. *Et veniet in templum,* Poſtquam Ioannes infantulus eſt præſentatus in templo, & Dominus item eſt præſentatus in templo: & item Dominus, in templo Salomonico euangelizauit, & fecit miracula, & in Dominica Palmarum, glorioſiſsimè introiuit in templum, Ioãne Baptiſta, iam vita functo.

Ioãnes verbo & opere præparauit viam id corda fidelium Iudæorum Chriſto.

¶ Chriſtus eſt vere dominus vniuerſorum, quia eſt verus Deus, & ideo appellat eum dominatorem, & hunc dominatorem, ſummopere præſtolabantur Prophetæ, & Patriarchæ, & Iudæorum populi. Appellatur autem angelus teſtamẽti, quia ipſe annũtiauit in Iudæa nouum teſtamentum, & ſuo ſanguine ſtabiliuit illud in æternum dicẽs, Hic calix ſanguinis mei, noui, & æterni teſtamenti. *Ecce venit dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum?* Hæc verba videntur referenda ad ſecundum Chriſti aduentum, qui erit in ſumma maieſtate. Quia tamen aduentus hic omnes homines latet, Matth. 24. ideo ait, *Quis poterit cogitare, &c.* Et quia erit terribilis ille aduentus, quando cæli mouendi ſunt & terræ, ideo ait, *Aut quis,* hoc eſt poterit ſtare *ad videndum,* ſupremam Chriſti, ſub qua tunc veniet maieſtatem. ¶ Alij referunt ad primum aduentum, & pro *quis poterit cogitare,* tranſtulerunt quis poterit ſuſtinere. Siquidem eccleſia primitiua fuit multis diuexata calamitatibus & anguſtijs preſſa, ideo ait, Quis poterit ſuſtinere diem aduentus eius, &c. Aut rectius quis credere ex naturali ratione poterit ipſum eſſe verè Meſsiam, quem Deus pater, turpiſsime morti ſubijciet, & manibus impiorum tradet cruciandum. Vnde ob eam cauſam dixit Iſaias 53. Domine quis credidit auditui noſtro, aut brachium Domini cui reuelatum eſt? vidimus eum deſpectum, & nõ reputauimus eum. Ideo ait, Quis ſtabit ad videndum eum per fidem veram: nam fides viſio ænigmatica eſt: inſinuat vates fidem eſſe neceſſariã ad credendum Chriſtum. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.* Chriſtus inquit, Ignem veni mittere in terram & quid volo, niſi vt ardeat. Enim vero per ignem Spiritus ſancti excoxit ad purum Apoſtolorum, & fidelium in primitiua eccleſia ſordes, & roborauit apoſtolicum pectus, vt nihil formidarent mundi monarchas, vt libere euangelizarent fidem Ieſu Chriſti. Herba autem fullonum ſaponaria herba eſt, ex qua fit ſapo mundandis ſordibus lintheorum. Et idem ſignificatur per vtrunque, per ignem ſcilicet, & ſaponem niſi quod mundatio ex igne eſt acerbior, ex ſapone mollior. Vnde inſinuatur fideles à Chriſto emundandos, & per tormenta, & tribulationes, quæ eſt acerba purgatio, & item per mollia, qualia ſunt ſacramenta, quæ ſuauiorem donant peccatorum purgationem. Ipſe enim Deus in ſcriptura confertur igni, Deus inquit, tuus ignis conſumens eſt. Siquidem ignis eſt omnium elementorum efficaciſsimum, & ſubtiliſsimum, & pulcherrimum, nam lux eius lætificat viſum, & calor eius fouet tactum, quando frigore corripitur. Et rurſus ignis in ſua puritate conſiſtens, vi delicet in ſua propria reſidens ſphera, inuiſibilis eſt. Et propter ſuam ſubtilitatem, valde penetrat corpora quæ tangit, ideo ve locem & fortiſsimam habet actionem. Vnde poteſt emundare ſordes corporum durorum, vt metallorum. Quare aurum & argentum ab ſcorijs ſuis mundat ignis, quin etiam & cætera metalla, vt experimento cernere licet. ¶ Corpora autem non dura, ſed mollia, quia non ſuſtinent vim igneam, ideo à ſapone, mundantur, vt ſunt linthea. ¶ Deus igitur confertur igni, quia penetrando mentes operatione verbi ſui & ſpiritus ſui eas expurgat à ſordibus peccatorum ſuorum: & reddit eas mundiſsimas. Et hanc mundationẽ inuiſibili ſua operatione operatur, & velociter itẽ mentes purgat à peccatis. Siquidẽ neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Et ſimulatque mens rectè reſipuerit à culpis ſuis diuina gratia emundatur. Et tanta poterit eſſe contritio quanta ſufficiat ad emundationem culpæ, & ad relaxationem totius pœnæ. Ignis conſumens Deus eſt, quia conſumit iniquitates noſtras, quibus conſumptis luce ſua mentes iuſtorum illuſtrat, quibus illuſtratis ſuo calore fouet & frigiditatem peccatorum ſoluens, ad merita ſancta cumulanda excitat. Et ad ſubtilem indaginem virtutum prouocat, vt videlicet mens ſanctificata, & purificata ſubtiliter diſcernat inter culpas, & virtutes, & has proſequatur, & illa declinet. Hæc præſtat ignis hic diuinus mentibus, quibus ipſe affulſerit.

Deute. 4.

Cur Deus cõferatur igni.

¶ Porrò autem, aurum & argentum, etſi præcipua ſunt metalla, nihilominus ſcorijs ſunt infecta, quas repurgat *ignis* actio. Ita prope modum *viri perfecti, ſanctimonia pollentes,* qui ſunt, vt aurum ex fulgore charitatis, quo fulgent, & vt argentum, ex doctrinæ claritate qua inter cæteros fideles reſplendent, nihilominus. Iſti ſcorijs etiam peccatorum inficiuntur: quas tamen excoquit ignis commemoratus. Nanque in multis offendimus omnes, vt Iacobus meminit. Et quanuis ſine crimine poſsit iuſtus vitam producere, diuina opitulante gratia, & ipſo etiam cooperante: at vero ſine leuibus culpis, vita diu tranſigi nequit.

Sine venialibus diu nõ trãſigitur mortalis vita.

¶ Venialia autem etiam ſunt ſordes ſpirituales, quæ ſunt purgandæ, vt regna cæleſtia nobis pateant. Quanuis enim, non tollunt Dei amicitiam, cæterum ſunt extra charitatis ordinem: vnde ab Apoſtolo ligno, ſtipulæ & fœno conferuntur. 1. Corinthiorum. 3. Merita autem Sanctorum auro, & argento & lapillis.

¶ Iuſtorum autem quidam ſunt perfecti & iſti ſi ſordibus venialiũ ſunt infecti, vt ſunt omnes, vel perfectiſsimi quique, dum vitam hanc mortalem ducunt. Alij ſunt imperfecti etſi iuſtam vitam degunt. ¶ Deus autem qui ponderator eſt ſpirituũ quoſdã perfectorum purgat igne tribulationum multarum, vt purgauit Apoſtolos, & alios pleroſque quos nutriuit eccleſia illa primitiua. Iſti enim erant robuſti in via Dei: & ideo ignis tribulationis eos purgauit. Et nõ ſolum tribulatio eos purgauit, quinimo & eorum merita adeo auxit, vt ex eorum me-

ritis ſancta Dei Eccleſia opulentiſsimum habeat theſaurum. Siquidem tot & tanta paſsi ſunt, quæ non ſolum ſuffecerunt ad ſordes culparum venialium expurgandas, & ad omnem pœnam abolendam, quin etiam exundarunt. Eccleſia autem Chriſti collegit ex illorum meritis quæ ſuperauerunt fragmenta ne perirent & ex illis, theſauro opimo exornatur meritorum, quem cum fidelibus ſuis per diplomata pontifex impartit, & iuuat valde eos, vt à pœnis quas pro culpis ſuis erant ſoluturi citius ſoluantur. ¶ At vero Lutherus cum ſua claſſe inficiatur & vmbonibus (quod aiũt) iunctis dimicat contra catholicos, theſaurum hunc conturbans, imo plane ſuis verbis euertens, dicens, ſat eſſe Chriſti mortem, quæ omnibus meruit, ſolutionem culpæ & pœnæ. Vnde ſanctorum merita fidelibus autumat non prodeſſe. Sed nunquid Sanctorum paſsiones, non fuerunt efficaces eis, ex Chriſti morte? Igitur non ſunt contrariæ Chriſti morti, quandoquidem ab ea deriuant ſuam ſatisfactionem. Iam vero ſi contraria non ſunt obſecro, cur mors & paſsio Chriſti, illas excludet, à ſua efficacia, ſi igitur efficaces erant ad ſoluendas plures pœnas quam ſoluerunt, in viris illis ſanctitate florentiſsimis, cur hæc maior efficacia peribit, & nulli proderit fidelium? ſi non profuit martyribus, verbi gratia, & alijs, de quibus diximus ſanctis. Siquidem in paſsionibus horum Sanctorum duo conſideranda veniunt, & gloriæ meritum, & iſtud nulli alteri communicatur: Deus enim etiam vltra condignum coronat merita ſuorum ſanctorum. Et itẽ pœnæ remiſsio, & item ſanctis omnis pœna abolita eſt per paſsiones, & alia pœnalia opera ſua. Porro, quia plura & maiora paſsi ſunt, quam eſſet pœnæ temporalis debitum quo tenebantur pro peccatis ſuis, vtique illa ſuperabundans ſatisfactio, eſſet otioſa, ſi neque ipſis profuit, neque alijs profutura eſſet. ¶ At vero diuinam ſapientiam, & bonitatem, iſtud non decebat, vt pretioſiſsima ſuorum famulorum ſatisfactio eſſet otioſa, & ſine fructu. Imo ipſe qui voluit Deus, ſanctos ſuos tot & tantis premi calamitatibus, ex eo voluit, vt ex eorum paſsionibus aliquid ſupereſſet fidelibus venturis ad ſatisfactionem ſuorum delictorum, ne illa ſuorum Sanctorum ſatisfactio periret. Et quia papa eſt Chriſti Vicarius ad ipſum ſpectat huiuſmodi theſaurum diſpenſare. Quod ſi malè diſpenſauerit ſuo grandi malo diſpenſabit, ſi theſaurũ optimum profuderit.

Theſaurus eccleſiæ ex meritis Sãctorũ conflatur.

Lutherus refellitur.

In Sanctorum meritis duo expendenda veniunt.

¶ Iſtis accedat, Apoſtolum, vocare ſe & alios coapoſtolos. 1. Corinth. 3. Coadiutores Dei, quid ergo ſi Apoſtoli ſunt adiutores Dei, quid quod Sanctorum paſsiones adiuuent Chriſti paſsiones, vt per paſsiones Sanctorum, Chriſti paſsio vberius in nobis operetur? Et ſicut Apoſtoli non ſunt adiutores Dei, ex Dei infirmitate, ſed ex Dei benignitate: qui vult vti ſuis creaturis, ad operationem ſuorum effectuum. Ita & Sanctorũ paſsiones adiuuant Chriſti paſsionem, non ex inſufficientia eius, quæ alioqui eſt ſufficientiſsima, ſed Chriſti charitate, qui vult etiam vti paſsionibus Sanctorum, ad vberiorem in nobis ſatisfactionis influendum effectum.

Ad papam ſpectat diſpẽſare theſaurum ſpirituale eccleſiæ.

¶ Tametſi ſolæ Chriſti paſsiones influunt in ſacramenta, ſed nunc non de ſacramentorum virtute texitur ſermo: ſed de ſatisfactionis indulgentia, quæ per Chriſti merita & Sanctorum, fidelibus per diplomata papalia diſtribuitur.

¶ Vnde vt ad nos redeamus, ſunt alij in eccleſia imbecilles & imperfecti, & hos purgat Deus mollioribus expiationibus, & ideo ait, *Et ſicut herba* fullonum, quæ à Ieremia vocatur Borith leuioribus, ſcilicet, purgat tribulationibus, & diplomatibus Pontificijs, & peregrinationibus & ieiunijs, & alijs hoc genus, quæ non tam acerba ſunt, quam erant Sanctorum antiquorum paſsiones. *Et ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurũ & argentũ & erunt Dño offerentes ſacrificia in iuſtitia.* Quia reprehẽderat valde ſacerdotes ſuperioribus capitibus: vtpote qui erant polluti & polluta offerẽtes ſacrificia, ideo prædicit modo tẽpus Meſsiæ, quãdo Chriſtꝰ ſuos Apoſtolos, & diſcipulos quorum multi erãt ex tribu Leuitica, quia multi ſacerdotum crediderunt in primitiua eccleſia in Dominum, & prædicit horum ſacrificia fore impolluta, vt accidit modo in eccleſia chriſtiana. *Et placebit Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui* ſacrificium Iuda, eſt ſacrificium incruentum corporis & ſanguinis Domini, quod perpetuum eſt in Eccleſia Chriſti, Deoq; gratiſsimũ pro viuis, & pro mortuis. *Sicut dies*, id eſt, placebit Deo, vt placuit ſacrificiũ Noe, & ſacrificiũ Abrahã &c. minus dixit, quã ſignificare voluit, qa ſacrificium hoc eccleſiæ, gratius eſt Deo, quam omnia ſacrificia legis naturæ, & legis ſcriptæ.

Sacrificiũ legis nouæ ſuperat omnia veterã ſacrificia.

ſcriptæ. Siquidem filius Dei offertur incruente Deo patri, qui longe gratior, eſt, quam oblatio vitulorũ & agnorum. *Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem, mercenarij: & humiliant viduã, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Hoc loco, expreſsè, ſecundum Chriſti aduentum vates edocet, & in perſona Chriſti, hæc prædicit vates, Chriſtus enim venturus eſt iudicare ſeculum per ignem, & tunc accedet ad noſtrum orbem deſcendens de cælorum verticibus. Et erit teſtis, ideſt teſtificabitur omnibus impijs, quod impiam vitã egerunt, vnde dicet eis. Eſuriui & nõ dediſtis mihi manducare, &c. *Teſtis velox*, quia velox erit illud iudicium Paulo teſtante, in momẽto in ictu oculi &c. 1. Cor. 15. *Teſtis* erit tunc Dñs teſtis, & iudex, ſiquidẽ apud nos nõ idẽ poteſt eſſe teſtis & iudex: iudex enim examinare debet teſtes, & iuxta examinata teſtimonia ferre iudiciũ, ſe autẽ ipſũ examinare non poſſet. Adde ſi reſtis eſſet iuxta ſuum teſtimoniũ ferret ſemper iudicium, Chriſtus autem non leget examinatione teſtium neque teſtiũ probationibus, cui omnia nuda ſunt & aperta, ideo ipſe qui videt infallibiliter omnia, poteſt infallibile de cunctis ferre iudicium. *Humiliant*, nõ eſt de textu Hebræo. Græcè. *Opprimunt per potentiã viduas, & percutiũt pupillos.* Deus cum ſit ſumme bonus, miſerabiliũ perſonarũ, vt ſunt pupilli, & viduæ maximè curã habet, & ideo etſi interim diſsimulet iniurias harũ perſonarũ, & aliarũ ſimiliũ impotentiũ ſe à calũnijs, & violentijs ſuperiorũ defendere, tamen oſtendit ſe in die iudicij, vlturũ earũ iniurias. *Ego enim Dñs, & non mutor, & vos filij Iacob non eſtis conſumpti.* Græcè, Et vos filij Iacob, non receſsiſtis à peccatis & hic eſt ſenſus huius loci iuxta Græcanicã editionem. At vero ſenſus noſtræ editionis hic eſt ego Dñs, & cõminatio mea eſt verax, & firma, & vos ex miſericordia mea non eſtis cõſumpti expecto enim vos ad pœnitentiã, vt ſaluemini. Aut ſic cõminatio mea eſt immutata, & implebo, quæ cõminatus ſum cõtra vos, quia vos non receditis à peccatis veſtris, ideo immutata mea perſeuerat de vltione ſententia pro *non mutor*, Græcè, non ſum *mutatus*. Dices, quid ait, quod non mutatur, quãdoquidẽ mutat Deus vltionis ſententiã, ſi peccator mutauerit corruptionis vitam? Dicito, Deũ ab æterno præuidiſſe, huius vel illius peccatoris pœnitẽtiã, ideo ab æterno acceptauit illam, & nõ de nouo, ideo nõ mutatur parcẽs peccatoribus, quia ab æterno diſpoſuerat illis parcere. Porro quando ſunt ſub ſuis peccatis nõ parcit modo imo ſi morerentur impœnitẽtes æterno damnaret: at tunc idem ab æterno diſpoſuerat eos dãnare. Ideoq; cui parcit modo ab æterno diſpoſuit parcere modo, & cui non parcit modo ab æterno item diſpoſuit non parcere modo, quod ſi poſt modum parcet, & hoc item æternò diſpoſuit. Nihil enim in Deo nouũ ſed omnia ſunt illi ab æterno diſpoſita, quæ ſecundũ ordinatiſsimã temporũ ſeriem contingũt. *A diebus enim patrũ veſtrorum receſsiſtis à legitimis meis*, demonſtrat, quod dixerat, quod Iudæi obſtinatæ erant in peccatis, tam filij, quã parentes. *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus exercituũ.* Libertatem arbitrij oſtendit, contra neothericos hæreticos inficiãtes libertatem arbitrij. Si autem non ſumus liberi, niſi titulo tenus, vt nugatur Lutherus: qua ratione Dñs ait, *Reuertimini* ad me? Quid eſt *reuertimini? niſi* pœnitentiam agite de peccatis veſtris, & mutate mores veſtros in meliorẽ vitæ frugem, & ego reuertar vel conuertã me ad vos, auertendo iram meam, & donando vobis miſericordiã. *Et dixiſtis in quo reuertemur?* Hoc eſt propter quã cauſam agemus pœnitentiam, quæ nã ſunt peccata noua noſtra quæ exigant pœnitẽtiam nouam? Reſpondet Deus, *Si affiget homo Deum?* Quaſi dicat, num homo poteſt affigere Deum? quaſi dicat, iſtud eſt impoſsibile ſecundũ rei veritatem. Siquidem pſaltes ait, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. *Quia vos affigitis me.* Id eſt, vos autem quantum eſt in vobis me affigitis. *Et ſimilis* eſt loquendi tropus illi cuius meminit vates capit. 2. *Laborare me feciſtis. Et dixiſtis in quo configimus te?* Reſpondet *in decimis & in primitijs.* Græcè pro affigere, habẽtur ſupplantare: at vero verbum Hebræum ſignificat vim inferre, quam inferunt potentiores inferioribus. Et ſicut Dominus dixit Paulo, Paule, Paule, cur me perſequeris, quia membra Chriſti, id eſt fideles Paulus perſequebatur, ideo caput fidelium Chriſtus, clamat pro membris horum vexationem ſuam eſſe reputans: ita modo Deus ſacerdotibus patrocinium fert, & illorũ cauſam ſuam eſſe pronũtiat. Et quoniam ſacerdotibus à potentioribus, & ab alijs Iudæis ſecularibus inferebatur violẽtia, quia decimæ, & primitiæ, quæ illis iure diuino debebantur,

Chriſtus ſolus eſt teſtis & iudex.

bantur, illi vi & fraude subtrahebant, nolentes eas offerre templi ministris hac causa Deus ait, sibi inferri violentiã. Ideo ait, *Cõfigitis me in decimis & primitijs. In penuria vos maledicti estis, & me vos cõfigitis gens tota.* Maledictio est Dei, si imbres cessent, & sterilitas premat. Inde enim penuria accidit bonorum temporaliũ: quia igitur sacerdotibus quibus decimę & primitię erãt cõcessę à Deo, ppter tẽpli ministeriũ seculares Iudæi, subtrahentes ea, vnde victitabãt, vnde cõsequiũ erat, cultũ Dei cessaturũ, id quod erat cõtra Dei honorẽ, & vtilitatẽ spiritualẽ populi Iudaici, ideo, Dñs in suppliciũ tãti sceleris prædicit, penuriã frugũ, vt ex eo dẽ in quo culpabiles erãt, ex eodẽ vexarentur. Siquidẽ Dei ministris nõ cõcedebãt ter ræ fruges, negãtes, eisdẽ itẽ priuẽtur ipsi *in penuria*, idest propter penuriã frumenti vini, & olei &c. vos maledicemini à me. ¶ Et istud debuissent valde obseruare fideles, vt nõ defraudẽt ministros altaris prouẽtibus, & fructibus terræ sibi debitis. Nanq; vt hic legimus terra à Deo *maledicitur*, si ministros tẽpli debito sibi iure fraudamus. *Gens tota*: hoc peccatum, erat cõmune Iudæis & proceribus, & inferioribus, ideo ait gens tota. Ideo pœna cõmuni erat torquẽdi sterilitatis. *Inferte omnẽ decimã in horreũ meũ, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, si nõ aperuero cataractas cæli, & effudero vobis benedictionẽ, vsq; ad abundantiã.* Cõtrariorũ eadẽ est disciplina testãte Aristo. si ergo nõ præbere decimas, & primitias sacerdotibus erat causa maledictionis seu sterilitatis, inferre sine fraude, hoc enim vocat inferre omnem decimã, erit causa benedictionis & abundãtiæ. ¶ Circũ circa templũ Dei erant horrea, vbi cõdebãt sacerdotes, & Leuitæ decimas & primitias ad alimoniã suam, ideò ait, vt sit cib⁹ in domo mea, aut inferte decimã in horreũ meũ, meũ, nõ est de textu Hebræo, sed additũ est declarationis gratia. *Et probate*: mira Dei clemẽtia, quod probãdũ se offert hominibus, *Probate*, idest facite periculũ, & capite experientiã & videbitis, quãta abundantia frugum donabimini, si solertes estis in decimandis vestris frugibus. *Si non aperuero* cataractas, de quibus fit mentio in Genesi, qñ Dñs diluuio, deleuit orbẽ. Sunt autẽ Hebræis cataractę quæ nobis fenestrę. Fenestræ autẽ cæli dicuntur, non cæli sidera, sed media aeris regionẽ, vbi cõglobãtur vapores ad stillandas pluuias vocat modo cælũ, & nos quando ingruunt vehementes pluuiæ, Hispano sermone dicimus rõpese el cielo con agua. Ita modo ait Deus aperiã fenestras nubium, vt significet multitudinẽ se daturũ imbriũ. Nubes autẽ ppriè nõ habent fenestras, sed resolutionẽ ipsarũ in abũdantiã aquarũ, vocat fenestras, quasi dicat, non gutatim, sed agminatim pluuias concedam vobis. *Benedictionẽ* vocat abundãtiam maximã. *Et increpabo pro vobis deuorantẽ.* Vocat deuorantẽ locustã & brutũ & alia insecta, quæ sunt pestis segetum, *deuorantem*, id est, deuorantes vermes in vestri gratiã, ego abigam à segetibus vestris. *Et non corrũpet fructum terræ vestræ. Nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dñs exercituũ.* Patet quid velit. *Et beatos vos dicent omnes gentes.* Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt loquitur vates vulgato sermone, ex quo beatos dicimus, quibus omnia pro voto succedũt, qui scilicet abundant diuitijs, & cætera non desunt illis temporalia bona. *Eritis enim vos terra desiderabilis*, id est habitabitis terram fertilissimam, quam cæteræ gentes, commendabunt valde ex fertilitate, *dicit Dñs exercituũ.* ¶ *Inualuerunt super me verba vestra dicit Dñs.* Quanuis hæc vobis polliceor, nihilominus ea est vestra prauitas vt verba blasphemiæ proferatis fœdissima contra me. *Et dixistis quid locuti sumus cõtra te?* hoc eodem loquendi stylo vtitur vates in hoc capitulo. *Dixistis* cogitatione, aut si dixeritis verbo. Quid locuti sumus contra te? *Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentũ, qui custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Dño exercituum.* Hæc est antiqua blasphemia cõtra Dei prouidẽtiam sensuales enim homines, quia credunt bona opera in hoc seculo esse premianda ex abundantia bonorum temporalium, & mala esse animaduertenda ex supplicijs item temporalibus: & contra accidere cernunt iustos torqueri in hoc seculo, & pessimos florere, ideo blasphemant vanum esse seruire Deo: idest esse infrugiferum. Verum vt sæpe diximus diuina prouidentia hominũ genus gubernãs, gubernat secundũ rationem vẽturi præmij aut supplicij, & non solũ secundũ rationem præsentium. *Ergo nunc beatos dicimus arrogãtes, siquidẽ ædificati sunt facientes impietatem.* Idest beatos esse videmus superbos & ædificati sunt, idest multiplicati sunt impij, & prosperè habent in seculo: hoc verba sunt blasphemorum. *Et tentauerunt Deum, & salui facti sunt.* Et quanuis ex industria peccent contra Dominum, nihil mali eis accidit, *Tunc locuti sunt timentes Dominum.* Proposuit verba impiorum, subdit verba piorũ, quales

Fideles oportet obseruare ne defraudẽt ministros ecclesiæ de cimis & primitijs.

Quid cataractæ cæli.

Idem capite 2.

Deus gubernat hominum genus magis secundum rationem vẽturi præmij aut supplicij quã secundum temporalẽ retributionem.

quales sunt qui timent Dominum, vnusquisque cum proximo suo. Idest, inuicem locuti sunt vera verba & pia. *Et attendit Dominus, & audiuit*; idest, accepta & grata fuerunt illi verba illorum. *Et scriptus est liber monimenti coram eo timentibus Dominũ*, idest, liber memorialis, quia in memoria æterna erit iustus, *& cogitantibus nomen eius*, idest, ab obseruantibus nomen Domini. *Et erunt mihi ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi.* Quanuis sint timentes Dominũ, in multis tamen offendimus omnes, & ideo in prece dominica petitur etiã à iustissimis, Dimitte nobis debita nostra. Quare semper sunt in timentibus Dominũ quæ Deus possit condonare. *Et conuertemini & videbitis quid sit inter iustum, & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem.* Dum vita præsens labitur, nunquam clarè dignoscitur quid interfit inter iustum & impium. Cũ videamus, iustis & iniustis eadem accidere, imo iustos sæpe premi ab iniustis. Cæterum in die iudicij tunc euidenter videbitur differentia inter vtrosque, quando iusti erunt peculium Domini, & videbuntur esse in libro vitæ scripti, iniusti autẽ rapientur ad pœnas æternas. Et propè diẽ iudicij Iudæi conuertentur ad Christum & cognoscent iniustissimos fuisse suos maiores qui Euangelio contradixerunt, aut aliter, *Conuertimini & videbitis.* Nempe quia postquã homo illuminatur luce diuina tub conuersione à peccatis suis, tunc agnoscit quantũ inter vitam iustam, & iniustam sit discrimẽ. De Domini præcursore, essent attexenda multa quæ vicem haberent moralis sensus, quæ tamen prodita sunt à me in declamatione propria de Ioan Baptistæ inter alias declamationes, quas scripsi ad Isaiam, quã qui volet, ibidem poterit legere.

Peccatores cõuersi ad Deum, cognoscunt, quid discriminis sit inter iustos & iniustos.

EXPLANATIO IN MALACHIAM CAP. IIII.

ECCE enim dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dñs exercituum. De die iudicij frequẽtissima est mentio apud sacros Dei vates, itẽq; apud Deilo quos euangelistas & apostolos. Nãq; vt primus Christi aduẽtus est celebratissimus apud Dei vates, quia dies ille erat insignissimus dies, & toti orbi profícuus, imo vt verius dicam maximè omniũ necessarius, ita quoq; præclarissimè decantarunt secundũ Christi aduentũ. Etenim plurimũ aduẽtus hic secũdus est orbi necessarius, vt omnibus hominibus inquã pateat Dei iustissimũ esse iudiciũ, ex quo torquebit æternò impios, & coronabit æterno pios. ¶ Quod sanè iudiciũ, quia diuinũ est, ideo iustissimũ est, at nõ patet clarè vniuersis hominibus quantũ sit iustũ: quia iudicia Dei nunc sunt nobis occultissima, at vero tunc referabũtur cõscientiã rũ nostrarũ libri, & patebit Deũ iustissimè iudicasse. ¶ Et rursus dies ille est necessarius iustis omnibus, qui iam fruũtur diuino conspectu. Enim vero corpora eorũ nondũ habent sibi tota & ideo animę cõsortiũ suorum corporũ desiderat. Vt quæ habuerunt in societate ad passiones, eadẽ habeãt in societate ad glorificationem. ¶ Et diuina iustitia hoc itẽ amat, sanctorũ glorificare corpora, & impiorũ dãnare corpora, propter rationẽ cõmemoratã. Siquidẽ vt corpora fuerũt socia animis sanctis *in diuino exhibẽdo* cultu, ita *corpora impiorũ* socia fuerunt in *lędẽdo diuino numine*. ¶ Quãobrẽ vterque Dñi est celeberrimus aduẽtus. Primus quia venit redimere orbẽ, secũdus quia veniet iudicare orbem. Nisi q primus fuit in humilitate, secundus autem erit in maiestate maxima: ideoq; primum pauci crediderũt, at postremũ omnibus hominibus nemine dempto erit cõspicuũ. ¶ Propterea igitur vtrũq; aduentũ sacri vates celebrant admodũ suis vaticinijs, & hic vates primũ aduentũ prædixit cap. 3. Nunc autẽ vltimũ describit, terribiliter dicẽs. *Ecce enim.* Dixerat nãq; cap. proximo, quod *homines scituri* erãt quantũ interualli sit inter iustos, & iniustos, subdit modo causam: quia veniet dies iudicij horribilis in quo palam erit, & supplicium iniustorũ, & præmiũ iustorũ. *Veniet succẽsa.* Quia ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos suos. Et apostolus ait, quod dies illa in igne reuelabitur. Idẽ Petrus docet, & Baptista Matth. 3. & Matthæi 25. & 2. Thessalo. 1. Voluit autem Deus primo ex aquis diluuij subuertere mundũ, quia maxima erãt hominum peccata, ideo vt generationes illę hominũ pessimæ perirent, aquis diluuij, eas delere curauit exceptis Noe, & suis, quos vt iustos seruauit Deus, vt deleta pessima generatione, ex iustis seruatis nouus orbis Deo placidus nasceretur, vt fecit, qñ eduxit filios Israel ex Ægypto, pessimos quosq; eorũ prostrauit in deserto, vt ipsi recẽ natos in deserto pessimis moribus nõ coin-

Psal. 96. 1. Pet. 3. 1. Cor. 3.

coinquinarent. Vnde exceptis Iosue & Caleb, nullus eorũ qui egressi fuerunt ex Ægypto, Palæstinã est ingressus. ¶Porro autẽ, sub diem iudicij erit per ignem orbis devastatio, quia iam tum nulla expectatur noua generatio, sed omnium mixtorum exceptis hominibus erit cõsumptio. Homines enim soli erũt superstites, vt vnusquisq; recipiat secundum opera sua. Quia ignis autem est aptissimus, ad celeriorem rerũ consumptionem: quia est omnium elementorum maximè actiuus, propterea vtetur illo Deus sub finem mundi. ¶Ideo vocat diem illum succensum, quasi caminum. Caminus autẽ purificat ferrũ: & dies iudicij purificabit omnia elementa, quia cessabit omnis elementorũ mixtio, & purificabit electos Dei. ¶Siquidem, cũ à die iudicij, nullus erit purgatorius ignis, in igne illo, qui tunc Dñm præcedet, purificabuntur: omnes electi, qui tunc viui extabũt, & luent pœnas debitas, pro culpis iam remissis. ¶Et sicut ignis quædã purificat vt metalla, alia vero omnino deuret & consumet, ita & ille ignis electos illos purgabit, cætera vero deuret: vnde Psal. inquit, Ignis, ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. ¶Deuret quidẽ impios, & inflãmabit eos, non tamẽ eos absumet vt æterno deurãtur & nõ consumãtur. Et hoc est quod iubdit, *& erũt omnes superbi.* Erunt omnes superbi cõtra Deũ, & omnes iniqui cõtra proximũ sicut stipula. ¶Obserua autem, quod ignis absumit stipulam, & vertit eam in cineres, at vero superbi, & iniqui non absumentur: sed æternò durabunt. ¶Quocirca comparatio hæc est tumẽda secundũ intentum vatis, quod est explicare, conatus impiorum, & superbia eorum & iniquitas, erunt tanquã stipula quæ ab igne absumitur. Quia illa omnia vertentur in nihilum in quibus fidebant superbi homines & iniqui. Vnde dixit Psal. Vidi impiũ exaltatum sicut Cedrum Libani, transiui, & ecce non erat. Et alibi, perijt memoria eorum cum sonitu, & alia pleraque multa quæ idẽ præferunt. *Quæ non relinquet eis radicem & germen.* Idest, omnes tunc peribunt impij, & non vltra dominabuntur impij super terram, quia peribit eorum potestas: sed dominabuntur eorum iusti in matutino. Pro *germen* Hebræ. ramus, & est idem sensus. Hispane dicimus, No quedara mamãte ni piante. vel, No quedara hoja, ni hojarasca. *Et oriẽtur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ: & sanitas in pennis eius.* Sol hic materialis, magnum gaudium affert oculis spectantium, Christus in die illo erit summo gaudio oculis Sanctorũ eum spectantium. Siquidẽ donabit eorum corpora dotibus gloriæ. Iustis igitur orietur tunc Christus ad cõplendam in eis omnem misericordiam. Siquidem nũc animæ Sanctorũ sunt beatæ essentiali beatitudine, quæ est deitatis clara visio. At vero tunc corpora beabuntur. Christus igitur, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, tunc erit vt sol qui nouem oritur iustis, vt eos ducat in vitam æternam perfectam penitus, quæ erit cum beatæ animæ beata quoque assequentur corpora. At vero obseruandum, quod ait, *timentibus nomen Dei*, ideſt, sanctis esse oriturum solem iustitiæ, non ergo orietur superbis, & iniquis, quibus dies ille erit succensa, vt caminus, vt deurat eos. Iudicabit sanè Christus superbos & impios, at vero non illis orietur. Siquidem non gaudebunt ex Christi conspectu: sed tummopere contristabuntur. Quia id temporis damnationem suam æternam aspicient in corpore; & anima esse luendam æternò. Idcoillis non orietur, sed sanctis & electis, qui exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis. Christus porro vocatur sol iustitiæ phrasi Hebraica, ideſt, sol iustificans, homines, à quo est iustificatio effectiua hominum, & meritoria. Siquidem vt Deus est, est causa efficiens iustificationem nostram, vt homo est, meruit nobis ex sua morte de rigore iustitiæ iustificationem nostram ex Concil. Trid. Sessio. 14. ideo à Paulo, vocatur iustitia nostra, sanctificatio & redemptio. 1. Corin. 1. Tu tamen caueto ne verba hæc hæretico sensu dones vt intelligas cum Luthero Christum esse solem iustitiæ, aut iustitiam nostram quia ipse nos formaliter sanctificat, vel quia ab ipso vt ab extrinseco denominamur iusti, vt totium dicitur sanum, quia iudicat hominis sanitatem. Ita Christus quia non imputat nobis peccata nostra ex mortis suæ merito, ideo ex hac non imputatione dicimur iusti, etsi peccati macula in nobis perseueret, at vero hoc dogma plurimum aberrare à veritate fidei, alibi abundè ostendimus, sufficiat in præsentia illud Apostolicum indicasse verbum, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Igitur in mentibus fidelium iustorum aliquod est diffusum per quod sanctificãtur & iustificãtur, non ergo ab extrinseco, ex nõ imputatione, appellantur iusti. Quod igitur appellatur iustitia fidelium, Christus cara-

Post diem iudicij non erit purgatorium.

Comparationes in Scriptura sumẽdæ secundùm intentum sacrorum scriptorũ.

Christus iustis est sol iustitiæ.

Christi est causa efficiẽs & meritoria nostræ iustificationis.

Lutherus refellitur.

catione vocatur qua & eundem cognominat Paulus redemptionem nostrã. Nempe Christus est redemptio nostra, quia meruit nobis liberari à peccato & apertionẽ regni cælestis. At Christus vt Deus effecit redemptionem, quia gratiam, & gloriam dabit Dominus: quatenus homo autem, meruit per sanguinem suũ hanc redemptionẽ. Ita dicito quod nuncupatur iustitia nostra. Et est phrasis diuinorum eloquiorũ. Nam Deus vocatur, laus, inquit Dauid, mea Dominus, & fortitudo, & spes mea & itidem à cæteris Prophetis. *Et in pennis*, Sol non habet propriè pennas, quæ sunt auiũ & non stellarũ, verum secundũ translationẽ pennę solis sunt radij eius. At vero radij solis iustitiæ Christi sunt electi, vt enim radij progrediuntur à sole, ita electi omnes Spiritũ sanctũ habent ex Christi meritis. In pennis igitur istis, erit tunc perfecta sanitas. Quia tũc absterget Deus omnem lachrymã ab oculis Sanctorum suorum, quia priora transierũt. Quanuis enim modo animæ Sanctorũ gloriosa donatæ sint beatitudine, verũ nondũ completa est penitus, quousq; corporibus fruantur beatis. Nã horum beatitudo, etsi essentialiter non augeat essentialem animorũ sanctorum gloriã, at vero accidentaliter auget. Nam valde glorioſum est mentem beatam habere in corpore beato. Fuerunt Theologi ex classe scholastica, qui autumant etiã essentialem tunc augendã beatitudinem resumptis corporibus vt Marsilius & alij, quibus tamen nos non assentimus, legat qui volet disputata à nobis in 4. lib. Senten. in. 3. tomo. *Et egrediemini, & salietis sicut vituli de armento*, notat agilitatẽ futuram Sanctorũ. Vt enim per sanitatem pennarum, intellexit immortalitatẽ, & impassibilitatem corporũ Sanctorum, ita modo per saltũ vitulinum intellectã voluit agilitatem eorũ. Isaias autẽ vt idem subnotaret alia est vsus Metaphora: assument inquit, pennas sicut aquilæ. Has porrò prosequi modo dotes non est animus, quia loco indicato eas pro mea viriũ portione satis disserui. *Hebraicè autem salietis habetur, & pingues eritis sicut vituli saginati.* Græcè, *salietis sicut vituli à vinculis relaxati.* & idem est sensus significatur enim maximam futuram beatorum lætitiã instar vitulorũ pinguiũ, qui saliunt præ lætitia: aut quando relaxãtur ex vinculis. *Et calcabis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorũ, in die qua ego facio, dicit Dñs exercituum.* Hoc idẽ in lib. Sapien. traditur de iustorum gloria. Iudicabunt ait, nationes, dominabuntur populis. Quod vero impios ait, futuros cinerẽ sub planta iustorũ, non est intelligendũ, tunc impios vertendos in cineres, etenim vermis eorum nõ morietur, & ignis non extinguetur. Nam si futuri sunt cineres quomodo torquebũtur æternò? at vero quia erunt tunc abiectissimi & vilissimi, ideo conferuntur cineri, qui satis vilis est. *Mementote legis Moysi serui mei, quã mandaui ei in Horeb, ad omnem Israel præcepta, & iudicia.* Hebra. *ceremonias*, non *præcepta* scribitur. Aduertendũ est ad intelligẽtiam huius, Exod. 20. Dñm Moysi decalogum dedisse, & nõ cæremonias, aut iudicialia ibi dedit. Solũ enim in cap. illo traditur cæremonia de altari ex terra faciendo. Vnde per legem modo subaudit legẽ naturalẽ quæ decalogo cõprehenditur. Et ideo postmodũ addit cæremonialia præcepta atque iudicialia quæ Exod. c. 21. & seq. tradũtur. ¶Iam ergo nõ est leue dubiũ, cum hoc capitulum ad tempora Messiæ sit referendum, quia de secundo Christi aduentu explanatũ est: qua ratione, ait, *Mementote legis Moysi?* *Siquidẽ* lex illa Mosaica quantum ad cæremonialia, & iudicialia extincta est. Paulo tradente si circũcidamini Christus vobis nihil prodest. Quod si dixisset solum, *Memẽtote legis Moysi serui mei*, nihil difficile nobis offerret, quia promptũ esset dicere decalogum solum esse intelligendũ, qui fidelibus necessario est obseruandus, non enim decalogus, viget ex lege veteri quæ non viget, sed ex iure naturę, quod scriptum est in cordibus humanis, Rom. 2. vnde ante legẽ Mosaicam vigebat eius obligatio, & illa extincta nunc item viget. ¶*At vero addit præcepta, & iudicia.* Vnde Hebræi hoc armantur contra catholicos testimonio, quo probent sub tempore Messiæ cæremonias, non esse abolendas. At vero locus non conuincit, Iudaicam perfidiam non esse perfidiam. In cuius gratiam, est recolẽdum quod Dominus dixit agens cum proteruis Iudæis. Scrutamini inquit scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Ioan. 5. & infra. Est Moyses qui accusat vos in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, forsitan crederetis & mihi, Vates igitur monet modo Iudæos post aduentum Christi qui erãt victuri, vt meminerint Moysi, ideſt, vt scrutentur scripturas veteres, & diligenter eas voluant: quia illæ perhibẽt testimonium de Chro: & idẽ est quod ait, est qui accusat vos Moyses, &c. itaque siue per legis testimonia, siue per vmbras figurarum siue per iudicialia

Dotes eorũ beatorum.

Cap. 40.

Sapien. 3.

Ad Gal. 3.

dicialia Christus adumbrabatur. 1. Cor. 10. Ideo rectè ait. Mementote Moysi, non ad faciendum cæremonias vel iudicialia legis, sed ad intelligendum Christum, sub velaminibus illis & vmbris fuisse velatum, & quia iam impletæ sunt figuræ illæ credant Christum iam venisse: & non præstolentur illum, vt præstolantur. Quod verò ait, *in Horeb*, ita habetur Deut. 5. In Horeb fuisse latam legem, & in Exodo. in Sinai vsurpatur pro eodem. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini, magnus & horribilis.* Sicut qui per Eliam subaudiant Ioannem Baptistam, & quidem Ioannes appellatur Elias secundum mysticam significantiam: non tamen secundum literalem. Et accedit eodem, quod hic agitur de postremo aduentu Christi, at vero hunc aduentum, Elias verus non Ioannes præueniet. Et præterhæc, quia ait, *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, qui dies est dies iudicij, qui erit horribilis cūctis hominibus. Nam dies primi aduentus, nō fuit horribilis, quia sicut pluuia in vellus descēdit Dominus vt caro fieret. Et rursus, quia Matth. 17. expressè habetur Elias vēturus est, & restituet omnia, scilicet, restituet Iudæos in fidem Iesu Christi, & alios fideles, quos auertet Antichristi violentia. *Et conuertet cor patrum ad filios.* Patres seu maiores Iudæorum Patriarchæ, scilicet, & Prophetæ, in Christum crediderunt venturum, & Apostoli crediderunt iam venisse, hanc igitur fidem quæ erat in mentibus maiorum restituet Elias in Iudæis, quos ipse habebit præsentes, *& cor filiorum ad patres eorum*, efficiet prædicatio Eliæ, vt maiores Iudæorū qui antecesserunt priorem Christi aduentum, & posteriores eorum qui erunt sub Christi secundum aduentum sint in fide Iesu Christi vnicordes. *Ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Prædicabit igitur Elias tunc fidem Iesu Christi, & rebelles habitatores tunc terræ percutientur à Christo anathemate: quibus dicet, Ite in ignem æternum. ¶ Separabit enim tūc oues ab hœdis, & hos percutiet illa formidabili sententia, Ite maledicti in ignem æternum. Anathema, idem est quod separatum ab alio vt alibi exposuimus. Tunc autem impij quos vocat terram, quia terrena sapiunt seperabuntur à pijs, qui cælestes appellantur, quia cælestia amarunt. Vnde Ioannes Domini præcursor, de Christo Matth. 3. ait, Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili: ventilabrum Domini, est sententia illa finalis ex qua segregabit triticum à paleis: & hanc segregationem nunc vates vocat anathema, vt segregationem, ouium ab hœdis: vnde Matth. 25. Et congregabuntur ante eum omnes gentes. & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, &c.

Sententia finalis est ventilabrum Christi.

Quæ essent huc vocanda moralia, erant tractatus de iudicio finali, quos ego persecutus sum in declamationibus ad Isaiam. Et piget quidem illa omnia hic attexere, ne ad modum crescat hoc volumen. Ideo claudendos iam duxi riuulos, quia arbitror sat prata bibisse. Quapropter hic esto finis explanationum in duodecim Prophetas minores, quas ego Michael de Palatio, gratia Iesu Christi Dñi nostri opitulante, ad eius laudem absolui. Et item ad vtilitatē eorum qui sanctis scriptis operā nauare cupiunt, & ad profectum eorū qui pro suggestu declamare intendunt. Vtinam par sit horū profectus, laboribus, & sudoribus meis.

Peroratio operis.

LAVS DEO.

SALMANTICÆ,
Apud Ioannem & Andreā Renaut fratres.
M. D. XCIII.

INDEX COPIOSISSIMVS

verborum & sententiarum, quæ in hoc opere continentur, ordine alphabetico dispositus

A

A FACIE in scriptura quid significet. pag. 338. col. 2.
Abdiæ pphetæ genus. p. 320. c. 1.
Abrahæ filij in duplici differentia. pag. 31. col. 1.
Adultus sine proprijs meritis non iustificatur. pag. 295. col. 1.
Affectus pati humanum est. pag. 266. col. 1.
Alexander Magnus reclusit Israelitas. pagina 488. col. 2.
Allegoriæ non omnia punctim prosequuntur. pag. 531. col. 1.
Ambulare solicitū corā Deo quid. p. 390. c. 2.
Altare totius Ecclesiæ catholicæ vnicum est. pag. 132. col. 1.
Amor Dei nihil contrariū admittit. p. 475. c. 1.
Amor perfectus inuisibiliū super naturam est humanam pag. 512. col. 2.
Angelorum multitudo incomprehensibilis nobis, à Deo creata. p. 285. c. 1.
Angelorum maior pars fuit seruata. p. 284. c. 1.
Angeli non possunt flere aut ridere. p. 173. c. 2.
Angeli & Iacob pugna qualis. p. 173. c. 2.
Angelica natura spiritualis est. p. 528. col. 2.
Angeli boni & mali subitum habent localem motum. pag. 508. col. 1.
Angeli precantur Deum pro nobis. p. 508. c. 1.
Angeli superiores præcipiunt inferioribus. pagina. 520. col. 1.
Anima pro vita & pro volūtate vsurpatur. pagi. 136. col. 2.
Anima à sui creatione velut tabula rata. pagina 291. col. 2.
Animæ damnatorum sunt orbatæ diuino præsidio. pag. 304. col. 2.
Anima vestes quomodo ignis deuoret. pagina 427. col. 2.
Animæ apud Hebræos aliquando pro voluntate vel desiderio vsurpatur. p. 446. col. 1.
Animæ iustæ in Christū intendunt. p. 521. c. 2.
Animarum iustorum & damnatorū in purgatorio & inferno vincula diuersa. p. 561. col. 2.
Animæ rationalis creatio. p. 582. col. 1.
Antichristi mores. pag. 579. col. 2.
Antichristi idolum. pagina. 580. columna. 1.
Apostoli orbem miraculosè subiugarunt. pag. 562. col. 2.
Apostolis & successoribus subijcitur orbis. pagina. 327. col. 2.
Apostolis cælitus fuit infusa fortitudo. pagina 387. col. 2.
Apostoli & prophetę duo montes ærei. pagina 543. col. 2.
Apostoli velut arcus spirituales. pag. 562. c. 1.
Apostoli faces ardentes. p. 583. col. 2.
Aquæ viuæ tardius deficiunt quam stagnales. pag. 594. col. 2.
Arcturus, constellatio septentrionalis. pagina 288. col. 2.
Ascendete in scriptura in bonum & in malum. pag. 337. col. 1.
Astrologi sæpe magnos casus prænoscunt. pag. 233. col. 1.
Auaritia Iudæorum notabilis. p. 572. col. 1.
Auarorum mens est obdita plūbo. p. 538. c. 1.
Auari sunt reliquiæ idoli Baal. p. 474. col. 2.
Auaritia sedes fraudulentiæ. p. 537. col. 2.
Aurora hominibus delectabilis, feris odiosa. pagina. 107. col. 2.

B

BACVLVS prælatorum quid denotat. pag. 553. col. 1.
Baptismo homo dedicatur Deo. pagina 494. col. 2.
Baptismus fons expians semel omnia scelera. pag. 587. col. 2.
Baptismus relaxat culpā & pœnā. p. 487. c. 2.
Baptismo non nocet infidelitas ministrantis. p. 483. col. 2.
Baptizatis in primitiua ecclesiæ Spiritus sanctus visibiliter conferebatur. p. 386. col. 2.
Basan regio opulentissimis pascuis decora. pa. 278. col. 1.
Beatorum corporum dotes. p. 623. col. 1.
Beati quidam plura vident in Dei essentia. pagina 511. col. 1.
Beati non vident clarè Deum per species creatas, p. 167. col. 1.
Benedicti cū non benedicto vnio reddit ipsum

Rr bene-

INDDX

benedictum. p.504.col.1.
Beneficiorum diuinorum abusus, abutentibus tribuendus.p.148.col.1.
Bestiæ quatuor Danielis sunt quatuor cornua quæ vidit Zacharias. p. 512. col. 2.
Bezaar lapis contra venena efficax. p. 71. c.2.

C

CÆLORVM natura simplicissima. pagina. 581.col.1.
Cæremoniæ exteriores qualitervtiles.p. 374.col.1.
Cæremoniæ exteriores probantur. p.492.c.2.
Christus filius vnigenitus & primogenitus. p. 586.col.1.
Christus verus pastor. p.589.c.2.
Christi sermo aqua viua.p.594.col.2.
Christi diuinitatis testimonium. pag.541.c.2.
Christus candelabrum septem lucernis splendens.p.529.col.2.
Christi perfectum testimonium extra ecclesiã non est.p.530.col.1.
Christus in omni lege iustis fuit ostensus. pag. 530.col.1.
Christus caput non egens membris. p.530. c.2.
Christus rex & sacerdos. p.540.col.2.
Christo inesse duas personas colligatas, vanum est dogma. pa.384.col.1.
Christi mysteria non sunt Deo necessaria, sed nobis. p.383.col.2.
Christi mortis dies magnus p.36.c.1. Finis eius aduentus non terrenus, sed planè cælestis. p. 104.c.1. De eius resurrectione vaticinium. p. 105.c.2. Potentiam dæmonis fregit. p. 107. col.2. Est lux & imber. ibid.
Christi caro cur per equum rufum adumbratur p.510. col.2.
Christus causa vniuersalis gratiæ & veniæ. pagina.522.col.1.&2.
Christi mortis proprietates. p.186. col.2.
Christi caro subdita fuit animæ imperio. pag. 510. col.2.
Christus primarius Doctor iustitiæ.p.228.c.1.
Christus quomodo dicatur sanctificatus. pag. 269.col.2.
Christi regnum omnem gloriam humanam superat. pag.317.col.1.
Christus scopus omnium prophetarum. pagina.326.col 2.
Christus vocatur in scriptura Sanctus Sanctorum.pa.327.col.2.
Christus causa nostræ iustificatiõis. p.622.c.2.
Christus sol iustitiæ iustis.p.622.col.2.
Christus testis & iudex.p.619. col.1.
Christus magno zelo zelat ecclesiam suam.pa. 552.col.1.
Christi vaticinium.p.557.col.2.
Christus pacem loquitur & bellum.p.559.c.2.
Christus cur sanguine suo nouum firmauit testamentum.p.559.col.2.
Christus petra scandali. p.583.col.1.
Christi vaticinia varia.p.585.col.1.&2.
Circũcisionis obseruatio spiritualis.p.32.co.1.
Ciconiæ natura.pag.535.col.1.
Clauium potestas.pagina.376.col.1.
Comparationes orationẽ augent. p.218. col.1.
Confessionis vtilitas illius difficultatem tempe rat.pag.350.col.1.
Confessionis auricularis præceptum quomodo non sit graue. p.215.col.1.
Consueta magis amamus.pag.255.col.2.
Contritio excellentissima quæ.pag.223.col.1.
Contritione deficiente nulla est satisfactio. pagina.223.col.2.
Contritio est dispositio vltima ad suscipiẽdam gratiam Dei.p.285.col.2.
Contritio fundamentũ pœnitentiæ. p.348.c.2.
Contritio in omni lege fuit necessaria. pagina 349.col.2.
Consularis potestas quãdo cessauit.pa.539.c.2.
Contemnere proximum quando sit crimen. p. 615.col.2.
Chaldæorum ingenium.pag.436.col.1.
Chaos secundum Platonem omnium verum principium.p.141.col.1.
Cataractæ cæli, quid pag.620.col.1.
Charitas quomodo tegere peccata dicatur. pagi.4.col.1. Est christiana iustitia. p.57.col.1.
Charitate deficiente pietas diuini cultus nihil ad vitam æternam prodest. p.171.col.2.
Charitas tendit in Deum, vt in obiectum & finem.p.221.col.2.
Charitas patientiam christianam in laboribus efficit.p.445. col.1.
Charitas & fides solum proderunt in die iudicij.p.475.col.1.
Charitate sublata omnia merita consopiuntur. p.496.col.2.
Conuersio per naturam, & per gratiã, interior, & exterior.p.220.col.1.
Conuersio vt plurimum in bonum sumitur. pa. 250.col.2.
Contumeliam contumelia an compensare liceat.p.209.col.2.
Consensus ad peccatum & virtutem quis requiratur.p.57.col.2.
Corpus nostrum simile est Ægypto.p.160.c.1.
Correctio fraterna quãdo nõ obliget.p.80.c.1.
Corripiens in eodem peccato manens quando non peccat.p.192.col.1.
Correctionem qui odio habeant. p. 289.col.2.
Cordum quid significet.p.301.col.1.
Creatoris esse multos impossibile.p.42.col.2.

Crea-

ALPHABETICVS:

Creaturæ irrationales non egent auxilio supernaturali.p.182.col.2.
Creaturas diligere multifariam accidit. pagina 221.colum.2.

D

DABAR verbum Hebræis, quid denotet? pag.74.col.2.
Dæmones subito mouentur. pagi.442. columna.1.
Decimæ ministris ecclesiæ soluendæ. pagina 620.colum.1.
Damascus vnde dicta, variæ sententiæ. pagina 254.colum.1.
Damnati cur æternas dant pœnas.pagina. 362. columna.1.
Deus antequã conderet creaturas non erat Dominus actu sed potestate. pag.437.col.1.
Dei permissio, qua permittit mala iustissima. pag.434.col.1.
Dei prouidentia mentem excitat. pagina.433. columna prima.
Dei prouidentia asseritur.pag.432.col.2.
Deus habet scientiam particularium. pag.431. colum.2.& seq.
Deus an puniat vltra condignum.p.410.col.2.
Deus habet specialem curam suorum seruorũ. pag.410.col.1.
Deus in conuersione hominum quam reliquis alijs operibus se mirabiliorẽ præstat. pagina 408.colum.2.
Deo cooperari oportet, vt à peccatis mundemur.pag.393.col.2.
Deus cur se aliquando inexorabilem præbet. pag.371.col.2.
Deus quomodo dicatur obliuisci. pag.26.col. 1.Parce minatur,& largissimè præmiat.pag. 60.col.2.Amat sibi similes. p.78.col.2.Eius essentia occultissima, existentia notissima. pag.89.col.1.Punit peccata,alijs peccatis, ibi dem.col.2.Præstat omnibus necessaria,vt sal uentur.pag.108.col.2.& p.154.col.2.
Diuerso cultu à Dæmonis cultu colitur.p.140. columna.2.
Bifariam repræsentatur.ibid.Non recedit loco sed fauore. pagi.144. col.1. Dei dilectio duplex.pag.145.col.1.
Deo & creaturis non est vniuoca prædicatio. pag.159.col.2.
Deus est actus purissimus.pag.165.col.1.
Deus diuersimodè existit in creaturis.pa.165. columna.2.
Dei verbum aliquibus valde timendũ alijs consolationi. pag.167.col.1.
Deus non potest pro præsenti statu à nobis cõceptu proprio & absoluto cognosci. pagina 175.colum.1.
Deus mitius, cum amicis quam cum inimicis.p. 190.colum.1.
Deo primaria autoritas remittendorum peccatorum datur, sacerdotibus ministerialis.pag. 190.colum.2.
Deus in sanctis scriptis qua ratione dicatur ridere.pag.289.cap.2.
Deus dat omnia necessaria ad salutem parandã. pag.296.col.2.&p.303.col.1.
Deus impœnitentibns duorum se præstat. pag. 303.colum.2.
Deus non est autor nostræ duritiei. p.304.c.2.
Dei præscientiæ futura iam sunt facta. pa. 322. columna.1.
Dei sermo igneus.pag.328.col.1.
Deus promptissimus ad donanda peccata.pag. 352.colum.1.
Diabolus amicus simulatus.pag.42.col.2. Corporalium rerum virtute non cogitur. pagina.72. col.1.
Diaboli obsidio continua est.p.418.col.1.
Diaboli conditiones describũtur. p.441.c.1.2.
Dies Domini in malum & in bonum vsurpatur.pag.214.col.1.
Diaboli illecebræ etsi videantur sunt tamen ad deurendum mentem.pag.442.col.2.
Diabolus piscatori confertur.pag.443.col.1.
Diabolicum hamum Christus confregit. pagi. 443.col.1.
Diabolus verus, sed maleuolus accusator. pag. 519.colum.1.
Distributio pro generibus singulorum obseruanda in scriptura.pag.318.col.1.
Diuinationis apud antiquos instrumenta varia. pag.88.col.1.
Diuitiæ malè partæ luto conferuntur.pagina 446.colum,2.
Doctrina sana à vitioso doctore non vitiatur. pag.292.col.1.
Deus an prædestinet ob præuisa merita.pagina 601.colum.1.
Deus prius diligit quã diligatur, sed prius odio habetur quam odio habeat. pag.574.col.2.
Domus in scriptura pro genere sumitur.pagina 59.colum.2.
Deus in maiori necessitate excitat maiores prælatos.pag.570.col.2.
Dei vocationi homo non cooperatur. pa. 566. columna.2.
Dei sibilus interior & exterior. pa.566.col.2.
Deus reuertitur & auertitur metaphoricè.pag. 547.colum.1.
Deus in hac vita punit suos in correctionẽ ipsorum.pag.547.col.1.
Dei potestas & voluntas vna diuinitas. pagina 539.colum.1.

Deus in hac vita punit suos in correctionem ipsorum.pag.547.col.1.
Dei potestas & voluntas vna diuinitas. pagina 539.colum.1.
Deus vt præmiet vltra condignum. pagi.534. columna.1.
Deus præmiat animi sanctitatem non ordinis celsitudinem.pag.525.col.2.
Deus mouetur non substantia, sed operatione. pag.517.col.2.
Deus pœnas quas comminatur mallet nõ exequi.pag.475.col.2.
Deus cur in hoc seculo dissimulati peccata.pa. 485.colum.1.
Deus subtrahit efficaciam à verbo suo ob peccata auditorum.pag.497.col.1.
Deus affligens electos exterius, consolatur interius.pag.412.col.1.
Deus filij & patris vnitas & realis distinctio ostenditur. pag.517.col.1.

E

ECCLESIÆ decem persecutiones. pag. 567.colum.2.
Ecclesia quo die sanctificatur.p.553.co.1.
Ecclesia habet quædam bona inuisibilia.pagina 552.colum.1.
Ecclesia perfectos & imperfectos amplectitur. pag.552.colum.1.
Ebrietas ob salutem comparandam non licet. pag.85.col.2. An sit peccatum mortale.ibid. Perfundat naturæ humanæ vires.p.86.co.2.
Ecclesia templo Salomonico dignior. pagina 494.colum.1.
Ecclesia triumphat in Christo de hostibus.pag. 487.colum.1.
Ecclesia primitiua habuit spiritus primitias. p. 486.colum.2.
Ecclesiæ primitiuæ perfectio.pag.486.col.1.
Ecclesia inuisibilis non est, contra hæreticos. p. 35.col.1. Quibus Deo desponsatur.pag.57. col.2. Sponsa Christi.pag.58.col.1. Quam dotem spiritualẽ Christus ab ea exigat. ibid. col.2. Multis modis Christo deuincta. pagi. 59.col.2. Quæ sint illius sponsalia. pagina 60.colum.2.
Ecclesia Dei quasi oliua.pag.196.col.2.
Ecclesia templum Dei mysticum. p.541.col.2.
Ecclesia mysticè familia Iacob.p.317.col.2.
Ecclesia speculatur Dei arcana.p.327.col.1.
Ecclesiæ non nocet multitudo aduersariorum. pag.332.colum.2.
Ecclesia filia Sion, eius potestas inuincibilis.p. 380.colum.2.
Ecclesiæ bona non sunt alienanda.p.381.col.1.
Ecclesiæ potestas contra hostes suos.pagi.387. columna secunda.
Ecclesia primitiua cum nostra vt conueniat.p. 584.colum.1.
Ecclesia cincta muro igneo.pag.515.col.2.
Ecclesia militans rugas habet, quas triumphãs deponet.pag.518.col.1.
Ecclesia velut nauis pontifices naucleri.pagina 524.colum.2.
Ecclesia non est inuisibilis. p.551.col.2.
Eclipsis sub Domini passione vniuersalis.pag. 204.colum.2.
Effœminati qui dicantur. pag.9.col.2.
Electio diuina idoneum facit electũ: sed non cogit ad bonum faciendum. pag.184.col.1.
Elohim quid in scriptura significet. pagi. 173. columna.1.
Elementa vt sunt naturaliter locata. p.315.c.1.
Ephoth, vrim, Thomim, quid.pag.70.col.1.
Episcopi Theologi an iurisperiti potius eligẽdi.pag.609.col.2.
Episcopi tenentur scire scientiam Dei. pagina 609.colum.1.
Episcoporum est arcana diuinorum eloquiorũ contemplari,pag.472.col.2.
Episcopi sunt custodes & speculatores. pagina 525.colum.1.
Episcopi patres spirituales fidelium.pag.525. columna.1.
Episcopi quomodo munus suum bene absoluunt.pag.525.col.1.
Episcopi sponsi ecclesiæ.pag.526.col.2.
Eruca, locusta, Bruchus de genere suo animalium insectorum. pag.205.col.2.
Essentiam diuinam Moses an viderit. pag.457. columna.1.
Euangelium ad gratiam communicandam omnes homines vocat. pag.33.col.2.
Euangelicæ doctrinæ scopus. pagina.155.columna prima.
Euangelicæ prædicationis vis maxima.pagina 328.colum.1.
Euangelici prædicatores quomodo deuorent auditores. pag.328.col.1.
Euangelia ecclesiæ cornua ferrea. pagina.380. columna.2.
Euangelium onus mundanorum. pagina.406. columna.1.
Euangelizantiũ pacem pedes cur dicantur pulchri. pag.412.col.2.
Euangelicos prædicatores decet festiua & læta prædicatio.pag.495.col.1.
Euangelistæ quatuor fabri diuini.pagina. 514. columna prima.
Euangelium iaculum Dei. pagina. 562.columna secunda.
Euangelica gratia vberiora profert charismata, quam antea fuerant. pag.564.col.1.

Eucha-

Eucharistia maxima ecclesiæ gloria.pagi.516. columna prima.
Eucharistiæ præmittenda confessio. pagi.613. columna secunda.
Exequiæ defunctorũ quomodo olim celebrabantur.pag.124.col.1.

F

FALLACIA à dicto secundum quid ad dictum simpliciter quomodo valeat.p. 5.colum.2.
Fauor populi operit humana delicta. pa.496. columna prima.
Festorum apud Hebræos duplex ratio. pagina 51.columna.1.
Fidei destructio, maxima ruina. pa.495.col.1.
Fidei rationes suadendæ, etsi fides sit indemonstrabilis.pag.43.col.2.
Fidei magna habenda cura.pag.31.col.1. Fides libera est, non coacta. pag.35.col.2. Sola nõ viuificat, sed est vitæ principium.p.40.col.2. Si viget mentem viuificat.ibidem. Multifariam dicitur.pag.59.col.1. Vnde dicatur.pagina.78.col.1. Eius articuli non sunt euidentes mortalibus. Eorum tamen fundamẽtum euidens est.pag.103.col.1.&2.
Fides maiorum non prodest posteris degenerãtibus.pag.127.col.2. Qua ratione sit radix virtutum.pag.145.col.2.
Fides sola placando Deo non sufficit.pag.344. columna secunda.
Fides non est principium formale iustificationis.pag.445.col.1.
Fideles filij spirituales Christi. pag.541.col.2.
Fideles sunt sub ditione spirituali prælatorum. pag.318.col.1.
Fidelium mala conuersatio infidelibus nocet. pag.268.colum.1.
Fidete homini quando sit crimen. pagina.155. col.2. Et quando non.pag.293.col.1.
Fletus exterior & interior.pagina.222.columna prima.
Fœderis violandi antiqua solennitas. pagi.45. columna secunda.
Forte aduerbium quid significet quando diuinis additur.pag.287.col.2.
Fornicatio pro quolibet nefario coitu sumitur. pag.87.col.2.
Funiculus veria significat in scripturis. pagina 161.columna.2.
Furtum & periurium crimina damnatione digna.pag.533.col.2.

G

GENVENSIS Eremicolæ error.pag. 25.columna secunda.
Germani principes similes Ieroboam.pagina.8.columna secunda.
Germani principes sunt in maxima culpa perditionis inferiorum. pag.494 colum.1.
Gloria cælestis ante Christum nulli patuit.pagina.561.colum.1.
Gog & Magog in scriptura quid denotet.pagina.502.columna.1.
Gratia prima non cadit sub merito.pagin. 568. columna secunda.
Gratia Dei ad meritum necessaria.pagina.553. columna secunda.
Gratia perdita non datur secundum proportionem.pag.504.col.1.
Gratia maior datur verè pœnitentibus. pagina 503.colum.1.&2.
Gratiæ causa efficiens Deus solus est. pag.484. columna prima.
Gratiæ & iræ tempus.pag.454.col.1.
Gratia Dei ex vasis iræ fecit vasu misericordiæ. pag.131.columna prima.
Gratia euangelica à morte temporali liberabit in die iudicij.pag.186.col..
Gratia Dei comparatur rori. pagina.295.columna secunda.
Gratiæ euangelicæ vbertas.pagina.318.columna secunda.
Gratia Christi excoquit peccata. pagina. 528. columna secunda.
Gratia Dei sola per Christum eripit hominem à potestate Satanæ.pag.442.col.2.
Græcis se diuidentibus ab ecclesia idem accidit quod Israelitis pag.136.col,1.
Græcorum regnum quando finitum pag.540. columna prima.
Gula quid & quando crimen sit.pagina.207.columna secunda.

H

HADRAD quid significet.pagina.554. columna secunda.
Hædera Ionæ quæ herba fuerit.pa.355. columna secunda.
Hæretici pseudo prophetarum successores.pagin 7.colum.2. Ex lucro introducunt sectas. pag.8.col.1.&pag.9.col.1. Vaga, non fixa habent dogmata.pag.146.col.1.
Hæretici dulcedinem diuinæ doctrinæ vertũt in maritudinem suæ hæreseos.p.242.col.1.
Hæretici demoliuntur ecclesiam Dei.pag.494. columna prima.
Hæreticus non potest administrare sacramentum pœnitentiæ.pag.614.col.1.
Hamus, rete, fagena quid denotent. pagin.443. columna prima.
Hebræi sub Iosue & postea multo æuo recte vixerunt.pag.394.col.1.
Hebræorũ exitus ab Ægypto & Chaldæa stupendus fuit.pag.398.col.2.

Herodes fuit Tyrannus. pagina. 577. columna secunda.
Hieronymus contra Caluinum defenditur. pagina. 484. colum. 1.
Hispania cur redacta est in potestatem Saracenorum, & Græcia in potestatem Turcarum. pag. 434. col. 2.
Historia, parabola, fabula in quo differant. pag. 10. col. 2. Historiæ sacræ solæ abundant multis sensibus. pag. 10. col. 2.
Hominis primi pollutio polluit humanam naturam, sed illius sanctificatio non potuit illam sanctificare. pag. 514. col. 2.
Hominum cur minor pars fuerit à Deo munda ta. pag. 284. col. 1.
Homo dum viuit nunquam orbatur angelico præsidio. pag. 47. col. 1.
Homo nomen variè accipitur in sanctis scripturis. pag. 161. col. 2.
Hominis immolatio semper Deo ingrata. pag. 390. colum. 2.
Hosee nomen, stylus, phrasis, Tempus. pagi. 2. colum. 2. & seq. Eius vxor qualis & eius dispensatio. pag. 9. col. 1.
Hostia pro peccato peccatum dicitur. pag. 83. columna secunda.
Humilitas dissoluit laqueos diaboli. pag 95. columna prima.
Humilitas fundamentum virtutum. pagi. 267. columna. 2.
Hypocrisis non est propria peccata caute occultare. pag. 77. col. 2.
Hypocritæ sunt statera dolosa. pag. 176. col. 1.
Hypostatica vnctio oleum lætitiæ. pagi. 529. columna secunda.

I

IVDÆI in fine mundi conuertentur. pag. 588. colum. 2.
Iudæorum respub. à Romanis euersa. p. 577. columna prima.
Iudæi soluta captiuitate non potiti sunt rege ex sua natione. p. 505. col. 2.
Iudæorum regia dignitas quando fuit collapsa. pag. 576. col. 1.
Idolorum cultus superstitiosissimus Palæstinis. pag. 556. col. 2.
Idololatria fornicationi apte confertur. pagina 361. colum. 1.
Idololatria cur sola in scriptura fornicatio dicatur. pag. 16. col. 1. cur adhuc permissa. p. 55. col. 2. Abominatio & sordes in scriptura vocatur. pag. 99. col. 2. A Dan exordium sumpsit. pag. 151. col. 2.
Idolorum cultus in scriptura amaritudo vocatur pag. 178. col. 1.
Idoli synonyma. pag. 181. col. 1.
Idumæa & Ægyptus describuntur. p. 244. c. 1.
Ieiunium quid sit. pag. 222. col. 1.
Iehu Eliæ vaticinium malè interpretatur. pagi. 18. colum. 1.
Ieroboã quare permissus sit regnare. p. 150. c. 1.
Iezrael duplex. pag. 18. col. 1. quid significet. pag. 19. col. 1. Idem quod Samaria. pagi. 22. columna secunda.
Iezrael spiritualis. pag. 36. col. 1.
Ignorantia triplex. pag. 78. col. 1.
Infideles bona opera habere possunt. pagin. 20. columna prima.
Imagines repræsentationis ratione adorantur. pag. 141. col. 1.
Imagines astrorum adorabant. pagin. 43. col. 1.
Imber matutinus & serotinus. p. 228. col. 1.
Inferioribus licet aliquando superiores arguere. pag. 38. colum. 1.
Ingratitudo circunstantia aggrauans. pag. 141. columna. 2.
Iræ gradus cur à Domino distinguntur. pagina 182. colum. 2.
Ira quid sit, & quæ fatua, vel prudens. pag. 208. colum. 1. & 2.
Iræ gradus ex Euangelio. pagina. 209. columna prima.
Infernus damnatorum differt loco & qualitate. pag. 560. col. 2.
Infernus non semper in scriptura significat Gehennam. pag. 313. col. 2.
Israel duplex. pag. 31. colum. 2.
Inuidiæ tres modi. pag. 513. col. 2.
Incarnationis diuinæ mysterium abstrusissimum. pag. 530. col. 1.
Infantes infideles negatiui. pag. 588. col. 1.
Ionæ historia. pag. 335. col. 1.
Ionæ socij an fuerint homicidæ. pagina. 343. columna secunda.
Ionæ fides & spes. pag. 347. col. 1.
Ionas cur dicatur fuisse signum Niniuitis. pagi. 354. colum. 1.
Iudæorum perfidia retunditur. pagina. 541. columna prima.
Iudæorum procacitas. pag. 574. col. 1.
Iudæorum respubli. valde mutata sub secundo templo. pag. 500. col. 1.
Iudæorum cæcitas manifestatur. pagina. 493. columna prima.
Iosue quomodo & quandiu motum cælorum stare fecit. pag. 459. col. 1.
Iudicij die disperdentur omnes impij. pa. 474. columna. 1.
Iudicium facere quid sit. pagi. 390. col. 2.
Iudices iniqui notantur. p. 300. col. 1.
Iudæi super omnes nationes affecti à Deo beneficijs. pag. 14. col. 2. vtuntur indifferenter vno vno tempore pro alio. pag. 115. col. 2.
Iudæi post captiuitatē Babylonicam abiectiores. pagi. 294. col. 1.
Iudæorum perfidia. pag. 270. col. 1.
Iudæi de superbia & auaritia notantur à prophetis. pag. 290. cap. 2.
Iudicium multa significat. pag. 75. col. 1.
Iudicij dies cur multis prodigijs præsignabitur. pagi 233. col. 1.
Iudicij signa supravires naturæ erunt. pag. 233. columna secunda.
Iuramentum nullum est veniali. p. 281. col. 1.
Iuramentum execratorium aliquando necessarium. pag. 794. colum. 1.
Iurare Christianis fas est contra hæreticos. pa. 279. colum. 2.
Iurandum omnino non esse vt intelligatur. pagina. 280. col. 1.
Iurare an liceat. pag. 549. colum. 1. & 2.
Iuramentum quando actus religionis, quando idololatria. pag. 512. col. 1.
Iurandi forma apud Hebræos. pagi. 338. col. 2.
Iustitia quædam particularis, quædam generalis virtus. pag. 56. col. 2.
Iustitia & misericordia in Deo sunt æquales. p. 165. columna prima.
Iustitia & misericordia diuina habent effectus infinitos extensiuè non intensiuè. pagi. 165. columna secunda.
Iustificatio hominis non ab intrinseco, sed à coharente charitate. pag 75. col. 2.
Iustitiæ peccata aduersantia omnium grauissima. pag. 176. colum. 2.
Iustitiæ partes duæ. pag. 546. colum. 1.
Iustitia est omnis virtus. pagina. 269. columna prima.
Iusti non corruunt dum patiuntur. pagin. 189. columna prima.
Iustificatio tribuitur dilectioni Dei spōtaneæ. pag. 294. colum. 2.
Ius naturæ fuit mutatum lapsa natura humana. pag. 289. colum. 1.
Iustissimus quisque reliquijs peccatorum stimulatur. pag. 328. col. 2.
Iustificatio primum pendet à Deo deinde à nobis. pag. 409. colum. 1.
Iustificatio peccatoris gratis fit. pa. 463. col. 2.
Iustificatio Deo tribuenda. pag. 466. col. 2.

L

LABORES huius seculi sunt medicinales. pag. 485. colum. 2.
Lege veteri cessante, templum cessauit. pagina, 105. columna. 1.
Lex vetus multiplex & dignissima. pagi. 133.
Legum trium diuinarum collatio. p. 374. col. 2.
Legis Euangelicæ perfectio. p. 375. col. 1.
Lex sacerdotium, templum connexa sunt. pagina. 493. columna prima.
Lex Mosaica confertur myrto. pagina. 510. columna secunda.
Lex Christi per se non est onus. pagina. 554. columna secunda.
Libanus mons quis & qualis. pag. 196. col. 2.
Liberum arbitrium asseritur. pagi. 4. col. 1. Titulo & veritate liberum est. pag. 96. col. 1.
Liberum arbitrium actuum est, non solū passiuum. pag. 183. col. 1.
Limbus sanctorum patrū an fuerit locus damnatorum. pagi. 560. colum. 1.
Lumbis inest fortitudo & vis animalis. pagina. 416. columna prima.
Lutherus pessimus censor diuinorum eloquiorum. pag. 473. colum. 1.
Lutherus refellitur. pag. 4. col. 1, Et pag. 80. col. 2. Et pag. 96. col. 1. Et pag. 100. col. 1. Et pag. 129. col. 1. Et pag. 138. col. 2. Et pag. 146. col. 2. Et pag. 214. col. 2. Et pag. 220. col. 2. Et pagina. 291. col. 2. Et pagin. 330. col. 2. & seq. Et pag. 333. col. 1. Et pag. 349. col. 1. & 2. Et pagina 353. col. 1. & 2. Et pagin. 354. colum. 1. Et pagi. 418. colum. 2.
Lutheranorum vana confidentia. pag. 373. col. 2. Et pag. 428. col. 2. Et pag. 456. col. 2. Et pagina. 461. col. 2. Et pagi. 462. col. 1. Et pagina 469. col. 2. Et pa. 473. col. 1. Et p. 591. c. 1. 2.
Lutherana secta principum Germanorum fauore creuit. p. 145. col. 1.
Lutherani contemptores Dei & ecclesiæ. pag. 440. colum. 2.
Lux non est corpus, sed qualitas. pa. 217. col. 2.
Luxuriæ quatuor capita. p. 513. col. 2.
Luxuria quibus prouocatur. p. 513. col. 2.
Luxuriæ nutrices, quæ. pagi. 538. col. 1.
Luza, Bethel, Betauen idem. pag. 174. col. 1.

M

MAGI adoraturi Christum vnde venerint. pag. 536. col. 2.
Maozim idolū Antichristi. p. 580. c. 1.
Mahometana secta cur tandiu durare permittatur. pag. 74. col. 2.
Mala temporalia optare quando liceat. pagina 144. colum. 2.
Mala temporalia non semper propter peccata sustinentur. pag. 342. col. 2.
Malitia ambiguam habet significationē in scriptura. pag. 354. col. 2.
Malachias propheta quis & qualis fuerit. pag. 598. columna prima.
Matrimonium ratum & consummatum. pagina. 58. columna prima.
Maximum opus, maximæ virtuti tribuēdum. pag. 146. colum. 1.

Manſuetudo philoſophis, quid ſit. pagin. 476. columna. 1.
Manſuetudo aliquando latius ſe fundit in ſcriptura quam apud philoſophos. pagina. 476. columna. 2.
Manſuetudini vitia contraria. pagina. 476. columna ſecunda.
Martyrum conſtantiã etiam angeli ſunt admirati. pag. 486. colum. 2.
Martyres Chriſti maximè probant fidem catholicam. pag. 512. col. 1.
Martyres valde illuſtrant fidem Chriſti. pagina. 544. col. 1.
Mens perturbata ſenſus etiam corporis perturbat. pag. 401. col. 1.
Medium in diuinis literis quomodo accipiatur. pag. 454. col. 2. & ſeq.
Medicamenta diuina ex proſperis & aduerſis temperantur pag. 374. col. 1.
Melchom idolum Amonitarum. pagina. 469. columna prima.
Mendacio fidentes, mendacio non iuuabũtur. pagi. 135. colum. 2.
Meſsias non prædicitur futurus rex temporalis. pagi. 557. colum. 2.
Metaphoricæ locutiones quomodo ſumendæ. pag 327. colum. 2.
Meritum congrui & condigni pagina. 463. columna ſecunda.
Michææ hiſtoria. pag. 358. col. 1.
Miniſter malus obnoxius reſtitutioni. pa. 526. columna prima.
Miraculum quando non ſit admittendum. pagina. 343. colum. 1.
Miſeriæ ſpirituales egent ſpiritu Dei doctore. pagi. 426. colum. 1.
Miſericordiam diligere quid. pagina. 391. columna prima.
Miſericordia Dei abutens ſentiet eius iuſtitiã, pag. 304. colum. 2.
Miſericordia Chriſtiana. pagina. 264. columna ſecunda.
Miſericordia maxima virtutum. pagin. 263. columna prima.
Miſericordia Dei dupliciter conſideratur. pag. 29. col. 1. Quoad ſpiritualia nulli negatur. pagi. 30. col. 1. Aliquando negata prodeſt. ibid. Propter peccata à Deo negatur. pag. 47. col. 1. Quid ſit, & proprie eſt ad alium. pag. 78. col. 1. Iterum bifariam capitur. pag. 108. col. 2. Amica eſt Deo. pag. 260. col. 1. Quid Ariſtoteli. col. 2. Eſt ad ſimiles. ibidem.
Miſericordes qui ſint, & qui non. pagina. 261. columna ſecunda.
Miſerabilia quæ mala ſint. pagi. 261. col. 1.
Miſericordia diuina à noſtra differt. pagi. 262. columna prima.
Miſericordia quid ſit ſecundam Ariſt. & Auguſtin. pagi. 262. col. 1.
Mizpa quid ſignificet pag, 94. col. 1.
Moabitæ & Amonitæ amici doloſi Idumæorum. pag. 323. col. 2.
Mortale peccatum quæ damna inferat. pagina 466. colum. 1.
Mors quatenus naturalis non eſt maledictio. p. 523. columna. 2.
Mons Sion carnalis aboleuit. pagina. 374. columna ſecunda.

N

NAbuchodonoſor primò conatus eſt Tyrum adiungere cõtinenti, deinde Alexander Magnus. pag. 257. col. 2.
Nahum quo tempore prophetauit. pagin. 404. columna prima.
Naturæ opera conſuetudine vileſcunt. pagina 346. columna prima.
Niniue quæ ſit. pag. 337. columna. 2.
Nouatianorum error. pag. 23. colum. 1.
Nouember menſis nonus Hebræis. pagin. 401. columna prima.
Nouiſsimum in ſcriptura, quid denotat. pagina 70. columna. 2.
Nugæ Hebræa vox quid ſignificet. pagin. 487. columna ſecunda.

O

OBediendum quomodo ſit pontificibus. pag. 80. colum. 2.
Obediens ſuperiori quando peccet. pa. 150. columna. 2,
Officia publica vendere dupliciter contingit. pag. 395. colum. 1,
Onocrotalus, ericius, & Erinacius quid ſint. pa. 478. columna. 2.
Onus, aſſumptio, Maſſa quid ſignificent. pagi. 600. col. 1.
Opera abſque charitate ventus vocantur. pagi. 130. columna. 1.
Opera quædam accipiunt efficaciam ab operantis gratia alia à Chriſto. pagina. 483. columna ſecunda.
Opinio in rebus diuinis ſequenda non eſt. pag. 481. columna. 2.
Oratio vocalis neceſſaria. pagina. 123. columna ſecunda.
Orationis vires magnæ. pagina. 301. columna ſecunda.
Orare ſanctos decet pro peccatoribus. pagina 480. columna. 2.
Originalia omnia ſunt æqualia. pagina. 131. columna prima.
Originale peccatum eſt tanquam diaboli ſagena. pag. 443. col. 1.

Palæ-

P.

PAlæſtinorum vrbes quinque. pagina. 477. columna. 1.
Palæſtina media inter Iſraelitas & Idumæos. pag. 257. col. 1.
Paliurus quid ſit. pag. 137. colum. 2.
Panis lugentium qui, pag. 136. colum. 1.
Purgatorium poſt diem iudicij ceſſabit. pagina. 622. colum. 1.
Papalia præcepta etſi dura videãtur ferenda. p. 85. columna. 2.
Paſsionis dominicæ repræſentatiões an liceãt. pag. 586. col. 2.
Paſtor ſtultus graphicè deſcribitur. pag. 579. columna. 1.
Paſtores ſunt viri perfecti, imperfecti pecudes. pag. 481. col. 1.
Paſtor bonus & malus vt differant. pagi. 577. columna. 1.
Parabolarum vſus in ſcriptura, cur frequentiſsimus. pag. 14. col. 1.
Parabola ſeminis explicatur. pagina. 890. columna ſecunda.
Parabola Ezechielis exponitur. pagina. 41. columna prima.
Pardus ferum animal. pag. 436. col. 1.
Pardus vnde dicatur. pag. 180. col. 2.
Pauperum Deus magnam curam habet. pagin. 290. colum. 2.
Peccati odium primus gradus ad virtutem. pagina. 291. col. 2.
Peccatum commiſsionis & omiſsionis. pagina 288. colum. 1.
Peccati Deus autor non eſt. pagina. 274. columna ſecunda.
Peccatum quoad formale & materiale. pagina 274. colum. 1.
Peccatum noſtrum ſi à Deo fieret nõ eſſet peccatum. pag. 273. col. 2.
Peccatum nullum ſine deliberatione. pa. 250. columna. 1.
Peccatorum atrocitas ex duobus pendi poteſt. pag. 27. col. 2.
Peccator reſurgens, an ad priſtinam gratiam reſurgat. pag. 28. col. 2.
Peccatum infinitum obiectiuè non intenſiuè. pag. 568. colum. 2.
Peccare prius eſt, quam diuina gratia orbari. p. 39. columna. 2.
Peccandi conſuetudo valde nocet. pagin. 568. columna. 2.
Peccatum vnum ad aliud trahit. pagina. 103. columna. 1.
Peccata in recidiuante redeunt. pagina. 141. columna ſecunda.
Peccandi conſuetudo, peccatum aggrauat. pagina. 152. col. 1.
Peccati deletio, tranſlatio vocatur. pagin. 189. columna. 1.
Peccati complementum bifariam intelligitur in ſcriptura. pag. 239. col. 2.
Peccans ex conſuetudine magis peccat. pagina 255. colum. 2.
Pharan quid ſignificet. pag. 462. col. 2.
Pluuia in terra Sancta duplex. pagina. 228. columna ſecunda.
Pœna temporalis ſæpe remanet dimiſſa culpa. pag. 252. col. 2.
Pœnitentiæ quòd libet tempus aptum. pagina 569. colum. 2.
Pœnitentia adultis neceſſaria. pagina. 569. columna prima.
Pœnitentes verè illuminantur à Deo. pa. 570. columna. 1.
Pœnitentiæ ſacramentum ſecũdus baptiſmus. pag. 243. col. 1.
Pœnitentia cordis & operis. pagina. 220. columna prima.
Pœnitentibus ſemper Deus relaxat æternam, at non ſemper temporalem. pag. 224. col. 2.
Pœnitentia pharmacum neceſſarium. pa. 116. columna. 1.
Pœnitens dolere de peccatis & ſubdi clauibus eccleſiæ debet. p. 189. col. 2.
Perfectorum & imperfectorum ſtatus. pagina 50. colum. 1.
Præcepta quædam affirmatiua habent tempus determinatum ab eccleſia. pa. 73. col. 2.
Prædeſtinatio an pendeat ex præuiſis meritis. pag. 602. col. 1.
Prælati mali ſunt locuſtæ. pagina. 428. columna prima.
Prælati cum ſanctis Apoſtolis debent in monte contemplari diuina. pag. 474. col, 1.
Priora quoad nos poſteriora quoad naturam. pag. 142. col. 2.
Principes qui onerant exactionibus ſubditos arguuntur. pag. 371. col. 1.
Proximum bifariam deſpicimus. pagina. 610. columna. 1.
Prophetici libri bifariam conſiderantur. pag. 4. columna. 2.
Prophetæ ſæpe digrediuntur à primo inſtituto. pag. 592. col. 1.
Prophetæ quomodo differant ab Euangeliſtis. pagina. 5. colum. 1. Non eodem modo exordinatur. col. 2. quo verbo prophetent. ibidẽ. filij putei diuini. pag. 8. col. 1.
Prophetæ paſtores animarum. pagina. 248. columna ſecunda.
Prophetæ falſi pro libidine audientium loquũtur. pag. 148. col. 2.

Propheta

Propheta ex quo dicatur. pagina. 306. columna prima.
Prophetæ falsi doctrinam suam Deo tribuunt. pag. 333. col. 1.
Prophetis cur per quietem contingit plerunq; illuminatio. pag. 337. col. 1.
Prophetæ vita excellentior quam aliorum. pa. 344. col. 1.
Prophetæ varij cur idem inculcant. pagi. 359. colum. 2.
Prophetis cur noctu visiones ostenduntur. pagina. 507. col. 1.
Prophetæ non habent aliquando perfectam intelligentiam suarum visionum. pagina. 507. columna. 2.
Prophetia, diuinæ amicitiæ symbolum, gratia gratis data. pag. 7. col. 1. quædam ex facto. p. 13. colum. 2.
Prophetandi ratio varia. pagina 572. columna prima.
Prophetia à tempore secundi templi cessauit. p. 232. colum. 1.
Propheticæ prædictiones quomodo habendæ. pag. 301. col. 2.
Prophetiæ minantes aut promittentes semper conditionem inuoluunt. pagina. 339. colum na secunda.
Peccata cur Deus statim non puniat. pag. 441. colum. 1.
Peccatum mortale vnde dicatur. pagina. 426. columna. 2.
Peccatores quidam abutuntur Dei longanimitate. pag. 407. col. 1.
Peccata semel donata non redeunt simpliciter, sed secundum quid. pag. 402. col. 1.
Peccata quæ Deus remittit perpetuò remittit. pag. 401. col. 2.
Peccatorum veniam quis impetrabit. pag. 371. columna. 2.
Peccatum quomodo remissibile. pagina. 361. columna. 2.
Peccatum nullum infinitum intensiuè. pagina 361. colum. 1.
Peccatorum cõtra religionem superiores sunt causa. pag. 360. col. 2.
Peccata quomodo fiant publica. pagina. 341. columna. 2.
Peccans ex cõsuetudine difficilius corrigitur. pag. 256. col. 2.
Peccatum quo vetustius eò reprehensibilius. pag. 294. col. 2.
Pœnitentia pharmacum necessarium. pagina 116. colum. 1.
Pœnitentia cordis & operis. pagina. 220. columna prima.
Pœnitentiæ sacramentum secũdus baptismus. pagina. 243. colum. 1.
Pœnitentia seria semper proficua. pagina. 361. colum. 2.
Pœna peccatorum simpliciter est bona. pagina 274. colum. 1.
Pœnitens verus quis sit. pagina. 348. columna secunda.
Pœnitentiæ sacramenti partes integrales. pagi. 464. columna. 2.
Pœnitentes vt se habent cum ad Deum conuerti parant. p. 465. col. 2.
Pœnitentia vera homini difficilis. pagin. 544. columna. 1.
Puerperæ grauiter pariunt. pagin. 186. columna prima.

Q

QVærentes Deum non omnes inueniũt. pag. 476. col. 1.
Qualitas vehemens dupliciter est, aut in gradu, aut in qualitatis natura. pagina 223. colum. 1.
Quadriga virtutum tranquillè homines vehit. pag. 426. col. 1.
Quadriga affectuum feruens est. pagina. 426. columna. 1.
Quadrigæ quatuor electorum mysticæ. pagin. 542. colum. 2.
Quadriga Sanctorum martyrum obstitit, tyrannis. pag. 545. col. 1.

R

REGES non debent grauare respublicas. pag. 580. col. 2.
Regna tunc florent cum pace fruuntur. pag. 411. col. 1.
Regnorum ruina vnde proueniat. pagina. 422. columna. 1.
Religionis læsio est causa subuersionis regnorum. pag. 251. col. 2.
Religio catholica sola erit sub fine mundi. pag. 594. colum. 2.
Remissio peccatorum secundum Hebræos. pa. 252. colum. 2.
Reprobatio non est actus positiuus diuinæ voluntatis. pag. 604. col. 2.
Reprobatio non est causa damnationis. pagina 604. colum. 1.
Reptilium & piscium immanitas. pagina. 435. columna. 1.
Reprobi quibus conferantur. pagina. 411. columna prima.
Resurrectio animæ vel corporis duplex. pagi. 106. colum. 1.
Resurgens à peccato an resurgat ad maiorem gratiam. pag. 229. col. 1.
Ruina alterius lætitiam nobis causare non debet. pag. 397. col. 1.

SAC-

S

SACCVS & cilicium pro eodem in scriptura, p. 212. col. 1.
Sacerdotum dignitas. pa. 80. col. 1. Debent habere scientiam Dei. pag. 82. col. 2. Ex illis pendet religionis doctrina, sunt speculatores. pag. 83. col. 1.
Sacerdoti meritum vitæ necessarium ordo necessarius sacramento. p. 483. col. 1.
Sacramenta habent à Christo efficaciã ad purgandum peccata. p. 191. col. 1.
Sacramenta non polluuntur à pollutis ministris. p. 500. col. 2. & p. 613. col. 1.
Sacerdotum peccata diuitiæ tegunt. pagi. 615. columna. 1.
Sacrificia noua vetera superant. pa. 618. col. 2.
Sacrificia vetera non expiabant culpas pœnitentibus proficiebant ad remissionem pœnæ. pag. 390. col. 1.
Sacrificia vetera quomodo grata erant Deo. p. 110. col. 2. & pag. 293. col. 2.
Salutem cur pauci assequantur. pagina. 283. columna. 2.
Salus humana cur per vates decantata. pa. 326. columna. 2.
Samaria vnde dicta & à quo ædificata. p. 277. columna. 2.
Sancti non pudefient de peccatis. p. 427. col. 1. & pag. 486. col. 1.
Sanctorum hostes, qui sint. pagina. 419. colum na secunda.
Sancti cur ficubus conferantur. pagina. 394. columna. 2.
Sanctum varie vsurpatur in scriptura pag. 562. colum. 2.
Sancti, in die iudicij iudicabunt. pa. 168. col. 2.
Sardanapalus Rex Assyriorum. pagina. 337. columna. 2.
Scindere vestes Hebræis erat lugubre. pa. 222. columna. 2.
Scripturæ diuinæ veritas. p. 576. col. 1.
Scripturæ obscuritas proficua. p. 6. col. 2.
Scriptura humanæ consuetudini se accommodat. pag. 61. col. 1. Idem sæpe in bonum, & in malum vsurpatur. p. 92. col. 1.
Scriptura cur aliquando utitur nota dubitationis. pag. 477. col. 1.
Scriptura sensibilibus vtitur exemplis & rationibus, vt ad diuina colenda nos promoueat. pag. 490. col. 2.
Scriptura sacra quibusdam est onus alijs liber visionis. p. 537. col. 1.
Scriptura quoscunque sensus pios patitur. pag. 592. colum. 1.
Seculi amatores forria seculi concupiscunt. pa. 420. colum. 1.
Seculares vita malorum sacerdotum scandalizantur. p. 614. col. 2.
Semen quid. pag. 554. col. 1,
Seminare & metere in scriptura quid. pagina 129. colum. 2.
Sensus mysticus fundatur in literali. pag. 509. columna, 2.
Sensus mystici velut pretiosi tapetes. pagi. 462. columna. 1.
Sensus literalis & mysticus quales. pagin. 348. columna. 1.
Sensus literalis ex mystico conditur. pag. 345. columna. 1.
Sensus literalis duplex quando vni textui conueniat. p. 157. col. 2. Et quando non. pag. 158. columna. 2.
Sensus mysticus & literalis vnde cognoscendi. pag. 158. col. 2.
Sensus mystici aliqui sunt de fide alij non. pag. 159 col. 1.
Sortibus vti quando sit licitum. p. 340. col. 2. & seq. & pag. 342. col. 1. & 2.
Sphakelismos quid sit. pag. 205. col. 2.
Septenarius numerus multitudinem magnam denotat. p. 252. col. 1. & p. 410. col. 2.
Somniorum obseruatio quomodo sit crimen. pag. 564. col. 2.
Sterilitas ex peccatis nostris sæpe prouenit. p. 48. columna. 2.
Status ecclesiasticus & regius, pagina. 532. columna prima.
Syllepsis figura nũmerum pro numero vsurpat. pag. 47. col. 1.
Spes virtus theologica. pagi. 175. col. 1.
Spei Theologicæ aduersantur desperatio, & præsumptio. p. 175. col. 2.
Spiritualis munitio ex quibus lateribus fiat. p. 428. col. 1.
Spiritus pro animo vel voluntate sumitur. pag. 96. colum. 2.
Spirituale in bonum & in malum. pagina. 138. columna. 1.
Spiritus sanctus descendebat visibiliter in baptizatos in primitiua ecclesia. pagina. 231. columna prima.
Stoici contra naturam humanam philosophabantur. pag. 262. col. 2.
Superborum ingenium. pag. 207. col. 1.
Superbia omnium vitiorum pessimum. pagina 298. colum. 2.
Superbia valde Deo odiosa. pagina. 322. columna secunda.
Superbi puniuntur in fauorem electorum. pag. 464. col. 1.
Supplicij genus atrox apud Hebræos. pagina 535. colum. 1.

TA-

INDEX ALPHABETICVS.

T

TAXAM violantes obnoxij ſunt reſtitutioni.pa.309.col.1.
Tecua quid ſignificet.p.248.col.1.
Templum Salomonicum an fuerit glorioſius ſecundo. p.499.col 2.
Templum Salomonicum adumbrat eccleſiam catholicam.p.493.col.2.
Templi reſtaurandi anni quomodo computentur.p.491.col.1.
Tempus qua ratione dicatur,malũ. p.291.c.1.
Tenebræ in ſcriptura ſæpe mœrorem ſignificant.pa.217.col.1.
Tenebræ in ſcriptura nonnunquam animi dolorem denotant.pa.471.col.2.
Theodoſius imperator ab Ambroſio humiliatur.pa.408.col.1.
Terræ habitabilis longitudo ſuperat latitudinem dupla proportione.pa. 533.col.1.
Terræ elementaris natura. pa. 581.col.2.
Totila rex à Leone papa primo placatur. pag. 408.col.1.
Tranſire Deum peccata noſtra,quid ſit in ſcriptũra.pa. 401.col.1.
Tribulationis amorem terrenorum relaxãt. p. 512.col.2.
Tribus Iuda & Ephraim, omnium fortiſsimæ. pag.179.col.1.
Trinitatis Sanctiſsimæ omnia ſunt vnum niſi obuiet relationis oppoſitio. p.230.col.2.
Theſaurus eccleſiæ ex meritis Sanctorum conflatur.pagi. 618.col.1.
Theſauri eccleſiæ diſpenſatio ad papam ſpectat.ibidem.
Turbo quid ſignificet.pag.130.col.1.
Tyrus florentiſsima olim Palæſthinę inſula.p. 144.col.1.
Tyrannorum ſæuitia.p. 514.col.1.
Tyrannius quis dicendus. p. 577.col.2.
Tyranni pollent fraudi & aſtu. pa. 578.col.2.

V

VÆ, in ſcriptura grande malum minatur. pag.123.col.1.
Vbertas temporalis quibus proſit, vel obſit.p. 147.col.2.
Verbi diuini incarnatio ſummum opus diuinæ potentiæ.pa.454.col.1.
Verbi diuini incarnationis apertum teſtimonium.p.143.col.1.
Venialia omnia ſine ſpeciali Dei priuilegio vitari non poſſunt. p. 617.col.2.
Venialia peccata eſſe contra Lutherum. pagin. 181.col.2.
Venialia per accidens puniuntur æterno. pag. 182.col.1.
Venialia non eſt neceſſe confiteri. p. 215.c.2.
Virgines fatuæ & prudentes quæ. p.212.c.1.
Viſitatio in bonum & in malum.p.138.col.1.
Viſio non ſemper imaginaria ſpectra denotat. pag.232.col.1.
Viri perfecti quadam tenus ſunt ſatiati in hac vita,etſi imperfectè. p. 496.col.1.
Vita æterna eſt,notio vera Dei. pa.60.col.1.
Vitæ nouitas duplex.p.349.col.1.
Vita Sanctorum probatio maxima fidei Chriſti.pag.512.col.1.
Vita contemplatiua & actiua quomodo ſe habeant. p.532.col.1.
Viuentes omnes currunt,ſed diuerſo curſu. pa. 542.col.2.
Vniuerſalia minus mouent quam particularia. pag. 217.col.1.
Volũtarium qui tollit,culpam tollit. p.38.c.2.
Voluntas Dei ſigni vel antecedens aliquando non impletur.p.115. col.2.
Voluntas radix humanarum operationum.pa. 220.col.2.
Voluntatis diuina non eſt petenda ratio. pag. 27. col.2.
Voluntarium ſimpliciter & ſecundum quid.p. 340.col.1.
Voluntas efficax,voluntas ſigni. pag.409.c.1.
Vota monaſtica obſeruanda cõtra Lutherum. pag.547.col.2.
Vouens non ad vouendum, ſed ad implendum quod vouit obligatur.p.139.col.1.
Vox flagelli,rotæ,& equi frementis, Quadrigæ & micantis gladij. p.425. col.1.2.&ſeq.
Vredo'rubigo,ſyderatio carbunculatio idem ſignificant.pa.205.col.2.
Vſura quando committatur.p. 140.col.1.

Z

ZACHARIAS quis fuerit occiſus in atrio templi.pag.505.col.2.
Zacharias occiſus in atrio templi fuit filius Ioiadæ. p. 506.col.1.
Zelus,quid ſignificet in ſcripturis.pagina. 227. columna prima.

FINIS TABVLÆ.